Digitized by the Internet Archive
in 2026 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/ethicachristiana04patu

P. F. JOANNIS VINCENTII
P A T U Z Z I

ORD. PRÆDICATORUM

IN VENETA CONGREGATIONE B. JACOBI SALAMONII

S. THEOLOGIÆ PROFESSORIS

ETHICA CHRISTIANA

SIVE

THEOLOGIA MORALI

Ex purioribus Sacræ Scripturæ divinæque traditionis fontibus derivata, &

S. THOMÆ AQUINATIS DOCTRINA

CONTINENTER ILLUSTRATA.

EDITIO NOVISSIMA

IN SEPTEM VOLUMINA DISTRIBUTA:

Addito nunc primum ejuſdem Auctoris Tractatu de Indulgentiis.

TOMUS QUARTUS

CONTINENS

Tractatus V. de Præceptis Decalogi complementum, ac Tractatum VI. de Juſtitia, & Jure.



ALMA COLLEGE
239.02
LIBRARY
P278
Alma, California

BASSANI, MDCCXC.

PROSTANT

VENETIIS APUD REMONDINI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

31735

INDEX

Tractatuum, Diſſertationum, & Capitum, quæ in hoc Tomo continentur.

TRACTATUS QUINTUS

DE DECALOGI PRÆCEPTIS

PARS ALTERA,

QUÆ EST DE SECUNDO DECALOGI PRÆCEPTO,

Non aſſumes nomen Dei in vanum.

DISSERTATIO PRIMA.

DE JURAMENTO.

CAPUT PRIMUM.

De nomine & eſſentia juramenti ejuſque diviſione, nec non conditionibus ad rite jurandum requiſitis.

DOCTRINA.

I. *JUramenti nomen unde deſumptum.* pag. 2
II. *Juramenta non ſunt Chriſtianis vetita.* ibid.
III. *Doctrina Auguſtini.* ibid.
IV. *Juramenti definitio ex D. Thoma.* ib.
V. *Dupliciter divinum nomen aſſumi poteſt.* ibid.
VI. *Ad jurandum plures adhibentur formulæ.* 3
VII. *Regula prima ad dignoſcendas juramenti formulas.* ib.
VIII. *Regula ſecunda.* ibid.
IX. *Regula tertia.* ibid.
X. *Juramenti variæ diviſiones.* ibid.
XI. *Conditiones.* ibid.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *JUramentum aſſertorium a promiſſorio ſpecie non differt.* 4
II. *Perjuria majorem vel minorem habent malitiam.* ibid.
III. *Perjurio etiam alterius generis malitia adjungi poteſt.* ibid.
IV. *Inter certas jurandi formulas recenſetur illa* per Deum. ibid.
V. *Nonnullæ formulæ inter juramenta non accenſendæ.* 5
VI. *Formulæ juramenti execratorii quænam.* ibid.
VII. *Irreverenti invocatione divini nominis violatur hoc præceptum.* ib.

CAPUT III.

De Veritate in juramento aſſertorio, nec non de æquivocatione, amphibologia, diſtinctione ſcientiæ communicabilis & incommunicabilis.

DOCTRINA.

I. *PRima liciti juramenti conditio veritas.* 6
II. *Perjurii reus eſt, qui rem dubiam pro certo jurat.* ibid.
III. *Certitudo veritatis ad juramentum requiſita.* ibid.
IV. *Aliquando veritas celanda.* ibid.
V. *Nonnulli Patres mendacio eam tegi poſſe putarunt.* ibid.
VI. *Hujus opinionis falſitas.* ib.
VII. *Num veritas tegi poſſit mentalibus reſtrictionibus.* ibid.
VIII. *Num non mere mentalibus ſed externis.* 7
IX. *Quando verba cum reſtrictione ſint intelligenda.* ibid.
X. *Num liceat veritatem tegere æquivocatione, & amphibologia.* ibid.
XI. *An uſu ſcientiæ communicabilis & incommunicabilis.* ibid.
XII. *Abuſus hujus ſcientiæ, mendaciorum fodina.* 8
XIII. *Quomodo cuſtodire ſecretum debeant Confeſſarius, Miniſter a ſecretis Principum, aliique.* ibid.
XIV. *Num tegere poſſint uſu materiali verborum.* ib.
XV. *Hic modus rejicitur.* ibid.
XVI. *Sicut nec aliis modis ſuperius recenſitis tegere ſecretum poſſunt.* 9
XVII. *Quid ſentiat D. Auguſtinus.* ibid.
XVIII. *Ad tegendum ſecretum nonnullæ regulæ.* ib.
XIX. *Regula I.* ibid.
XX. *Regula II.* 10
XXI. *Regula III.* ibid.
XXII. *Regula IV.* ibid.
XXIII. *Regula V.* ibid.

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *QUi ſolum habet probabilitatem, non poteſt de veritate jurare.* 11
II. *Qui jurare vult, debet diligenter de veritate rei inquirere.* ibid.
III. *Non licet alteri ſuadere, ut veritatem juret quam ignorat.* 12
IV. *Non licet alium inducere ad jurandum falſum, licet bona fide verum credat.* ib.
V. *Non licet privato juramentum petere ab eo, quem præſcit pejeraturum.* ib.
VI. *Quomodo, & quando judici liceat.* ib.
VII. *Licet juramentum petere ab eo, qui per falſos Deos eſt juraturus.* 13
VIII. *Non licet adulteræ juramento crimen adulterii negare.* ib.
IX. *Nec mercatoribus mercem ſibi tanti ſtare, ſi verum non ſit.* ib.
X. *Nec Clericis negare ſe deferre merces vectigalibus obnoxias, ſi habeant.* ib.
XI. *Nec reo legitime interrogato veritatem negare, vel æquivocatione celare.* 14
XII. *Nec reo non juridice interrogato.* ib.
XIII. *Licet Confeſſario negare veritatem rei ſibi ſolum per confeſſionem compertæ: non vero ſi interrogetur ut Confeſſarius.* 15
XIV. *Juramentum addere etiam in licita æquivocatione deordinationem importat.* ib.
XV. *Rejicitur doctrina P. Boranga ex Henno deſumpta.* 16

CAPUT V.

De duabus aliis conditionibus judicio, & juſtitia *ad juramenti aſſertorii honeſtatem requiſitis: nec non de prava jurandi conſuetudine.*

DOCTRINA.

I. *QUid judicii, quid juſtitiæ nomine in juramento intelligatur.* 16
II. *Defectus juſtitiæ dupliciter in juramento contingere poteſt.* 17
III. *Quotieſcumque in juramento aſſertorio deficit juſtitia, non eſt ſemper lethale peccatum.* ib.
IV. *Peccant lethaliter qui commiſſa crimina de illis gloriando, & gaudendo juramento confirmant.* ib.
V. *Defectus judicii quando habeatur in juramento.* ib.
VI. *Periculum affert perjurii.* ib.
VII. *Conſuetudo jurandi.* 18
VIII. *De conſuetudinis gradu. Regulæ nonnullæ.* ib.
IX. *Regula* 1. ib.
X. *Regula* 2. ib.
XI. *Regula* 3. 19
XII. *Regula* 4. ib.

CAPUT VI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *JUramenta hyperbolica prava ſunt defectu judicii.* 19
II. *Non eſt perjurii reus qui falſum jurat putans eſſe verum.* ib.
III. *Sicut qui ex lapſu linguæ pejerat.* ib.
IV. *Refellitur doctrina P. Viva.* ib.
V. *Conſuetudo jurandi eſt in confeſſione aperienda.* 20
Reflexio. ib.

CAPUT VII.

De juramenti promiſſorii indole, & de veritate, judicio, & juſtitia in eo requiſitis.

DOCTRINA.

I. *JUramentum promiſſorium duplicem reſpicit veritatem.* 21
II. *Juramentum promiſſorium vel ſoli Deo fit, vel etiam proximo.* ib.
III. *Ex promiſſione jurata obligatio gravis conſurgit.* ib.
IV. *Num ſit major obligatio voti vel juramenti.* ib.
V. *Debet eſſe in juramento promiſſorio intentio ſe obligandi vel implicita vel explicita.* ib.
VI. *Perjurus eſt, qui juramento promittit quod vel novit, vel dubitat num implere poſſit, vel nolit.* ib.
VII. *Peccant qui rem malam, vel majoris boni impeditivam juramento ſe facturos teſtantur, nec tenentur implere.* 22

CAPUT VIII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *LEthale peccatum eſt aliquid juramento polliceri ſine animo implendi.* 22
II. *Qui rem promiſſam in materia gravi non implet, perjurus eſt.* ibid.
III. *Et etiam qui in materia levi non implet juramentum.* ib.
IV. *Quinam a lethali peccato excuſantur in quibuſdam juramentis promiſſoriis.* 24
V. *Res juramento promiſſæ quas debeant habere conditiones.* ib.
VI. *Peccat qui jurat ſe aliquod vel lethale, vel veniale peccatum patraturum.* ib.
VII. *Pharmacum medicinale ſub jurejurando ſecreti traditum quando liceat revelare.* 25
VIII. *Qui quod malum eſt, juravit efficere, non indiget diſpenſatione, ut juramentum non impleat.* ib.
IX. *De juramento non ludendi.* ib.
X. *De non mutuando, de non fidejubendo.* 26
XI. *De juramento alteri juramento contrarium.* ib.
XII. *Conditiones imbibitæ in omnibus juramentis homini factis.* ibid.

CAPUT IX.

De juramentis contractibus adjectis, necnon errore, vi, & dolo extortis.

DOCTRINA.

I. *DUplex obligatio in juramento promiſſorio.* 26
II. *Juramenta per ſe ſtantia ſunt religioſe ſervanda.* 27
III. *Adjecta contractibus irritis ob bonum commune non obligant.* ibid.
IV. *Adjecta contractibus irritis in favorem ſubditi num ipſos contractus efficiant validos.* ibid.
V. *Probabilius videtur ſententia negans.* ib.
VI. *Solvitur objectio.* ibid.
VII. *Juramenta metu extorta ſunt ſervanda.* ibid.
VIII. *Qui doloſe jurat ad fallendum proximum, quid præſtare teneatur.* 28
IX. *Juramenta dolo extorta, vel ex errore præſtita, ſi circa rei ſubſtantiam verſentur, non obligant.* ib.
X. *At ſi verſentur ſolum circa accidentia, vim obtinent.* ibid.

CAPUT X.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *QUi aliquid acquiſivit ratione juramenti invalide contractui adjecti, ad reſtitutionem tenetur.* 28
II. *Qui pecuniam latroni, & uſuras fœneratori ſolvere juravit, tenetur implere.* ibid.
III. *Sicut & captivus, qui ad captivitatem redire juravit, & qui carcerem repetere Cuſtodi jurejurando pollicitus eſt, tenentur implere etiam cum vitæ periculo.* 29
IV. *Juramentum vel non repetendi ſolutas uſuras, vel non reſcindendi contractum, eſt cuſtodiendum.* ib.
V. *Qui pecuniæ ſolutionem ſub juramento pollicitus eſt, uti non poteſt compenſatione.* ibid.
VI. *Juramentum de non denunciando graſſatore vel fœneratore non ſemper obligat.* ibid.

CAPUT XI.

De peculiaribus quibuſdam juramentis.

DOCTRINA.

I. *DE juramento non ambiendi dignitates.* 30
II. *Quando illud non violent Nobiles, Optimates &c.* ibid.
III. *Quando perjurii rei fiant.* ibid.
IV. *Qui in aliqua Communitate recipiuntur, tenentur ſervare quæ ſub juramento polliciti ſunt.* ib.
V. *Quænam ſtatuta juramento promiſſa ſervanda ſint.* 31
VI. *Notarii, Scribæ &c. qui jurant nihil accepturos ultra ſtatutum pretium, tenentur ſervare juramentum.* ibid.
VII. *Qui in Capitulis, Comitiis, Congregationibus ſecretum jurant, illud tenentur cuſtodire.* ibid.
VIII. *De juramento Medicorum.* 32

CAPUT XII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *DEcreta juramentum ſubſequentia, ſi ſint præcedentium declaratoria, ſub juramento comprehenduntur.* 32
II. *Sicut etiam ſtatuta, licet non ſub culpa, ſed ad ſolam obligent pœnam, ſine perjurio violari non poſſunt.* ibid.
III. *Ad quid teneantur vi juramenti Præſides, Gubernatores, Rectores Urbium.* 33
IV. *Quid ſervare debeant Medici.* ibid.

CAPUT XIII.

De juramentorum ſolutione.

DOCTRINA.

I. *JUramenta ſoli homini facta pluribus modis ceſſare poſſunt.* 3
II. *Quando habeatur notabilis materiæ mutatio.* ib.
III. *Quando ceſſent condonatione.* ibid.
IV. *Quando juramenta ſunt Deo ſimul & homini facta, quænam regula ſervanda.* ibid.
V. *In juramentis homini factis per ſe locum non habet diſpenſatio.* 34
VI. *Irritatione tolluntur juramenta Deo facta.* ib.
VII. *Ceſſant diſpenſatione vel commutatione.* ibid.
VIII. *Qui delegata gaudent poteſtate commutandi vota, num poſſint & juramenta relaxare.* ib.
IX. *Juramenta homini facta quandoque diſpenſationem admittunt.* ibid.

CAPUT XIV.

De perjurii gravitate, ejuſque pœnis.

DOCTRINA.

I. *PErjurii eſſentia in falſitate conſiſtit.* 35
II. *Eſt de ſe ſemper lethale peccatum.* ibid.
III. *Eſt graviſſimum ſcelus ipſum homicidium vincens.* ibid.
IV. *Pœnæ in perjuros conſtitutæ.* ibid.
Reflexio. ib.

DISSERTATIO SECUNDA

De Voto.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit votum. Conditiones ad verum legitimumque votum. Voti multiplices diſtinctiones exponuntur.

DOCTRINA.

I. *VOti definitio ex S. Thoma.* 37
II. *Quomodo ſit promiſſio.* ibid.
III. *Quid ſit* de meliori bono. ibid.

IV.

IV. *Opus virtutis ex voto melius eſt, & laudabilius quam ſine voto.* 38
V. *Voti diviſio in ſimplex & ſolemne.* ibid.
VI. *Nonnullæ voti diviſiones.* ibid.
VII. VIII. *Aliæ diviſiones.* ibid.
IX. *Votum quo ſenſu aliud neceſſarium, aliud liberum.* ibid.

CAPUT II.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *AD votum quænam requiratur deliberatio.* 39.
II. *Nullum propoſitum licet firmiſſimum voti obligationem inducit.* ibid.
III. *Qui vovere vellet, ſed animo non vovendi, voto non teneretur.* ibid.
IV. *Qui vero vellet & vovere, & promittere, at nollet ſe obligare, voto teneretur.* 40
V. *Ad voti valorem non eſt neceſſaria voluntas implendi.* ibid.

CAPUT III.

De materia voti.

Doctrina.

I. *IMpium eſt votum de re mala.* 40
II. *Sicut & votum de re bona ad malum finem ordinatum.* ibid.
III. *Votum ad impetrandum effectum bonum ex turpi actione quandoque impium eſt.* ibid.
IV. *Votum in gratiarum actione pro flagitio feliciter perpetrato ſacrilegum eſt.* 42
V. *Qui rem partim bonam, partim malam, vel indifferentem vovit, ad quid teneatur.* ibid.
VI. *Votum de re licita, ſed quæ ex aliquibus circumſtantiis illicita evadere poteſt, quando validum ſit.* ibid.
VII. *Votum de re indifferenti, vana, & inutili irritum eſt.* ibid.
VIII. *Fieri tamen poteſt, ut res de ſe indifferens fiat bona, & apta voto.* ibid.
IX. *Quænam ſint inter indifferentia connumeranda.* ibid.
X. *Quid ſit de meliori bono.* 43
XI. *Non excludenda etiam præcepta a materia voti.* ibid.
XII. *Quæ ſunt divinis & evangelicis conſiliis contraria, non ſunt apta voto.* ibid.
XIII. *Num votum Matrimonii aliquando licitum ſit.* ibid.
XIV. *Num licitum ſit in remedium concupiſcentiæ.* ib.
XV. *Nullum eſt votum de re ſive phyſice, ſive moraliter impoſſibili.* 44
XVI. *Quid ſi pars ſit poſſibilis, pars vero impoſſibilis.* ibid.
XVII. *Quid ſi partim ſit bona, partim mala.* ib.

CAPUT VI.

Consectaria præcedentis doctrinæ.

I. *ILlicitum & nullum eſt votum de diſtribuenda pauperibus parte iniqui lucri.* 45
II. *Sicut & votum matris pro morte filiæ ex ſtupro prægnantis.* ibid.
III. *Licitum vero de non nubendo niſi ſtupratori.* ib.
IV. *Irritum & iniquum eſt votum de re etiam ſolum venialiter mala.* ibid.
V. *Vota contra conſilia Evangelica ſunt nulla, & ſacrilega.* ibid.
VI. *Et de re inutili, irrita, & mala.* 46
VII. *Votum peregrinationis cum nuditate pedum, quomodo licitum.* ibid.
VIII. *Votum non ludendi quando validum, & quantum dilatanda obligatio.* ibid.
IX. *Num qui vovit chartis non ludere, per alium ludere poſſit.* ibid.
X. *Votum vitandi omnia peccata quomodo validum.* 47
XI. *Non licet voto caſtitatis obſtricto debitum petere in Matrimonio, ne in peccatum labatur.* ib.
XII. *Votum de non vovendo invalidum eſt.* ibid.
XIII. *Votum de non petenda diſpenſatione, vel commutatione voti validum eſt.* 48
XIV. *Nonnulla peculiaria vota quomodo intelligenda.* ibid.

CAPUT V.

De voti obligatione, modo, & tempore quo urget.

Doctrina.

I. *OBligatio voti ex religione & fidelitate proficiſcitur.* 49
II. *Violatio voti de ſe lethale peccatum eſt.* ibid.
III. *Confirmatur doctrina S. Thomæ.* ibid.
IV. *Violatio voti in re levi num leve peccatum ſit.* ibid.
V. *Voventem rem gravem ſolum ſub levi ſe poſſe obligare nonnulli docent Theologi.* 50
VI. *Probabilior oppoſita doctrina.* ibid.
VII. *Argumenta in oppoſitum ſolvuntur.* ibid.
VIII. *Vota perſonalia ſolos voventes obſtringunt.* 51
IX. *Non poſſunt, nec tenentur per alium implere.* ib.
X. *Vota realia & per alium impleri poſſunt, & aliquando debent.* ibid.
XI. *Hæredes quando realia vota teneantur implere.* ib.
XII. *Num donatarii donantis vota teneantur implere.* 52
XIII. *Tempus implendi voti aliud ad finiendam obligationem, aliud ad urgendam.* ibid.
XIV. *Quomodo dignoſci poſſit alterutro modo appoſitum.* ibid.
XV. *Elapſo tempore appoſito ad finiendam obligationem non amplius urget votum.* ibid.
XVI. *Sicut nec urget niſi adveniente tempore præſtituto.* 53
XVII. *Non omnis mora temporis ad votum implendum eſt lethale peccatum.* ibid.

CAPUT VI.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *QUi tranſgreditur votum de aliquo virtutis actu non præcepto, duplex peccatum non committit.* 53

II. A-

II. *Aliquando omiſſio rei levis in voto eſſe poteſt lethale peccatum.* 54
III. *Plures res leves voto promiſſæ gravem inducere valent obligationem.* ibid.
IV. *Tranſgreſſio voti de aliquo veniali peccato vitando, aliquando grave peccatum eſt.* ibid.
V. *In votis perſonalibus diei præfixis, onus unius diei ad alteram non tranſit, ſecus in realibus.* 55
VI. *Qui vovit rem per alium præſtandam, tenetur curare voti impletionem.* ibid.
VII. *Quando quis ab impletione voti realis excuſari poſſit.* ibid.
VIII. *Qui ex culpa votum non implevit, ad quid teneatur.* ibid.
IX. *Hæres non tenetur vota perſonalia teſtatoris implere.* 56
X. *At vota realia implere debet.* ibid.
XI. *Non tamen cum detrimento ſuæ legitimæ, vel ſi vires hæreditatis ſuperent.* ibid.
XII. *Quid præſtare debet hæres, quando omnia teſtatoris vota implere non poteſt.* ibid.
XIII. *Quando hæredes in ſolidum, & quando pro rata vota Teſtatoris implere teneantur.* ibid.
XIV. *Legatarius etiam aliquando realia Teſtatoris vota tenetur implere.* 57
XV. *Vota communitatis quando, & quomodo poſteros obligent.* ibid.
XVI. *Quando vovens teneatur tempus implendi voti prævenire.* ibid.
XVII. *Quænam dilatio ſive mora implendi voti ſit graviter culpabilis.* ibid.

CAPUT VII.

De votis dubiis, indeterminatis, conditionalibus, & pœnalibus, metu, errore, & dolo emiſſis.

DOCTRINA.

I. *VAriæ votorum circumſtantiæ, & adjuncta.* 58
II. *Dubii a ſcrupulis & trepidatione diſtinctio.* ib.
III. *Dubius de emiſſione voti tenetur implere.* 59
IV. *Argumenta Probabiliſtarum ex principiis reflexis contemnenda.* ibid.
V. *Salmanticenſium opinio rejicitur.* ibid.
VI. *Certus de voto, & de impletione dubius tenetur implere.* ibid.
VII. *Pluribus modis votum eſſe poteſt indeterminatum.* ibid.
VIII. *Vota licet indeterminata valida ſunt.* ibid.
IX. *Profeſſio religioſa ante ſextum decimum annum emiſſa invalida eſt.* ibid.
X. *Regula ſervanda in votis indeterminatis quoad qualitatem, & quantitatem.* ibid.
XI. *De vovente religionem indeterminate doctrina S. Thomæ.* 60
XII. *Qui jejunium indeterminate vovit, ad quid teneatur.* ibid.
XIII. *Qui a vino abſtinere vovit, ad quid teneatur.* ibid.
XIV. *Qui virginitatem, vel caſtitatem vovit, tenetur votum ſervare, licet virginitatem illicite amiſerit.* 61
XV. *Quid in voto, in quo qualitas rei non eſt niſi in genere promiſſa.* ibid.
XVI. *In voto de quantitate indeterminata quanta debeat eſſe erogatio.* ibid.
XVII. *Qui jejunium indeterminate vovit, voto unico jejunio ſatisfacit, qui vero plura, non implet duplici tantum jejunio.* ibid.
XVIII. *Quid ſit votum conditionatum. Nonnullæ ſtatuuntur Regulæ.* 62
XIX. *Regula* 1. ibid.
XX. *Regula* 2. ibid.
XXI. *Regula* 3. ibid.
XXII. *Regula* 4. ibid.
XXIII. *Regula* 5. 63
XXIV. *Regula* 6. ibid.
XXV. *Regula* 7. ibid.
XXVI. *Quid ſit votum pœnale.* ibid.
XXVII. *Valida ſunt vota pœnalia.* 64
XXVIII. *Qui inculpabiliter quod promiſit tranſgreditur, ad pœnam voto ſibi conſtitutam non tenetur.* ibid.
XXIX. *Qui abſolute vovit, ſi luſero, eleemoſynam dabo, num teneatur eleemoſynam dare ſemel tantum cum primum luſerit, vel toties quoties ludo indulſerit.* ibid.
XXX. *De voto metu & errore elicito. Regula* 1. ib.
XXXI. *Regula* 2. ibid.
XVXII. *Regula* 3. ibid.
XXXIII. *Explicatur doctrina S. Thomæ.* 65
XXXIV. *Regula* 4. ibid.
XXXV. *De voto ex metu extorto. Regula* 1. ibid.
XXXVI. *Regula* 2. ibid.
VXXVII. *Regula* 3. ibid.
XXXVIII. *Num vota metu injuſte incuſſo ad extorquendum votum, ſint jure poſitivo nulla.* 66

CAPUT VIII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *QUi calicem indeterminate vovit, num aureum, vel argenteum, vel partim ex argento & cupro poſſit, & teneatur dare.* 66
II. *Quomodo intelligendum votum de non congrediendo cum fœmina?* ibid.
III. *Vota ex repentino timore vel animi perturbatione emiſſa quando valida ſint.* 67
IV. *Qui dubitat, num quod vovit licitum ſit, vel illicitum, non tenetur voto, at ille obſtringitur qui dubitat, num abſolutum an conditionatum emiſerit.* ibid.
V. *Qui vovit ſe nolle in ſæculo vivere, tenetur religionem ingredi.* ibid.
VI. *Qui vovit indeterminate religionem, ſatisfacit voto religionem mitiorem ingrediens.* 68
VII. *Non ſatisfacit vero, ſi ſeveriorem voverit religionem.* ibid.
VIII. *Qui religionem indefinite vovit, tenetur totum id præſtare quod in ſe eſt, ut in religionem admittatur.* ibid.
IX. *Non tenetur tamen niſi ingredi religionem, & anno probationis experiri, num ſit ad illam idoneus.* 69
X. *Qui vovit quotidie audire Miſſam, non tenetur binis in die feſto intereſſe.* 70
XI. *Qui vovit jejunium in pane & aqua, peccat ſi vinum bibat.* ibid.

XII. *Votum conditionale impleta conditione abſolutum evadit.* ibid.
XIII. *Qui duplex emiſit votum, quorum alterum pœnale eſt, ſi a priori voto liberetur, etiam a ſecundo liber evadit.* ibid.
XIV. *Qui religionem Carthuſianorum ingredi vovit, putans licere in ea veſci carnibus, num voto teneatur.* ibid.

CAPUT VIII.

De iis, qui a vovendo quoquomodo impediuntur.

Doctrina.

I. *VOti emittendi incapaces ſunt, qui uſu carent rationis.* 71
II. *Et qui ſuarum actionum vel rerum dominio carent.* ibid.
III. *Num Religioſi valide & licite vovere poſſint.* ibid.
IV. *Vovere non poſſunt quæ a Superioribus vetita ſunt, vel vetatur ne ſine licentia fiant.* 72
V. *Num Filii familias, Pupilli, Uxores vovere prohibeantur.* ibid.

CAPUT IX.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *REligioſi num aliquas eleemoſynas vovere poſſint.* 27
II. *Quas eleemoſynas vovere poſſint filii familias, & pupilli.* 73
III. *A quibus votis impediantur Epiſcopi.* ibid.
IV. *Num Parochi ingreſſum in Religionem vovere poſſint etiam ſine licentia Epiſcopi.* ibid.

CAPUT X.

De voti ceſſatione per deficientiam cauſæ, & rei mutationem.

Doctrina.

I. *QUot modis vota ceſſare poſſint.* 73
II. *Voti duplex cauſa finalis.* ibid.
III. *Quomodo ceſſante cauſa finali proxima ceſſet votum.* 74
IV. *Non ceſſat vero ceſſante cauſa finali remota & alliciente.* ibid.
V. *Si cauſa finalis proxima & movens ceſſet ex culpa voventis, num voto teneatur.* ibid.
VI. *Quando ceſſat votum materiæ notabili mutatione.* ibid.

CAPUT XI.

De Votorum irritatione.

Doctrina.

I. *QUid ſit irritatio.* 74
II. *Doctrina S. Th. de votorum irritatione.* 75
III. *Quibus facultas competat vota irritandi.* ibid.
IV. *Num a jure naturæ, vel poſitivo oriatur.* ibid.
V. *Ad validam votorum irritationem nulla requiritur cauſa, at aliqua ad licitam.* ibid.
VI. *Parentes impuberum filiorum vota omnia irritare poſſunt.* 76
VII. *Puberum vero perſonalia vota quando poſſint irritari.* ibid.
VIII. *Realia etiam irritari poſſunt a Parentibus.* ib.
IX. *Tutorum, & Curatorum poteſtas irritandi vota.* ibid.
X. *Quænam uxoris vota a Marito irritari poſſint.* ib.
XI. *Domini quando ſervorum vota in irritum revocare valeant.* 77
XII. *Prælati regulares num omnia vota Religioſorum poſſint irritare.* ibid.

CAPUT XII.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *QUando vota in irritum revocata amplius non reviviſcant.* 78
II. *Num vota de licentia Superioris emiſſa ab eodem valeant irritari?* ibid.
III. *Matres num irritandi vota filiorum impuberum gaudeant poteſtate?* 79
IV. *Quænam uxoris vota maritus poſſit irritare.* ibid.
V. *Nonnulla vota uxorum, quæ nequeunt irritari a marito.* 80
VI. *Quænam mariti vota uxor irritare non valeat.* ibid.
VII. *Quænam Prælati vota Religioſorum valeant irritare.* ibid.
VIII. *Monialium vota irritare poſſunt Abbatiſſæ & Prioriſſæ.* ibid.
IX. *Quænam vota valeat Summus Pontifex irritare.* 81
X. *Vota profeſſioni adnexa licet ſimplicia irritari non poſſunt a Superioribus Regularium, ſicut nec votum tranſeundi ad arctiorem Religionem.* ib.

CAPUT XIV.

De Diſpenſatione Votorum.

Doctrina.

I. *ECcleſia facultatem habet diſpenſandi.* 81
II. *Definitio diſpenſationis.* 82
III. *Quonam pacto valeat Eccleſia diſpenſare in votis, quæ ſunt juris divini.* ibid.
IV. *Ut legitima ſit diſpenſatio, fieri debet ab habente ſpiritualem poteſtatem.* ibid.
V. *Legitima & rationabilis cauſa requiritur nedum ad licitam, ſed & ad validam diſpenſationem ex D. Thom.* ibid.
VI. *Idem ſentit S. Antoninus cauſam aſſignans diſcriminis inter diſpenſationem & irritationem.* ib.
VII. *Cauſæ juſtæ legitimæque diſpenſationis aſſignantur a S. Thom. & S. Antonino.* 83
VIII. *Regula 1.* ibid.
IX. *Regula 2.* ibid.
X. *Regula 3.* ibid.
XI. *Regula 4.* ibid.
XII. *Regula 5.* ibid.

XIII.

XIII. *Quinam poteſtate ordinaria in votis diſpenſandi polleant?* ibid.
XIV. *Nonnulla vota reſervata Summo Pontifici.* 84
XV. *Hujuſmodi reſervatio ſtricte intelligenda eſt.* ib.
XVI. *Regulares nullam habent poteſtatem diſpenſandi vota a viris, vel Clericis ſæcularibus, vel etiam alterius Religionis emiſſa.* ibid.
XVII. *Regulares Ordinum præſertim Mendicantium poteſtatem habent commutandi omnia vota, exceptis quinque Sedi Apoſtolicæ reſervatis.* 85

CAPUT XV.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quid agendum in dubio, num legitima adſit concedendæ diſpenſationis cauſa?* 85
II. *Quid ſi cauſa, quæ putabatur legitima, deprehendatur inſufficiens?* ibid.
III. *Num imperfecta deliberatio, & difficultas ſint legitimæ diſpenſationis cauſæ.* ibid.
IV. *Num dubium de valore voti?* 86
V. *Num commune bonum, vel etiam privatum alicujus familiæ?* ib.
VI. *Diſpenſans ſine juſta cauſa peccat.* ibid.
VII. *Prælatus Regularis inferior diſpenſare valet in voto emiſſo etiam de licentia Prælati Superioris.* ibid.
VIII. *Nequeunt Prælati Regulares ſuos ſubditos ab iis votis diſpenſare, quæ ad propriæ Religionis ſtatum pertinent.* 87
IX. *Epiſcopi poſſunt ſuos ſubditos ab omnibus votis diſpenſare, exceptis reſervatis Summo Pontifici.* ibid.
X. *Qui ordinaria pollent poteſtate diſpenſandi in votis, ea etiam in ſui favorem uti poſſunt.* ib.
XI. *Quando Epiſcopi valeant diſpenſare in votis reſervatis Summo Pontifici.* ibid.

CAPUT XVI.

De votorum commutatione.

Doctrina.

I. *Quid ſit voti commutatio.* 88
II. *Triplici modo fieri poteſt.* ibid.
III. *Commutatio in melius quando fieri poſſit propria auctoritate.* ib.
IV. *An aliquando Eccleſiæ poſtulet auctoritatem.* ib.
V. *Quid doceat S. Thomas.* ib.
VI. *In commutatione æqualitas eſt ſervanda.* ib.
VII. *Non mathematica, ſed moralis.* ibid.
VIII. *Ad legitimam commutationem cauſa requiritur.* ibid.
IX. *Non eſt neceſſe, ut fiat in Sacramentali Confeſſione.* ibid.
X. *Servanda æqualitas etiam quando fit commutatio ex conceſſione Jubilæi.* 90
XI. *Regulæ ſervandæ in votorum commutatione. Regula 1.* ibid.
XII. *Regula 2.* ibid.
XIII. *Regula 3.* ibid.
XIV. *Regula 4.* ibid.
XV. *Regula 5.* 91
XVI. *Regula 6.* ibid.
XVII. *Regula 7.* ibid.
XVIII. *Facta commutatione num teneatur vovens ad priorem materiam redire.* ib.
XIX. *Num poſſit propria libertate.* 92
XX. *Suarezii ſententia probabilior videtur.* ib.

CAPUT XVII.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Num poſſint commutari vota in alterius favorem emiſſa & acceptata.* 92
II. *Quomodo commutanda vota ex facultate Bullæ Cruciatæ.* ibid.
III. *Vota reſervata Romano Pontifici ſi dubia ſint commutari poſſunt.* 93
IV. *Et ſi ex parte materiæ plena non ſint & perfecta.* ibid.
V. *Num quando ſunt disjunctiva, commutari poſſint.* ibid.
VI. *Num ſi conditionalia ſint vel pœnalia.* ibid.
VII. *Circumſtantiæ & qualitates adjectæ votis reſervatis non ſubſunt reſervationi.* 94
VIII. *Materia ſubſtituta voto reſervato non ſubeſt reſervationi.* ibid.
IX. *Facultas commutandi vel diſpenſandi in votis reſervatis debet eſſe ſpecialis, nec ſufficit generalis.* 95
X. *Regulares non poſſunt commutare vota reſervata nec in urgenti neceſſitate.* ibid.
XI. *Sunt & juramenta quædam Sedi Apoſtolicæ reſervata.* ibid.

DISSERTATIO III.

De blaſphemiæ crimine.

CAPUT PRIMUM.

Blaſphemiæ definitio, & diviſio, ac gravitas.

Doctrina.

I. *Blaſphemiæ definitio.* 97
II. *Quot modis Deum blaſphemare quis poſſit?* ibid.
III. *Blaſphemia alia hæretica, alia ſimplex.* ibid.
IV. *Simplex multiplici modo committitur.* ibid.
V. *Blaſphemia etiam factis & nutibus habetur.* ibid.
VI. *Etiam in Sanctos perpetratur.* 98
VII. *Quæ tamen ſpecie differt a blaſphemia in Deum.* ibid.
VIII. *Eſt ex genere ſuo lethale peccatum.* ibid.
IX. *Immo omnium graviſſimum.* ibid.
X. *Parvitatem materiæ non admittit.* ibid.
XI. *Num aliquando a lethali peccato poſſit excuſari.* ibid.

*

CAPUT II.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. QUænam ſint loquendi phraſes pro blaſphemis habendæ? 99
II. Aliæ locutiones eodem crimine culpandæ. ibid.
III. Deum negare, vel ejus omnipotentiam, vel aliud attributum, blaſphemia eſt. ibid.
IV. Quando ex S. Thoma creaturis maledicere blaſphemia ſit. 100
V. Nec blaſphemia in Sanctos parvitatem materiæ admittit. ibid.
VI. Blaſphemans in ebrietate non ſemper excuſatur a culpa lethali. ibid.
VII. Quando blaſphemiæ uno impetu prolatæ plura peccata conſtituant. ibid.

CAPUT III.

Quibus pœnis ſubjaceant blaſphemi, & quomodo corrigendi.

Doctrina.

I. IN Veteri Teſtamento pœna capitis in blaſphemos lata. 101
II. Quæ & in jure civili decernitur. ibid.
III. Pœnæ in jure Canonico ſtatutæ recenſentur. ib.
IV. Aliæ a Conciliis & Pontificibus ſtatutæ. ib.
V. Audientes blaſphemos eos corrigere & denunciare debent. ibid.
VI. Abſolutionem a crimine blaſphemiæ quis valeat impertiri. ibid.
VII. Qui ex conſuetudine blaſphemant quando ſint abſolvendi. ibid.
VIII. Severa pœnitentia imponenda blaſphemis vere pœnitentibus. ibid

CAPUT IV.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. GRaviter peccant Judices, qui blaſphemos juxta Leges non plectunt. 102
II. Qui blaſphemantes audiunt, eos corripere tenentur. ibid.
III. In Diœceſibus, in quibus abſolutio criminis blaſphemiæ reſervata eſt Epiſcopis, etiam blaſphemiæ ex conſuetudine licet inadvertenter prolatæ reſervationi ſubſunt. ibid.
Reflexio. 103

TRACTATUS V.

De Decalogi Præceptis.

PARS TERTIA

Quæ eſt de tertio Decalogi Præcepto

Memento ut diem Sabbati ſanctifices, non facies omne opus in eo.

DISSERTATIO UNICA

De Feſtorum Sanctificatione.

CAPUT I.

De Feſtorum Inſtitutione.

Doctrina.

I. FEſtorum dierum inſtitutio ab ipſa naturali religione profluit. 105
II. Præceptum ſanctificationis Sabbati partim naturale, partim cæremoniale. ibid.
III. Qua cæremoniale, aboleri potuit, & mutari. 106
IV. Ab Apoſtolorum tempore mutata dies Sabbati in Dominicum diem. ibid.
V. Hujus mutationis rationes, & congruentiæ ex S. Leone M. ibid.
VI. Sunt & alii feſti dies, partim ab Apoſtolica traditione, partim ab Eccleſia inſtituti. ibid.
VII. Quinam poteſtate polleant feſta inſtituendi? ib.
VIII. Convenit etiam Epiſcopis, conſentientibus Clero & populo. ibid.
IX. Qua tamen uti non convenit in præſenti diſciplina ſine Summi pontificis licentia. ibid.
X. Feſta toto orbe celebranda enumerantur. 107

CAPUT II.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. DIes Feſti ſunt habendi tanquam ſacri, & divino cultui addicti. 107
II. Ex præcepto Naturali, Divino, & Eccleſiaſtico ſanctificandi. ibid.
III. Judæorum ſabbata, & feſta celebrare Chriſtianis illicitum. ibid.
IV. Diei Dominicæ feſtum non eſt juris divini, ſed Eccleſiaſtici. 108
V. In præcepto ſanctificationis feſtorum exterior Dei cultus præcipitur. ibid.
VI. Hocce præceptum & poſitivum eſt, & ex parte negativum. ibid.
VII. Quænam feſtivitates abolitæ. ibid.
VIII. Regulares tenentur feſta ab Epiſcopis legitime inſtituta ſervare. 109
IX. Feſta indicere ad ſolam Eccleſiaſticam pertinet poteſtatem. ibid.

CA-

CAPUT III.

De operibus pietatis in die feſto ex præcepto naturali divino præſtandis.

DOCTRINA.

I. F*Eſta ſunt per poſitivas actiones ſanctificanda.* 109.
II. *Etiam ex præcepto Eccleſiæ.* ibid.
III. *Qui Miſſam audire impediuntur, alia pietatis exteriora opera præſtare tenentur.* ibid.
IV. *Sola auditione Miſſæ dies feſtos non, ut decet, ſanctificari docent Pontifices.* 110
V. *Confirmant Concilia.* ibid.
VI. *Quid doceat S. Carolus Borrom*[illegible] ibid.
VII. *Et Concilii Trident*[illegible] *techiſmus.* ibid.
VIII. *Et nobili*[illegible] *Theologi.* ibid.
IX. [illegible] *luculenta argumenta.* 111

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. D*Iſtinguendum præceptum ſanctificationis Feſti a præcepto de tali die ſanctificando, & de miſſa audienda.* 111
II. *Ex præcepto Eccleſiæ non tenentur fideles niſi ad Miſſæ auditionem.* ibid.
III. *Eccleſia præcipiendo Miſſæ auditionem, divinum præceptum nec coarctavit, nec immutavit.* 112
IV. *Non ſemper qui aliquo feſto ſolam audit Miſſam, eſt lethalis peccati reus habendus.* ibid.
V. *Quomodo Confeſſarii pœnitentes monere debeant & inſtruere?* ibid.
Reflexio. 113

CAPUT V.

De operibus, a quibus abſtinere debent fideles in die Feſto, & primo quidem de peccatis.

DOCTRINA.

I. Q*Uid vetitum fuerit Judæis in die ſabbati.* 114
II. *Servilia opera triplicis generis.* ibid.
III. *Servilia opera ad Dei cultum ordinata non vetantur die feſto.* ibid.
IV. *Feſtum violant qui eo die lethaliter peccant.* 115
V. *Doctrina S. Thomæ explicatur.* ibid.
VI. & VII. *Ab objectis vindicatur.* ibid. & ſeq.
VIII. *Quid doceant antiquiores Theologi.* ibid.
IX. *Quid Synodalia decreta ſtatuant.* ibid.
X. *Solvitur objectio a ratione petita.* ibid.
XI. *Non tamen per omne lethale peccatum feſta violantur.* 117
XII. *Choreæ, ſaltationes, theatra, ſpectacula in diebus feſtis vetita.* ibid.
XIII. *SS. PP. doctrina.* 118
XIV. *Cui ſubſcribunt & nobiliores Theologi.* ib.

CAPUT VI.

De ceteris ſervilibus operibus in die feſto vetitis.

DOCTRINA.

I. Q*Uænam ſint ſervilia opera.* 119
II. *Præcepto divino in die feſto interdicuntur.* ibid.
III. *Non ſemper lethaliter peccant qui opera ſervilia in die feſto exercent.* ibid.
IV. *Nonnulla opera ſervilia in diebus feſtis conceſſa ex D. Thoma.* ibid.
V. *Sicut & quæ ad Dei cultum pertinent.* ibid.
VI. [illegible] *neceſſitate, & pietate conceſſa.* 120
VII. & VIII. *Aliqua etiam non ſervilia opera vetita diebus feſtis.* ibid.

CAPUT VII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. O*Pera ſervilia & mechanica die feſto vetita.* 120.
II. *Non vero liberalia.* 121
III. *Nec ſervili*[illegible] *opera, quæ ad quotidianam corporis curam p*[illegible]*tinent.* ibid.
IV. *Sicut nec quæ* [illegible] *ejus ſalutem procurandam ſunt neceſſaria.* ibid.
V. *Num liceat barbam* [illegible]*dere.* ibid.
VI. *Pingere, tranſcribere* [illegible] *liceat diebus feſtis.* 122.
VII. *Iter habere quomodo vetitu*[illegible] *ſit in die feſto.* 123
VIII. *Piſcatio, aucupium, & venat*[illegible] *quomodo vetita diebus feſtis.* ibid.
IX. *Quid conceſſum Laniis, Pincernis,* [illegible]*nopolis in die feſto.* ibid.
X. *Opera ſervilia ad Dei cultum pertinentia* [illegible] *modo licita diebus feſtis.* ib.
XI. *Titulo neceſſitatis nonnulla opera ſervilia conceſſa diebus feſtis.* 124
XII. *Pietas, miſericordia, & bonum publicum licita reddunt ſervilia opera.* ibid.
XIII. *Mercatus, & nundinæ num conceſſæ ſacris diebus.* 125
XIV. *Quid Placiti nomine vetitum ſit, quid conceſſum.* ibid.
XV. *Brevitas laboris ſervilis a peccato lethali excuſat.* ibid.
XVI. *Diſpenſatio Superioris a peccato excuſat.* 126
Reflexio. ibid.

TRACTATUS V.

De Decalogi Præceptis

PARS QUARTA.

De quarto Decalogi Præcepto.

Honora Patrem tuum & Matrem tuam.

DISSERTATIO UNICA

De Honoratione Parentum.

CAPUT PRIMUM.

Explicatur hocce Præceptum.

DOCTRINA.

I. HOnoris nomine in 4. præcepto Decalogi quid deſignetur, 128
II. Quænam officia præcipiantur filiis erga parentes. ibid.
III. Illa præſtare ad pietatem pertinet. ibid.
IV. Quinam parentum nomine deſignentur. 129
V. Parentum officia erga filios indicantur. ib.

CAPUT II.

De honore & obedientia filiorum erga parentes.

DOCTRINA.

I. AMorem parentibus rependere debent filii. 129
II. Honorem non cultum & reverentiam. 130
III. Ndientiam ac ſubjectionem. ibid.
IV. Et ire debent in his quæ familiæ regimen ſpectant. ib.
...t vitæ diſciplinam reſpiciunt. ibid.
V. Quomodo filiæ Matribus obtemperare debeant. 131.
VII. Non tenentur filii obedire, ſi quæ mala ſunt, imperentur a parentibus. ibid.
VIII. Liberi ſunt filii in ſtatus electione. ib.
IX. Peccant tamen, ſi inconſultis parentibus matrimonium celebrent. ibid.
X. Objecta ſolvuntur. 132
XI. Si parentibus matrimonium proponentibus non obtemperent, aliquando peccant. ibid.

CAPUT III.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. PEccant lethaliter filii, ſi parentes graviter contriſtent dictis, vel factis. 132
II. Si de illorum morte, vel malis gaudeant, Propoſitiones damnatæ. ibid.
III. Si maledictis dehoneſtent. 133
IV. Si ex contemptu eos recognoſcere recuſent. ib.
V. Injuriæ, quæ reſpectu aliorum leves eſſent, facile grave peccatum ſunt illatæ parentibus. ib.
VI. Falſa Tamburini ſententia refellitur. 134
VII. Nonnulla lethalis inobedientiæ crimina recenſentur. ibid.
VIII. Non tenentur filii conſilium ſequi, vel obedire parentibus a religioſo ſtatu eos avertentibus. ib.

CAPUT IV.

De Parentum indigentia per Filios levanda.

DOCTRINA.

I. TEnentur Filii parentibus tum in ſpiritualibus, tum in corporalibus ſubvenire. 135
II. Quomodo in ſpiritualibus parentibus auxiliari poſſint filii. ibid.
III. Quomodo in tempor... ibid.
IV. In extrema neceſſitate filius ...iam Regularis parenti ſuccurrere debet. ibid.
V. Non licet filio parentes egentes deſerere, ut Religionem ingrediatur. ibid.
VI. Nec e Clauſtro egredi jam profeſſus, ut eis auxilietur. 136

CAPUT V.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINA.

I. TEnentur filii parentem indigentem alere 136.
II. In captivitatem redactum, vel carcere detentum redimere, & liberare. ibid.
III. Tenentur filii pro parentibus operari, nec operis mercedem expoſcere. 137
IV. Tamburini ſententia rejicitur. ibid.
V. Ad ſubveniendum parentibus licet Religioſis filiis de licentia Superiorum e Clauſtro egredi. ib.
VI. Sicut qui vel proponit, vel vovit ingredi Religionem, poteſt eadem de cauſa & propoſitum mutare, & voti impletionem ſuſpendere. 138
VII. Et etiam ſi ita poſtulat fratris, vel ſororis indigentia. ibid.
VIII. In æquali gravis neceſſitatis gradu parentes in alimentis ſunt filiis præferendi. ibid.
IX. Reflexio. ibid.

CAPUT VI.

De Officiis Parentum in liberos, & primum de corporis cura.

DOCTRINA.

I. DOctrina Catechiſmi Tridentini de officiis parentum in filios. 140
II. Amor parentum erga filios qualis eſſe debeat. ib.
III. Curare debent parentes, ut filii naſcantur ſani, & bene valentes. ibid.
IV. Quid ad hoc præſtare debent Matres. ib.
V. Matres filios proprio lacte nutrire tenentur. ib.
VI. Si lactare non valeant, de optima Nutrice providere. 141
VII. Alimenta tenentur filiis parentes ſuppeditare. ibid.
VIII. Quid nomine alimentorum veniat. ibid.

IX.

IX. *Tenetur etiam pater ad expenſas pro ſtudiis & artibus addiſcendis.* ibid.
X. *Dotem filiabus ſuppeditare congruam & ſtatui conformem.* ibid.
XI. *Artes & ſcientias docere vel per ſe, vel per alios.* ibid.
XII. *Æqualitatem inter filios ſervare.* ibid.
XIII. *Ad ſtatum eligendum hortari, & non cogere.* 142
XIV. *Hæc officia etiam filiis ſpuriis ſunt præſtanda, ſervata proportione.* ibid.

CAPUT VII.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *PEccant lethaliter parentes in lecto infantes retinentes cum periculo ſuffocationis.* 142
II. *Et qui ipſis maledicunt, & mala imprecantur.* ib.
III. *Qui cum alere poſſunt, alendos Hoſpitali tradunt.* 143
IV. *Qui mortis, vel infamiæ metu pueros Hoſpitali tradunt, non peccant quidem, ſed ad reſtitutionem tenentur.* ibid.
V. *Qui puerum ante ſuam januam expoſitum reperiunt, num teneantur illum ſuſcipere & alere.* ib.
VI. *Alimenta ſunt præbenda filiis etiam hæreticis, excommunicatis, & in exilium pulſis.* 144
VII. *Peccant & ſæpiſſime lethaliter parentes, qui familiæ bona vel negligunt, vel diſſipant.* ib.
VIII. *Legitimam filiis parentes relinquere debent.* ib.
IX. *Quando non tenentur alimenta præſtare filiis parentes.* 145
X. *Quando poſſint jure denegare.* ibid.
XI. *Orphani a quibus alendi.* ibid.
XII. *Num poſſint parentes filios in neceſſitate vendere.* 146

CAPUT VIII.

De ſpirituali filiorum cura, & educatione.

Doctrina.

I. *TEnentur parentes recte filios educare.* 146
II. *Se illis exhibere exemplum bonorum operum.* ibid.
III. *Inſtruere de rebus ad Religionem & pietatem ſpectantibus.* ibid.
IV. *Inculcare præceptorum obſervantiam, & fugam peccati.* 147
V. *Ad eorum inſtructionem idoneum ſeligere Præceptorem.* ibid.
VI. *Vigilare circa filiorum conſuetudines, mores, amicitias &c.* ibid.
VII. *Eos opportune, & prudenter corrigere.* ibid.
VIII. *In electione ſtatus dirigere.* ibid.
IX. *Quid curare debeant parentes, ſi filii religioſum ſtatum voluerint eligere.* 148
X. *Peccant lethaliter, & excommunicationem incurrunt, ſi filios ad Regularem ſtatum cogant.* ib.
XI. *Caſus in quibus licet cogere filios ad Religionis ingreſſum.* ibid.
XII. *Patrinorum erga filios ſpirituales officia & munia.* ibid.

CAPUT IX.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *PEccant parentes qui filios ſcandalis offendunt.* 148
II. *Sicut & matres quæ filias pravis exemplis ſcandalizant.* 249
III. *Et parentes qui filios odio habent, illis maledicunt.* ibid.
IV. *Matres quæ filias immodeſte ornant.* ibid.
V. *Parentes qui filiis divitias, honores, humanam gloriam proponunt quærenda.* ibid.
VI. *Qui filios peccantes non corrigunt.* ibid.
VII. *Ad correctionem etiam verbera adhibere poſſunt.* ib
VIII. *At non in carcere formali & diuturno detinere.* 150
IX. *Peccant, ſi filios illicitis modis a religioſo ſtatu avertant.* ibid.
X. *Immo ſi puellas a ſtatu religioſo amoveant injuſte, excommunicationem incurrunt.* 151
XI. *Quam excommunicationem ſubeunt etiam cogentes puellas invitas ad ingreſſum Monaſterii ob ſtatum religioſum amplectendum.* ibid.
XII. *Non peccant vero, nec ſubſunt excommunicationi, ſi ſolum educationis gratia Monaſterium ingredi cogant.* 152
XIII. *Nec qui virgini proponunt, vel eſſe domi manendum, vel Monaſterium ingrediendum.* ibid.
Reflexio, ibid.

CAPUT X.

De mutuis conjugum, Fratrum, & ſororum officiis.

Doctrina.

I. *MAritus uxorem diligere debet.* 154
II. *Præceptum & forma hujus amoris ex Apoſtolo.* ibid.
III. *Hujus amoris legitima argumenta.* ibid.
IV. *Debet maritus uxori alimenta.* ibid.
V. *Debet etiam regimen, curam, tutelam, & moderatam correptionem.* ibid.
VI. *Simul cohabitare debent.* ibid.
VII. *Uxor marito debet amorem, honorem, ſubjectionem, obedientiam.* 155
VIII. *Maritum ſequi tenetur, ut cum illo cohabitet.* ibid.
IX. *Quandoque etiam illum alere & ſuſtentare.* ib.
X. *Fratrum, & Sororum mutua officia.* ibid.

CAPUT XI.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *PEccant mariti, qui alienis mulieribus adhærent.* 156
II. *Zelotypiæ cauſa frequenter peccant viri, & uxores.* ibid.
III. *Peccant conjuges, dum rixantur, & invicem maledicta evomunt.* ibid.
IV. *Peccant mariti, ſi bona familiæ dilapident.* ibid.

V. *Num uxori adulteræ alimenta præbere teneatur maritus?* 157
VI. *Quænam teneantur mariti ſatagere circa uxores ſuas.* ibid.
VII. *Maritus licet regimen familiæ uxori dare non debeat, non tamen omnino repellere a gubernio domus.* ib.
VIII. *Uxorem corrigere marito competit.* ib.
IX. *Mulier quomodo peccet contra ſubjectionem marito debitam.* ibid.
X. *Non licet uxoribus de rebus familiæ diſponere.* 158

CAPUT XII.

Dominorum & ſervorum mutua officia explicantur.

DOCTRINA.

I. *Duplex ſervorum genus.* 158
II. *Quotuplici titulo quis fiat ſervus, & quidem 1. Bello.* ibid.
III. *2. Venditione.* 159
IV. *3. Origine, & nativitate.* ibid.
V. *4. Crimine.* ibid.
VI. *Servis alimenta ſuppeditare tenentur domini.* ib.
VII. *Dominis vero ſervi obtemperare debent.* ibid
VIII. *Non omni dominio ſpoliantur ſervi.* ibid.
IX. *Famuli ſive ſervi conducti quid præſtare tenentur dominis?* 160

CAPUT XIII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Num ſervi fuga in priſtinam valeant regredi libertatem.* 160
II. *Non licet ſervis fugientibus res dominorum ſurripere.* 161
III. *Qui alienum ſervum vel occidit, vel mutilat, damna ſarcire debet.* ib.
IV. *Quænam bona ſervorum ad dominum ſpectant.* ib.
V. *Famuli num teneantur bona dominorum cuſtodire.* ibid.
VI. *Res dominorum ſibi uſurpare non poſſunt.* 162
VII. *Juſta merces eſt famulis perſolvenda.* ib.
VIII. *Domini famulos definito tempore conductos non poſſunt ſine juſta cauſa a famulatu repellere.* ib.
IX. *Sicut viciſſim nec famuli ante præfinitum tempus diſcedere.* 163
X. *Quando ſervi valeant domino potius, quam uxori obſequi.* ib.

CAPUT XIV.

Eccleſiaſticorum, ac præcipue Parochorum erga Laicos, & Laicorum erga Eccleſiaſticos mutua explicantur officia.

DOCTRINA.

I. *Eccleſiaſtici bonum exemplum Laicis exhibere debent.* 163
II. *A ſecularibus negotiis abſtinere.* 164
III. *Pædagogi, ſive magiſtri officia.* ibid.
IV. *Parochi, & Paſtoris munia implere.* ibid.
V. *Prædicatoris officium per ſe exercere debent.* 165
VI. *Quod ſi omittant, proprio muneri non ſatisfaciunt.* ibid.
VII. *Laicorum erga Eccleſiaſticos, & Paſtores officia.* ibid.
VIII. *Parentum & diſcipulorum erga Pædagogos, & Magiſtros munia.* ib.

CAPUT XV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Quomodo pravo exemplo peccent Eccleſiaſtici.* 166
II. *Quomodo peccent Parochi, & Paſtores.* ibid.
III. *Quomodo Pædagogi, & puerorum Magiſtri.* ib.
IV. *Quomodo Laici Eccleſiaſticos non honorantes.* 167
V. *Debent ſuis Paſtoribus obedire, & inferiores Clerici ſuis Præſulibus.* ibid.

CAPUT XVI.

De mutuis Principum & ſubditorum officiis.

§. I.

De Principum officiis.

DOCTRINA.

I. *Regiæ poteſtatis baſis, & officia ex Scriptura deſumuntur.* 167
II. *Principes in ſuo regimine mundanam gloriam quærere non debent.* 168
III. *A Deo præmium expectent & mercedem, & quidem ampliſſimam.* ib.
IV. *Duo præcipua Principis munia.* ibid.
V. *Quem finem debent Principes in regimine reſpicere.* ibid.
VI. *Media ad finem conſequendum idonea.* ibid.
VII. *Digniores ad officia promovere debent Principes.* ibid.
VIII. *Doctrina S. Thomæ de officiorum venditione.* 169
IX. *Num licita urgenti neceſſitate.* ibid.
X. *Juſtitiæ tum diſtributivæ, tum vindicativæ cuſtodia Principibus commiſſa.* ibid.
XI. *Subditos ab exterioribus inimicis tueri debent Principes.* ibid.
XII. *Juſti belli conditiones.* 170
XIII. *Quomodo liceat Clericis, & Eccleſiaſticis bello intereſſe.* ibid.
XIV. *Num inſidiis uti liceat in bello ex S. Thom. doctrina.* ibid.

CAPUT XVII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Tenentur Reges & Principes Eccleſiam tueri.* 171
II. *In quibus Principes etiam lethaliter peccent.* ib.
III. *Non licet illis bellum indicere, niſi urgentiſſimis de cauſis.* 172
IV. *Nec niſi certi ſint de juſtitia belli.* ibid.
V. *Illud ita indicere debent, ut ſi juſta exhibeatur ſatisfactio, ab ipſo ceſſent.* 173

VI.

VI. *Num liceat Principibus fœdus inire cum Infidelibus, & hæreticis in bello contra Chriſtianos, & Catholicos.* ibid.
VII. *Innocentibus parcere debent Principes etiam in bello juſto.* ibid.
VIII. IX. *In quibus belli Duces peccent.* 174
X. *Quilibet miles eſſe poteſt ſui Principis, quando ipſi certo non conſtet de injuſtitia belli.* ibid.
XI. *Quomodo milites, etiam præliantes in bello juſto, peccare poſſint.* ibid.
XII. *Non licet ſubditis Principum vectigalia fraudare.* ibid.
Reflexio. 175

TRACTATUS V.

De Præceptis Decalogi

PARS QUINTA

De quinto Decalogi Præcepto

Non Occides.

DISSERTATIO UNICA

De Homicidio.

CAPUT PRIMUM.

Quintum explicatur Præceptum. Homicidii notio exhibetur. Quibus modis committi poſſit, declaratur. Sceleris gravitas expenditur.

DOCTRINA.

I. *Quodnam Homicidium ſit vetitum hoc præcepto.* 177
II. *Quotuplex ſit homicidium.* ibid.
III. *Licita occiſio hominis publica auctoritate.* 178
IV. *Num Eccleſiaſticis Principibus ſit conceſſum homicidium morte punire.* ibid.
V. *Nulli licitum ſeipſum interficere.* ibid.
VI. *Non eſt ſemper vetitum ea facere, ex quibus ſequitur mors hominis.* ibid.
VII. *Nulli licet facinoroſum occidere privata auctoritate.* ibid.
VIII. *Quænam vetita præcepto* Non occides. 179
IX. *Graviſſimum crimen homicidium.* ibid.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Falſa Waldenſium doctrina refellitur.* 179
II. *Alia, quæ Scoto tribuitur, doctrina rejicitur.* 180
III. *Non ſola innocentis occiſio privatis interdicitur.* ibid.
IV. *Caſuiſtarum nonnullorum propoſitio a Clero Gallicano reprobata.* ibid.
V. *Num liceat innocentem ad cædem tradere Tyranno petenti.* ibid.
VI. *Non licet ſontem damnare juris ordine prætermiſſo.* 181
VII. *A Principe proſcriptos num liceat privatis interficere.* ibid.
VIII. *Concedendum reis morti damnatis tempus & facultas confitendi.* ibid.

CAPUT III.

De Homicidio privata auctoritate patrato ob defenſionem vitæ, bonorum, & famæ.

DOCTRINA.

§. I.

De vitæ defenſione occiſiva.

I. *Ad vitæ defenſionem licet injuſtum aggreſſorem occidere.* 182
II. *Ad moderamen inculpatæ tutelæ ſervandum prima conditio.* ibid.
III. *Altera conditio explicatur.* ibid.
IV. *Defenditur adverſus Sotum.* 183
V. *Tertia conditio exponitur.* ib.
VI. *Plures Caſuiſtarum laxæ opiniones recenſentur.* ib.
VII. *Cur SS. Patres homicidium nec in vitæ defenſionem probaverint.* 184
VIII. *Num liceat in alterius defenſionem injuſtum aggreſſorem occidere.* ib.
IX. *Objectio ſolvitur ex S. Ambroſii, & Thomæ doctrina.* 185
X. *Num liceat in defenſionem vitæ patris, filii, uxoris &c. injuſtum aggreſſorem enecare.* ibid.
XI. *Non licere ob bonorum temporalium defenſionem occidere, prædicat Chriſtus.* ibid.
XII. *Inculcant Patres.* 186
XIII. *Conſentiunt & ipſæ civiles leges.* ibid.
XIV. *Nec non leges canonicæ, & juris canonici Doctores.* ibid.
XV. *Confirmant invictæ rationes.* ibid.
XVI. *Solvitur objectio.* 187
XVII. *Argumenta adverſæ ſententiæ proponuntur.* ib.
XVIII. *Invicta reſponſione retunduntur.* ibid.
XIX. *Quantum hanc occidendi pro bonorum defenſione poteſtatem dilataverint Caſuiſtæ, exponitur.* 188
XX. *Aliud refellitur argumentum in favorem occiſionis ob bonorum conſervationem.* 190
XXI. *Non licet pro honore, & famæ tutela iniquum calumniatorem interficere.* ib.
XXII. *Quid de hac re doceant Patres.* ib.
XXIII. *Quid Verbi Dei præcones.* 191
XXIV. *Quid oſtendat ipſa naturalis ratio.* ib.
XXV. *Propoſitiones damnatæ.* ib.

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Falſa Tamburini doctrina.* 191
II. *Alia Sanchezii.* 192
III. *Num poſſit occidi, qui in proximo parat inſidias.* ibid.
IV. *Num liceat ſe tueri defenſione occiſiva adverſus juſtitiæ ſatellites.* ibid.

V. *Falſa Molinæ doctrina de ſervato moderamine inculpatæ tutelæ.* 193
VI. *Non licet privato ad ſervandam vitam innocentem occidere.* ibid.
VII. *Dianæ doctrina probatur.* ibid.
VIII. *Falſa aliquorum Theologorum doctrina.* 194
IX. *Item alia Leſſii.* ibid.
X. *Viarum Graſſatores & Piratas licet occidere.* ibid.
XI. *Laxæ Caſuiſtarum doctrinæ permittentium occidere in defenſionem honoris & famæ.* ibid.

CAPUT V.

De cæde Tyranni, Adulteræ, & violenti Stupratoris.

Doctrina.

I. *Duæ Principum claſſes diſtinguendæ.* 196
II. *Duplex quoque Tyrannus in titulo, & in regimine.* ibid.
III. *Tyranni in titulo nulli privata auctoritate cædes licita.* 197
IV. *Tyrannum in regimine, qui alteri ſubjacet Principi, non licet ſubditis occidere, vel expellere.* ib.
V. *Tyrannum, nullum agnoſcentem ſuperiorem, occidere non licet.* ibid.
VI. *Immo nec contra illum ſeditionem movere, & arma ſumere.* ibid.
VII. *Quid agendum contra Tyrannum, qui ſubditum innocentem aggreditur.* 198
VIII. *Marito non licet uxorem in adulterio deprehenſam occidere.* 199
IX. *Nec violentum ſtupratorem licet cæde repellere.* ib.

CAPUT VI.

Consectaria præcedentis doctrinæ.

I. *Non licet Principibus Regnum juſte occupantibus, vel pacifice poſſidentibus obſiſtere.* 200
II. *Plures Caſuiſtarum doctrinæ rejiciendæ.* ibid.
III. *Nec Principi licet, non ſervata forma judicii, uxorem, vel filiam ob adulterium occidere.* ib.
IV. *Quomodo injuſtus oppreſſor repelli debeat.* 201

CAPUT VII.

De Mutilatione, Abortu, & Homicidio indirecto & caſuali.

Doctrina.

I. *Nemini alium mutilare licet.* 201
II. *Niſi cogente neceſſitate ſalutis totius corporis.* ibid.
III. *Nec verberare abſque juſta cauſa, & legitima poteſtate.* ibid.
IV. *Nec in carcere detinere.* ibid.
V. *Abortum procurare lethale ſemper peccatum eſt.* ibid.
VI. *Propoſitiones damnatæ.* 202
VII. *Pœnæ in abortum procurantes latæ.* ibid.
VIII. *Qui & irregularitatem incurrunt.* ibid.
IX. *Diſtinctio caſualis homicidii ab indirecto.* ibid.
X. *Duplici ex capite homicidium indirecte volitum cenſetur.* ibid.
XI. *In jure canonico dans operam rei illicitæ, ſi ſequatur abortus, irregularis habetur.* 203
XII. *Doctrina S. Thomæ exponitur.* ibid.
XIII. *Quando dans operam rei illicitæ reus ſit procurati abortus, qui inde ſequatur.* ibid.

CAPUT VIII.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Nemini licet pueros evirare.* 203
II. *Quomodo Medici abortus rei eſſe poſſint.* ib.
III. *Quando liceat medicinam præbere matri, ex qua timetur abortus.* 204
IV. *Matres eſſe poſſunt indirecte abortus cauſa.* ib.
V. *Indirecti homicidii quando rei ſint Judices, & Magiſtratus.* ibid.
VI. *Et qui innocentem a morte eripere negligunt cum poſſint.* ibid.
VII. *Sicut & Medici, Chirurgi, & Pharmacopolæ ſi recte officio ſuo non fungantur.* ibid.

CAPUT IX.

De ſuicidio directo, & indirecto, & de duello.

Doctrina.

I. *Suicidium vetitum eſt præcepto :* non occides. 205.
II. *Suicidii malitia ex D. Thoma.* ibid.
III. *Quando excuſandi vel culpandi qui in Scriptura ſe interfeciſſe narrantur.* ibid.
IV. *At non culpandi Rei qui ad mortem damnati carnifici obſequuntur.* 206
V. *Nemini licet ſeipſum mutilare.* ibid.
VI. *Licet aliquando periculum mortis ſubire.* ibid.
VII. *Non temere tamen, ſed juſtis de cauſis, & motivo honeſto.* ibid.
VIII. *Quinam rei dicendi ſint ſuicidii indirecti.* ib.
IX. *Modus ſervandus in corporalibus afflictionibus.* ibid.
X. *Nequit abſque culpa infirmus reſpuere remedia communia & conſueta ad ſalutem.* 207
XI. *Illicitum duellum.* ibid.
XII. *Vetitum eſt lege naturali, divina, civili, & eccleſiaſtica.* ibid.
XIII. *Nec licitum ad ſalvandam vitam.* ibid.
XIV. *Nec ad evitandam timiditatis notam. Propoſitio damnata.* ibid.
XV. *Nec ad dignitates, honores, & bona temporalia ſervanda. Aliæ damnatæ propoſitiones.* ib.
XVI. *Pœnæ contra duellantes latæ.* ibid.
XVII. *Quinam eis ſubjiciantur.* 208

CAPUT X.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Non licet militibus navem vel arcem diruere cum certa eorum nece.* 208

II.

II. *Nec reo ad mortem juſte damnato ſeipſum interficere*. 209
III. *Num liceat propriam vitam vitæ proximi præferre*. ibid.
IV. *Licet honeſtis de cauſis ſe periculo mortis exponere*. 210
V. *Quando ſui mutilatio licita ſit, & quando illicita*. ibid.
VI. *Ad ſervandam virginitatem non licet ſibi mortem adſciſcere*. ibid.
VII. *Non tenetur infirmus ſuæ ſanitati proſpicere remediis extraordinariis*. ibid.
VIII. *Quando qui ſe interficiunt a crimine ſuicidii non excuſentur*. 211
IX. *Quando deneganda ſit Eccleſiaſtica ſepultura morientibus in duello*. ibid.
Reflexio. ib.

TRACTATUS V.

De Præceptis Decalogi

PARS SEXTA

De ſexto & nono Decalogi Præcepto

Non mœchaberis. Non concupiſces uxorem Proximi tui.

DISPUTATIO UNICA

De caſtitate cuſtodienda, & luxuria vitanda.

CAPUT PRIMUM.

De caſtitatis Præcepto.

DOCTRINA.

I. *Caſtitas virtus generalis* 214
II. *Eſt & ſpecialis virtus*. 215
III. *Quæ perfecta eſt & imperfecta*. ibid.
IV. *Pudicitia ad caſtitatem pertinet*. ibid.
V. *Virginitatis definitio*. ib.
VI. *Quid ad Virginitatem perfectam requiratur*. 216.
VII. *Alia materialis eſt, alia formalis*. ibid.
VIII. *Non poſtulat ad ſuam eſſentiam quod voto firmetur*. ibid.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Virginalis ſtatus conjugali ſocietate perfectior*. 217
II. *Non eſt imprudentis hominis vovere caſtitatem*. ibid.
III. *Votum caſtitatis in ſeculo ſervandæ caute concedendum*. ibid.
IV. *Virginitas materialis amitti poteſt abſque virtutis diſpendio*. 218
V. *Quando virginitas amittatur irreparabiliter*. ibid.
VI. *Quomodo reparabiliter*. ibid.
Reflexio. 219

CAPUT III.

De Luxuriæ ſpeciebus, & ſpeciatim de Fornicatione, Concubinatu, & Meretricio.

DOCTRINA.

I. *Luxuriæ ſpecies enumerantur*. 220
II. *Fornicatio eſt de ſe lethale peccatum*. ib.
III. *Et quidem jure naturæ vetitum oſtendit D. Thomas*. ibid.
IV. *Solvitur objectio*. ibid.
V. *Fornicationis gravitas perpenditur*. 221
VI. *Quid ſit Concubinatus*. ibid.
VII. *Non eſt abſolvendus concubinarius nec ſemel, niſi concubinam abjiciat*. ibid.
VIII. *Pœnæ in concubinarios laicos a Tridentino latæ*. ibid.
IX. *Pœnæ in Clericos*, 222.
X. *Meretrix quænam ſit habenda*. ibid.
XI. *Meretrices quando audiendæ & abſolvendæ*. ibid.
XII. *Quando ad Communionem admittendæ*. 223
XIII. *Num liceat ſummis Poteſtatibus meretrices tolerare?* ibid.
XIV. *Conditiones ſervandæ in tali permiſſione*. ib.
XV. *Lenocinium graviſſimum peccatum, & quomodo puniendum*. ibid.

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Propoſitio damnata*. 224
II. *Falſæ Sanchezii & Sylvii propoſitiones*. ibid.
III. *Fornicatio gravior cum meretrice*. ib.
IV. *Gravior cum ſponſa de futuro*. 225
V. *Et cum infideli*. ib.
VI. *Fornicando gravius peccat vir, quam mulier*. ibid.
VII. *Concubinarius, licet polliceatur ſtatim concubinam dimittere, non eſt abſolvendus niſi ea actu dimiſſa*. ibid.
VIII. *Non eſt aſſignabilis legitima cauſa voluntarie retinendi concubinam, vel voluntarie non depellendi*. 226
IX. *Nonnullæ laxæ Caſuiſtarum doctrinæ*. ibid.
X. *Quid cum illis agendum qui concubinam expellere non poſſunt*. 227
XI. *Quid non concedendum concubinariis etiam pulſa concubina*. ib.
XII. *Etiam concubinarius putativus ſcandalum tenetur avertere*. ibid.
XIII. *Quinam Clerici ſint concubinarii dicendi, & quando pœnis ſubjiciantur*. 228

CA-

CAPUT V.

De Stupro, & Adulterio.

DOCTRINA.

I. STupri definitio. 228
II. Etiam virgine conſentiente ſtuprum committitur. ibid.
III. Oſtenditur ratione. ibid.
IV. Ad quid teneatur ſtuprator. ibid.
V. Pœnæ in ſtupratores latæ. 229
VI. Adulterii turpitudo. ib.
VII. Quot modis committi poſſit. ibid.
VIII. Adulterium committitur etiam conſentiente adulteræ Marito. ib.
IX. Nec aliter ſentit D. Auguſtinus. ibid.
X. Adulterii crimen quibus modis committatur. 230
XI. Pœnæ contra Adulteros conſtitutæ. ib.

CAPUT VI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. STupri ſpecies eſt in Confeſſione aperienda. 230.
II. Quando gravius peccetur in ſtupro. ibid.
III. Aliquando etiam ſine ſtupro gravis injuria Virgini infertur ex juſtitia ſarcienda. 231
IV. Num ſtuprum locum habeat in viro a muliere corrupto. ibid.
V. Adulterium adulterio gravius eſſe poteſt. ib.

CAPUT VII.

De Inceſtu, Raptu, & Sacrilegio.

DOCTRINA.

I. INceſtus definitio. 232
II. Unde deſumenda ex D. Thom. ſpecialis inceſtus turpitudo. ibid.
III. Linea & gradus tum conſanguinitatis, tum affinitatis ſunt in confeſſione aperienda. ibid.
IV. Inceſtus locum habet in cognatione etiam ſpirituali, & legali. ibid.
V. Quid de inceſtu Patris ſpiritualis cum ſpirituali filia. 233
VI. Pœnæ in inceſtuoſos interminatæ. ibid.
VII. Quid ſit raptus. ibid.
VIII. Quid requiratur ad raptum. ibid.
IX. Raptus crimen committitur etiam in violenta viri abductione. ibid.
X. Pœnæ Raptoribus conſtitutæ. ibid.
XI. Sacrilegium ſpecies eſt luxuriæ. ibid.
XII. Ejus definitio. 234
XIII. Quot modis Sacrilegium perpetretur. ibid.
XIV. Quando ratione loci luxurioſum ſacrilegium perpetretur. ibid.
XV. Quibus modis per luxuriam loca ſacra polluantur. ibid.

CAPUT VIII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. INceſtus gravior eſt ex majori conjunctione. 235.
II. Quando recedere debet a Confeſſario filia ſpiritualis. ibid.
III. Raptus gravior eſt, quo turpior eſt libido ad quam explendam adhibetur. ibid.
IV. Crimen raptui affine quale ſit. 236
V. Raptus cujuſcumque mulieris etiam meretricis pœnis ſubjicitur a Tridentino latis. ibid.
VI. Raptus ſponſæ quando crimen ſit, & pœnis iiſdem ſubjaceat. ib.
VII. Nonnulli raptus num ſint culpandi, vel excuſandi. ib.
VIII. Quando deneganda raptoribus abſolutio. 237
IX. Quando ſacrilegium in vitio luxuriæ locum habeat. ib.
Reflexio. ibid.

CAPUT IX.

De Luxuriæ peccatis contra naturam in communi.

DOCTRINA.

I. PEccati contra naturam definitio. 238
II. Quot modis committi poſſit. ibid.
III. Graviſſima ſunt contra naturam flagitia. 239
IV. Et quidem ſpecie diverſa. Propoſitio damnata. ib.
V. Ac unum alio turpius & fœdius. ibid.

CAPUT X.

De peccatis contra naturam in particulari, & primum quidem de immunditia, ſive mollitie.

DOCTRINA.

I. MOllities voluntaria ſemper eſt lethale peccatum. 239
II. Et quidem jure naturæ, ut ex ſcriptura conſtat. 240
III. Confirmant SS. Auguſtinus & Thomas. ibid.
IV. Nec licita ad vitam ſervandam. ib.
V. Poteſt tamen aliquando eſſe ſine peccato. ib.
VI. Quando alterius peccati ſibi malitiam conſociet. 241
VII. Pollutio non directe volita poteſt eſſe peccatum in ſua cauſa. Regulæ ſtatuuntur. ib.
VIII. Regula I. ib.
IX. Regula II. ibid.
X. Regula III. ibid.
XI. Regula IV. 242
XII. Regula V. ibid.
XIII. Regula VI. ibid.
XIV. Regula VII. ibid.
XV. Regula VIII. 243
XVI. Regula IX. ib.
XVII. Regula X. ibid.
XVIII. Regula XI. 244

CA-

CAPUT XI.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Falſa rejicitur doctrina Vaſquezii.* 245
II. *Aliæ rejiciuntur Caſuiſtarum laxæ opiniones.* ibid.
III. *Qui alieno contactu ſe polluit, gravius peccat.* ib.
IV. *Num liceat ad corruptum ſemen expellendum ſe tangere.* 246
V. *Non admittenda ignorantia invincibilis malitiæ pollutionis.* ibid.
VI. *Qui pollutioni conſentit, ceſſare debet ab opere etiam licito & honeſto, ex quo illa ſequitur.* 246

CAPUT XII.

De Sodomia.

Doctrina.

I. *Sodomiæ infandum ſcelus quando habeatur.* 248.
II. *Tripliciter committi poteſt.* ibid.
III. *Alia crimina ſodomiæ conſociari queunt.* 249
IV. *Hujus ſceleris gravitas.* ibid.
V. *Pœnæ in Sodomitas latæ.* ibid.
VI. *Quid ſit beſtialitas.* 250
VII. *Quid inordinatus concubitus.* ibid.
VIII. *De imperfectæ libidinis actibus.* ibid.
Reflexio. ib.

TRACTATUS V.

De Præceptis Decalogi

PARS SEPTIMA.

De ſeptimo decimoque Præcepto

Non furtum facies. Non concupiſces domum proximi tui, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia, quæ illius ſunt. Exod. 20.

DISSERTATIO I.

De furto, rapina, aliiſque modis rem alienam injuſte occupandi.

CAPUT PRIMUM.

Furti definitio, ejuſque genus & modi explicantur.

Doctrina.

I. *Definitio Furti a Juriſconſultis tradita.* 253
II. *Melior eſt quam exhibent Theologi.* ibid.
III. *Quid rei alienæ nomine deſignetur.* ib.
IV. *Quot modis furtum committatur, & num ſpecie differant.* ibid.
V. *Rapina a furto ſpecie diſcernitur.* 254
VI. *Furtum ex ſe eſt lethale peccatum.* ibid.
VII. *Quanta eſſe debeat materia furti ad lethale peccatum, difficile definire.* ibid.
VIII. *Quid ſentiant Theologi.* ibid.
IX. *Diſtinguendum ad furti gravitatem decernendam, & damnum illatum, & rei ablatæ valor.* ib.
X. *Quomodo minuta furta in grave peccatum coaleſcant. Nonnullæ Regulæ.* 255
XI. *Regula* 1. ibid.
XII. *Regula* 2. ibid.
XIII. *Regula* 3. 256
XIV. *Regula* 4. ibid.
XV. *Regula* 5. ibid.
XVI. *Regula* 6. ibid.
XVII. *Objecta ſolvuntur.* 257

CAPUT II.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Rem alienam per jocum furari peccatum eſt.* 257.
II. *Falſa rejicitur doctrina.* 258
III. *Definitioni furti inepte additur domino* rationabiliter *invito.* ibid.
IV. *Furti rei non ſunt qui rem alienam accipiunt ex judicis ſententia.* ibid.
V. *Eadem quantitas, quæ ſimul ſumpta gravem efficit materiam, ſufficit ad lethale peccatum, et ſi paulatim ſurripiatur.* ibid.
VI. *Nonnullæ Theologorum furti excuſationes refutantur.* 259
VII. *Rei furti ſunt qui mutuum accipiunt, vel æs alienum contrahunt, ſcientes ſe non eſſe ſolvendo.* ibid.
VIII. *Et qui aliena quam tractant pecunia utuntur.* 260
IX. *Plures merito a Catechiſmo Romano inter fures enumerantur.* ibid.
X. *Furti rei eſſe poſſunt, qui & rem propriam ab alio detentam ſurripiunt.* ibid.
XI. *Quinam rapinæ rei dicendi ſint.* ibid.

CAPUT III.

De aliquibus peculiaribus furtis.

Doctrina.

I. *Quando filii-familias rei ſint furti.* 261
II. *Quando graviter peccent res domeſticas furando.* ibid.
III. *Et parentes rei furti fiunt, ſi filiorum bona ſurripiant.* ibid.
IV. *Quando filii-familias a furto excuſentur.* ibid.
V. *Uxores reæ furti, ſi de rebus mariti, iis invitis, diſponant.* ibid.
VI. *Quibus in caſibus a furto excuſentur uxores.* 262.
VII. *Opifices rei furti ſunt aliquid ſurripiendo de re ſibi ſuppeditata ad aliquod opus faciendum.* ib.
VIII. *Ruſtici quando rei furti fiunt.* ibid.
IX. *Furtum non committunt qui ſpicas & racemos relictos colligunt.* ib.
X. *De furtis Religioſorum quid ſit ſentiendum.* ib.
XI. *Num ſint filiis-familias æquiparandi.* 263

CA-

CAPUT IV.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Peccant filii-familias contra juſtitiam, ſi res a parentibus ſuppeditatas diſſipent.* 263
II. *Non licet uxoribus pecuniam clam ſurripere ad ludendum.* ibid.
III. *Quando rei ſint furti famuli & famulæ.* 264
IV. *Et domini reſpectu ſuorum ſervorum.* ibid.
V. *Nec non artifices in materia ſui operis comparanda.* ib.
VI. *Ruſtici num ligna cædere in ſylvis Communitatis licite poſſint.* ib.
VII. *Num in alienis.* ib.
VIII. *Quinam rapinæ rei ſint.* ib.

CAPUT V.

De neceſſitate a furto excuſante, & de occulta compenſatione.

§. I.

De neceſſitate a furto excuſante.

Doctrina.

I. *Triplex neceſſitas diſtinguenda.* 265
II. *In communi neceſſitate non licet rem alienam ſurripere.* ib.
III. *Immo nec in gravi. Propoſitio damnata.* ib.
IV. *In extrema neceſſitate licet, quod ad neceſſitatem levandam opus eſt, etiam clam ſurripere.* 266.
V. *Non ſunt in extrema neceſſitate conſtituti, qui ſtipem petendo poſſunt ſuæ neceſſitati ſubvenire.* ibid.
VI. *Non eſt admittenda diſtinctio neceſſitatis gravis extremæ vicinæ & affinis, in qua liceat rem alienam occupare.* ibid.
VII. *Non ſemper dominium obtinetur rei in extrema neceſſitate ſurreptæ.* 267
VIII. *Quid ſit occulta compenſatio.* ibid.
IX. *Occultæ compenſationis conditiones a Theologis ſtatutæ ut licita ſit.* ib.
X. *Doctrina, quæ licitam ſtatuit occultam compenſationem, recens eſt.* ib.
XI. *S. Auguſtini doctrina occultæ compenſationi contraria.* 268
XII. *Reſponſio Franzojæ refellitur.* ibid.
XIII. *Aliud S. Auguſtini teſtimonium.* ibid.
XIV. *Occulta compenſatio ſæpiſſime juſtitiæ commutativæ adverſatur.* 269
XV. *Semper vero juſtitiæ legali ſive communi infenſa.* ib.
XVI. *Doctrina nonnullorum Theologorum refellitur.* ibid.
XVII. *Eorumdem reſponſio refutatur.* 270
XVIII. *Quid pro generali regula ſtatuendum ſit.* ibid.

CAPUT VI.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Res furto ablata eſt ſemper reſtituenda, licet conſumpta in extrema neceſſitate.* 270
II. *Nunquam docuit S. Thomas licere extra caſum extremæ neceſſitatis aliena occupare.* ib.
III. *Debitum rite ſolvit, qui creditori ſuo in extrema neceſſitate, quod illi debet, reddit.* 271
IV. *Iniqua eſt occulta compenſatio ſi fiat pro debito incerto, vel ſolum probabili, vel futuro.* ib.
V. *Quando famulis non liceat uti compenſatione.* 272
VI. *Illicita compenſatio ex bonis debitoris apud aliquem depoſitis.* ib.
VII. *Etſi fiat in alia ſpecie.* 273
VIII. *Et quando fieri non poteſt ſine ſcandalo & damno innocentis.* ib.
IX. *Similiter & quando intra vel extra judicium recuperari poteſt.* ib.
X. *Si fiat cum damno aliorum creditorum.* 274
XI. *Monendum debitorem de habita occulta compenſatione docent Theologi.* ib.
XII. *Compenſatio occulta publico bono infenſa.* ib.
Reflexio. 275

TRACTATUS V.

De Decalogi Præceptis.

PARS OCTAVA

De octavo Decalogi Præcepto

Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.

DISSERTATIO UNICA.

De vitiis & peccatis octavo Præcepto oppoſitis.

CAPUT PRIMUM.

De interioribus actibus famam proximi lædentibus, ſcilicet mala ſuſpicione, & temerario judicio.

Doctrina.

I. *Quid ſit ſuſpicio, & quale peccatum.* 277
II. *Judicium temerarium quale peccatum.* 278
III. *Quando judicium ſit vere temerarium dicendum.* ib.
IV. *Quænam ſint gravia mala, quæ de proximo judicare lethale peccatum ſit.* ibid.

CAPUT II.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quando temeraria ſuſpicio ſit lethale peccatum.* 279
II. *Quando ſit ſolum veniale.* ibid.

III.

III. *Num ut judicium temerarium grave peccatum reputetur, eſſe debeat de determinata & nota perſona.* ibid.
IV. *Quænam requiratur advertentia ad peccandum in temerario judicio.* 280
V. *Judicii temeritas num a veritate vel falſitate judicii pendeat.* ib.
VI. *Rumor & fama de aliquo delicto non ſemper a temerario judicio excuſat.* ibid.
VII. *Diſtinctio judicii de rebus, & de perſonis. Doctrina S. Thomæ.* ibid.
VIII. *Dubia indicia de proximi malitia, ſunt in meliorem partem interpretanda.* 281
IX. *Præceptum de dubiis indiciis in meliorem partem interpretandis, & poſitivum eſt, & negativum.* ib.
X. *Quando liceat dubia in deteriorem partem interpretari.* ib.
XI. *Quomodo cum meticuloſis agendum circa ſuſpiciones, & temeraria judicia.* 282

CAPUT III.

De Calumnia, Falſo teſtimonio, & Detractione.

DOCTRINA.

I. *Quid ſit calumnia.* 282
II. *Quale peccatum.* ibid.
III. *Falſum teſtimonium dicere quale peccatum ſit.* 283
IV. *Nec in alterius favorem falſum teſtimonium dicere licet.* ibid.
V. *Falſi teſtes quam graviter peccent, & quomodo puniantur.* ibid.
VI. *Detractionis definitio traditur, & explicatur.* 284
VII. *Detractio de ſe eſt lethale peccatum.* ibid.
VIII. *Plures detrahendi modi.* ibid.
IX. *Primus omnium peſſimus fit per calumniam.* ibid.
X. *Quando detractio vel nullum, vel nonniſi leve peccatum ſit.* 285
XI. *Regulæ ad detractionis gravitatem dignoſcendam. Regula I.* ib.
XII. *Regula II.* ib.
XIII. *Regula III.* ibid.
XIV. *Regula IV.* 286
XV. *Regula V.* ibid.
XVI. *Regula VI.* ibid.
XVII. *Regula VII.* 287
XVIII. *Regula VIII.* ibid.
XIX. *Regula IX.* 288
XX. *Regula X.* 289
XXI. *Regula XI.* 290
XXII. *Regula XII.* ibid.

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Propoſitiones damnatæ de calumnia, & detractione.* 291
II. *Quinam calumniæ rei ſint habendi.* 292
III. *Quando peccet qui ex errore falſum teſtimonium dicit.* ibid.
IV. *Graviter peccat qui ad torturam vitandam grave crimen alteri imponit.* ibid.
V. *Nec licet Reo ſibi grave crimen imponere.* ib.
VI. *Non licet ſolius ſolaminis gratia alterius grave crimen detegere.* 293
VII. *Num liceat grave ſcelus fama, vel facto compertum alibi vulgare.* ib.
VIII. *Quando non excuſanda a gravi culpa detractio ex libidine fandi proveniens.* 294
IX. *Quando nullum ſit peccatum alterius grave crimen revelare.* ibid.
X. *Quinam ſint immunes a detractione, licet aliorum ſcripta, & libros vituperent.* ibid.
XI. *Quando & quomodo ſit grave peccatum defunctis detrahere.* ibid.
XII. *Quænam ſint a detractore in Confeſſione manifeſtanda.* 295

CAPUT V.

De Contumelia, Convicio, & Irriſione.

DOCTRINA.

I. *Modi enumerantur, quibus publice proximi fama, & honor læduntur.* 295
II. *Quid ſit contumelia.* ibid.
III. *Quid convicium, & improperium.* ibid.
IV. *Varii contumeliæ modi explicantur.* ibid.
V. VI. *Quando contumelia, convicium, improperium lethalia peccata ſint.* 296. & ſeq.
VII. *Quando peccati venialis malitiam non excedant.* 296
VIII. *Num aliquando contumelia & convicium omni culpa vacet.* 297
IX. *Leves contumeliæ aliquando in grave peccatum excreſcunt.* ibid.
X. *Convicia & contumeliæ ex iræ impetu prolatæ non ſunt a peccato lethali immunes.* ibid.
XI. *Non licet contumeliis contumelias repellere.* ib.
XII. *Quid ſit irriſio.* 298
XIII. *Quale peccatum.* ibid.
XIV. *Num gravius detractione.* ibid.

CAPUT VI.

De ſuſurratione, ſecreti revelatione, maledictione, ſeu malorum imprecatione, de murmure, & mendacio.

DOCTRINA.

I. *Suſurrationis definitio.* 299
II. *Num ſit gravius crimen detractione, & contumelia.* ibid.
III. *Quando ſit ſolum leve peccatum.* 300
IV. *De quibus rebus ſit cuſtodiendum ſecretum.* ibid.
V. *Quam difficilis ſit cuſtodia ſecreti.* ibid.
VI. *Ad quam virtutem pertineat.* ibid.
VII. *Variæ ſervandæ Regulæ in ſecreto cuſtodiendo. Regula 1.* ibid.
VIII. *Regula 2.* ibid.
IX. *Regula 3.* 301
X. *Regula 4.* ibid.
XI. *Regula 5.* ibid.
XII. *Regula 6.* ibid.
XIII. *Regula 7.* ibid.
XIV. *Non licet ab alio ſecreti commiſſi manifeſtationem extorquere.* 302

XV. *Non licet alienas epiſtolas aperire, & legere.* ib.
XVI. *Quid ſit proximo maledicere.* 303
XVII. *Quando maledictio ſit grave peccatum.* ibid.
XVIII. *Quando ſit ſolum veniale.* ibid.
XIX. *Aliquando maledictiones etiam non ex animo prolatæ eſſe poſſunt lethale peccatum.* 304
XX. *Graviter peccant, qui ſibi ipſis grave malum adprecantur.* ibid.
XXI. *Num liceat creaturis irrationabilibus maledicere.* ibid.
XXII. *Licet aliquando abſque peccato alicui malum deſiderare.* ibid.
XXIII. *Quo ſenſu ſint intelligendæ maledictiones in Scripturis in impios prolatæ.* 305
XXIV. *Quid ſit murmur, vel murmuratio.* ibid.
XXV. *Mendacii definitio.* ib.
XXVI. *Omne mendacium ſemper eſt peccatum.* ib.
XXVII. *Mendacium triplex, pernicioſum, jocoſum, officioſum.* 306
XXVIII. *Quodnam mendacium ſit lethale peccatum.* ib.
XXIX. *Quodnam vero ſolum veniale.* ibid.

CAPUT VII.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *NOn excuſandi abjecti homines, qui ſe mutuo contumeliis dehoneſtant.* 307
II. *Quid ſentiendum de quibuſdam verbis, & phraſibus in Longobardia uſitatis.* ibid.
III. *Quando irriſio de re levi poſſit eſſe lethale peccatum.* 308
IV. *Quinam ſint ſacrilegæ irriſionis rei.* ibid.
V. *Superiores aliquando peccantes irridere poſſunt abſque culpa.* ibid.
VI. *Quando ſuſurratores ſint graviſſimi criminis culpandi.* 309
VII. *Suſurratores non ſunt, qui pravam amicitiam diſſolvere nituntur.* ibid.
VIII. *Quando qui ſecretum etiam de re levi manifeſtat, peccet lethaliter.* 310
IX. *Quando Prælati & Superiores rei ſint violati ſecreti.* ibid.
X. *Quando epiſtolas etiam apertas legere non liceat.* ib.
XI. *Unde maledictiones ſpeciem peccati ſortiantur.* ib.
XII. *Quænam ſint in confeſſione aperiendæ circumſtantiæ maledictionis.* 311
XIII. *Nec pro bono ſpirituali proximi mentiri licet.* ib.
XIV. *Mendacium leve etiam in Confeſſione non ſemper eſt peccatum grave.* ibid.
XV. *Ad mendacium pertinent ſimulatio, adulatio, jactantia, & hypocriſis.* 312

CAPUT VIII.

De reſtitutione ob læſionem famæ, & honoris.

Doctrina.

I. *QUi proximi famam & honorem læſit, ad reſtitutionem tenetur.* 313
II. *Quot modis fama proximi lædatur.* ibid.
III. *Qui famam proximi læſit, & temporalia damna reſarcire debet.* ibid.
IV. *Sive læſerit per calumniam, ſive per detractionem.* ibid.
V. *In reſtituenda fama aliter ſe gerere debet calumniator a diffamatore.* 315
VI. *Num & coram mediatis auditoribus retractare ſe debeat.* ibid.
VII. *Nemo tenetur alienam famam cum majori diſpendio reſarcire.* 316
VIII. *Quinam a famæ reſtitutione excuſentur.* ib.
IX. *Quomodo qui famam reſtituere nequit, debeat proximo læſo ſatisfacere.* ibid.
X. *Etiam honor proximi læſus eſt ſarciendus.* 318

CAPUT IX.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *QUi bona fide alterius famam læſerunt, ad quid teneantur.* 319
II. *Quomodo calumnioſus diffamator proximi famam ſarcire debeat.* ibid.
III. *Ad quid teneantur hæredes diffamatoris vel calumniatoris.* 320
IV. *Quando duo ſe invicem diffamarunt, quomodo ſe gerere debeant.* ibid.
V. *Qui publicis libellis alterius famam læſit, ad quid teneatur.* 3[illegible]
VI. *Quando condonatio liberet a famæ vel honoris reparatione.* ibid.
VII. *Num liceat diffamato injuſte ſe occulte compenſare.* ibid.
VIII. *Quid præſtare debeant Filii-familias, qui parentes inhonorant.* 323
Reflexio. ibid.

TRACTATUS VI.

De Juſtitia, & Jure.

DISSERTATIO UNICA

De Dominio.

CAPUT PRIMUM.

De Dominii natura, indole, & diviſione.

Doctrina.

I. *DOminii diſcrimen a jure.* 327
II. *Jus activum ad aliquid, in qua ſitum ſit poteſtate.* ibid.
III. *Poteſtas quomodo debeat eſſe legitima.* ibid.
IV. *Legitimæ poteſtati, qui contravenit, injurius eſt.* 328
V. *Jus generice ſumptum aliud in re, aliud ad rem.* ib.
VI. *Magis late patet jus, quam dominium.* ibid.
VII. *Quid ſit Dominium generice ſumptum.* ibid.
VIII. *Duplex eſt, juriſdictionis & proprietatis.* ibid.
IX. *Dominium proprietatis aliud perfectum & plenum, aliud imperfectum & non plenum.* 329

CAPUT II.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *JUs, ſive juſtum aliud naturale, aliud poſitivum.* 330
II. *Quodnam dicatur jus poſitivum.* ibid.

III.

III. *Hobbeſii doctrina refellitur.* ibid.
IV. *Alia ejuſdem refutatur.* ibid.
V. *Juris diviſio in Canonicum, & Civile.* 331
VI. *Jus paternum dominativum, & œconomicum explicatur.* ibid.
VII. *Diſcrimina inter jus in re, & ad rem.* 332
VIII. *Datur verum & proprium dominium etiam in res incorporales.* 333

CAPUT III.

Multiplices Dominii ſpecies breviter enumerantur, & explicantur.

I. *QUid ſit Dominium perfectum, & plenum.* 333
II. *Quid imperfectum, & non plenum.* ibid.
III. *Quid dominium directum.* ibid.
IV. *Quid ſolum utile.* ibid.
V. *Uſusfructus definitio explicatur.* ibid.
VI. *Emphyteuſis natura exponitur.* ibid.
VII. *Feudum quid dominii afferat.* 334
VIII. *Quid ſit ſimplex uſus.* ibid.
IX. *Quid habitatio.* ibid.
X. *Quid juris competat ſuperficiario.* 335
XI. *Servitus quam indicat obligationem.* ibid.
XII. *Poſſeſſio quid ſit, & juris afferat.* ibid.

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *DOminium directum etiam ſejunctum ab uſufructu ſua non caret utilitate.* 336
II. *Uſufructuarii onera exponuntur.* ibid.
III. *Quando jure ſuo privari poſſit Emphyteuta.* ib.
IV. *Feudatarius quomodo e jure ſuo decidat.* ibid.
V. *In rebus uno actu conſumptibilibus uſus juris a dominio non diſtinguitur.* ibid.
VI. *Separatur dominium omnino ab uſu facti.* 337

CAPUT V.

De Dominii origine, ejuſque ſubjecto.

DOCTRINA.

I. *REꝛum dominium unde dimanet.* 337
II. *Diviſio rerum non eſt inducta jure naturali, aut divino.* ibid.
III. *Nec jure aliquo poſitivo, ſed jure gentium.* 338
IV. *Univerſaliſſimum & perfectiſſimum dominium in omnia Deo O. M. convenit.* ibid.
V. *Chriſtus quoque in terris degens aliquod habuit dominium.* ibid.
VI. *Eccleſia juſtum, & legitimum obtinet ſuorum bonorum dominium.* ibid.
VII. *Religioſi voto paupertatis adſtricti nullius dominii capaces ſunt.* 339
VIII. *Pueri & ratione carentes dominii incapaces ſunt.* 340
IX. *Servi etiam, dum jugo ſervitutis premuntur, non omnis dominii ſunt incapaces.* ibid.
X. *Filii-familias etiam ſub patria poteſtate caſtrenſium bonorum habent dominium.* 341
XI. *Et quaſi caſtrenſium.* ibid.
XII. *Bonorum, quæ adventitia dicuntur, dominium habent, non uſumfructum.* ibid.
XIII. *In profectitiis vero bonis nec dominium, nec uſumfructum.* ibid.
XIV. *Quodnam dominium uxoribus conveniat.* ib.

CAPUT VI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *DIviſio rerum, jure gentium conſtituta, eſt jure naturæ cuſtodienda.* 342
II. *Quomodo contemni poſſit, & induci communitas rerum.* ibid.
III. *Ad quos pertineat dominium, & adminiſtratio bonorum Eccleſiæ.* ibid.
IV. *Nullum dominium competit Religioſis privatis, ſed quandoque communitati.* 343
V. *Dominium in ſervos ampliſſimum non eſt, ſed quibuſdam coercetur limitibus.* ibid.
VI. *Parentes de bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus Filiorum, his invitis, diſponere non poſſunt.* 344
VII. *Filii-familias de bonis parentum nequeunt diſponere, licet otioſe ſerventur a Parentibus.* ib.
VIII. *Maritus bona uxoris paraphernalia, ea repugnante, conſumere non poteſt.* 345
IX. *Nec uxor de bonis communibus. Rejicitur ſententia Buſembai.* ibid.

CAPUT VII.

De Dominii materia, & modis illud acquirendi.

DOCTRINA.

I. *QUænam bona hominis dominio ſubjaceant.* 346.
II. *Homini in hominem convenire dominium poteſt jure gentium.* ibid.
III. *Propriæ vitæ, & membrorum dominium homini non convenit.* 347
IV. *Immo nec ſupremi Principes dominium plenum in homines habent.* ibid.
V. *Recenſentur modi acquirendi dominium hominis.* ibid.
VI. *Captio in bello juſto licitus dominii in hominem titulus.* ibid.
VII. *Sicut & emptio.* 348
VIII. *Nec non juſta judicis ſententia.* ibid.
IX. *Et nativitatis conditio.* ibid.
X. *Modi acquirendi uſumfructum.* ibid.

CAPUT VIII.

De aliquibus aliis acquirendi Dominium modis, nimirum occupatione, & inventione.

DOCTRINA.

I. *QUid ſit occupatio.* 349
II. *Omnia, quæ ſunt in mundo, quomodo occupata dicantur.* ibid.
III. *Animalia manſueta dominum habent.* ibid.
IV. *Feræ ſylveſtres quomodo occupentur.* 350
V. *Quandiu cicures ſint in dominio poſſidentis.* ibid.

VI. *Num liceat Columbaria erigere, & columbas tenere?* ibid.
VII. *Venatio, & piſcatio licita.* ibid.
VIII. *Quænam venatio Clericis interdicta.* ibid.
IX. *Quænam conceſſa.* 351
X. *Inventione res occupari poſſunt.* ibid.
XI. *Quænam res inventæ inventoris ſint.* ibid.
XII. *Quid de theſauris ſentiendum.* ibid.
XIII. *Regulæ ſervandæ in theſaurorum inventorum detentione.* 352
XIV. *Quomodo res derelictæ in dominium tranſeant occupantis.* ibid.
XV. *Res deperditæ ad quos pertineant.* 353
XVI. *Quomodo diſponendæ, ſi dominus non reperiatur.* ibid.

CAPUT IX.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. IN *extrema neceſſitate omnia ſunt communia.* 354.
II. *In dominio acquirendo, ſervando, vindicando civiles leges ſervandæ.* ibid.
III. *Infideles, hæretici, & peccatores rerum dominium non amittunt.* ibid.
IV. *Apum dominium quomodo acquiratur.* 355
V. *Qui venantur, & piſcantur quomodo dominium obtineant.* ibid.
VI. *Qui jus habent venationis quid cavere debeant.* ibid.
VII. *Beſtia vulnerata ab uno, & ab alio capta, ad quem ſpectet.* ibid.
VIII. *Num peccent Clerici, qui ſemel, vel bis clamoroſæ venationi vacant.* 356
IX. *De rebus pretioſis inventis quid faciendum.* ibid.
X. *Scrutarii quando rerum inventarum dominium adipiſcantur.* ibid.
XI. *Bona vacantia ad quem pertineant.* ibid.

CAPUT X.

De aliis dominium acquirendi modis, nimirum alluvione, acceſſione, confuſione, admixtione, ſpecificatione.

Doctrina.

I. QUomodo *alluvione dominium acquiratur.* 356.
II. *Quomodo acceſſione.* 357
III. *Regulæ nonnullæ pro dominio acquirendo ex acceſſione.* ibid.
IV. *Quid ſit admixtio, & confuſio.* ibid.
V. *Regulæ pro acquiſitione dominii ex admixtione & confuſione.* ibid.
VI. *Quomodo ſpecificatione habeatur dominium.* 358

CAPUT XI.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. INſula *de novo emergens cujus ſit.* 358
II. *Arbor in confinio duorum dominorum poſita ad quem pertineat.* ibid.
III. *In admixtione pecuniæ quid faciendum.* ibid.

CAPUT XII.

De duobus poſtremis acquirendi dominii modis, præſcriptione ſcilicet, & negotiatione, ſive mercatura.

Doctrina.

I. QUid *ſit præſcriptio.* 359
II. *Præſcriptioni jus naturale non obſiſtit.* ib.
III. *Jure gentium ſtatuitur.* ibid.
IV. *A Legibus perfectionem nanciſcitur.* ibid.
V. *Quomodo uſucapio a præſcriptione differat.* 360
VI. *Conditiones ad legitimam præſcriptionem requiſitæ. Prima explicatur.* ibid.
VII. *Exponitur ſecunda conditio.* ib.
VIII. *Tertia declaratur.* ib.
IX. *Et quarta.* 361
X. *Negotiatio triplex.* ibid.
XI. *Tres eam exercendi modi.* 362
XII. *In ſe mala non eſt, ſed periculoſa.* ibid.
XIII. *Quid ſentiant Eccleſiæ Patres.* ibid.
XIV. *Quid attendere debeant mercatorum Confeſſarii.* ibid.
XV. *Mercatura mere lucrativa Clericis & Religioſis vetita.* ibid.
XVI. *Canones & Concilia eam interdicentia.* 363
XVII. *Quid decreverint Summi Pontifices.* ibid.
XXIII. *Quid doceant Theologi.* ibid.
XIX. *Non ſolum negotiatio mere lucrativa, ſed & mixta, eſt Clericis vetita.* 364
XX. *Non vero œconomica.* ibid.

CAPUT XIII.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. PRæſcriptio *valet etiam in foro conſcientiæ.* 365.
II. *Prudens dubium ſuperveniens poſſeſſioni bonam fidem non excludit.* ibid.
III. *Ignorantia facti non excludit præſcriptionem, ſed ſola ignorantia juris.* 366
IV. *Quando majorum bona, vel mala fides aut proſit, aut obſit præſcriptioni.* 367
V. *Quænam res, & perſonæ non ſint præſcriptioni obnoxiæ, & quando abrumpatur præſcriptio.* ib.
VI. *Quando mercatores peccent lethaliter impediendo, ne merces adveniant.* 368
VII. *Clerici omnes ſubjiciuntur pœnis contra negotiatores latis.* ib.
VIII. *Quæ tamen omnes non ſunt latæ, ſed ferendæ ſententiæ.* ibid.
IX. *Clericis, & Religioſis nec per alios negotiari licet.* 369
X. *Peccant, etiamſi ſolum ſemel, vel bis negotientur.* ibid.
XI. *Quænam negotiatio permiſſa Clericis.* 370
XII. *Quomodo illis conceſſum opificium.* ibid.
XIII. *Nonnullæ artes, & opificia Clericis vetita.* 372.
XIV. *Neceſſitate urgente num liceat Clericis negotiatio.* ib.
Reflexio. 372

ETHI-

ETHICÆ CHRISTIANÆ,

SIVE

THEOLOGIÆ MORALIS

TRACTATUS QUINTUS

DE DECALOGI PRÆCEPTIS

PARS ALTERA,

QUÆ EST DE SECUNDO DECALOGI PRÆCEPTO,

NON ASSUMES NOMEN DEI IN VANUM.

Q*UEMADMODUM in priori Decalogi præcepto, licet in verborum cortice, negativo:* Non habebis Deos alienos coram me, *præcepit nobis Dominus, ut unum verum Deum corde & animo, fide, ſpe, & caritate colendo diligeremus, & diligendo coleremus; pari pacto in ſecundo mandato licet nonniſi vanam divini ſui nominis aſſumptionem vetare videatur, jubet tamen ut ipſum lingua, ore, & verbis collaudemus. Laudamus vero, & benedicimus, ejuſque nomen congrue aſſumimus triplici modo, ut docet Ang. Præc. 2. 2. q. 89. nimirum* 1. per modum juramenti ad propria verba confirmanda, 2. per modum adjurationis ad alios inducendum, 3. per modum invocationis ad orandum, vel laudandum. *Et quidem de adjuratione & laude Dei jam in præcedenti Tractatu late diximus. Hic igitur de juramento diſputare debemus, quod ſi rite quidem adhibeatur, ad gloriam Dei cedit, juxta S. Hieronymi effatum,* Qui jurat, aut veneratur, aut diligit eum, per, quem jurat; *at ſi perverſe quis eo utatur, Deum inhonorat, & huic præcepto opponitur pejerando, vel quod pejus eſt blaſphemiis ejus ſanctiſſimum nomen proſcindendo. Juramento autem affine eſt & votum, quod licet interiori animi ſenſu concipi poſſit, frequentius tamen ore profertur; unde Pſalmiſta ajebat:* Redde Domino vota tua, quæ diſtinxerunt labia tua: *& pariter cum juramento ad religionis virtutem pertinet & Dei cultum; immo non infrequenter juramentum votum includit, & vota juramento firmantur. Triplicem itaque complectetur Diſſertationem Tractatus iſte, nimirum primam, quæ erit de juramento. Alteram de Voto. Tertiam de Blaſphemia, quarum ſingulæ in plura capita dividentur. Sit itaque*

DISSERTATIO PRIMA.

DE JURAMENTO.

CAPUT PRIMUM.

De nomine & eſſentia juramenti ejuſque diviſione, nec non conditionibus ad rite jurandum requiſitis.

Doctrina.

Doctrinæ Synopſis.

I. *Juramenti nomen unde deſumptum.*
II. *Juramenta non ſunt Chriſtianis vetita.*
III. *Doctrina Auguſtini.*
IV. *Juramenti definitio ex D. Thoma.*
V. *Dupliciter divinum nomen aſſumi poteſt.*
VI. *Ad jurandum plures adhibentur formulæ.*
VII. *Regula prima ad dignoſcendas juramenti formulas.*
VIII. *Regula ſecunda.*
IX. *Regula tertia.*
X. *Juramenti variæ diviſiones.*
XI. *Conditiones.*

I. JURAMENTI nomen a reddendo jure deſumptum eſt, teſte Auguſtino Serm. 28. de Verbis Apoſtoli dicente: „ Quid autem „ eſt jurare, niſi jus Deo reddere? Quod „ autem jus debemus Deo noſtro niſi caritatis, „ veritatis, & non falſitatis “? A jure quoque juramenti nomen deductum cenſet S. Thom. dum hic quæſt. 89. art. 1. ſcribit: *Aſſumere Deum in teſtem dicitur jurare, quia quaſi pro jure introductum eſt, ut quod ſub invocatione divini teſtimonii dicitur, pro vero habeatur.*

II. Non defuerunt, nec adhuc ſilent hæretici, qui vetita docuerunt Chriſtianis juramenta, quos tamen optime refellit Angelicus Præceptor art. 2. docens: „ Dicendum quod juramentum ſecundum „ ſe eſt licitum & honeſtum, quod patet ex ori- „ gine & fine. Ex origine quidem, quia jura- „ mentum eſt introductum ex fide, qua homines „ credunt Deum habere infallibilem veritatem, „ & univerſalem cognitionem, & proviſionem. „ Ex fine autem, quia juramentum inducitur ad „ juſtificandum homines, & finiendum controver- „ ſias, ut dicitur ad Hebr. “ 6. Quod confirmatur ex ſcripturis, nam Deuter. 6. dicitur: *Dominum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, ac per nomen ejus jurabis*; & Sanctorum exemplo, non ſemel enim D. Paulum juraſſe in ſuis Epiſtolis habemus.

III. Sapientiſſime autem D. Auguſtinus & præceptum Chriſti omne juramentum vetantis Matth. 5. exponit, & juramenti indolem, naturamque declarat, ſcribens lib. 1. de Serm. Dom. cap. 7. „ Ita intelligitur præcepiſſe Dominum ne ju- „ retur, ne quiſpiam ſicut bonum appetat jusju- „ randum, & aſſiduitate jurandi ad perjurium per „ conſuetudinem delabatur: quapropter qui in- „ telligit non in bonis, ſed in neceſſariis jura- „ tionem habendam, refrænet ſe quantum poteſt, „ ut non ea utatur, niſi neceſſitate, cum videt „ pigros eſſe homines ad credendum, quod eis „ utile eſt credere, niſi juratione firmetur. Ad „ hoc itaque pertinet quod ſic dicitur “: Sit autem ſermo veſter eſt eſt, non non: *hoc bonum & appetendum*; quod autem amplius eſt, a malo eſt, „ ideſt, ſi jurare cogeris, ſcias de neceſſitate ve- „ nire infirmitatis eorum, quibus aliquid ſuades, „ quæ infirmitas utique malum eſt.... Itaque „ non dixit, quod autem amplius eſt, malum „ eſt, tu enim non malum facis qui bene uteris „ juratione, quæ etſi non bona, tamen neceſſaria „ eſt, ut alteri perſuadeas, quod utiliter ſuades, „ ſed *a malo eſt* illius, cujus infirmitate jurare „ cogeris “. Quam doctrinam & D. Thom. amplexus eſt ſcribens quæſt. 89. art. 5. „ Dicendum, „ quod id, quod non quæritur niſi ad ſubvenien- „ dum infirmitati, vel defectui, non numeratur „ inter ea quæ ſunt per ſe appetenda, ſed inter „ ea quæ ſunt neceſſaria; ſicut patet de medici- „ na, quæ quæritur ad ſubveniendum infirmita- „ ti. Juramentum autem quæritur ad ſubvenien- „ dum alicui defectui, quo ſcilicet unus homo „ alteri diſcredit. Et ideo juramentum non eſt „ habendum inter ea quæ ſunt per ſe appetenda, „ ſed inter ea quæ ſunt huic vitæ neceſſaria, qui- „ bus indebite utitur quicumque eis utitur ultra „ terminos neceſſitatis “.

IV. Juramentum vero definitur ab Ang. Præc. *aſſumptio divini nominis in teſtem*: Et S. Antoninus luculentius exponit dicens in Summa part. 2. tit. 10. cap. 5. *Juramentum eſt affirmatio, vel negatio de aliquo, ſcilicet de facto, vel faciendo, ſacræ rei atteſtatione firmata ad faciendam fidem.* Dicitur *aſſumptio*, ſive invocatio, ut diſtinguatur ab allegatione alicujus textus ſacræ Scripturæ ad firmandum quod dicimus, quod profecto juramentum non eſt, ut animadvertit D. Th. dicens hic quæſt. 89. art. 1. ad 1. „ Aliud eſt teſtimo- „ nio Dei uti jam dato; quod fit, cum aliquis „ auctoritatem ſacræ Scripturæ inducit: & aliud „ eſt teſtimonium Dei implorare ut exhibendum; „ quod fit in juramento “. Additur *divini nominis* non quidem materialiter inſpecti, ſed Deum ipſum exhibentis & ſignantis. Denique addit D. Thom. *in teſtem*, quia, ut ipſe ſubdit, *pro jure introductum eſt, ut quod ſub invocatione divini teſtimonii dicitur, pro vero habeatur.*

V. Porro divinum nomen dupliciter in teſtimonium aſſumi poteſt, nimirum vel explicite, cum Deus ipſe per ſe invocatur, ut cum Apoſtolus ajebat, *quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior*; vel implicite, nimirum cum creaturas aliquas, in quibus divina excellentia ſpeciali modo refulget, nominamus, ut cum juramus per Evangelia, per Crucem Domini, per

ejus

ejus Matrem, vel etiam per alias creaturas earum ad Deum ordinem deſignando, ut ſi quis dicat *per hunc Dei panem*, *per hunc ignem Dei* & ſimilia, ut egregie animadvertit D. Thom. l. c. a. 6. ſcribens: „ Juramentum innititur divinæ „ veritati, ſicut & fides. Fides autem eſt per „ ſe quidem & principaliter de Deo, qui eſt ipſa „ veritas; ſecundario autem de creaturis, in qui„ bus veritas Dei relucet. Et ſimiliter juramen„ tum principaliter refertur ad ipſum Deum, cu„ jus teſtimonium invocatur; ſecundario autem „ aſſumuntur ad juramentum aliquæ creaturæ, „ non ſecundum ſe, ſed inquantum in eis divina „ veritas manifeſtatur; ſicut juramus per Evan„ gelium, ideſt per Deum, cujus veritas in E„ vangelio manifeſtatur; & per Sanctos, qui hanc „ veritatem crediderunt, & obſervaverunt ". Licet nec ad jurandum verba ſint neceſſaria, nec divini nominis invocatio, quis enim jurare cenſetur, vel ſi ſolum dicat *juro*, vel nihil dicens jurare juſſus vel Evangelium tangat, vel pectus, vel capite, oculis, nutu indicet ſe annuere.

VI. Cum vero ad jurandum plurimæ poſſint adhiberi formulæ, quarum aliquæ aperte juramentum exprimunt, aliæ quæ in communi uſu pro juramento non habentur, aliæ tandem quæ & juramenti loco adhiberi poſſunt, & etiam ſolam exprimunt divini nominis enuntiationem, proinde utrum in juramentum aſſumantur, ſpectanda eſt pronuntiantis intentio. Hinc ſequentes ſtatuuntur Regulæ.

Regula Prima.

VII. Quotieſcumque prolata verba vel aperte juramentum continent, vel in communi ſenſu pro juramento accipiuntur, ut vera juramenta ſint, non pendent ab intentione vel voluntate ipſius proferentis. Non enim eſt in poteſtate cujuſpiam verborum ſenſum immutare, & efficere, ut quæ juramenta ſunt, talia non fiant. Hinc merito damnata fuit ab Innoc. XI. propoſitio 25. quæ ajebat: *Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.* Nec obſtat fieri nec concipi poſſe aliquem jurare dum jurare mente recuſat, & nolenti jusjurandum illud tamen ei imputare, quandoquidem qui ſic affectus eſt, duplici movetur voluntate, alia qua juramentum interne recuſat, alia qua illud exterius vult. Porro illa prior non niſi mere velleitas eſt, at altera efficax apparet, quippe quæ & actum imperat juramenti, & per illud influit in opus ad quod ordinatur jusjurandum, non deeſt igitur nec quæ ſufficit ad juramentum voluntas.

Regula Secunda.

VIII. Si verba quæ proferuntur jurationis formulam non contineant, nec in communi uſu pro juramento habeantur, licet adhibeantur ad fidem faciendam, & ad rem fortius ſuadendam, non ſunt cenſenda juramenta, niſi conſtet ad hoc fuiſſe prolata. Nam licet quiſque ad jusjurandum quibuslibet verbis & nutibus uti poſſit, niſi tamen exprimat & declaret mentem ſuam, quæ ex adhibita formula non apparet, cenſendus eſt, ſe a communi uſu loquendi non recedere.

Regula Tertia.

IX. Si vero verba ad affirmandum adhibita talia ſint, ut & enuntiative ſumi poſſint, & aſſertive, tunc duo ſunt attendenda, nimirum & proferentis mens, & intentio, quæ ſi oſtendat, illum velle rem efficaciter perſuadere, cenſendum eſt ad juramentum adhibita: ſi vero de mente animoque non conſtet, attendenda eſt indoles loquentis, qui ſi juramentis ſit aſſuetus, præſumendus eſt jurare; ſi vero ſit bene moratus, & a juramentis abhorrens, nec ea adhibens niſi raro & magna urgente cauſa, non eſt cenſendus jurare. Hujus generis ſunt illæ formulæ, *Deus ſcit qua mente id dico vel facio*, quod *dico Evangelium eſt*, de hoc *Deo reddam rationem*, & ſimilia.

X. Plures ſunt juramenti diviſiones: nam primo aliud eſt privatum, & aliud publicum ſeu judiciale; illud fit inter privatos, hoc vero coram Judice. 2. Aliud eſt aſſertorium, aliud promiſſorium; priore, ut inquit S. Thom. hic art. 1., *divinum inducitur teſtimonium ad aſſerendum præterita, vel præſentia, alio ad confirmandum aliquod futurum.* Aliud quoque eſt juramentum ſimplex ſive mere conteſtativum, & aliud execratorium, ſeu imprecatorium; priore Deus invocatur ſolum ut teſtis, in poſteriore vero ut teſtis & judex, ut docet S. Thom. l. l. ad 3. ſcribens: *Duplex eſt modus jurandi. Unus quidem per ſimplicem Dei conteſtationem*; *ſicut cum aliquis dicit*, eſt mihi Deus teſtis: *vel*, coram Deo loquor: *vel*, per Deum, *quod idem eſt. Alius modus jurandi eſt per execrationem, dum ſcilicet aliquis ſe, vel aliquid ad ſe pertinens ad pœnam obligat, niſi ſit verum quod dicitur.* Denique juramentum aliud eſt ſincerum, & præſtitum ſine fuco & fraude, aliud doloſum, quod ſubdole præſtatur ad proximum fallendum, quod vel fit aperto mendacio, vel verbis ambiguis & æquivocatione.

XI. Conditiones autem ad licitum & religioſum juramentum habentur in ſcriptura Jerem. 4. *Jurabis: vivit Dominus in veritate, in judicio, & juſtitia*; & eas præclare explicat D. Thom. qu. cit. art. 3. „ Ad bonum uſum juramenti duo re„ quiruntur. Primo quidem quod aliquis non „ leviter, ſed ex neceſſaria cauſa, & diſcrete ju„ ret: & quantum ad hoc requiritur judicium, „ ſcilicet diſcretionis ex parte jurantis. Secun„ do quantum ad id quod per juramentum con„ firmatur, ut ſcilicet neque ſit falſum, neque „ ſit aliquid illicitum: & quantum ad hoc re„ quiritur veritas, per quam aliquis juramento „ confirmat quod verum eſt; & juſtitia, per quam „ confirmat quod licitum eſt. Judicio autem ca„ ret juramentum incautum; veritate autem ju„ ramentum mendax; juſtitia autem juramentum „ iniquum, ſive illicitum ".

CAPUT SECUNDUM.

Conſectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Juramentum aſſertorium a promiſſorio ſpecie non differt.*
II. *Perjuria majorem vel minorem habent malitiam.*
III. *Perjurio etiam alterius generis malitia adjungi poteſt.*
IV. *Inter certas jurandi formulas recenſetur illa* per Deum.
V. *Nonnullæ formulæ inter juramenta non accenſendæ.*
VI. *Formulæ juramenti execratorii quænam.*
VII. *Irreverenti invocatione divini nominis violatur hoc præceptum.*

Conſectarium Primum.

I. SUarezius, aliique Theologi ſentire videntur, juramenta eſſe poſſe diverſæ ſpeciei, ac proinde promiſſorium ab execratorio ſpecie differre. Verum communior & probabilior videtur ſententia, quæ juramenta omnia ad unam revocant ſpeciem, nam cum tota eſſentia juramenti ſita ſit in invocatione divini nominis ad fidem faciendam, hæc æqualiter in omnibus juramentis reperitur; eapropter cæteræ differentiæ, nimirum quod veritas, quæ juramento firmatur, ſit de re, vel præterita, vel præſenti, vel futura, mere materiales ſunt, & accidentaliter ſe habent; quod vero Deus & ut teſtis, & ut fidejuſſor invocetur in juramento promiſſorio, & in execratorio ut teſtis ſimul & vindex, circumſtantia eſt, quæ licet fortaſſe malitiam in perjurio augeat, eam tamen de ſe ad aliam non trahere ſpeciem perjurii videtur.

Conſectarium Secundum.

II. Licet juramenta omnia ſint ejuſdem ſpeciei, perjuria tamen majorem vel minorem nanciſci poſſunt malitiam, unde docet D. Thom. hic art. 10. ad 2. „ Juramentum ſecundum ſe conſideratum tanto fortius eſt, & magis obligat, quanto majus eſt id per quod juratur; & ſecundum hoc majus eſt jurare per Deum quam per Evangelia. Sed poteſt eſſe e converſo propter modum jurandi; utpote ſi juramentum, quod fit per Evangelia, fiat cum quadam deliberatione, & ſolemnitate; juramentum autem quod fit per Deum, fiat leviter, & abſque deliberatione". Sic in perjurio promiſſorio duplex habetur malitia, quia & Deus ut teſtis falſo invocatur, & ut fidejuſſor contemnitur; & ſimiliter in perjurio execratorio ejus teſtimonium falſo invocatur, & juſtitia ejus parvipenditur.

Conſectarium Tertium.

III. Perjurio etiam malitiæ alterius generis jungi poſſunt, ut ſi quis dicat: *pereat Deus ſi res non ita eſt*, perjurio conjuncta eſt blaſphemia: & ſimiliter ſi Judici vel Superiori juramentum poſtulanti, perjurio veritatem celares, adderes & malitiam inobedientiæ, & ſi forte veritatis occultatio cederet in damnum tertii, adderetur injuſtitiæ malitia.

Conſectarium Quartum.

IV. Inter certas & communes jurandi formulas eſt reponenda illa qua dicitur *Per Deum* quoquo modo dicatur juxta idiomatum diverſitatem, ut cum Itali dicunt *Per Dio*, Siculi *Par Dio*, Hiſpani *Par Dios*, ſicut & alia *per fidem Dei*, ſeu ut Itali dicunt *affè di Dio*. Nam hæ phraſes veram exprimunt divini teſtimonii invocationem, & ad aliquid confirmandum communiter adhibentur: dixi communiter, quia contingere quandoque poteſt, ut etiam enuntiative proferantur, ut ſi quis admiratione correptus exclamet *per Deum*, vel *per potentiam Dei*, ſeu ut Itali dicunt *po far Dio*. Hinc audiendi non ſunt Tamburinus Sporerius, aliique antiquiores Probabiliſtæ docentes, per illa verba non jurare homines, non alia ratione ducti, niſi quia aliqui ad ſingula fere verba effutiunt illud ſuum *Per Deum*, quaſi perverſa jurandi conſuetudo juramenta tollere valeat. At quod magis miror & doleo eſt, etiam P. Borangam ceteroquin doctum Theologum ab hac non recedere ſententia, eamque noviſſime inſtaurare, dum ſcribit tract. de Virt. Relig. cap. 5. §. 1. „ Dicens *per Deum* modo communi loquendi, licet proferat expreſſa verba juramenti, quando non habet veram intentionem jurandi, non jurat, neque audientes accipiunt talem locutionem pro juramento, ideſt quod eam protulerit invocative prout ad juramentum requiritur. At cur qui in communi ſermone frequentiſſime verba hæc ingeminat *per Deum*, *per Chriſtum* cenſendus eſt non habere intentionem jurandi? Nonne de facto & expreſſe profert verba juramenti ut fatetur P. Boranga? Nonne illa adhibet ad dicta ſua confirmanda? Ergo mentem habet jurandi. At inquiet, nec ad ipſa verba quæ dicit attendit, nec ſe jurare advertit. Fateor. Sed hoc ex prava jurandi conſuetudine ortum eſt, quæ perjuria non minuit, ſed aggravat. At ſubdit P. Boranga, *audientes non accipiunt talem locutionem pro juramento*. Sed unde hoc probat? Communiter quidem hiſce perjuriis fides nulla adhibetur, non quia eos jurare non credatur, ſed quia certo ſcitur, eos frequentiſſime pejerare. Et ne quis Confeſſarius ex hac Borangæ doctrina fallatur, & in ſuſpicionem veniat credendi, formulam illam factam eſſe modum dicendi, & ita perjuria impune graſſari permittat, illi auctoritatem oppono Theologi Borangæ coævi & præſtantiſſimi, nimirum P. Fulgentii Cuniliati, ſic Tract. de 2. Decal. præcepto ſcribentis cap. unico num. 3. „ Circa formulam *Per Deum*, id apud nos non eſt verum, ita (*admirando ſcilicet & invocando*) uſurpari formulam iſtam: etenim ex ſermonis textura, & ex modo proferendi ſemper apud nos uſurpatur jurative, quamvis habitualiter, & cum maximo animæ detrimento . . . .

„ Et ego poſt quadraginta circiter annos, ex „ quo Confeſſarii munere immerito fungor, nunquam inveni, quod præfata formula *per Deum* „ proferatur niſi ſenſu jurativo, ideſt aut conteſtandi præſentia, vel præterita, aut ſpondendi futura “. Et hic animadvertas velim, piiſſimum hunc doctiſſimumque virum non perſcrutata intentione jurantis deprehendiſſe voces illas *Per Deum*, ut ipſe dicit, *juratorie* proferri, ſed ex motivo & cauſa proferendi, ideſt ad conteſtanda præſentia, vel præterita, vel ſpondenda futura. Deinde ſic proſequitur: „ Proinde mere arbitraria eſt hæc ſuaſio, quod in noſtris regionibus ſit merus dicendi modus, & non juramentum præfata formula, ex qua Confeſſariorum „ falſa ſuaſione oritur, quod aut nullam aut modicam rationem habeant in redarguendis pœnitentibus, qui in eadem formula proferenda aſſidue verſantur, & lacrymabilem habitum contrahant ad ſingulas periodos proferendi *per* „ *Deum ita*, *per Deum non*, cum gravi divinæ „ Majeſtatis irreverentia. Et hinc profluit quod „ in omnibus pene vicis, plateis & angulis tremendum Dei nomen juratur abſque ulla formidine, exemplo etiam ſæpe populis dato ab Eccleſiaſticis ipſis, quorum plures audiuntur *per* „ *Deum* valde frequenter & abſque ulla neceſſitate proferre “.

Conſectarium Quintum.

V. Puto non accenſendas inter jurandi formulas voces illas pene communes etiam viris piis *in fidem* alla fè, *in mea conſcientia* in conſcienza mia *in veritate* in verità, *ſerio* dico da vero, *ut Chriſtianus loquor* da Criſtiano, *ut Religioſum decet* da Religioſo, quia non videntur divini nominis directam, vel indirectam invocationem continere, & licet nomina Chriſtiani & Religioſi aliquid ſacri præſeferant, communiter tamen accipiuntur prout claſſem important Perſonarum veritatem ſemper dicere profitentium, proinde communiter non ſumuntur ab audientibus tanquam juramenta, ſed tanquam argumenta oſtendentia, majorem mereri fidem ejus dicta, quia a Chriſtiano & Religioſo prolata.

Conſectarium Sextum.

VI. Formulæ veri juramenti execratorii ſunt: „ non hinc abeam; poſſim mori; decidant mihi „ caput, pedes, manus; Diabolus me ad inferna „ trahat; Deum non videam in hora mortis “, & ſexcenta hujuſmodi, quæ frequentiſſime ex ore erumpunt mulierum præcipue, & puerorum. At nec execrationes ſunt, nec juramenta dicta illa, „ opignoror caput, manus, pedes, amputentur „ aures, naſus, lingua, nolo amplius mihi credas, ſim infamis ſi mentior “, & ſimilia, quæ a nullo pro juramento accipiuntur, & emphaſim ſolum aſſerendi important.

Conſectarium Septimum.

VII. Hoc ſecundum præceptum Decalogi violant qui frequenter etiam nihil affirmando vel negando, ſed vel ira perciti, vel admiratione correpti, vel impatientia commoti ſanctiſſima nomina vel Dei, vel Jeſu, vel Mariæ, vel alicujus Sancti frequenter ingeminant, quippe quia nec ea qua decet reverentia proferunt, & non infrequentius perturbatos animi ſui motus hiſce nominibus exprimunt, peccati venialis tamen culpam arbitror non excedere, niſi forte quædam adhibeantur formulæ, quæ pias aures offendunt, & quæ nonniſi vel in vehementi indignatione, vel alio perturbato animi motu proferuntur, cujuſmodi ſunt aut *Potentia Dei!* Po far Dio Italice, vel *in Dei conſpectu* al coſpetto di Dio, vel *vivit Deus* viva Dio, quæ profecto dum ex ore reſonant, audientium animos mirum in modum commovent, horrent aures, & offenſionem & ſcandalum pariunt, præſertim ſi frequentes ſint, ſi in religioſo ore reſonent. Hæc quidem dum per modum cujuſdam invocationis vel enunciationis promuntur, non ſum enim neſcius, & vim juramenti poſſe induere, & illarum aliquam etiam blaſphemiæ iniquitatem præferre, ratione modi proferendi, ut ſuo loco dicemus.

CAPUT TERTIUM.

De Veritate in juramento aſſertorio, nec non de æquivocatione, amphibologia, diſtinctione ſcientiæ communicabilis & incommunicabilis.

D O C T R I N A.

I. *Prima liciti juramenti conditio veritas.*
II. *Perjurii reus eſt, qui rem dubiam pro certa jurat.*
III. *Certitudo veritatis ad juramentum requiſita.*
IV. *Aliquando veritas celanda.*
V. *Nonnulli Patres mendacio eam tegi poſſe putarunt.*
VI. *Hujus opinionis falſitas.*
VII. *Num veritas tegi poſſit mentalibus reſtrictionibus.*
VIII. *Num non mere mentalibus ſed externis.*
IX. *Quando verba cum reſtrictione ſint intelligenda.*
X. *Num liceat veritatem tegere æquivocatione, & amphibologia.*
XI. *An uſu ſcientiæ communicabilis & incommunicabilis.*
XII. *Abuſus hujus ſcientiæ, mendaciorum fodina.*
XIII. *Quomodo cuſtodire ſecretum debeant Confeſſarius, Miniſter a ſecretis Principum, aliique.*
XIV. *Num tegere poſſint uſu materiali verborum.*
XV. *Hic modus rejicitur.*
XVI. *Sicut nec aliis modis ſuperius recenſitis tegere ſecretum poſſunt.*
XVII. *Quid ſentiat D. Auguſtinus.*
XVIII. *Ad tegendum ſecretum nonnullæ regulæ.*
XIX. *Regula I.*
XX. *Regula II.*
XXI. *Regula III.*

XXII. *Regula IV.*
XXIII. *Regula V.*

I. Prima, quam Deus conſtituit per os Jeremiæ, conditio ad juramenti honeſtatem eſt rei juratæ *veritas*, ſeu notitia in jurante de veritate rei quam affirmat, quæ profecto ſi deſit, juramentum vertitur in perjurium. Porro hæc veritas non tam objectum jurisjurandi reſpicit, quam ipſum jurantis animum: fieri enim poteſt, ut quis verum jurando pejeret, & falſum effutiendo non pejeret, nimirum ſi prudenter credat verum quod jurat, licet in ſe falſum, vel e contra quod falſum putat juret, quod tamen contingit forte in ſe eſſe verum. Si itaque veritas hæc a jurejurando abſit, ſemper perjurium eſt, & peccatum mortale, ſive res gravis ſit, ſive levis, ſive etiam leviſſima, ut patet ex propoſitione 24. inter damnatas ab Innoc. XI. quæ ajebat: *Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem*; & jure meritoque proſcripta fuit, quippe quia perjurium ſuam malitiam nequaquam deſumit aut metitur ex qualitate mendacii ſive levis, ſive gravis, ſive jocoſi, ſed ex divinæ Majeſtatis granditate, cui graviſſima irrogatur ſemper injuria cum teſtis invocatur mendacii, quod & optime animadvertit & docet D. Th. hic q. 98. a. 3. ad 2. „ Ille qui „ jocoſe perjurat, non evitat divinam irreveren- „ tiam, ſed quantum ad aliquid magis auget: & „ ideo non excuſatur a peccato mortali. Ille au- „ tem qui ex lapſu linguæ falſum jurat, ſi qui- „ dem advertat ſe jurare, & falſum eſſe quod „ jurat, non excuſatur a peccato mortali, ſicut „ nec a Dei contemptu; ſi autem hoc non ad- „ vertat, non videtur habere intentionem juran- „ di, & ideo a crimine perjurii excuſatur “.

II. Perjurii etiam reus eſt, & graviter peccat, qui rem dubiam tanquam certam juramento confirmat, aliter enim ore profert quam mente teneat, dubius enim in mente de veritate rei, ſi exterius ita enuntiat ac ſi certa foret, mentitur, propterea & addito juramento fit perjurus.

III. Ut quis ſine perjurio alicujus rei veritatem jurejurando confirmare valeat, debet eſſe de eadem veritate ita moraliter certus, ut quodcumque prudens dubium excludatur. Hanc veritatem luculenter docet Catechiſmus Concilii Tridentini de 2. præcepto Decal. ſect. 2. ſcribens: „ Pri- „ mum itaque in jurejurando locum habet veri- „ tas, nimirum, ut quod aſſeritur & ipſum ve- „ rum ſit, & qui jurat id ita eſſe arbitretur, „ non quidem temere, aut levi conjectura addu- „ ctus, ſed certiſſimis argumentis “. Et Bellarminus de Sacramentis in genere c. 6. ſcribit: „ Ad „ teſtificandum nomine Dei aliquid, requiritur „ veriſſima certitudo, nec ſufficit probabilis opi- „ nio, ut patet in ſimili de juramento. Non e- „ nim licet juramento, ideſt Dei teſtimonio, uti „ in re quam opinamur veram, ſed ſolum in re „ quam certiſſimi ſumus eſſe veram “. Immo longe major requiritur certitudo ad aliquid juramento confirmandum quam ad aliquid vel prudenter credendum, vel prudenter agendum; ſic prudenter credimus, quod a viro fide digno audimus, & prudenter pecuniam mutuo damus amico a quo ſperamus reſtituendam; at nec rem ab fide digno auditam confirmare poſſumus juramento eſſe veram, nec jurejurando aſſerere certo nobis a mutuante reſtituendam.

IV. At cum veritatem prodere non ſemper expediat, immo quandoque & caritas urgeat, & recta prudentia dictet eſſe aliqua vera, etiam petenti & interroganti occultanda; hinc plures excogitati ſunt a Patribus & Doctoribus modi veritatem tegendi, & moroſam, injuſtam, & impudentem indagatorum curioſitatem fruſtrandi.

V. Nonnulli ex antiquioribus Patribus mendacio uti, licitum cenſuerunt urgente neceſſitate. Horum binos tantum nominabo, nimirum Clementem Alexandrinum, cujus hæc ſunt verba ex lib. 6. Stromat. laud. a D. Hieronymo lib. 1. ad Rufinum: „ Homo cui incumbit neceſſitas men- „ tiendi diligenter attendat, ut ſic utatur inter- „ dum mendacio quo modo condimento atque „ medicamine, ut ſervet menſuram ejus “. Alter vero Caſſianus eſt collat. 17. ſcribens: „ Quan- „ do aliquod grave imminet de veritatis confeſ- „ ſione diſcrimen, tunc mendaciorum ſunt reci- „ pienda perfugia “.

VI. Verum quotquot floruerunt poſt Auguſtinum Patres, Doctores, Theologi omnes falſitatem hujus doctrinæ docuere, adeout nullus ſit inter Catholicos, qui mendacium aliquando licere doceat vel arbitretur. Supervacaneum foret Doctorum teſtimonia in re jam comperta & certiſſima afferre, ſatis erit doctrinam S. Th. adducere, qui 2. 2. q. 110. art. 10. oſtendit, mendacium ſemper eſſe malum, & ſemper ſecum talem afferre inordinationem, ut nullo modo ab ea valeat emundari ſcribens: „ Dicendum, illud quod eſt „ ſecundum ſe malum ex genere, nullo modo pot- „ eſt eſſe bonum & licitum.... Mendacium autem „ eſt malum ex genere.... unde Philoſophus di- „ cit in 4. Ethic. quod mendacium eſt per ſe pra- „ vum, & fugiendum “; & in reſp. ad 4. ſubdit: *Ideo non eſt licitum mendacium dicere ad hoc quod aliquis alium a quocumque periculo liberet.*

VII. Hinc excluſo mendacio ad veritatem occultandam Recentiores ad reſtrictiones, quas mentales dicunt, confugerunt, putantes earum ope poſſe licite tegi veritatem. Reſtrictionis autem mentalis nomine deſignant ſenſum in mente verbis a pronuntiante affixum, licet diverſum ab ipſa ſignificatione verborum, ut ſi quis interrogatus, num habeat pecuniam, reſpondere poteſt ſe non habere, licet revera habeat, mente ſubintelligendo, ut tibi dem; ſic fur interrogatus num furatus ſit, licet revera rem abſtulerit, poteſt reſpondere non eſſe furatum, ſubintelligendo mente, antequam naſcerer, & ſexcenta hujuſmodi. At hæc eſſe aperta mendacia nemo non videt; nam verbis exterius prolatis mens non correſpondet dicentis, ut cum quis dicit verbis ſe non eſſe furatum, abſolute negat furtum a ſe fuiſſe patratum, cum vero mente reſtringit ad tempus præcedens nativitatem, non abſolute dicit ſe non eſſe furatum; ergo aliud habet in ore, aliud in mente; eſt igitur mendax. Jure proinde meri-

ritoque has mentales reſtrictiones damnavit Summus Pontifex Innoc. XI. diris devovendo propoſitionem 26. quæ ajebat: „ Si quis vel ſolus, vel „ coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria „ ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocum- „ que alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid quod „ revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid a- „ liud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in „ qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, „ revera non mentitur, nec eſt perjurus ".

VIII. His itaque exploſis mentalibus reſtrictionibus alias ſubrogarunt quas non mere mentales, ſed externas dicunt, & quas in cenſura mox laudatæ propoſitionis non contineri ſibi blandiuntur, hujuſmodi autem ſunt juxta nonnullos Theologos, quando nimirum ex exterioribus conditionibus ipſa locutio limitatur, ut ſi quis pauper & inops pecunia egens, a divite mutuum petit, qui reſpondet non habeo ſubintelligendo mente, ad dandum tibi pauperi inepto ad reddendum, vel moroſo ad reſtituendum, quæ circumſtantiæ non internæ ſunt in mente reſpondentis, ſed externæ & reales in ipſo petente, qui & pauper eſt, & moroſus redditor, & proinde eam negationem a mendacio eximunt. Verum in hiſce ſtabiliendis mirum quantum inter ſe diſcrepent Caſuiſtæ, nonnullis enim reſtrictiones mere mentales apparent quædam locutiones, quæ aliis exteriores videntur.

IX. Fateor quidem non raro datam reſponſionem, quæ in tota amplitudine ſua accepta mendacium foret, veritatem continere ob limitationem ex circumſtantiis manifeſtam. Sic c. e. dum Confeſſarius interrogat Pœnitentem num pejeraverit, num furatus ſit, num fornicationem patraverit, vere reſpondet non, licet fortaſſis pluries in ea fuerit prolapſus crimina, dummodo ab ultima confeſſione nullum ex illis patraverit, nam interrogatio Confeſſarii niſi aliter conſtet, limitatur ad ea indaganda crimina quæ ſunt ab ultima confeſſione patrata. Similiter ſi Religioſus ſolicite Superiorem quærens, nec inveniens, Concellitam in quem forte offendit interroget, num viderit Superiorem, vere reſpondet non vidi, licet millies viderit, quia interrogatio limitatur ad illam brevem temporis circumſtantiam. Quod adeo verum eſt, ut etiam pueruli id intelligant, nam ſi quis puellum roget num jentaverit, reſpondet vere non, ſi eo die nondum jentaculum ſumpſit, licet aliis diebus ſumpſerit. At hic evidenter apparet, limitationem non ex voluntate reſpondentis unice prodire, ſed & ex ipſa interrogantis mente, cui alter optime & recte reſpondet, inepte vel etiam falſo reſponſurus ſi aliter diceret: ſic ſi pœnitens reſponderet Confeſſario interroganti de aliquo crimine quod patravit, ſed ante multos annos, audiret de hoc non eſſe interrogationem, ſed de patratis ab ultima confeſſione; & ſimiliter ſi Concellitæ de Superiore roganti num viderit, Religioſus reſpondeat millies vidiſſe, illi illudere videretur, & puer mentiretur ſi interroganti reſponderet utique, intelligendo heſterna die. At extra has circumſtantias, generali interrogationi præbere limitatam reſponſionem, idem eſt ac uti mentali reſtrictione, cum illa limitatio tota ſit ex mente reſpondentis, qui ſibi falſo blanditur ex circumſtantiis limitari, & hoc eſt nomina mutare non vitia, & reſtrictiones pure mentales vocare reſtrictiones externas, nam conditio pauperis mutuum petentis non addit reſponſioni *non habeo pecuniam*, limitationem *ut tibi mutuo dem*, niſi tu eam mente addas, nec idem facit moroſitas reſtitutionis, quæ ſolum quidem præſtat ut mutuum negare poſſis ſi velis, non vero efficere ut verum ſit te non habere pecuniam ſi habeas.

X. His nonnulli alium modum addunt reſpondendi, ſcilicet æquivoce & amphibologice, verbis ſcilicet, quæ duplicem ſenſum habeant, alter menti interrogantis reſpondens, alter reſpondentis, ut ſi ſervus interroganti num Dominus ſit domi, reſpondeat *non eſt*, intelligendo non edit æquivocatione ludens in verbo. Et quidem fateor non eſſe illicitum uti locutione ambigua ſeu æquivoca actione ad occultandam veritatem, dummodo talis ſit, quæ vel verborum vi, vel circumſtantiarum ratione juxta communem intelligentiam plures excipiat ſignificationes intelligibiles tamen ab audiente ſi advertere velit. Verum raræ admodum ſunt hujuſmodi æquivocationes & amphibologiæ, nec cuique obviæ, ac non niſi ſolerti & ſagaci viro compertæ, & ſi cum pari viro ſolerte, & vafro adhibentur, inepte prorſus adhibentur, multoque magis ſi interrogans petat, ut ſibi abſque ambage, & æquivocatione reſpondeatur.

XI. Ad cuſtodiam itaque ſecreti aliud eſt excogitatum medium, uſus nimirum duplicis ſcientiæ communicabilis, & incommunicabilis, cujus exemplum exhibent in Confeſſario, qui duplicem perſonam gerens & hominis & Confeſſarii, duplici quoque modo poteſt aliquid ſcire, videlicet ut homo communi notitia, vel ut Confeſſarius Sacramentali cognitione, & tunc ſi interrogetur de aliquo crimine ab alio patrato poteſt & reſpondere & jurare ſe illud nequaquam ſcire, licet in confeſſione audierit, quippe quia illud novit ſola ſcientia incommunicabili. Quod autem contingit Confeſſario, contingere poteſt, inquiunt, & Viro a ſecretis Principis, Conſiliario, Aulico, immo & aliis, quibus interſit ſecretum tenere, vel factum prodere nequeunt ſine magno ſuo damno, ut quando uxor interrogatur a marito num thorum violaverit, quæ reſpondere poteſt non violaſſe, licet mœchata ſit, ſubintelligendo ſcientia communicabili, vel ad alterius vitam ſervandam, ut filio quærenti ſtricto gladio parentem ad eum interficiendum, & roganti num ſit in cubiculo poteſt frater reſpondere non adeſſe, intelligendo ut tibi dicam qui interrogas ut infandum ſcelus committas. Immo adeo hujus duplicis ſcientiæ fimbrias dilatavit P. Viva, ut generalem regulam ſtatuere etiam pro ruſticis non dubitaverit ſcribens in propoſitiones 26. & 27. ab Innoc. XI. damnatas n. 13. „ Ruſtici, qui ignorant opportunas adhibere æqui- „ vocationes, debent advertere, num prævaleat bono publico occultatio veritatis, an ſin- „ cera illius confeſſio ne proximus decipiatur. „ Certe quando veritatis occultatio confert ad

„ tuendam ſalutem, honorem, res familiares, „ aut ad quemlibet virtutis actum, tunc licita „ eſt æquivocatio, major tamen cauſa requiritur „ ad ſuperaddendum juramentum locutioni am- „ biguæ. Quando tamen non occurrit commoda „ æquivocatio, aut reſtrictio *EXTERNA*, ſi cauſa „ ſit gravis, Ruſtici poſſunt uſu duplicis ſcientiæ „ facile obvio veritatem occultare, non animo de- „ cipiendi, ſed ſolum permittendi deceptionem “.

XII. Verum hæc excogitatio abſurdiſſima plane eſt, & vera mendaciorum fodina, quippe quæ ad meras reducitur mentales reſtrictiones a Summis Pontificibus diris devotas, ut ex ipſa Patris Viva regula patet manifeſte. Nam ſupponit, ruſtico volenti ſecretum tegere non aliud occurrere niſi uſum ſcientiæ incommunicabilis, ope cujus reſpondet *neſcio*, vel *non*, ſubintelligendo *ut tibi dicam*. Quæro, hæc reſtrictio pertinet ne ad æquivocationem, ad locutionem ambiguam, ad reſtrictionem externam? Minime; nam has omnes abeſſe, nec menti reſpondentis occurrere ſupponit Viva: pertinebit igitur ad reſtrictionem mere mentalem: ergo ut mera mendaciorum officina damnatus eſt ab Eccleſia tam ampliſſimus tam univerſalis uſus ſcientiæ communicabilis & incommunicabilis. Quid enim revera docuerunt Auctores reſtrictionum mentalium niſi *neſcio ad dicendum*?

XIII. Sed quid dicis de Confeſſario, de Secretario, de Conſiliario Principis? Reſpondeo, hæc exempla eſſe inducta ad fucum faciendum imperitis. Nam non uſus duplicis ſcientiæ efficit, ut Confeſſarius de aliquo crimine interrogatus poſſit reſpondere ſe neſcire, ſed ipſe communis loquendi & interrogandi uſus, immo & neceſſitas reſpondendi ad mentem interrogantis, quæ nunquam, niſi in aliquo impio, eſt de auditis in Confeſſione, ſed de notis communi modo. Quod ut pateat, finge Parochum rogari a Judice ſub juramento, num ſciat, commiſſum a Clerico adulterium, & reſpondeat: *novi ex Confeſſione*. Nonne ſtatim repelleretur a Judice, qui graviter ſtomachatus illi regereret: *non te interrogo de crimine per confeſſionem tibi comperto*, *ſed de adulterio modo communi noto*; nec permitteret reſponſionem in acta referri utpote nullo modo ad humanam notitiam pertinentem. Manifeſtum eſt igitur a Confeſſariis interrogatis non expectari reſponſum juxta audita in confeſſione, quæ habentur a communi commercio longius ſepoſita, ſed juxta vulgarem notitiam: proinde locus nullus ſupereſt diſtinctioni notitiæ communicabilis & incommunicabilis. Quod ſi quis audax & infrunitus Confeſſarium non horreret de auditis in confeſſione rogare, ille nec affirmando nec negando reſpondere debet, ſed peſſimum interpellatorem ſeverioribus verbis repellere; quod ſi impius necem minaretur, nemo eſt qui neſciat fortiter moriendum potius, quam ſigillum frangendum. Idem aliqua proportione ſervata dicendum & de Conſiliario, & de Viro a ſecretis Principis, qui ſi ex conditione interrogantis, & modo interrogandi perſpiciant, ſe non de ſpeciali ſcientia interrogari, ſed juxta communem, poſſunt ad mentem interrogantis reſpondere, quia jam clare apparet limitata ad communem ſcientiam interrogatio. Si vero ſuſpicetur, interrogationem etiam ad peculiarem notitiam dilatari, curioſum ſcrutatorem vel ſilentio rejiciat, vel dura redargutione repellat. Dixi tamen aliqua proportione ſervata, quia non eſt adeo diſtinctum a perſona munus Conſiliarii, vel a Secretis, ſicut Confeſſarii officium ab ipſa Sacerdotis perſona, nec priorum etiam arcana cognitio adeo ab humano eſt ſemota commercio, ſicut notitia Confeſſarii; proinde facilius contingere poteſt ut interrogentur juxta quamcumque, quam poſſunt habere, notitiam; immo fortaſſis de aliquibus interrogentur, quia ſoli ratione muneris quo funguntur, ea poſſunt noviſſe: propterea ita caute reſponſionem ſuam temperare debent, ut nec perverſo fuco ſcientiæ incommunicabilis mendacia tegant, nec ſecretum prodant. In aliis vero hominibus & duplicem fingere perſonam, & uſum adſtruere ſcientiæ incommunicabilis idem prorſus eſt ac omnibus mentiendi impune anſam præbere.

XIV. Poſtremo nonnulli confugerunt ad uſum materialem verborum, nimirum quod verba uſurpet reſpondens quatenus ſonus quidam externus ſunt, eo modo quo uſurpantur a pueris addiſcentibus loqui, a typographis pronuntiantibus voces exoticæ linguæ, quam non intelligunt. Nam, inquiunt, nulla lex eſt, quæ homini jubeat efferre ſemper verba ſignificative, ideſt, ut ſenſa animi ſui prodat, & licet conventio ſit inter homines, ut per verba poſſint conceptus ſuos aperire, nulla eſt lex quæ vetet, ne poſſint homines, ſi velint, ea tantum materialiter efferre. Immo addit La-Croix lib. 6. part. 2. cap. 3. dub. 1. n. 1986. §. 4. in circumſtantiis, in quibus ſecretum tegendum eſt, voces non eſſe ſignificativas, quia vis ſignificativa vocum eſt a voluntate illorum, qui eas inſtituerunt ad hoc vel illud ſignificandum: atqui inſtituentes non voluerunt nec velle potuerunt, ut tales voces eſſent ſignificativæ in caſu quo per illas revelaretur ſecretum, id enim velle foret impium, nec Dei, vel reipublicæ approbatio poteſt accedere, quæ tamen debet accedere ut ſit obligatio utendi vocibus ſicut inſtitutæ ſunt, ergo voces in hiſce circumſtantiis non ſunt ſignificativæ.

XV. Verum hæc doctrina communi omnium ſenſui adverſatur, ad unum enim omnes docent, verba eſſe inſtituta, quando ſerio & in humano convictu adhibentur, ad interna promenda animi ſenſa, & ſemper eſſe mendacia quando ad alium fallendum adhibentur. Audiatur D. Auguſtinus in Enchiridio cap. 32. „ Omne mendacium ideo dicendum eſt eſſe peccatum, quia homo non ſolum quando ſcit ipſe quod verum eſt, ſed etiam „ ſi quando errat, vel fallitur ſicut homo, hoc „ debet loqui quod animo gerit, ſive illud verum „ ſit, ſive putetur, & non ſit. Omnis autem qui „ mentitur, contra id quod animo ſentit, loqui- „ tur, voluntate fallendi. Et utique verba propter- „ ea ſunt inſtituta non per quæ homines ſe invicem „ fallant, ſed per quæ in alterius quiſque notitiam „ cogitationes ſuas perferat. Verbis ergo uti ad „ fallaciam, non ad quod inſtituta ſunt, peccatum „ eſt “.

„ eſt “. Et D. Th. 2. 2. q. 110. art. 3. „ Mendacium eſt malum in genere : eſt enim actus „ cadens ſuper indebitam materiam . Cum enim „ voces naturaliter ſint ſigna intellectuum , innaturale eſt, & indebitum quod aliquis voce ſignificet id quod non habet in mente “ . Dum autem SS. Auguſtinus & Thomas dicunt , voces & verba eſſe naturaliter ſigna interioris mentis conceptus, non negant eſſe ad placitum vel Dei, vel hominum inſtituta , ſed diſtinguunt quod ad arbitrariam pertinet Dei, vel hominum voluntatem, ab eo quod natura ſua ineſt verbis ad placitum inſtitutis. Quod enim hæc vel illa verba , ille vel ille oris & linguæ ſonus , hæc potius quam illa ſignificet , hoc ab arbitrio pendet humano, vel ſi lubet etiam divino , at quod hæc ſigna & voces ſint ſigna interni conceptus, quod cordis ſenſa promant , non ab arbitrio pendet , ſed ineſt naturæ verborum . Nequit igitur hoc humana reſpublica impedire , nec efficere , ut dum ſerio proferuntur , dum in communi convictu adhibentur, dum humanum ingrediuntur commercium, ſenſum amittant, & amplius verba ſignificativa non ſint . Sed diutius in hiſce apertiſſimis falſitatibus immorari hominis eſſet tempore & otio abutentis.

XVI. Porro præfatas omnes doctrinas a veritate longe abhorrere , illud meo judicio evidens efficit & manifeſtum. Nam tegere ſecretum , celare aliquando veritatem , ſemper omni tempore in quacumque lege neceſſarium fuit , & tamen nunquam niſi poſtremis ſæculis prædominantis Probabiliſmi inventæ ſunt , & invectæ hæ doctrinæ. Si quis neceſſitatem tegendi ſecretum , & veritatem occultandi accurate unquam perpendit , fuit profecto Auguſtinus tum in libro de mendacio, tum contra mendacium ; & tamen reſtrictiones ſive externas ſive internas , ſcientiam communicabilem , & incommunicabilem , uſum materialem verborum penitus ignoravit , nec aliud ſtatuit adeſſe poſſe , ſalva veritate , remedium , niſi vel ſilentium ſi ſufficiat , ſin aperta reſponſio *ſcio* , *non tamen prodam* . Quod manifeſte patet in exemplo ab ipſo Auguſtino producto in *lib. cont. mendac. cap.* 18. „ Ecce „ (ſcribit) gravi morbo periclitatur ægrotus , „ cujus jam vires ferre non poſſint , ſi ei mortuus unicus & cariſſimus filius nuntietur ; a te „ quærit an vivat, quem vitam finiſſe tu noſti , „ quid reſpondebis ? “ Reſpondebimus, inquiunt recentiores Theologi , clare & rotunde *vivit* , vel ſubintelligendo in cælo, vel ſecundum ſcientiam communicabilem , vel uſu materiali verborum . At non ita ſapuit Auguſtinus, nam ſequitur: „ Quidquid aliud dixeris præter unum de „ tribus, *aut mortuus eſt* , *aut vivit* , *aut neſcio*, „ nihil aliud credit quam mortuum , quod intelligit timere dicere, & nolle mentiri ; tantumdem valet, etiamſi omni modo tacueris. Ex illis autem tribus duo ſunt falſa , *vivit*, & *neſcio*, nec abs te dici poſſunt niſi mentiendo “. Nequaquam, reponent recentiores Theologi, non mentior dicendo *neſcio* , nam ſubintelligam in hiſce circumſtantiis vel ſcientia communicabili quia tibi nocet , vel uſu materiali hujus verbi , ſicut pronuntiatur a puero addiſcente & recitante indicativum temporis præſentis verbi *neſcio* , *neſcis*. Sed regereret Auguſtinus : hæc ignoro, hæc odi , hæc mendacia ſunt . „ Illud autem UNUM VERUM , ideſt mortuum eſſe ſi dixeris , & perturbati hominis mors fuerit ſubſecuta, abs te occiſus clamabitur. Et quis ferat homines exaggerantes quantum ſit mali ſalubre mendacium „ devitari, & homicidam diligi veritatem ?

XVII. Quid quod ? Auguſtinus caſum hunc expendens , recentium Theologorum doctrinas , & laxiſſimas opiniones de reſtrictionibus mentalibus , & externis , de ſcientia communicabili , & incommunicabili , de uſu materiali verborum videtur vaticinatus , & in anteceſſum deteſtatus , ſubdit enim: „ Huc accedit , ubi miſerabilius ejulandum eſt , quod ſi conceſſerimus pro ſalute „ illius ægri de vita filii ejus fuiſſe mentiendum „ (ſeu reſtrictionibus utendum) ita paulatim „ minutatimque ſuccreſcit hoc malum , & brevibus acceſſibus ad tantum acervum mendaciorum ſceleratorum ſenſim ſubintrando perducitur , ut nunquam poſſit penitus inveniri ubi „ tantæ peſti , per minima additamenta in immenſum invaleſcenti poſſit obſiſti “ . (Quod quam verum ſit oſtendunt propoſitiones 26. 27. 28. ab Innoc. XI. damnatæ) . „ Quid quod (ſequitur Auguſtinus) vitæ hujus tales amatores, „ ut eam non dubitent præponere veritati , ne „ homo moriatur , immo ut homo quandoque „ moriturus aliquanto ſerius moriatur, non tantum mentiri , ſed etiam pejerare nos volunt , „ ut videlicet ne aliquanto citius tranſeat vana „ ſalus hominis , nomen Dei noſtri accipiamus „ in vanum? Et ſunt in eis docti qui etiam regulas figant, fineſque conſtituant , quando debeat, quando non debeat pejerari . O ubi eſtis „ fontes lacrymarum ? Et quid faciemus ? quo ibimus ? ubi nos occultabimur ab ira veritatis , „ ſi non ſolum negligimus cavere mendacia, ſed „ audemus inſuper docere perjuria ?

XVIII. Quid igitur præſtandum ſit , ut a mendacio caveamus , & veritatem proximo vel animæ noxiam, vel ex præcepto tegendam abſcondamus, hiſce regulis ſtatuimus.

Regula Prima.

XIX. Quotieſcumque veritatem tegere valemus ſilentio , vel ad alia ſermonem convertendo , vel non audiviſſe ſimulando , optime cauſam agimus veritatis. Nam hoc pacto nec mentimur , cum nihil ad rem , & interrogationem reſpondeamus , & veritatem ex caritate , aut ex juſtitia tegendam occultamus. Et ita etiam docere videtur D. Auguſt. loc. ſup. laud. ubi ſupponit , ſilentium non prodeſſe ad tegendam veritatem patri ægroto de vita filii ſciſcitanti , qui immo ex ſilentio mortem filii colligeret , quam deprehenderet non indicari ne affligatur , non denegari ne mendacium dicatur . Et aperte docet de mendacio cap. 10. ſcribens : *Non eſt mendacium* , *cum ſilendo abſconditur verum* ; *ſed cum loquendo promitur falſum* . Conſentit & Div. Thom. 2. 2. q. 110. art. 3. ad 4. „ Dicendum,

„ dum , quod mendacium non ſolum habet rationem peccati ex damno, quod infertur proximo , ſed ex ſua inordinatione . Non licet autem aliqua illicita inordinatione uti ad impediendum nocumenta , & defectus aliorum ; ſicut non licet furari ad hoc, quod homo eleemoſynam faciat , niſi forte in caſu neceſſitatis, in quo omnia ſunt communia. Et ideo non eſt licitum mendacium dicere ad hoc , quod aliquis alium a quocumque periculo liberet . Licet tamen veritatem occultare prudenter ſub aliqua diſſimulatione , ut Auguſtinus dicit lib. de Mend. cap. 10. “.

Regula Secunda .

XX. Si vero reſpondendum ſit , & apta adſit æquivocatio , quæ veritatem celare poſſit , & nullum in ſe contineat mendacium , quia verba revera duplicem continent ſenſum , ea uti licitum erit, ſi gravis urgeat cauſa, vel abſque culpa ſecretum nequeat revelari . Nam nec tunc ullum habetur mendacium, cum verba etiam quem exprimunt ſenſum revera complectantur , & menti reſpondeant loquentis , & etiam intelligentiæ pateant interrogantis ſi velit advertere. Hac legitima æquivocatione uſa eſt ſapientiſſima Mater Machabæorum, quæ Tyranno urgenti & ſuadenti ei , *ut adoleſcenti fieret in ſalutem* , promiſit ſe *ſuaſuram filio* , ludens in verbo *ſuadeo*, quod æque valet & de re juxta mentem rogantis , & de re juxta mentem reſpondentis , unde ſuaſit quidem filio , at non quod optabat Tyrannus , ſed quod poſtulabat officium matris. Et ſimili pacto prudenter Athanaſius hoſtibus ſuis eum ad necem quærentibus, at non de facie agnoſcentibus dum ab eo quærerent quantum abeſſet Athanaſius , reſpondit *non longe abeſſe* , quod utique verum æque eſt de viro fugiente & inſecuto ſive per quingentos diſtet paſſus, ſive per decem, aut duo , licet interrogantes intellexerint de priori majore diſtantia, ipſe vero de minori , immo & minima. Verum has amphibologias non eſt facile determinare , ſed peritiæ ſunt relinquendæ , prudentiæ, & ſolertiæ reſpondentis. Solum aperte dicimus eas nec obvias eſſe , nec cuique etiam ſapienti, præſertim in repentina interrogatione ſtatim occurrere. Immo addimus , etiam obviis, etiam apertis, etiam licitis non eſſe utendum, niſi gravi urgente cauſa, & neceſſitate cuſtodiendi ſecretum.

Regula Tertia.

XXI. Si non occurrant hæ licitæ æquivocationes , non licet prætextu occultandæ veritatis adhibere vel reſtrictiones mentales etiam externas , vel uti diſtinctione ſcientiæ communicabilis , & incommunicabilis , vel verbis uti materialiter . Nam hæc ſunt vera mendacia , & , ut optime ſcribit Caramuel Tom. 2. Theolog. Fundam. pag. 182. n. 805. *tollunt humanam ſocietatem , & ſecuritatem , & tamquam peſtifera damnanda ſunt . Quoniam ſemel admiſſa aperiunt omni mendacio , omni perjurio viam , & tota differentia in eo erit , ut quod heri vocabatur mendacium , naturam, & malitiam non mutet , ſed nomen , ita ut hodie jubeatur reſtrictio mentalis* (vel externa , vel ſcientia incommunicabilis, vel uſus materialis verborum) *nominari , quod eſt virus condire ſaccharo, & ſcelus ſpecie virtutis colorare .* Hinc non licet petenti pecuniam , tametſi vel impotenti ad reſtituendum, vel moroſo reſtitutori reſpondere , *non habeo* ſubintelligendo , *ad dandum tibi*. Nec roganti de aliquo crimine a te patrato, & occulto reſpondere *neſcio* ſubintelligendo , *ad manifeſtandum tibi* : vel quærenti de crimine alieno (excepto Confeſſario) regerere *neſcio* ſubintelligendo *ſcientia communicabili* . Nec denique poſcenti an Petrus ſit mortuus reſpondere *neſcio* ſubintelligendo recitationem grammaticalem verbi *neſcio* , *neſcis* . Hæ enim omnes locutiones, amphibologiæ , reſtrictiones mentales , vel externæ &c. ſunt vera mendaciorum integumenta .

Regula Quarta .

XXII. Qui interrogando monet, ne amphibologia etiam licita utamur , ſed ſincere , & candide reſponſum reddamus , ſi juſtus eſt interrogator , verum reſpondere debemus , omiſſa etiam æquivocatione licita ; ſi vero eſt perverſus interrogator , repellendus eſt objurgatione , non aliqua æquivocatione etiam licita iterum reſpondendum . Primæ partis ratio eſt manifeſta , legitime enim interrogans jus habet ut verum candide , & integre reſciat , nec licet eum etiam licita æquivocatione fallere . Alterius vero partis ratio eſt, quia etiam injuſte poſtulans veritatis manifeſtationem locum amplius non relinquit æquivocationi licitæ , illi enim aperte mentiris , dum reſpondere volens ſine æquivocatione , æquivocatione uteris . Nec obſtat illum ſemper injuſte interrogare, & urgere reſponſionem ; nam non ratione illius violentiæ , ſed divinæ legis omne mendacium vetantis , teneris vel verum reſpondere , aut ejus vim juſta vi repellere recuſando qualemcumque reſponſionem, & iniquitatem injuſtæ , & moleſtæ interrogationis abjiciendo . Unde apparet , falſam eſſe nonnullorum recentiorum doctrinam, qua dicunt, licitum eſſe æquivocationibus, & amphibologiis uti uſque in infinitum , ut verum evidenter appareat , quod animadverterat Auguſtinus lo. ſupr. laud. , laxatis ſemel repagulis æquivocationum, jam tam late eorum flumen excurrere, & dilatari, ut nullus amplius adſit obſiſtentiæ locus.

Regula Quinta .

XXIII. Æquivocationibus etiam licitis uti conceſſum non eſt, niſi hæ adſint conditiones . 1. Ne reſpondens teneatur vel ex juſtitia , vel ex religione , vel ex obedientia nudam veritatem patefacere , ſed legitimum jus habeat ad celandam . 2. Quod gravis, & urgens adſit cauſa veritatem non prodendi , unde merito damnata fuit etiam ex hoc capite propoſitio 26. *Cauſa juſta utendi amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium* , aut

aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa. 3. Ne veritatis occultatione alicui noceamus, ſed ita nobis profit, ut nulli obſit. *Quando non eſt eadem jurantis intentio, & ejus cui jurat, ſi hoc proveniat ex dolo jurantis, debet juramentum ſervari ſecundum ſanum intellectum ejus, cui juramentum præſtatur. Unde Iſidorus dicit*: Quacumque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit. *Et quod hoc intelligatur de doloſo juramento, patet per id quod ſubditur*: Dupliciter reus fit, qui & nomen Dei in vanum aſſumit, & proximum dolo capit. *Si autem jurans dolum non adhibeat, obligatur ſecundum intentionem jurantis. Unde Gregorius dicit 26. Moral. c. 7.* Humanæ aures talia verba noſtra judicant, qualia foris ſonant; divina vero judicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur ". Hæc regula tota deſumpta eſt ex D. Th. hic q. 89. art. 7. ad 4.

CAPUT QUARTUM.

Conſectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Qui ſolum habet probabilitatem, non poteſt de veritate jurare.*
II. *Qui jurare vult, debet diligenter de veritate rei inquirere.*
III. *Non licet alteri ſuadere, ut veritatem juret quam ignorat.*
IV. *Non licet alium inducere ad jurandum falſum, licet bona fide verum credat.*
V. *Non licet privato juramentum petere ab eo, quem præſcit pejeraturum.*
VI. *Quomodo, & quando judici liceat.*
VII. *Licet juramentum petere ab eo, qui per falſos Deos eſt juraturus.*
VIII. *Non licet adulteræ juramento crimen adulterii negare.*
IX. *Nec mercatoribus mercem ſibi tanti ſtare, ſi verum non ſit.*
X. *Nec Clericis negare ſe deferre merces vectigalibus obnoxias, ſi habeant.*
XI. *Nec reo legitime interrogato veritatem negare, vel æquivocatione celare.*
XII. *Nec reo non juridice interrogato.*
XIII. *Licet Confeſſario negare veritatem rei ſibi ſolum per confeſſionem compertæ: non vero ſi interrogetur ut Confeſſarius.*
XIV. *Juramentum addere etiam in licita æquivocatione deordinationem importat.*
XV. *Rejicitur doctrina P. Boranga ex Henno deſumpta.*

Conſectarium Primum.

I. QUI de veritate facti, vel rei, quod juramento confirmat, ſolum habet probabilitatem, ſi juret, perjurus eſt. Ratio patet, quia ad jusjurandum requiritur certitudo moralis, quæ non habetur dum de veritate rei ſolam habes probabilitatem, cum æque probabile ſit poſſe eſſe falſam rem, vel factum, quod juramento confirmas; alioquin ſi ex ſola veritatis probabilitate jurare liceret, poſſet quis modo affirmantem, modo negantem partem juramento confirmare, cum æqualis ſit in utraque parte probabilitas: quod quantum a veritate abhorreat nemo eſt qui non videat. Immo nec quod probabilius videtur, licet tamquam verum jurejurando confirmare, niſi tanta ſit probabilioritas, ut moralem inducat certitudinem. Hinc quamvis teſtis fide digni aſſertio poſſit eſſe prudens fundamentum ad aliquid ut verum habendum, non tamen tale eſt, ut rem ab eo narratam tanquam veram poſſim juramento corroborare, cum major requiratur certitudo ad aliquid ut verum affirmandum ſub invocatione divini nominis, quam ad aliquid humana fide credendum, cum in hoc nullum ſit ſpirituale periculum ſi falſum credam, maximum autem ſit ſi falſum jurem. Unde optime docet S. Th. hic quæſt. 89. a. 3. ad 3. „ In juramento eſt periculum magnum, tum „ propter Dei magnitudinem, cujus teſtimonium „ invocatur, tum etiam propter labilitatem lin„ guæ humanæ, cujus verba juramento confir„ mantur. Et ideo hujuſmodi (*veritas, judi„ cium, & juſtitia*) magis requiruntur ad jura„ mentum, quam ad alios humanos actus ".

Conſectarium Secundum.

II. Qui juramento aliquid confirmare vel vult, vel debet, neceſſariam adhibeat oportet diligentiam, ut rei veritatem compertam habeat; alioquin ſi negligens ſit in veritate requirenda, perjurii reus evadit, licet fortaſſis verum juret. Ita docet Catechiſmus Concilii Trid. ſcribens in 2. Decal. præcepto n. 27. „ Simili quoque ratio„ ne pejerat, qui id jurat, quod verum exiſti„ mat, & tamen revera falſum eſt, niſi quantum „ potuit curam, & diligentiam adhibuerit, ut „ totam rem compertam, atque exploratam ha„ beret; quamvis enim ipſius ratio menti con„ ſentiat, tamen hujus præcepti reus eſt ". Et D. Auguſt. Serm. 28. de Verb. Apoſt. ſcribit: „ Homines falſum jurant vel cum fallunt, vel „ cum falluntur. Aut enim putat homo verum „ eſſe, quod falſum eſt, & temere jurat (*non „ adhibito ſcilicet neceſſario ad veritatem compe„ riendam ſtudio*): aut ſcit, aut putat eſſe fal„ ſum, & tamen pro vero jurat, & nihilomi„ nus cum ſcelere jurat ". Ratio vero id clare confirmat, qui enim omittit debitam veritatis comperiendæ diligentiam, de perjurio periclitatur, periculo autem peccandi ſe exponere peccatum eſt. Hæc vero adhibenda diligentia major, & minor eſſe poteſt, at non quidem juxta rei, de qua jurat, conditionem, ut quidam Theologi perperam docent, quaſi ſi res ſit magni momenti, major ſit adhibenda cura, minor vero ſi res ſit exigui ponderis, cum juramenti gravitas, & dignitas non ex re jurata, ſed ex divinæ veritatis, quæ in teſtimonium vocatur, majeſtate, & ſublimitate deſumatur; hinc etiam de re minima pejerare peccatum mortale eſt,

eſt, & graviſſima injuria Dei, ſed diligentia hæc & cura eſt ab arduitate comperiendæ veritatis deſumenda, ſi enim agatur etiam de re exigua, ſed difficilis indaginis, majus requiritur ſtudium, quam ſi de re etiam maxima ageretur, ſed facilis cognitionis. Quod ſi & ipſa rei gravitas, & magnitudo majorem expoſcat diligentiam, puta quia agitur de vita, de fama, de bonis temporalibus proximi, tunc hæc major cura, & ſolicitudo non tam a virtute religionis imperatur, ad quam juramentum pertinet, quam a virtute juſtitiæ, nimirum ne periculum ſit, ut præter perjurium etiam in proximum iniquitatem perpetres, illi damnum grave inferendo.

Conſectarium Tertium.

III. Non licet alteri perſuadere, ut veritatem juret, quam ignorat. Quandoquidem ut quis juret aliquid eſſe verum, debet illi de veritate rei conſtare: porro qui ignorat veritatem, neſcit, an verum ſit vel falſum, ergo non niſi pejerando jurat, licet fortaſſis res in ſe vera ſit; ideoque qui illum ad hujuſmodi juramentum inducit, ejus ſceleris in cauſa eſt, ac proinde & ipſe lethalis criminis reus.

Conſectarium Quartum.

IV. Non licet ſcienter alium ad falſitatem jurandam inducere alicujus rei vel facti, licet ille qui jurat, bona fide credat eſſe verum. Nam licet jurans ob bonam fidem, & ignorantiam, quam invincibilem ſupponimus, a perjurio excuſetur, ille tamen qui falſitatem novit, eum impellit ad vocandum Deum in teſtem falſi, quod eſt de ſe, & intrinſece malum: quare perjurium, quod reſpectu jurantis eſt materiale, reſpectu inducentis eſt formale.

Conſectarium Quintum.

V. Non licet homini privato juramentum ab eo petere, quem credit eſſe pejeraturum, etiam gravi urgente cauſa, immo nec a parato ad pejerandum juramentum excipere. Sunt quidem plures ex recentioribus Theologis, qui hoc licere arbitrantur, ſed hujus doctrinæ falſitatem oſtendit D. Tho. 2. 2. q. 98. a. 4. ſcribens: „ Circa eum, „ qui exigit ab alio juramentum, diſtinguendum „ videtur. Aut enim exigit juramentum pro „ ſeipſo, propria ſponte; aut exigit juramentum „ pro alio, ex neceſſitate officii ſibi commiſſi. Et „ ſi quidem aliquis pro ſeipſo exigit juramentum „ tamquam perſona privata, diſtinguendum videtur, ut Auguſtinus dicit in ſerm. 28. de verb. „ Apoſt. Si enim neſcit eum juraturum falſum, „ & ideo dicit jura mihi, ut fides ei fiat, non „ eſt peccatum; tamen eſt humana tentatio, quia „ ſcilicet procedit ex quadam infirmitate, qua homo dubitat alium eſſe verum dicturum. Et hoc „ eſt illud juramentum, de quo Dominus dicit „ Matth. 5. “ *Quod amplius eſt, a malo eſt*. „ Si autem ſcit eum feciſſe, ſcilicet contrarium „ ejus, quod jurat, & cogit eum jurare, homicida eſt: ille enim de ſuo perjurio ſe interimit; „ ſed iſte manum interficientis impreſſit “. Et in reſponſ. ad 4. diſcrimen aſſignat, cur licitum ſit juramentum ab eo accipere, qui jurat per falſos Deos, non vero ab eo, quem præſcit pejeraturum ſcribens: „ Licet ejus, qui per falſos Deos jurare paratus eſt, juramentum recipere ... Alia tamen „ ratio videtur eſſe in eo, qui per verum Deum „ falſum jurat: quia in tali juramento deeſt bonum „ fidei, qua utitur aliquis in juramento illius, qui „ verum per falſos Deos jurat “. Idem ante docuerat S. Raymundus in Summa lib. 1. tit. de juramento pag. 89. ſcribens: „ Quid de illo, qui pro- „ vocat ad jurandum eum, quem ſcit falſum juraturum, vel exigit, vel recipit ab eo juramentum veritati contrarium, & ſcienter? Reſpondeo ſecundum Gelaſium, & Auguſtinum, „ quod talis vincit homicidam, quia homicida corpus occidit, & iſte animam, immo duas animas, & ejus quem jurare provocavit, & ſuam “. Utriuſque Doctoris ſententiæ ſubſcribit & D. Antoninus part. 2. tit. 10. cap. 7. §. 3. „ Si privata „ perſona exigit hoc faciens, quia dubitat de veritate loquentis, & ideo ut ſit magis certus exigat, non peccat, ſed humana tentatio eſt; ſi „ autem ſcit, vel credit probabiliter illum falſum „ juraturum, peccat mortaliter, quia dat illi occaſionem ruinæ in hoc caſu “. Et revera qui tale exigit juramentum, nulla juſta movetur ratione, ſcilicet veritatem detegendi, cum ſciat pejeraturum, quo perjurio veritas pervertitur, non aperitur: inique ergo jusjurandum extorquet. Altera vero pars pariter certa eſt, nam, ut vidimus, S. Raymundus idem ſtatuit & de illo qui exigit, & de illo qui recipit, & eadem pariter urget ratio, quia tali juramento veritas non detegitur, ſed Deo injuria irrogatur, & ille, qui tale recipit juramentum, alterius peccato cooperatur.

Conſectarium Sextum.

VI. Licite poteſt judex, juris ordine ſervato, ad petitionem alterius ab illo jusjurandum petere, quem pejeraturum novit. Ita docet S. Th. loc. ſup. laud. ſubdens: „ Si autem aliquis exigat „ juramentum tamquam perſona publica, ſecundum quod exigit ordo juris, ad petitionem alterius; non videtur eſſe in culpa, ſi ipſe juramentum exigat, ſive ſciat eum falſum jurare, „ ſive verum: quia non videtur ille exigere, ſed „ ille, ad cujus inſtantiam exigit “. Nonnulla tamen ſunt notanda ex ipſa doctrina S. Tho. ſcilicet, cum judex juramentum debeat extorquere ad petitionem partis, & illius nomine, primum explorare oportet, num actor, qui juramentum urget, credit adverſarium pejeraturum, & nihilominus jusjurandum exigat; ſi enim de hoc merito ſuſpicetur, non debet illius iniquæ petitioni acquieſcere, cum injuſta ſit, Deoque injurioſa; ſi vero deprehendat, actorem ideo depoſcere juramentum potius, ut reum ad confeſſionem veritatis adigat, poterit tunc abſque peccato exigere, cum non nomine proprio, ſed actoris illud exigat. Prius tamen ſerio monere debet reum de ſanctitate, & religione juramenti, & etiam actorem roga-

rogare, ut a petitione juramenti deſiſtat. Præterea in cauſa criminali ad inſtantiam accuſatoris deficientis in probationibus, & urgentis reum adigi ad juramentum, non licet judici ejus petitioni utpote injuſtæ adhærere, ſed ipſum talionis pœnæ relinquere. Pariter non licet judici teſtes, quos ad falſum dicendum teſtimonium paratos noverit ad juramentum admittere, ſed vi officii ſui etiam, reo non poſtulante, a ſuo Tribunali repellere. Sicut nec licet judici juramentum ab utraque parte exigere, nec in civilibus, nec in criminalibus, ut ſtatuit Valentinum Concil. anni 855. can. 11.

Conſectarium Septimum.

VII. Licitum eſt jusjurandum ab eo petere, qui præſcitur juraturus per falſos Deos. Ita S. Tho. hic q. 98. a. 4. ad 4. „ Licet malo uti propter bonum, ſicut & Deus utitur; non tamen „ licet aliquem ad malum inducere. Unde licet „ ejus, qui per falſos Deos jurare paratus eſt, „ juramentum recipere; non tamen licet eum inducere ad hoc, quod per falſos Deos juret “. Hanc doctrinam ex Auguſtino ſumpſerat D. Angelicus, quem etiam hoc in loco citat epiſt. ad Publicolam ſcribentem: „ Qui utitur fide illius, „ quem conſtat juraſſe per falſos Deos, & utitur „ non ad malum, ſed ad licitum, & bonum, „ non peccato ejus ſe ſociat, quo per Dæmonia „ juravit, ſed bono pacto ejus quo fidem ſervavit “. Confirmat & ratio; nam qui jusjurandum ab alio juſta, & legitima urgente cauſa poſtulat, quod bonum eſt, & bene, & recte præſtari poteſt flagitat; quod autem alter nonniſi male ſive ex malitia, ſive ex ignorantia præſtet, id ei tribuendum eſt.

Conſectarium Octavum.

VIII. Non licet mulieri interrogatæ a viro num fidem in Matrimonio datam fregerit, ſi adultera ſit, jurejurando interpoſito negare, quamvis peccatum cenſeat per confeſſionem deletum. Plurimi ſunt recentiores Theologi, qui vel ope reſtrictionis mentalis, vel duplicis ſcientiæ communicabilis, & incommunicabilis, vel uſu materiali verborum, putant licere adulteræ crimen negare marito ſtricta præſertim ſica interroganti, nam putant negationi ſubintelligendum: *ut tibi dicam*, vel *ſcientia communicabili*, vel verba proferendo more pſittaci: at hæc omnia figmenta ſunt, mendaciorumque fuci: eapropter aperte dicendum eſt, non licere mulieri negare nec ſine juramento, quod eſſet mendacium leve, multoque minus cum juramento patratum ſcelus inficiari, quia alioquin aperte mentiretur, & pejeraret. Ita docent Theologi omnes, qui mentales reſtrictiones deteſtantur, ut Salmanticenſes, Sotus, Concina, aliique, & jure merito; cum crimen inficiari non poſſit niſi vel mentiendo, vel mentali reſtrictione addendo, *ad tibi dicendum*. Proinde de hac veritate certus Auguſtinus lib. cont. Mend. cap. 21. ſcribit: „ Cogitandum „ eſt, ſæpiſſime homines, de quarum adulterio „ ſuſpicantur, ad jusjurandum provocare conju„ ges ſuas: quod utique non facerent, niſi cre„ derent etiam illas, quæ non timuerunt perpe„ trare adulterium, timere poſſe perjurium. „ Quia & revera nonnullæ impudicæ, quæ non „ timuerunt illicito concubitu viros fallere, eiſ„ dem viris, quos fefellerant, timuerunt Deum „ teſtem fallaciter adhibere “. O ſupinam Auguſtini ignorantiam, qui miſellis hiſce mulierculis proſpicere neſcivit in vitæ diſcrimine conſtitutis ſuggerendo vel reſtrictiones mentales, vel reſtrictiones externas, ex circumſtantia temporis, vel ſcientiam incommunicabilem, vel uſum materialem verborum! Nec prodeſſe poteſt adulteræ criminis deletio per ſacram exomologeſim, tum quia neque certa eſt de remiſſione peccati; tum quia licet certo ſciret dimiſſam culpam, ſemper falſum foret, non fuiſſe ab ipſa patratum crimen, quod pœnitentia deletum eſt. Poterit igitur dumtaxat reſponſionem declinare reſpondendo, & ſi juravero, quomodo credes adulteræ? Et hoc proderit, ſi quid proderit.

Conſectarium Nonum.

IX. Non licet Mercatoribus jurejurando affirmare, mercem ſe tanti emiſſe, ſubintelligendo omnibus computatis expenſis, ut emptores ad ſolvendum juſtum pretium inducant; ſicut nec emptoribus jurejurando affirmare, rem ſe tanti emere potuiſſe ſubintelligendo alio anno, ut venditores ad infimum pretium reducant. Nam ſi vere merces tanti Mercatores non emerint, mendacium pronuntiant, quod ſi juramento confirment pejerant, cum non alio modo ſe valeant excuſare, niſi ad mentales reſtrictiones confugiendo ab Eccleſia proſcriptas, quod magis, & clarius apparet in emptoribus modo expoſito pejerantibus.

Conſectarium Decimum.

X. Non licet Clericis merces Principum vectigalibus ſubjectas deferentibus, ſi interrogentur a Miniſtris; etiam jurejurando denegare ſe illas deferre, ſi ſecum habeant, nam aperte mentirentur, & pejerarent: nec valet, quod docent nonnulli Theologi ex circumſtantia extrinſeca, & patente Perſonæ Eccleſiaſticæ a vectigalibus (ut ſibi blandiuntur) liberæ; determinari negationem ad indicandum, ſe mercem deferre quidem, ſed non eſſe vectigalibus ſubjectam. Quandoquidem vel hocce privilegium admittunt temporales Poteſtates in Clericis, vel non admittunt. Si primum, cauſam non habent etiam juſtæ æquivocationis legitimam, ſed fateri debent mercium delationem, & privilegium producere. Si vero non admittunt, jam patet, Principum Miniſtros Clericos interrogare etiam ut Clericos, cum eos non minus, quam Laicos cenſeant publicis obnoxios tributis; non igitur amplius ex conditione manifeſta perſonæ reſtringitur reſponſio, & ſic vel mendacium eſt, vel mentalis reſtrictio. Accedit maximum quod præberent ſcandalum, ſi poſt jusjurandum eos mercem deferre depre-

deprehenderetur. Caveant igitur Eccleſiaſtici, immo prorſus abhorreant ab hiſce æquivocationibus, multoque magis a jurejurando.

Conſectarium Undecimum.

XI. Non licet reo legitime interrogato veritatem jurejurando vel mendacio denegare, vel æquivocatione quacumque tegere Judicem fallendo, licet ex confeſſione criminis de capite periclitetur. Ita docent cum S. Tho. non ſolum antiquiores omnes Theologi, ſed nobiliores etiam ex recentioribus, uti Toletus, Navarrus, Bannez, Sylvius, Wigandt, & Salmanticenſes. Sic itaque D. Ang. noſtræ poſitionis veritatem confirmat 2. 2. q. 69. a. 1. ſcribens: „ Dicendum quod „ quicumque facit contra debitum juſtitiæ, mortaliter peccat. Pertinet autem ad debitum „ juſtitiæ, quod aliquis obediat ſuo Superiori in „ his, ad quæ jus prælationis ſe extendit. Judex autem ſuperior eſt reſpectu ejus, qui judicatur. Et ideo ex debito tenetur accuſatus judici veritatem exponere, quam ab eo ſecundum „ formam juris exigit “. D. Thomæ conſentiunt S. Antoninus, Paludanus, Sylveſter, Soto, aliique bene multi. Immo & in Catechiſmo Romano hæc ſententia proponitur Parochis tanquam doctrina Eccleſiæ, de qua inſtruere debent oves ſuas, ſic enim habetur Par. 3. de 8. Præcepto n. 15. *De reis autem, & ſontibus, vult eos Deus verum confiteri, cum ex judicii formula interrogantur. Eſt enim teſtimonium, ac prædicatio quædam, illa confeſſio, laudis, & gloriæ Dei, & ipſius Joſue ſententia, qui Acham ad veri confeſſionem adhortatus inquit*: Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abſcondas “. Sed in his non eſt diutius immorandum, cum plura dicta ſint Tom. 2. Tract. 3. in Append. cap. 7. Solum addere liceat, Benedictum XIV. in Bulla ſecunda pro promulgatione Jubilæi anni Sancti 1750. quæ habetur in Bullar. Tom. 3. n. 24. concedere quidem, ut Jubilæum lucrari poſſint, & ejuſdem privilegiis frui etiam *in carcere detenti, quorum criminales cauſæ nondum ſunt concluſæ; ſed jubet, ut moneantur de obligatione qua tenentur judicibus ſæcularibus juridice interrogantibus veritatem aperire.* Qua declaratione puto demptam omnino omnem etiam tenuem probabilitatem ſententiæ oppoſitæ, quippe qui in ea Bulla Supremi Magiſtri munere fungitur, & Doctoris in Cathedra docentis de rebus ad mores ſpectantibus: porro ſi vera foret oppoſita doctrina, & liceret reo Judici legitime, & juridice interroganti vel ſilere veritatem, vel illum æquivocationibus fallere, profecto Pontifex erraret docendo contradictoriam ſententiam, cum inter verum, & falſum medium non detur; & ſi una pars contradictionis eſt vera, altera falſa ſit oportet. At quis dixerit, Pontificem in ſua Bulla falſitatem docuiſſe? Non ſunt igitur audiendi Salmanticenſes, dum dicunt, Auctorum agmen probabilem reddere opinionem noſtræ adverſam, huic enim agmini Sapientiſſimi Pontificis doctrinam opponentes exclamare minime veremur, *tu pro decem millibus computaris.*

Conſectarium Duodecimum.

XII. Reus non juridice interrogatus a Judice nequit abſolute negare delictum, quod revera commiſit, & negationem ſuam juramento firmare, vel reſtrictione pure mentali, ſubintelligendo *ad tibi dicendum*, vel reſtrictione externa deſumpta ex circumſtantia interrogationis non juridicæ. Ratio primæ partis manifeſta eſt, cum enim negatio criminis tota nitatur mentali reſtrictioni, mendacium eſt, ut conſtat ex damnata propoſitione, & ex ipſa reſponſionis natura, quæ nec loquentis menti reſpondet, nec interrogantis; non loquentis, generaliter enim verbo negat commiſſum delictum, in mente autem habet non univerſalem hanc negationem, ſed reſtrictionem ad manifeſtationem; non interrogantis, quippe de delicto abſolute interrogat, nulla facta reſtrictione; & revera data reſponſione fallitur. Ratio vero ſecundæ partis eſt, quia illa exterior circumſtantia, quæ reſponſionem limitare videtur, non tollit ſenſum univerſalem verborum abſolute crimen denegantium, ſed ſolum præbet anſam, & occaſionem reſtrictioni mentali, *ad dicendum tibi*, quæ ſi non adderetur, juxta omnes, mendacium eſſet illa denegatio; ergo tota ratio limitationis non ex ipſa circumſtantia exteriori Judicis non juridice interrogantis, ſed ex mentali proficiſcitur reſtrictione. Et revera fingamus reum hunc velle Judici ſtudioſe mentiri, quid aliud revera reſponderet, niſi *non feci*, *non patravi*. Unde optime ſcribit Sotus de Juſt. & Jur. lib. 5. quæſt. 6. art. 2. „ Quod autem ei liceat dicere, „ ſe non feciſſe, nullatenus eſt ſuſtentabile, quo„ niam nulla amphibologia valet ejuſmodi men„ dacia excuſare. Et eſt mihi apertiſſima demon„ ſtratio hæc, quod ſi aliud non eſſet menda„ cium, vana fuiſſet cura, & ſollicitudo omnium „ Doctorum admonendi, non licere nec pro vita „ ſervanda in judicio mentiri, quia nullum aliud „ mendacium revera volunt, quam hoc, quo quis „ aperte negat ſe feciſſe, quod fecit “. Accedit & D. Auguſtini auctoritas, qui ſimilem ſibi proponit caſum lib. de Mend. cap. 13. „ Sit Judex „ iniquus ad ſupplicium quærens innocentem, „ qui te interroget ubi lateat ſcientem. Quid fa„ cies; Falſus teſtis, an proditor eris? Proditor, „ ſi Judici injuſto ubi lateat innocens detuleris. „ Falſus teſtis, ſi negaveris ſcire, quod noſti. „ An inter vitium falſi teſtimonii, & proditionis „ dubius incertuſque remanebis “? Non, reſpondent Theologi recentiores, ſed aperte regererem *neſcio*, cum hoc verbum ex illa exteriori circumſtantia ſit limitatum ad eam reſtrictionem *ad dicendum tibi*. Verum non tanta pollebat ingenii acie Auguſtinus, ut ad hæc ſublimia, & a ſæculo abſcondita excogitanda aſſurgeret, proinde quid reſpondendum definiat, audiamus: *Si autem ſcis ubi ſit, ſive ibi ſit ubi quæritur, ſive alibi, non eſt dicendum, cum quæſitum fuerit utrum ibi ſit, ſed dicendum, ſcio ubi ſit, ſed nunquam monſtrabo.* D. Auguſtino cohæret & D. Th. qui 2. 2. q. 69. a. 1. ſic docet: *Si vero Judex hoc exquirat, quod non poteſt ſecundum ordi-*

nem

nem juris, *non tenetur ei accuſatus reſpondere*, *ſed poteſt vel per appellationem*, *vel aliter licite ſubterfugere*. *Mendacium tamen dicere non debet*. Sed quodnam mendacium vitare debet? Num dicere *Non feci?* Sed ſi hoc mendacium non eſt, nec eſſe poteſt, cum juxta Theologos recentiores hoc verum ſit ex circumſtantia exteriore interrogantis; fruſtranea eſt igitur D. Th. monitio de cavendo mendacio, quod hic locum habere non poteſt. Sed S. Th. doctrinam ſatis explanatam habes loc. ſup. laud. in Append. cap. 7.

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Confeſſarius abſolute interrogatus de aliquo facto ſibi per ſolam confeſſionem comperto, licite abſque ulla æquivocatione, vel reſtrictione reſpondere poteſt ſe neſcire; ſi vero interrogetur tanquam Confeſſarius, ſine mendacio inficiari non poteſt. Hocce confectarium adjeci, ut magis doctrinam de æquivocationibus, & mentalibus reſtrictionibus illuſtrarem. Primæ itaque partis ratio eſt manifeſta; ſed non juxta doctrinam recentium Theologorum ob mentalem reſtrictionem *ad tibi dicendum*, ob duplicem ſcientiam communicabilem, & incommunicabilem, ob determinationem perſonæ interrogatæ. Non quidem quia & hæc aptari non poſſint Confeſſario, ſed quia ſemel pro Confeſſario admiſſis, jam nimium ad alios dilatantur cum maximo veritatis detrimento, & humanæ ſocietatis perturbatione. Ratio itaque vera, & efficaciſſima eſt, quia notitia per confeſſionem habita non eſt ordinata ad humanum convictum, & ad hæc terrena dirimenda, ſed tota ſpiritualis eſt, & in ordine ad Deum, proinde de ſe tota coarctatur inter pœnitentem, & Confeſſarium, nec extra hos ullo modo dilatari poteſt, adeo ut quodcumque maximum, & graviſſimum detrimentum in terrenis occurrat, nunquam liceat notitia per ſolam confeſſionem habita illud avertere, ſed omnino permittendum eſt. Hoc igitur poſito, quis non videat Confeſſarium abſolute de aliqua re ad hæc terrena ſpectante, non de auditis in confeſſione interrogari, quæ in his locum non habent, ſed de his quæ ſibi ſunt naturali, & communi modo comperta, proinde reſpondendo ſe neſcire, & ad mentem reſpondet interrogantis, & juxta veritatem notitiæ, quæ locum habet in humanis? Unde optime obſervat S. Th. in Suppl. q. 11. a. 1. ad 1. *Quod ſub confeſſione ſcitur*, *eſt quaſi neſcitum*, *cum illud non ſciat aliquis ut homo*, *ſed ut Deus*: Et iterum ad 3. *Homo non adducitur in teſtimonium niſi ut homo*, *& ideo ſine læſione conſcientiæ poteſt jurare ſe neſcire*, *quod ſcit tantum ut Deus*, ideſt notitia, quæ ad hæc inferiora, & terrena pertineat, juxta quam illa ordinari debeant & dirigi: quod confirmat exemplo Abbatis, qui Prioris ſui delictum confeſſione ſciens, nec punire illum ullo modo debet, nec dignitate privare, ſubdens: „ Poteſt Prælatus ſine læſione conſcientiæ dimittere peccatum impunitum, quod ſcit tantum ut Deus, vel ſine aliquo remedio: quia non tenetur adhibere remedium, niſi eo modo quo ad ipſum defertur. Unde in his, quæ ad ipſum deferuntur in foro pœnitentiæ, debet in eodem foro, in quantum poteſt adhibere remedium; ut Abbas in caſu prædicto debet eum admonere, ut Prioratum reſignet “. Hac igitur poſita veriſſima ratione jam patet notitiam Confeſſarii paritate rationis non poſſe æqualiter ad alios extendi, qui ratione alicujus muneris vel Conſiliarii, vel a Secretis Principum ad ſecretum tenentur, ſed ita debent & ſacramentum regis abſcondere, ut mendacium vitent, cum illa quantumvis arcana notitia & terrena ſit ad hæc temporalia negotia dirigenda ordinata.

Si vero interrogetur reduplicative, ut Confeſſarius, tunc licet aliqui Theologi adhuc docere non dubitent, reſpondere poſſe ſe neſcire, nihilominus patet manifeſte eo in caſu mentiri, cum revera coram Deo, & hominibus illud ut Confeſſarius reſciat, proinde ſi negationem ſuam juramento confirmaret, perjurii reus foret. Itaque vel interrogatio ex ignorantia, & ſimplicitate interrogantis oritur, ut contingere poteſt in Matre, quæ ſollicita de ſalute animæ filiæ ſuæ ſtuprum paſſæ ad Confeſſarium eam adducit, ut patrati delicti per abſolutionem obtineat veniam, quæ poſtmodum & ipſa ad eumdem Confeſſarium accedens, & dolorem ſuum oſtendens ob facinus a filia patratum, poſtulat, num ſaltem ſincere illud in confeſſione aperuerit. Cui ſi reſpondeat ſe neſcire ſtuprum filiæ, eam in ſuſpicionem inducet ſacrilegæ confeſſionis, ſi vero dicat ſincere confeſſam peccatum ſuum, ſigillum ſacrilege infringet: reſpondere itaque Matri debet; ut propria ipſa pandat peccata, & de alienis non inquirat. Si vero qui interrogat, ſacrilegus ſcrutator ſit, amarioribus verbis, & aſpera redargutione eſt repellendus, & nullam ab ipſo eſſe reſponſionem ſacrilegæ interrogationi expectandam regerat.

Conſectarium Quartumdecimum.

XIV. Quando licitum eſt legitima æquivocatione uti juſta urgente cauſa ad celandam veritatem, quam quis naturali jure tegere cogitur, tamen non ſine aliqua perverſione, & inordinatione juramentum additur. Quandoquidem licet falſum non juretur, nam ſuppono verba exterius verum reddere ſenſum, quem mente habes, & facile eo in ſenſu ab alio poſſe intelligi ſi experrectus ſit; nihilo tamen ſecius juramenti finis pervertitur: nam juramentum inſtitutum eſt ad veritatem detegendam, & ad homines de ea certos omnino reddendos, adeo ut nil ultra quærendum non ſit: porro ſi juramentum æquivocationi etiam licitæ adjungatur, jam veritas non aperitur, ſed tegitur, non panditur, ſed occultatur. Utique dices, ſed ex motivo virtutis ita exigente juſtitia, æquitate, caritate. Non abnuo, ſed rurſus ambigo, num liceat ad veritatem occultandam ex juſtitia, æquitate, caritate, medium adhibere plane ad contrarium uſum invectum? Auguſtinus certe aliter ſentiebat, dum ad Alipium epiſt. 125. ſcribebat: „ Illud ſane certiſſime dici non ambigo, non ſecundum verba jurantis, ſed ſecundum expectationem ejus cui juratur,

„ ratur, quam novit ille qui jurat fidem juratio-„ nis impleri. Unde perjuri ſunt, qui ſervatis „ verbis (*ideſt artificioſe ſelectis*) expectationem „ eorum quibus juratum eſt deceperunt “. Quod & repetit epiſt. 126. „ Expectationem ejus cui „ juratur quiſquis deceperit, non poteſt non eſſe „ perjurus “, non quidem perjurio veritati oppoſito; ſupponit enim verborum veritatem ſervari, ſed perjurio fini jurisjurandi adverſo. Vim hujus Auguſtinianæ doctrinæ perſenſit doctiſſimus vir Franzoja, quam ut declinaret reſpondet, D. Auguſtinum loqui de juramentis, quæ jure exiguntur, quibuſque pacta, & fœdera confirmantur. Verum hujuſce explicationis nullum affert argumentum, nullam confirmationem, & propterea menti adverſatur Auguſtini; ibi enim agit de juramento, quod non jure, nec ad pacta, & fœdera confirmanda, ſed propria voluntate Pontianus emiſerat de non ſuſcipiendo Presbyteratu niſi in Eccleſia Hipponenſi, quod non ſponte emiſſum, ſed ex vi & avaritia extortum a populo, nonnulli conquerebantur, proinde ad illud non teneri autumabant, ad quod tamen ſervandum præfata doctrina teneri oſtendebat Auguſtinus.

Conſectarium Quintumdecimum.

XV. Falſam habendam puto doctrinam, quam ex P. Henno recitat, & exſcribit P. Boranga Tract. de Virt. Relig. cap. 5. §. 24. Nota 2. ubi hæc habet: „ Si juramento ab aliquo exigatur „ de non adhibenda reſtrictione, deberet conſtan-„ ter negare juramentum, quia nullus homo te-„ netur rationem reddere de internis ſive in ju-„ dicio, ſive extra, ſive legitime, ſive illegiti-„ me interrogetur. Si tamen diſtricto gladio ad „ id cogeretur, in caſibus, in quibus ei liceret „ reſtrictio late mentalis, jurare poſſet etiam cum „ alia reſtrictione propter eaſdem rationes, quas „ ipſi jurare liceret “.

Plura ſunt in hiſce verbis, quæ mihi a vero aberrantia videntur. Nam 1. quod homo non teneatur reddere rationem de internis, uſque dum mere interna ſunt, non abnuo; at quoties interna ita ſunt cum externis connexa, ut de iſtorum veritate certus eſſe non poſſim, niſi & illa mihi ſint comperta, quomodo nullo jure tenetur quis, ſi legitime interrogetur, etiam quid interne ſentiat candide aperire? Adoleſcens Virgini pollicetur etiam ſacramento addito ſe eam in uxorem ducturum. Illa de fraude ſuſpicans interrogat, dicis ne ex animo, ex corde, & ſincere? Porro quis ambigat illum teneri internum animi ſenſum candide pandere? Quod multo magis verum eſt, ſi hæc interrogatio fiat a Judice legitime a teſte poſtulante, num vere quod intime ſentit exponat, & deponat; nam quomodo reſpondere poterit ſe non teneri rationem reddere de internis etſi legitime interrogetur? 2. Si diſtricto gladio te cogat ad reſpondendum ſine ulla æquivocatione etiam licita, injuriam irrogabit, quam repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ poteris, at mentiendo omnino non poteris; mentieris autem, & pejerabis ſi dicas, & jurejurando teſteris, te ſine ulla æquivocatione reſpondere, & eodem tempore cum æquivocatione reſpondeas. Quid quod reſtrictiones late mentales ſunt ne in quacumque re infinitæ, adeout una excluſa non deficiat altera? Et homini mente perturbato, & mortem timenti adeo in promptu erunt, ut nec mentiatur, & hoſtem fallat? Quid ergo ſi deſint iſtæ reſtrictiones, ſagaces æquivocationes late mentales, erit ne aperienda veritas quæ mortem pariat? Nonne licebit tunc ad reſtrictiones pure mentales confugere, quæ profecto infinitæ ſunt, vel in infinitum multiplicabiles, cum nulli negationi deſit ſaltem illa *ad tibi dicendum*, vel illa, verum, vel falſum eſt prout expedit reſpondere ſubintelligendo *ſcientia communicabili*. Ita profecto errent neceſſe eſt, qui veritate deſerta in mendacibus æquivocationibus ſpem ſuam ponunt. Diligamus igitur veritatem, & veritas liberabit nos.

CAPUT QUINTUM.

De duabus aliis conditionibus judicio, *&* juſtitia *ad juramenti aſſertorii honeſtatem requiſitis: nec non de prava jurandi conſuetudine.*

DOCTRINA.

I. *Quid judicii, quid juſtitiæ nomine in juramento intelligatur.*
II. *Defectus juſtitiæ dupliciter in juramento contingere poteſt.*
III. *Quotieſcumque in juramento aſſertorio deficit juſtitia, non eſt ſemper lethale peccatum.*
IV. *Peccant lethaliter qui commiſſa crimina de illis gloriando, & gaudendo juramento confirmant.*
V. *Defectus judicii quando habeatur in juramento.*
VI. *Periculum affert perjurii.*
VII. *Conſuetudo jurandi.*
VIII. *De conſuetudinis gradu. Regulæ nonnullæ.*
IX. *Regula* 1.
X. *Regula* 2.
XI. *Regula* 3.
XII. *Regula* 4.

I. CUM Dominus per os Jeremiæ juſſerit præter veritatem etiam *judicium*, *& juſtitiam* tamquam comites ſemper eſſe jurijurando conſociandas, quid judicii, quid juſtitiæ nomine intelligendum ſit, explicat D. Tho. hic quæſt. 89. art. 3. ſcribens: „ Juramentum non eſt bonum „ niſi ei qui bene utitur juramento. Ad bonum „ autem uſum juramenti duo requiruntur. Pri-„ mo quidem quod aliquis non leviter, ſed ex „ neceſſaria cauſa, & diſcrete juret: & quantum „ ad hoc requiritur judicium, ſcilicet diſcretio-„ nis ex parte jurantis. Secundo quantum ad id „ quod per juramentum confirmatur, ut ſcilicet „ neque ſit falſum, neque ſit aliquid illicitum: „ & quantum ad hoc requiritur veritas, per quam „ aliquis juramento confirmat, quod verum eſt, „ & juſtitia, per quam confirmat, quod licitum „ eſt. Judicio autem caret juramentum incau-

„ tum

„ tum; veritate autem juramentum mendax; ju„ ſtitia autem juramentum iniquum, ſive illici„ tum “. Nomine itaque judicii non actus juſtitiæ deſignatur, ſed prudens conſideratio, qua quis attente perpendit utilitatem, & neceſſitatem juramenti, ne pro re leviſſima juret, & abſque ulla neceſſitate. Juſtitia vero deſignat excluſionem a materia per juramentum confirmanda cujuſque pravitatis, adeout nunquam juramento confirmetur aliquid iniquum, improbum, & cuicumque virtuti adverſum.

II. Porro defectus juſtitiæ dupliciter in juramento contingit, nimirum 1. ſi quis actionem iniquam & criminoſam ſe perpetraturum jurejurando confirmet, ut cum Actor. 23. v. 12. quidam ex Judæis devoverunt ſe dicentes: *Devotione devovimus nos nihil guſtaturos donec occidamus Paulum*: & hoc pertinet ad juramentum promiſſorium, de quo infra. Alio modo juramento confirmando aliquid iniquum, vel a jurante vel ab alio perpetratum, ut cum quis ad puellam infamandam jurat, ſe vel alium eam conſtupraſſe, quod quidem verum licet ſit, in dedecus tamen & infamiam redundat puellæ.

III. Quotieſcumque in juramento aſſertorio deficit juſtitia, non ſemper eſt lethale peccatum, ſed juxta qualitatem rei malæ, quæ juramento confirmatur, modo veniale eſt crimen, modo lethale; qui enim rem venialiter malam a ſe vel ab alio perpetratam juramento confirmat non deficiente veritate, venialis culpæ terminos non tranſilit. At ſi res perverſa, quæ juramento confirmatur, ſit grave peccatum, profecto lethale quoque crimen eſt eam juramento confirmare. Sic itaque qui proximi occultum crimen revelat, & ad fidem ſuæ detractionis faciendam addit juramentum, duplex peccatum peccat, & adverſus caritatem proximi, & adverſus juſtitiam juramenti, gravem irrogando Deo injuriam, cujus ſancto abutitur nomine ad pondus detractioni & infamiæ proximi adjiciendum.

IV. Quod ſi juramento confirmes crimen tuum, de ejus perpetratione gloriando, & non ſine complacentia, ut cum libidinoſi jurejurando affirmant, ſe pluries cum pulcherrimis mulieribus concubuiſſe, milites ſe cum pluribus duello decertaſſe, latrones plures ditiſſimos ſpoliaſſe, & ſimilia: nonnulli, inter quos Salmanticenſes & P. Cuniliati, putant, licet mortaliter peccent de re peſſima & gaudendo & exultando, nonniſi tamen venialiter peccare in jurejurando interpoſito, quippe quia juramentum, inquiunt, non reſpicit complacentiam de peccato commiſſo, ſed ad veritatem confirmandam aſſumitur. Verum mihi oppoſita ſententia longe probabilior videtur; nam etſi injuria non irrogetur Deo, eum invocando in teſtem falſitatis, gravis tamen irrogatur in teſtem appellando rei malæ de qua gloriaris, quæ licet vera ſit, non deſinit eſſe mala, & Deo ſummopere odibilis: hinc ſi hocce juramentum tuum complacentiam non reſpicit, comitatur tamen, ac proinde magis Deo odibilem reddit. Præterea nonne iſti Theologi ſponte concedunt, juramento confirmantem alterius crimen, quod occultum eſt, cum denigratione famæ proximi lethaliter peccare, & tamen juramentum non denigrationem famæ proximi immediate reſpicit, ſed veritatem commiſſi criminis quam comitatur proximi infamia? ita pari pacto licet jusjurandum de proprio ſcelere perpetrato facti reſpiciat veritatem, comitatur tamen complacentiam & jactantiam lethalem de eo crimine quod jurejurando confirmat: & revera hominis pii & chriſtiani horrent aures cum audiunt ſceleſtos iſtos nedum de ſua iniquitate glorìantes, ſed Deum in teſtem de illorum patratione invocantes.

V. Defectus vero judicii habetur, cum quis ſine juſta cauſa, & neceſſitate Deum in teſtem adhibet, cum enim juramentum inſtitutum ſit, ut inquit S. Thom. hic q. 89. a. 2. „ ex parte finis „ ad juſtificandum homines, & ad finiendas con„ troverſias, cedit in malum alicui ex eo quod „ male utitur eo, ideſt ſine neceſſitate & cautela „ debita. Videtur enim parvam reverentiam ha„ bere ad Deum, qui eum ex levi cauſa teſtem „ inducit; quod non præſumeret etiam de aliquo „ viro honeſto “. Duæ igitur neceſſariæ ſunt conditiones, ut ex parte judicii honeſtum ſit, & religioſum jusjurandum, nimirum primo rei veritatem non alia via probari poſſe, in vanum enim nomen Dei aſſumeret qui juraret ſe in crumena pecuniam habere, cum ipſam pecuniam poſſit oſtendere. Altera ut confirmatio veritatis cedat vel in utilitatem publicam, vel ſaltem in privatam vel jurantis, vel proximi. Hujus autem vel neceſſitatis, vel utilitatis varii ſunt gradus, aliqua tamen utilitas ſit in juramento ad ejus honeſtatem oportet, quæ tamen ſi deficiat, non erit lethale peccatum, dummodo tamen res vera ſit, juſta, & licita.

VI. Ita quidem ſi defectus judicii in ſe ſpectetur; verum illud eſt attente perpendendum, quod ſtatim ſubdit Angelicus, nimirum ex eo defectu *imminere periculum perjurii: quia de facili homo in verbis delinquit ſecundum illud* Jacobi 3. 2. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. *Unde & Eccl. 23. 9. dicitur*: Jurationi non aſſueſcat os tuum: multi enim caſus in illa “. In quibus verbis duo indigitat mala, quæ ex levitate jurandi oriri poſſunt, nimirum primo ut labatur in lingua, ut iterum animadvertit q. 89. art. 3. ad 3. „ In juramento eſt periculum „ magnum ... propter labilitatem linguæ huma„ næ “; ſecundo ne prava conſuetudo jurandi inducatur: & de primo quidem ſic docet q. 89. a. 3. ad 2. „ Ille qui ex lapſu linguæ falſum ju„ rat, ſi quidem advertat ſe jurare, & falſum eſ„ ſe quod jurat, non excuſatur a peccato morta„ li, ſicut nec a Dei contemptu; ſi autem hoc „ non advertat, non videtur habere intentionem „ jurandi, & ideo a crimine perjurii excuſatur “. De altero vero ſic docet ibid. q. 89. a. 2. ad 1. „ Apoſtolus in epiſtolis ſuis jurans oſtendit, quo„ modo accipiendum eſſet quod dictum eſt “: Dico vobis, non jurare omnino: „ ne ſcilicet ju„ rando ad facilitatem jurandi perveniatur, & ex „ facilitate jurandi ad conſuetudinem, & a con„ ſuetudine ad perjurium decidatur. Et ideo non „ invenitur juraſſe niſi ſcribens, ubi conſideratio „ cautior non habet linguam præcipitem. “

VII. De hac vero prava jurandi conſuetudine, quæ ferme totum chriſtianum orbem occupavit, nonnulla ſunt ad ſacrorum Miniſtrorum doctrinam & inſtitutionem tradenda. Et primo quidem jurandi conſuetudinem appello illam pendentiam, impetum, & habitudinem ex frequentatis juramenti actibus inductam. Hanc de ſe & abſolute malam nullus eſt qui ambigat, cum eam & Scripturæ, & Patres interdicant, deteſtentur, horreant. Eccleſiaſt. 23. *Jurationi non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa*. Et paulo infra: *Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non diſcedet a domo illius plaga:* & huc ſpectat monitum Apoſtoli Jacobi cap. 5. ſcribentis: *Ante omnia autem fratres nolite jurare per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem ſermo veſter, eſt eſt, non non*. Quæ verba expendens D. Auguſtinus ſerm. 180. de Verb. Apoſt. ſcribit: " Quare ante omnia? iſto „ verbo quod ait ante omnia cautos vos facit adverſus linguam veſtram, ut vigiletis, ne ſubrepat vobis conſuetudo jurandi ". Et S. Ambroſ. de Exhort. Virginit. cap. 11. „ Qui non jurat, utique non pejerat, qui autem jurat, aliquando neceſſe eſt incidat in perjurium, quia omnis homo mendax. Noli ergo jurare, ne incipias pejerare ". Cujus rei optimam reddit rationem D. Thomas uſum & neceſſitatem juramenti expendens, & declarans hic q. 89. art. 5. „ Id quod non quæritur niſi ad ſubveniendum infirmitati, vel defectui, non numeratur inter ea quæ ſunt neceſſaria; ſicut patet de medicina, quæ quæritur ad ſubveniendum infirmitati. Juramentum autem quæritur ad ſubveniendum alicui defectui, quo ſcilicet unus homo alteri diſcredit. Et ideo juramentum non eſt habendum inter ea, quæ ſunt per ſe appetenda, ſed inter ea, quæ ſunt huic vitæ neceſſaria, quibus indebite utitur quicumque eis utitur ultra terminos neceſſitatis ".

VIII. Porro hæc jurandi conſuetudo in quadruplici veluti ſtatu ſeu gradu ſpectari poteſt. Et primo quidem illorum, qui frequenter quæ falſa norunt advertenter jurant. 2. Qui paſſim jurant, ſed animadvertentes, & caventes ne falſum jurent. 3. Illorum, qui ſe quidem jurare optime norunt, at num verum ſit, vel falſum quod jurant flocci faciunt. 4. Denique qui ita ſunt hoc pravo abrepti habitu, ut nec ad veritatem rei, nec ad ipſum juramentum advertunt. De his itaque ſequentes ſunt Regulæ ſtatuendæ.

IX. Regula 1. Qui prava eſt irretitus conſuetudine jurandi falſum advertenter, eſt in ſtatu peccati lethalis, nec capax eſt abſolutionis, niſi hanc conſuetudinem abjiciat. Vix confirmatione indiget hæc regula, cum de ſe aperta ſit, nam plures in ea manifeſte apparent malitiæ, nimirum prima, advertentia de falſitate juramenti; ſecunda, prava voluntas pejerandi; tertia denique, ipſa conſuetudo, quæ eſt ferme continuum peccatum. Eapropter tali irretitus pravo habitu adeo tenetur illud exuere, & abjicere, ut quotieſcumque animadvertens ſuam pravam conſuetudinem negligit eam deponere, peccet; quemadmodum delinquit ille, qui calumniam, qua graviter innocentis famam læſit, non revocat, quotieſcumque revocare valens, & opportunam nactus occaſionem negligit & recuſat. Num autem ſit in confeſſione ſpecifice exponendum, dicemus in corollariis.

X. Regula 2. Qui paſſim & frequenter jurant, licet caveant ne falſum jurent, peccant tamen lethaliter. Ratio eſt, quia ſe conſtituunt in periculo proximo pejerandi, & ipſis moraliter impoſſibile eſt ſemper ea cautione & attentione jurare: porro quilibet jure naturæ tenetur periculum proximum peccandi a ſe avertere, licet nondum peccaverit; non enim eſt expectanda luctuoſa experientia lapſus & criminis, ad averruncandam peccandi occaſionem proximam, & removendi criminis proximum periculum. Quod vero ipſa conſuetudo jurandi, proximam conſtituat occaſionem, proximumque periculum pejerandi, nedum imperitus ſit oportet, ſed & impius qui neget, cum & Scripturæ clariſſimis contradicat teſtimoniis, & SS. Patrum dicta & monitiones temerarie aſpernetur. Præter ea quæ ſuperius attulimus teſtimonia, lubet hic verba addere Auguſtini loco ſup. laud. de Verb. Apoſtoli, hanc conſuetudinem mortiferam appellantis. „ Nolles (*ſcribit*) ut diceret tibi, *ante omnia*, ut te adverſus conſuetudinem intentiſſimum redderet, ut omnia tua inſpiceres, omnes motus linguæ tuæ cuſtodires, eſſes cuſtos malæ conſuetudinis tuæ. Ad eam conſtringendam audi *ante omnia*. Dormiebas, pungo, *Ante omnia*. Spinas admoveo. Quid eſt *ante omnia? Ante omnia* vigila, *ante omnia* intentus eſto. Juravimus & nos paſſim, habuimus iſtam teterrimam conſuetudinem, & mortiferam. Dico caritati veſtræ, ex quo Deo ſervire cœpimus, quantum malum ſit in perjurio vidimus, timuimus vehementer, & veternoſiſſimam conſuetudinem timore frænavimus ". Et S. Præſulem non de pejerandi conſuetudine loqui, ſed jurandi oſtendunt quæ ſubdit: „ Sed aliud habet humana peſſima conſuetudo. Et cum tibi creditur juras, & cum nemo exigit juras, & horrentibus hominibus juras, non taces jurando, *VIX ES SANUS* non perjurando. Iſtam ergo conſuetudinem quotidianam, crebram, ſine cauſa, nullo extorquente, nullo de tuis verbis dubitante jurandi, avertite a vobis, amputate a linguis veſtris, circumcidite ab ore veſtro ". Cum iſtis itaque ita ſe gerat prudens Confeſſarius. 1. De divini nominis profanatione objurget, & de proximo pejerandi, in quo verſantur, periculo moneat, a quo ſi reſilire pollicentur, abſolvi prima vice poſſunt; & ſi quidem jurandi frequentiam ſemper minuant, non ſunt ſine abſolutione dimittendi, ſed iterum hortandi, ut hanc pravam radicem omnino exterminent. Si vero nullum appareat emendationis veſtigium, nullam, vel modicam adhibitam ad pravum evitandum habitum diligentiam deprehendat, abſolutionem differat, & ab Euchariſtiæ participatione removeat. Quandoquidem ille in proximo periculo & voluntaria proxima occaſione pejerandi perſeverare velle oſtendit, proinde nec peccatum deteſtari, nec Dei offenſæ vitandæ propoſitum in animo habere, indignum proinde eſſe abſolutione, & ſacræ menſæ participatione.

XI.

XI. Regula 3. Qui ita jurandi conſuetudine abripiuntur, ut nec ſe jurare advertant, nec ad rei juratæ veritatem vel falſitatem attendant, & actu peccant dum jurant, & peccandi conſuetudinem tenentur abjicere. Non deſunt quidem Theologi, qui cenſent, hujuſmodi juramenta indeliberata non eſſe peccata lethalia in ſe, ſed ſolum in ſua cauſa. Sed certe a vero aberrant. Quandoquidem hujuſmodi perjuria, ut diximus Tract. 3. cap. 4. Conſect. 10. licet non ſint voluntaria directe, ſunt tamen indirecte volita in ipſa prava conſuetudine, libere, & voluntarie, & culpabiliter retenta, & hoc ſufficit ad actionem criminoſam actu conſtituendam. Recolantur quæ hac de re late diximus loc. mox cit. cap. 3. Nec admittenda videtur Salmanticenſium ſubtilis diſtinctio inter hominem non advertentem nec ad juramentum, nec ad rei juratæ veritatem, & alium ad juramentum quidem advertentem, non tamen ad juramenti malitiam, & rei juratæ falſitatem; & hujus quidem juramenta peccata eſſe fatentur, nedum in ſua cauſa, ſed in ſeipſis, at prioris perjuria nec in ſe, nec in ſua cauſa cenſent eſſe peccata. At profecto inepte, & falſa ratiocinatione; quandoquidem ſi prava jurandi conſuetudo non impedit, quin peccet qui rei juratæ veritatem conſiderare omittit, cur impediet ne peccet qui non conſiderat an juret nec ne, quandoquidem utrumque ex eadem culpabili & voluntaria mala radice profluit pravæ conſuetudinis retentæ; ideo enim falſum jurat, quia ex culpabili jurandi conſuetudine ad rei veritatem non advertit, & ideo etiam falſum jurat, quia ex eadem prava conſuetudine non advertit ſe jurare; ſi eadem itaque in utraque juratione & cauſa & malitia, cur diſpar effectus? Et revera & ipſe benigniſſimus Sanchezius hanc veritatem agnovit, qui lib. 3. cap. 5. n. 14. ſcribit: „ Nihil diſcriminis eſt inter inadvertentiam ad juramentum, & ad ipſius veritatem, cum utraque ſit æque voluntaria in ſua cauſa, nempe in conſuetudine jurandi inadvertenter, & utraque æquali periculo incidendi in perjuria exponat, & utrique caſui accidat veritas rei jurata “.

XII. Regula 4. Qui prava conſuetudine jurandi detinentur, ex qua ſæpe in perjuria lapſi ſunt, nec prima vice ſunt abſolvendi, niſi experientia de eorum emendatione conſtet. Nam, ut animadvertit D. Auguſtinus ſerm. 26. de Verb. Apoſt. hæc prava conſuetudo majorem expoſtulat cautelam. *Præ cæteris* (ſcribit) *cautus eſto. Plus ad hoc intentus eſto, quam ad alia, major conſuetudo majorem intenſionem flagitat.* Porro ad hanc majorem vigilantiam, cautelam, intenſionem quammaxime conducet abſolutionis dilatio, qua pœnitentes ſalubriter terrentur, & cautius vigilant. Quod ſi hoc non ſatis eſſe perſpicias, ſed pœnitens adhuc inemendatus revertatur, remedium aliud adhibe, quod proponit D. Jo. Chryſoſt. hom. 5. ad populum Antiochenum: „ Vis diſcere (*ſcribit*) quomodo ab improba conſuetudine liberari liceat? Ego te quemdam docebo modum, quem ſi tenueris, ſuperabis omnino. Cum videris teipſum, vel alium quemque vel ſervorum, vel filiorum, vel uxorem hoc malo captos, jube non pranſos cubare, & hanc tibi, & illis damnationem impone “.

CAPUT SEXTUM.

Conſectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Juramenta hyperbolica prava ſunt defectu judicii.*
II. *Non eſt perjurii reus qui falſum jurat putans eſſe verum.*
III. *Sicut qui ex lapſu linguæ pejerat.*
IV. *Refellitur doctrina P. Viva.*
V. *Conſuetudo jurandi eſt in confeſſione aperienda. Reflexio.*

Conſectarium Primum.

I. Judicii ſaltem defectu improbanda ſunt juramenta hyperbolica, ut cum quis jurat infinitas ſe pati ærumnas, alium eſſe immenſis divitiis locupletem, & ſimilia, quia licet in his fortaſſis veritas non lædatur, ſunt enim intelligenda hyperbolica verba ſano ſenſu, ſunt tamen incauta & imprudentia, & quod etiam pejus eſt, ſine ulla neceſſitate adhibita, proinde vitanda atque fugienda.

Conſectarium Secundum.

II. Qui non ex conſuetudine paſſim jurat, aliquando tamen ſine neceſſitate juſtaque de cauſa jurat, non eſt lethalis peccati reus exiſtimandus, ſi quod verum eſt, vel eſſe legitime arbitretur, jurejurando confirmat, licet fortaſſis falſum ſit. Ita docet S. Antoninus 1. par. diſt. 14. cap. 4. ſcribens: „ Requiritur judicium, ut ſcilicet non juretur niſi in caſu neceſſitatis, vel magnæ utilitatis .... alias jurando leviter, ut communiter ſit, etſi verum ſit, & licitum quod juratur, eſt peccatum, non tamen mortale, niſi forte in contemptum “.

Conſectarium Tertium.

III. Qui non ex conſuetudine jurandi, ſed ex repentina aliqua ſubreptione jurat ex lapſu linguæ, ſi non advertat, a perjurio poterit excuſari. Ita S. Th. hic q. 98. a. 3. ad 2. ſcribens: „ Qui ex lapſu linguæ falſum jurat, ſi quidem advertat ſe jurare, & falſum eſſe quod jurat, non excuſatur a peccato mortali, ſicut nec a Dei contemptu; ſi autem hoc non advertat, non videtur habere intentionem jurandi, & ideo a crimine perjurii excuſatur “.

Conſectarium Quartum.

IV. Falſa habenda eſt doctrina P. Dominici Viva docentis, habentem conſuetudinem tum jurandi, tum mentiendi, ſed non conjungendi mendacium cum juramento non teneri talem conſuetudinem extirpare, ſi quotieſcumque jurat, cavet,

ne cum juramento mendacium jungat. Nam ſi, ut ſuperius diximus Regula 2. etiam qui ſine conſuetudine mentiendi paſſim tamen & ex habitu jurat, licet a perjurio caveat, peccat, quippe qui ſe in proximo conſtituit peccandi periculo, quanto magis qui pravæ conſuetudini pravum habet adjunctum mentiendi habitum? moraliter enim ipſi impoſſibile efficitur, ut ex conſuetudine jurandi in perjurium non incidat, & ex conſuetudine mentiendi mendacium cum juramento non jungat.

Conſectarium Quintum.

V. Conſuetudo jurandi falſum vel indifferenter verum & falſum culpabiliter retenta, eſt in confeſſione aperienda. Patet manifeſte tum ex propoſitione 58. ab Innoc. XI. damnata, quæ dicebat: *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem*: tum ex ipſa natura conſuetudinis retentæ, quæ cum peccatum lethale ſit ab ipſo perjurio diſtinctum, eſt profecto ad integritatem confeſſionis aperiendum. Quod verum cenſeo non ſolum quando ipſa prava conſuetudo ſtudioſe retinetur, & adprobatur, ſed etiam quando pœnitens negligit, & ex quadam veluti deſperatione eam evellere non curat; tunc enim adhuc verum eſt, eam conſuetudinem, quam culpabiliter agnoſcit, foveri, & retineri voluntarie, & a munere ſuo deficere, & debito eum expellendi, ad quod tamen ex præcepto divino & naturali urgetur.

REFLEXIO.

Quis Chriſtianus vehementer non doleat, & uberrimis lacrymis non deploret pravam illam conſuetudinem divinum nomen paſſim aſſumendi in teſtimonium, quæ apud Chriſtianos late ſerpit, dilatatur, adeo ut omnia pene ora occupet? Jurant pueri, & puellæ, quæ & ipſa jurisjurandi verba nonniſi balbutiendo effutiunt; jurant juvenes, adoleſcentes, viri, ſenes; jurant plebeii, nobiles, Religioſi, Clerici, Sacerdotes. Reſonant juramentis Vici, Domus, Plateæ, Officinæ, Fora, Compita. Jurejurando confirmantur narrationes ineptæ, gerræ, nugæ, detractiones, calumniæ, immo & ipſa facinora vel perpetrata, vel perpetranda, ſubdolæ roborantur pollicitationes, iniqui contractus, injuſtæ commutationes confirmantur jurejurando. Hinc deflebat olim Auguſtinus ſerm. 28. de Verb. Apoſt. ſcribens: „ Quis eſt homo, cui non ſubrepat fallacia? Et „ tamen juratio ab ore non diſcedit, frequenta- „ tur, plura ſunt plerumque juramenta quam „ verba. Si diſcutiat homo quoties juret per „ totum diem, quoties ſe vulneret, quoties gla- „ dio linguæ ſe feriat, & transfigit, quis in il- „ lo locus invenietur ſanus “.

II. Sed *heu heu* (ut verbis utar S. Thomæ de Villanova conc. 6. Dom. 4. Quadrag.) *ventrem meum doleo. In domo Dei horrendum vidi: Paſtores Domini ſuas oves jugulantes, medicos populi ſuos ægrotos occidentes: Judices turpibus blandientes*: Sed quinam hi ſunt? Illi profecto Theologi, qui docent 1. conſuetudinem culpabiliter retentam jurandi falſum deliberate, ſeu indifferenter verum & falſum, probabilius non eſſe peccatum diſtinctum aperiendum in confeſſione ab ipſo peccato actuali perjurii. 2. Moraliter minus deliquiſſe cenſendum eſſe, qui conſuetudinis contractæ impetu pejeravit, quamvis deliberate, quam qui plena & ſpontanea mente ac libertate. 3. Impertiendam eſſe abſolutionem volenti & proponenti ceſſationem peccati, & nullam externam habenti occaſionem quantumcumque conſuetudini peccandi addicto. 4. Qui ex inveterata conſuetudine advertenter jurat falſo, ſatis eſt dicere, ſemel juravi falſum, quin neceſſe ſit addere id fuiſſe ex mala conſuetudine. 5. Qui negative ſe habent ad expellendam pravam jurandi conſuetudinem, vel de ea extirpanda deſperant, quod ſane non rarum eſt, non eſſe de ſpeciali peccato arguendos a Confeſſariis, ne nimium vexent conſcientias afflictas. 6. Conſuetudinarium in pejerando, etſi ſæpe promiſerit, & emendatus nunquam fuerit, abſolvi poſſe, dummodo dolorem habeat, & emendationem ore promittat. 7. Perjuria ſine plena deliberatione prolata, ſed ex inveterata conſuetudine pejerandi proficiſcentia non eſſe in ſe peccata, ſed ſolum in cauſa. Hiſce igitur vigentibus laxis doctrinis, quid mirum ſi adeo ſerpat prava jurandi conſuetudo?

III. Sed audiant hi Theologi, confundantur, & erubeſcant, quid doceat non Auguſtinus, non Chryſoſtomus, non aliquis ex Patribus, ſed Calvinus lib. 2. Inſtit. cap. 8. §. 25. „ Vile, & vul- „ gare reddi Dei nomen, cum veris quidem, ſed „ ſupervacaneis juramentis adhibetur, ſiquidem „ accipitur hic quoque in vanum. Quare non „ ſatis fuerit a perjurio abſtinere, niſi ſimul me- „ minerimus, jusjurandum non libidinis, aut vo- „ luptatis, ſed neceſſitatis cauſa permiſſum & „ inſtitutum, ideoque extra licitum illius uſum „ egredi, qui rebus non neceſſariis accommodat. „ Qua in re nimis licentioſe hodie delinquitur, „ eoque intolerabilius, quod aſſuetudo ipſa pro „ delicto imputari deſiit, quod certe apud Dei „ tribunal non parvi æſtimatur. Paſſim enim „ promiſcue temeratur Dei nomen in nugacibus „ colloquiis, nec male fieri putatur, quod in „ tantæ improbitatis poſſeſſionem longa, & im- „ punita audacia ventum eſt. Manet tamen ra- „ tum Dei mandatum, & manet firma ſanctio, „ & effectum ſuum etiam obtinebit, qua pecu- „ liaris quædam vindicta in eos edicitur, qui „ fruſtra nomen ipſius uſurpaverint “.

IV. Auguſtini itaque monitum teneant fideles, ſollicite ſervent Miniſtri Domini: „ Con- „ ſuetudinem quotidianam crebram ſine cauſa, „ nullo extorquente, nullo de tuis verbis du- „ bitante, jurandi, avertite a vobis, ampu- „ tate a linguis veſtris, circumcidite ab ore „ veſtro. Sed conſuetudo eſt, dici ſolet. So- „ let dici quando non dico hoc eſt ante omnia. „ Quid eſt ante omnia? Præ cæteris cautus eſto, „ plus ad hoc intentus eſto, quam ad alia. Ma- „ jor conſuetudo majorem intenſionem flagitat, „ non rei levis conſuetudo. Si de manu aliquid „ fa-

„ faceres, facilius manui tuæ imperares ne faceret, ſi pedibus aliquo eundum eſſet, pigritia retardante, excitares te ut ſurgeres, & ires. Lingua facilitatem habet motus, in udo poſita eſt, facile in lubrico labitur. Quanto illa citius & facilius movetur, tanto tu adverſus illam firmus eſto. Domabis ſi vigilabis, vigilabis ſi timebis, timebis ſi chriſtianum te eſſe cogitaveris ".

CAPUT SEPTIMUM.

De juramenti promiſſorii indole, & de veritate, judicio, & juſtitia in eo requiſitis.

DOCTRINA.

I. *Juramentum promiſſorium duplicem reſpicit veritatem.*

II. *Juramentum promiſſorium vel ſoli Deo fit, vel etiam proximo.*

III. *Ex promiſſione jurata obligatio gravis conſurgit.*

IV. *Num ſit major obligatio voti vel juramenti.*

V. *Debet eſſe in juramento promiſſorio intentio ſe obligandi vel implicita vel explicita.*

VI. *Perjurus eſt, qui juramento promittit quod vel novit, vel dubitat num implere poſſit, vel velit.*

VII. *Peccant qui rem malam, vel majoris boni impeditivam juramento ſe facturos teſtantur, nec tenentur implere.*

I. CUm juramentum promiſſorium ſit *imploratio divini nominis ad confirmandum aliquid faciendum, & executioni demandandum*, duplicem reſpicit veritatem, aliam videlicet de præſenti, ſeu dicti & promiſſionis, alteram facti, ſeu promiſſi implendi. Ad primam veritatem neceſſe eſt, ut qui jurejurando aliquid pollicetur, animum habeat implendi quod promiſit; altera vero poſtulat, ut quod promiſit, ſuo tempore impleat. Duplici propterea modo juramenti promiſſorii veritatem violare quis poterit, nimirum ſi ficte juret animo non implendi quod jurat, ut frequenter contingit in nobilibus adoleſcentibus, qui puellis inferioris conditionis matrimonium pollicentur, ut hac ſpe illas ſeducant animo poſtea deſerendi; ſecundo ſi vere quidem promiſſionis implendæ animum habeant, at poſtea mutata voluntate, quod polliciti ſunt implere recuſant.

II. Hæc autem promiſſio jurejurando confirmata vel eſt Deo ſolum facta & nota, vel hominibus. Si ſit ſoli Deo facta, duplex vinculum parit, & voti quod in promiſſione continetur, & juramenti ſuperadditi. Fieri tamen poteſt, ut votum etiam a juramento ſejungatur, & viciſſim, ut cum quis Deo caſtitatem vovet, quin votum ſuum juramento confirmet, vel propoſitum concipiat de caſtitate ſervanda, quod poſtea juramento confirmet. Poterit igitur in promiſſionibus Deo factis vel ſolum adeſſe votum, vel ſolum jusjurandum, vel utrumque.

III. Ex promiſſione vero jurata, quæ fit hominibus, obligatio quoque conſurgit, & quidem ex genere ſuo gravis, & ſub lethali peccato, ut aperte docet S. Tho. q. 98. a. 3. ad 1. ſcribens: *Si aliquis non impleat quod coactus juravit, nihilominus perjurium incurrit, & mortaliter peccat.* Immo non una, ſed duplex oritur obligatio, nimirum altera, quæ juſtitiæ eſt ex promiſſione valida & acceptata, altera quæ ob reverentiam interpoſiti juramenti ad religionem pertinet.

IV. Inquirit S. Tho. hic, num major ſit obligatio voti, vel juramenti, & ita in corp. a. 8. q. 89. ſtatuit: „ Dicendum, quod obligatio voti, & juramenti cauſatur ex aliquo divino, aliter tamen, & aliter: nam obligatio voti cauſatur ex fidelitate quam Deo debemus, ut ſcilicet ei promiſſum ſolvamus; obligatio autem juramenti cauſatur ex reverentia, quam debemus ei; ex qua tenemur quod verificemus id, quod per nomen ejus promittimus. Omnis autem infidelitas irreverentiam continet; ſed non convertitur: videtur enim infidelitas ſubjecti ad dominum eſſe maxima irreverentia. Et ideo votum ex ratione ſua magis eſt obligatorium, quam juramentum ".

V. Cum juramentum promiſſorium onus importet implendi quod promiſſum eſt, quod oritur ex privata lege, quam ſibi jurans imponit, dum divini teſtimonii vinculo ſe adſtringit, manifeſtum eſt, neceſſariam eſſe intentionem jurantis ad ſe obligandum, quæ intentio poteſt eſſe, & ſufficit ſi ſit implicita, & virtualis, nec neceſſaria eſt ſemper explicita, & actualis. Plura tamen complectitur hæc intentio, nimirum primo animum jurandi, ſecundo animum promittendi, tertio animum exequendi promiſſum, & animum ſe obligandi. Et primo quidem ſi deſit animus jurandi, peccare lethaliter, & perjurum eſſe ſuperius oſtendimus cap. 1. Secundo, ſi quis juramento aliquid polliceretur ſine animo promittendi, profecto perjurus eſſet, nam deeſſet juramento veritas de præſenti, aliud enim haberet in mente, aliud in verbis; ſicut peccaret mortaliter, & reus eſſet perjurii, qui polliceri quidem vellet, at animum implendi non haberet, quia tunc pariter deeſt veritas de præſenti, quæ reſpicit voluntatem præſentem de re promiſſa implenda; & ſic pariter perjurus eſſet, ſi ſuo tempore quod promiſit non ſolveret, ut in corollariis dicemus. Qui vero polliceretur quidem, ſed animum non conciperet ſe obligandi, immo poſitive obligationem reſpueret, profecto iſte perjurus eſſet habendus, & ad implendum promiſſum foret adigendus; perjurus quidem, quia ut docet Sanctus Thomas hic quæſt. 89. art. 7. „ Si juramentum adhibeatur propter reverentiam divini teſtimonii quod invocatur, obligatur homo ut faciat verum eſſe quod juravit ": porro qui obligationem excludit, hanc veritatem excludit, perjurus ergo eſt; teneretur vero promiſſum implere, quia adhuc obſtringeretur efficere verum eſſe quod juravit.

VI. Similiter perjurus eſſet, qui vel rem, quam ſe præſtare non poſſe prævideret, vel animo dubius eſſet implendi, juramento polliceretur.

Et primum quidem aperte docet S. Th. l. cit. a. 7. ſcribens: *Si res eſt talis, quæ in ejus poteſtate non fuit, deeſt juramento diſcretionis judicium; niſi forte quod erat ei poſſibile quando juravit, reddatur ei impoſſibile per aliquem eventum.* Alterum vero manifeſte patet ex paritate juramenti aſſertorii: ſicut enim qui rem dubiam ut certam juramento confirmat, in perjurium labitur, ita pariter qui promiſſorio jurejurando ſe aliquid certo facturum pollicetur, quod dubitat, vel putat ſe non facturum, perjurium committet; ſicut enim in aſſertorio juramento incerta eſt veritas præſens, ita & in juramento promiſſorio incerta eſt futura veritas ſuo tempore implenda, & certa juratur, dum incerta præcognoſcitur. Sicut itaque in aſſertorio jurejurando, ut ſupra diximus, oportet ut qui jurat, ſit de rei veritate moraliter certus, ita & qui promiſſorium pronuntiat ſacramentum, de re ſuo tempore implenda moralem teneat certitudinem oportet.

VII. Peccant & juramenti violant ſanctitatem, qui aliquod de ſe malum ſe facturos jurejurando pollicentur, vel aliquid quod ſit melioris boni impeditivum, ad eorum tamen impletionem non tenentur, immo quandoque pejus peccant implendo. Ita S. Thom. hic art. 7. ubi ſcribit: „ Si vero ſit quidem poſſibile fieri, ſed fieri non „ debeat, vel quia eſt per ſe malum, vel quia „ eſt boni impeditivum, tunc juramento deeſt „ juſtitia: & ideo juramentum non eſt ſervandum in eo caſu, quo eſt peccatum, vel boni „ impeditivum: utrumque eorum vergit in deteriorem exitum “. Sed clarius rem totam enucleat in reſp. ad 2. docens: „ Juramentum poteſt vergere in deteriorem exitum dupliciter. „ Uno modo, quia ab ipſo principio habet pejorem exitum: vel quia eſt ſecundum ſe malum (ſicut cum aliquis jurat ſe perpetraturum „ adulterium) ſive quia eſt majoris boni impeditivum; puta cum aliquis jurat ſe non intraturum religionem, vel quod non fiet clericus, aut „ quod non accipiet prælationem in caſu, in quo „ expedit eam accipere, vel ſi quid aliud eſt hujuſmodi. Hujuſmodi enim juramentum a principio eſt illicitum; differenter tamen: quia ſi „ quis juret ſe facturum aliquod peccatum, & „ peccavit jurando, & peccat juramentum ſervando; ſi quis autem jurat ſe non facturum aliquod „ melius bonum, quod tamen facere non tenetur, „ peccat quidem jurando, in quantum ponit obicem Spiritui Sancto, qui eſt boni propoſiti inſpirator; non tamen peccat juramentum ſervando, ſed multo melius facit, ſi non ſervet. Alio modo vergit in deteriorem exitum propter „ aliquid, quod de novo emerſerit, quod fuit impræmeditatum; ſicut patet in juramento Herodis, qui juravit puellæ ſaltanti ſe daturum quod „ petiiſſet: hoc enim juramentum poterat eſſe a „ principio licitum, intellecta debita conditione, „ ſcilicet ſi peteret quod dare deceret; ſed impletio juramenti fuit illicita. Unde Ambroſius „ dicit in 1. de officiis “: *Eſt contra officium nonnumquam promiſſum ſolvere, ſacramentum cuſtodire; ſicut Herodes, qui necem Joannis præſtitit, ne promiſſum negaret.*

CAPUT OCTAVUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Lethale peccatum eſt aliquid juramento polliceri ſine animo implendi.*
II. *Qui rem promiſſam in materia gravi non implet, perjurus eſt.*
III. *Et etiam qui in materia levi non implet juramentum.*
IV. *Quinam a lethali peccato excuſantur in quibuſdam juramentis promiſſoriis.*
V. *Res juramento promiſſæ quas debeant habere conditiones.*
VI. *Peccat qui jurat ſe aliquod vel lethale, vel veniale peccatum patraturum.*
VII. *Pharmacum medicinale ſub jurejurando ſecreti traditum quando liceat revelare.*
VIII. *Qui quod malum eſt, juravit efficere, non indiget diſpenſatione, ut juramentum non impleat.*
IX. *De juramento non ludendi.*
X. *De non mutuando, de non fidejubendo.*
XI. *De juramento alteri juramento contrarium.*
XII. *Conditiones imbibitæ in omnibus juramentis homini factis.*

Conſectarium Primum.

I. Peccatum lethale perjurii eſt aliquid ſacramento polliceri ſine animo implendi, quod promittitur, licet res promiſſa levis ſit. Manifeſta eſt hæc aſſertio, quia deeſt veritas juramento, & qui ita jurat, mentitur; porro teſtem Deum invocare etiam mendacii levis, ut ſuperius oſtendimus, eſt lethale peccatum. At in re comperta non eſt diutius immorandum.

Conſectarium Secundum.

II. Qui rem promiſſam juramento confirmatam non implet, perjurus eſt, ſi ſit in materia gravi, & alicujus momenti. Hæc quoque propoſitio de ſe aperta eſt. Quis enim non perſpicit gravem Deo injuriam irrogari non implendo, quod ſub atteſtatione ejus divini nominis promiſſum eſt, & ipſius juramenti objectum utpote grave, & magni momenti, de ſe gravem inferre obligationem?

Conſectarium Tertium.

III. Qui rem etiam levem ſub jurejurando pollicitus eſt, tenetur ſub peccato lethali juramentum implere. Sunt qui inficiantur Theologi, ut Soto, Suarez, Sanchez, Tamburinus, aliique, at longe probabilior eſt aliter ſentientium doctrina. Nam 1. D. Auguſtinus epiſt. 12. aperte nulla facta ſive gravis, ſive levis materiæ diſtinctione ſtatuit: *Expectationem eorum quibus juratur quiſquis deceperit non poteſt non eſſe perjurus.* D. Antoninus 2. part. tit. 10. cap. 7. §. 1. ſcribit: *In juramento promiſſorio ſi omittit implere quod promittit propter legitimum impedimentum,* ex-

excuſatur a mortali ſecundum Petrum de Tarantaſia. Idem docet S. Bonaventura in 3. 29. diſt. ergo a contrario non excuſatur, cum deeſt legitimum impedimentum. Gerſonius in expoſitione præceptorum Decalogi docet: „ Quantum ad juramentum de futuris perſona ſtatim perjurat „ tunc cum habeat voluntatem firmam non implendi, vel quia non implet de facto “. Et Catechiſmus Concil. Trident. p. 3. de 2. præcepto n.23. docere Parochos jubet, quod „ perjurii reus cenſendus eſt, qui ſe aliquid juramento facturum „ promittit, cum tamen aut promiſſum implere „ in animo non fuerit, aut ſi fuit, quod pro- „ mittit reipſa non præſtat “. Sed ſententia noſtra, evidentiſſima meo judicio, evincitur ratione ex D. Thomæ doctrina deſumpta. Quandoquidem ſemper cum juramento deeſt veritas, in perjurium convertitur, & eſt peccatum lethale, ſive res ſit gravis ſive levis, quippe quia Deus teſtis vocatur mendacii, quod ut docet D. Aug. *cedit in contemptum Dei*, nec malitia ex gravitate materiæ metienda eſt, ſed ex injuria Deo irrogata, quæ ſemper etiam in leviſſimo mendacio gravis eſt, ut patet in juramento aſſertorio, ut omnes conſentiunt. Porro qui quod promiſit, etſi leve, non implet, peccat contra juramenti veritatem; ergo graviſſime peccat. Quod autem veritatem auferat, & loco ejus mendacium ponat, patet manifeſte; nam juramenti promiſſorii, ut promiſſorium eſt, veritas non ſita eſt in præſenti voluntate præſtandi quod promittitur, ſic enim confunditur cum aſſertorio, immo aſſertorium eſt, reſpicit enim veritatem præſentem, ſed eſt ipſa veritas futura, ideſt impletio rei promiſſæ; hac ita itaque ſublata juramentum in perjurium vergit. Audiatur D. Thom. hic quæſt. 89. art. 7. docens: „ Si autem juramentum aſſertorium, quod eſt de præterito, vel „ de præſenti, debet habere veritatem; ita etiam & juramentum de his, quæ ſunt fienda a „ nobis in futurum. Et ideo utrumque juramentum habet quamdam obligationem; diverſimode tamen: quia in juramento, quod eſt de „ præterito, vel præſenti, obligatio eſt non reſpectu rei, jam fuit, vel eſt, ſed reſpectu „ ipſius actus jurandi; ut ſcilicet juret id, quod „ jam verum eſt, vel fuit: ſed in juramento „ quod præſtatur de his quæ ſunt fienda a nobis, „ obligatio cadit e contra ſuper rem, quam aliquis juramentum firmavit: tenetur enim aliquis ut faciat verum eſſe id quod juravit; „ alioquin deeſt veritas juramento “. At quænam deeſt veritas? Non profecto illa, quæ eſt de præterito aut de præſenti, hæc enim juxta S. Thom. pertinet ad juramentum aſſertorium; deeſt igitur veritas, per quam, ut inquit S. Doctor, *tenetur aliquis ut faciat verum eſſe quod juravit*; deficiente autem in juramento veritate jam ejus loco ſubrogatur mendacium, in mendacii ergo teſtimonium invocatur Deus, quod ſcelus eſt graviſſimum.

Non, inquiunt Salmanticenſes, ſublata veritate futuræ impletionis non ſuccedit ejus loco mendacium, ſed infidelitas, quæ in promiſſionibus non impletis levitatem non refugit materiæ; quod confirmare putant & auctoritate D. Thomæ hic q. 110. art. 3. ad 5. ſcribentis: „ Qui aliquid „ promittit, ſi habeat animum faciendi quod „ promittit, non mentitur, quia non loquitur contra id quod gerit in mente; ſi vero non faciat „ quod promiſit, tunc videtur infideliter agere „ per hoc quod animum mutat. Poteſt tamen excuſari ex duobus: uno modo, ſi promiſit id, „ quod manifeſte eſt illicitum: quia promittendo „ peccavit, mutando autem propoſitum bene facit: alio modo ſi ſunt mutatæ conditiones perſonarum, & negotiorum. Ut enim Seneca dicit „ in l. 4. de Benefic. ad hoc quod homo teneatur „ facere quod promiſit, requiritur quod omnia „ immutata permaneant: alioquin nec fuit mendax in promittendo, quia promiſit quod habebat in mente, ſubintellectis debitis conditionibus; nec etiam eſt infidelis non implendo quod „ promiſit, quia eædem conditiones non extant. „ Unde & Apoſtolus non eſt mentitus, qui non „ ivit Corinthum, quo ſe iturum eſſe promiſerat “. At quis non videt reſponſionis fallaciam? nam cuicumque veritati ſive de præterito, ſive de præſenti, ſive de futuro ſemper opponitur falſitas; ſi ergo, ut ipſi fatentur Salmanticenſes, in juramento promiſſorio rem promiſſam non implens veritatem tollit juramenti, loco illius igitur ſubſtituit mendacium, cum inter veritatem & mendacium nullum ſit medium voluntarium (mediat quidem error, ſed involuntarius eſt, & hic locum non habet); porro hoc mendacium præter ſuam adverſus juramenti religionem malitiam, etiam alteram induit infidelitatis contra proximum. Teſtimonium vero ex D. Th. deſumptum ſic ipſe D. Ang. explicat q. 89. art. 7. ubi primo ſibi ſic objicit: „ Videtur quod „ juramentum non habeat vim obligandi. Inducitur enim juramentum ad confirmandum veritatem ejus quod dicitur. Sed quando aliquis „ dicit aliquid de futuro, verum dicit, etiamſi „ non eveniat quod dicit; ſicut Paulus, quamvis „ non fuerit profectus Corinthum, ſicut dixerat, „ non tamen eſt mentitus “. Cui argumento ſic reſpondet: „ Ad 1. ergo dicendum, quod aliud „ eſt de ſimplici verbo, aliud de juramento, in „ quo divinum teſtimonium imploratur. Sufficit „ enim ad veritatem verbi, quod aliquis dicat id „ quod proponit ſe facturum: quia hoc jam verum „ eſt in ſua cauſa, ſcilicet in propoſito facientis. „ Sed juramentum adhiberi non debet niſi in re, „ de qua aliquis firmiter certus eſt. Et ideo ſi „ juramentum adhibeatur, propter reverentiam „ divini teſtimonii quod invocatur, obligatur homo ut faciat eſſe verum id quod juravit, ſecundum ſuam poſſibilitatem, niſi in deteriorem „ exitum vergat, ut dictum eſt “.

Bene eſt, excipit Cardenas, deeſt veritas, at non ſuccedit mendacium, ſed falſum, & quidem materialiter, non formaliter, cum non procedat ex voluntate jurantis, qui intentionem habuit implendi, ſed ex defectu rei præſtitæ. At hujus cavillationis debilitatem quiſque & videt, & ridet, nam cur falſum materialiter? Nonne ex voluntate deliberata profluit non implentis promiſſum? Si non impleret quia non poſſet, falſitas quidem materialis locum haberet, ſicut lo-

cum obtinet in juramento aſſertorio, quotieſcumque jurans adhibita diligentia ne erret, verum pronuntiat quod in ſe falſum eſt. At ſi quis in juramento aſſertorio falſum juret quia ſua culpa verum inveſtigare neglexit, jam non falſum materialiter ſed formaliter pronuntiat, licet verum eſſe putet. Ita in juramento promiſſorio veritas deeſt, & ejus loco falſitas ſuccedit, & falſitas ex voluntate proveniens ex culpa & delicto, formalis igitur erit, & verum mendacium. Immo id verum eſſe puto, licet res levis non ſit tota materia juramenti promiſſorii, ſed ſolum pars, puta, juraſti dare decem, & dediſti novem, nam adhuc tota deeſt veritas juramenti, quod ſic evinco: finge te debere alicui decem nummos, dediſti novem, potes ne jurare te debitum ſolviſſe, vel decem dediſſe? Minime gentium, cum nec revera debitum ſolveris, nec decem dederis; ergo ſicut ſe habet veritas in juramento aſſertorio de præterito, vel de præſenti, ita ſe habet & in promiſſorio de futuro, in illo juramento aſſertorio deeſſet veritas, ergo & in promiſſorio, nec ulla apparet diſparitas. Sed de his ſatis.

Conſectarium Quartum.

IV. Parentes, qui jurejurando leve aliquod præmium pollicentur, vel pœnam filiis minantur, ſicut & qui jurant ſe non prius ſeſſuros, bibituros, ingreſſuros &c. licet poſtea non impleant, non videntur lethali perjurio accuſandi. Nam hujuſmodi juramenta vel vera juramenta non ſunt deficiente ſufficienti deliberatione, vel quia implicita conditione prolata, ſi utile ſit, ſi bonum ipſi puero vel denegare promiſſum, vel pœnam condonare, quemadmodum & qui jurant non prandere, non ſedere, ſubintelligunt quantum poſtulat urbanitas, niſi alter clementer cogat. Illud tamen notatum cupio, in hæc juramenta facile prorumpentes jam conſuetudine teneri jurandi, non enim tam facile & pro tam inutilibus jurarent, niſi prava urgerentur conſuetudine, proinde ſunt acriter arguendi, & a pravo habitu omni ſtudio revocandi.

Conſectarium Quintum.

V. Quæ juramento promittuntur, ut jusjurandum licitum ſit & honeſtum, eſſe debent res bonæ, poſſibiles & licitæ. Et primo quidem bonum ſit oportet quod interpoſito jurejurando pollicemur, ne juramentum ſit vel vinculum iniquitatis, ſi quod promittitur malum ſit, vel otioſum, & inutile, ſi ſit de re abſolute in quacumque circumſtantia indifferente, quod tamen contingere non poſſe docent cum D. Tho. fere omnes Theologi, cum in individuo vel ratione finis, vel circumſtantiarum quilibet actus ſit vel determinate bonus, vel malus. Hinc ſervandæ ſunt pollicitationes juratæ de re aliqua etiam indifferenti alteri tribuenda, ut cum quis alteri mutuum pollicetur, quia tunc non ipſum in ſe mutuum ſpectatur, ſed accipientis utilitas, ſicut qui juramento pollicetur amico vel monitori, ſe talem domum non ingreſſurum, quia vel illi diſplicet, vel quia videt ſibi peccandi inibi periculum imminere, licet enim domum illam ingredi ſit indifferens; finis tamen vel amico gratificandi, vel ſuæ ſaluti conſulendi, actum non indifferentem conſtituit, ſed bonum, & virtuti conformem. Additur ut res ſit poſſibilis, nam temeraria eſt & ſtulta de re impoſſibili promiſſio, niſi forte dum jurans credis, prudenter tibi futuram poſſibilem. Hinc de alienis factis ſtultæ ſunt promiſſiones & temeraria juramenta, cum de aliena voluntate nequeas diſponere, niſi forte tuum opus ad alienam movendam voluntatem pollicearis; ſicut cum quis promittit alteri dandam pecuniam ab amico vel conſanguineo, ideſt procurandi, ut amicus vel conſanguineus pecuniam tribuat, quod revera pro virili, ut fiat, conari debet; ſicut & cum quis enuntiatione jurat ægrotum ſanitatem recuperaturum, negotium proſperum finem habiturum, ſignificat enim ſolum ſe tenere, credere, arbitrari, ita futurum. Denique dicitur de re licita; fieri enim poteſt, ut aliquid ſit in ſe bonum, ſed ex aliqua circumſtantia interdictum, ut ſi uxor polliceatur infirmo aſſiſtentiam etiam nocturnam, quam tamen prohiberet maritus, cui uxor parere debet. Et ita quidem ſi juramentum factum ſit homini; at ſi factum ſit Deo, cum voti naturam induat, non ſufficit ſi ſit de re licita, bona, & honeſta, ſed animadvertendum, ne majus bonum impediat. Sed de hoc cum de voto diſputabimus ſermo redibit.

Conſectarium Sextum.

VI. Peccat lethaliter contra religionem non ſolum qui juramento pollicetur & ſtatuit ſe grave aliquod patraturum peccatum, ſed etiam qui ſolum veniale. Et quidem grave peccatum committere qui jurat lethaliter peccaturum, nullus eſt qui ambigat, cum ſatis in aperto ſit ſacrilegi hujuſce ſacramenti malitia. At non talis communiter apparet Theologis, quando facinus juramento promiſſum eſt ſolum veniale, quippe quia ſolum ſub levi culpa ab illo tenetur abſtinere. Verum ſi res penitius introſpiciatur, clare apparebit, hujuſmodi juramentis gravem Deo irrogari injuriam, quippe qui veluti ſponſor inducitur & fidejuſſor culpæ, quam ille deteſtatur, & vetat. Deinde ſi quis juret ſine animo implendi, peccat lethaliter juxta omnes, quia deeſt veritas juramento, multo magis ergo peccabit, qui jurat animo illud malum perpetrandi, & ponendi quod a Deo vetatur. Denique hoc juramentorum genus veritate carere neceſſe eſt, ſi enim juras animo non implendi, deeſt veritas præſens, ſi juras animo implendi, teneris efficere ne res ſit vera eam minime implendo: ergo cum ſemper deſit veritas, jusjurandum in perjurium divergit; nec dicas ſub veniali tantum ad hoc poſterius teneri, at ſub mortali cavere debes a divini nominis invocatione in corroborationem & pignus iniquitatis licet levioris.

Con-

Conſectarium Septimum.

VII. Qui alteri ſub juramento pollicitus eſt remedium aliquod ſalutare ſibi ſecreto ab eo manifeſtatum non revelaturum, ad illud ſervandum non tenetur, ſi in damnum cedat boni communis, vel proximi. Ita docet S. Th. quodlib. 12. q. 14. ar. 2. ubi primo ſtatuit, „ juramentum contra id, quod eſt de genere bonorum, eſſe illicitum, & non ſervandum. 2. Cum ſalubris remedii communicatio non minimum bonum ſit, jusjurandum, quo ſe aliquis adſtringit ut nuſquam illud communicet, eſſe contra caritatem, proinde ſimpliciter loquendo non teneri ſervare, & male feciſſe jurando. 3. Solum poſſe ſecretum cuſtodire, quando bono communi, vel infirmo auxiliari quis poſſet aliis remediis, vel qui remedium dedit, præſens eſt, vel alius medicus aptus ad curandum adeſt ".

Conſectarium Octavum.

VIII. Qui aliquod malum ſive leve, ſive grave jurat, non indiget diſpenſatione, ut ab eo committendo ceſſet, quia jam de ſe illicitum eſſe implere manifeſto conſtat. Ita docet S. Tho. hic q. 89. a. 9. ad 3. ſcribens: „ Quandoque illud, quod cadit ſub juramento promiſſorio, eſt manifeſte repugnans juſtitiæ: vel quia eſt peccatum, ſicut cum aliquis jurat ſe facturum homicidium; vel quia eſt majoris boni impeditivum, ſicut cum aliquis jurat ſe non intraturum religionem: & tale juramentum diſpenſatione non indiget. Sed in primo caſu tenetur aliquis tale juramentum non ſervare; in ſecundo autem caſu licitum eſt & ſervare, & non ſervare ". At ſi res ſit dubia, & num ſine peccato exequi poſſit incertum ſit, tum Superior eſt adeundus, ut optime ſtatuit Cæleſt. III. cap. *Venerabilem* tit. de Elect. „ Utrum vero dictum juramentum ſit licitum, vel illicitum, & ideo ſervandum, nemo ſanæ mentis ignorat ad noſtrum judicium pertinere ". Confirmat D. Aug. ibid. dicens: „ Quandoque vero aliquid ſub juramento promittitur, de quo dubium eſt, utrum ſit licitum, vel illicitum, proficuum, vel nocivum, aut ſimpliciter, aut in aliquo caſu, & in hoc poteſt quilibet Epiſcopus diſpenſare ".

Conſectarium Nonum.

IX. In juramento emiſſo de non ludendo quod plerumque Deo fit, & naturam induit voti, plura ſunt attendenda, ut dignoſci queat, quomodo, & quam arcte obliget. Primo itaque audiendi non ſunt nonnulli Theologi, qui juramentum, ſeu votum abſtinendi a ludo etiam honeſto nullum eſſe definiunt, quippe quia juxta S. Tho. hic q. 168. a. 2. ludus moderatus ad eutrapeliæ virtutem pertinet. Nam 1. S. D. non de ludis loquitur aleatoriis, ſive illis, in quibus lucrum quæritur, ſed de illis, qui in quibuſdam verbis vel factis jocoſis ſiſtentes ad exhilarandum animum feriis defatigatum ordinantur, ut patet ex art. 4. ubi hæc habet: *Illi, qui in ludo deficiunt, nec ipſi dicunt aliquod ridiculum, & dicentibus moleſti ſunt, quia ſcilicet moderatos aliorum ludos non recipiunt. Et ideo tales vitioſi ſunt.* 2. Difficile admodum eſt, ut ludus omnibus illis ornetur conditionibus, quæ ad actum virtutis efficiendum requiruntur; & præcipue in illis, qui cæteris virtutibus ad Chriſtianam vitam neceſſariis carent, præſertim caritate. 3. Quia dato etiam, ludum eſſe honeſtum, & virtutis actum, cum tamen abſtinentia ab illo intuitu pœnitentiæ & mortificationis ſit melior, poteſt eſſe juramenti materia, ut patet in uſu Matrimonii, qui licitus eſt, honeſtus, actus juſtitiæ, & conjugalis benevolentiæ, cui tamen conjuges poſſunt renuntiare, votum continentiæ communi conſenſu emittendo. Eapropter qui revera jurejurando omnem ſibi ludum etiam recreationis cauſa interdiceret, ad illud ſervandum teneretur. Ad dignoſcendum vero, quid oneris ſubire voluerit qui abſolute juramentum non ludendi emittit, inſpiciendum 1. num juramentum emiſſum fuerit abſque debita deliberatione, & ex ſubita animi perturbatione, & tunc perpendendum, num fuerit ſufficiens deliberatio ad juramenti valorem neceſſaria; quæ ſi adfuiſſe reperiatur, perpendendum eſt poſtea motivum & cauſa, quæ ad hujuſmodi impulerit juramentum, nimirum an fuerit vitare pecuniæ jacturam in ludo, & tunc omne pecuniarium ludum ſibi habeat interdictum, & caveat etiam ab exigua pecunia ludo exponenda; facillimum eſt enim limites tranſilire ſive ſors proſpera ſit, ſive adverſa, immo qui ex hujuſmodi motivo non ludere juraſſet, nec alteri pecuniam ad ludendum ſuppeditare poſſet, quam ſuo nomine ludo exponeret, quia qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur, & idem ſubiret diſſipandæ pecuniæ periculum, & detrimentum. Qui vero ideo ludum omnem juramento abjecit, ut rixas, contentiones, blaſphemias, temporis jacturam vitaret, multo magis ab omni ludo abſtinere debet, quippe quia difficilius adhuc eſt animi perturbationem, linguæ labilitatem cohibere, & obſiſtere patienter vel adverſis fortunæ ictibus, vel colludentium irriſionibus, vel ſpei recuperandæ, vel augendæ pecuniæ, ſi ſors proſpere cedat, vel adverſetur. Qui tamen hoc nomine juraſſet, non eſſet reus habendus, ſi per alium luderet, ipſo præſertim abſente, cum tunc nullum ſit periculum; at eo præſente non auderem nec ludum per alium illi concedere, cum enim adhuc agatur de ſua ſive utilitate ſive damno, & eiſdem moveatur, & concutiatur affectibus ac ſi per ſeipſum luderet, periculum, cujus vitandi gratia juramentum emiſit, non vitaret. Juramentum vero de non ludendo cum tali perſona, tali loco, tali ludo, ſi ex honeſto proficiſcatur fine, quia nimirum ſocius ira abripitur, contumelioſus eſt, blaſphemus, locus pernicioſus, luſus rixis expoſitus, vel mere aleatorius, validum eſt, & ſancte ſervandum. Si vero emiſſum fuerit ex vindicta, & odio contra ludentem, vel quia ſuperſtitioſe arbitratur ſortem ſibi adverſam, ſi in eo loco, vel tali ludo, vel cum tali ſocio, incautum habendum eſt, & invalidum.

Con-

Conſectarium Decimum.

X. Juramenta de non mutuando, vel fidejubendo, de non emendo, vel vendendo niſi tali pretio de ſe & abſolute ſpectata invalida ſunt, & inepta 1. quia nec in Dei honorem, nec in proximi cedunt utilitatem, 2. quia quandoque ex caritate urget præceptum de mutuo dando, vel fidejubendo, proinde juramentum abſtinendi eſſet illicitum, & invalidum. Fieri tamen & contingere poteſt, ut honeſtum ſit & licitum juramentum de non mutuando, commodando, fidejubendo, ſi fiat ad evitandas incautas & præcipites fidejuſſiones, ad avertendam jacturam bonorum in detrimentum filiorum, & familiæ ex incautis mutuis & fidejuſſionibus, & tunc tenetur ex jurejurando cavere a fidejuſſione incauta, imprudenti, & familiæ perniciosa: quando vero præceptum caritatis jubeat mutuum dare, fidejubere, commodare, tunc quocumque modo conceptum ſit juramentum, pro nullo habendum eſt, & invalido.

Conſectarium Undecimum.

XI. Qui juramentum emittit priori juramento contrarium, non poteſt licite poſterius juramentum ſervare, aliquando tamen diſpoſitiones contra primum juramentum factæ validæ ſunt. Prima pars eſt manifeſta, quandoquidem cum prioris juramenti vis & obligatio ſubſiſtat, hæc a poſteriori juramento non infringitur, proinde eam violando peccas. Sic qui uni puellæ matrimonium jurejurando pollicitus eſt, non poteſt niſi ſacrilege alteri matrimonium promittere. At ſi hoc ſecundum matrimonium celebraſti, validum tamen habendum eſt. Pari pacto ſi juraſti domum non vendere, teſtamentum non mutare, & poſtea vel vendas domum, vel teſtamentum mutes, peccas quidem, at valida eſt tunc venditio, ſeu Teſtamentum, quippe quia per primum juramentum non eſt ablata poteſtas diſponendi de rebus propriis, quorum dominio potiris, unde illicitam quidem reddit diſpoſitionem, at non invalidam.

Conſectarium Duodecimum.

XII. In omnibus juramentis hominibus factis ſemper hæ intelliguntur imbibitæ conditiones. 1. Si res poſſibilis ſit tempore executionis, cum ad impoſſibile nemo teneatur, ut ſi quis juramento polliceatur domum ad pium opus, quæ poſtea domus incendio abſumatur. 2. *Salvo jure Superioris*, quæ conditio cap. *Veniens* de jurejurando dicitur *ſemper cuique immixta juramento*: ſic uxor, filius-familias, ſubditus, qui aliquam ſuam operam alteri ſub juramento pollicentur, non tenentur vinculo juramenti, ſi Maritus, Pater, Princeps illud fieri vetet. 3. Si res notabiliter mutatæ ſint: ſic qui pauperi puellæ tempore matrimonii dotem ſpopondit, ſi poſtea dives fiat, erit juramento ſolutus; nam, ut obſervat S. Tho. 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5. *ut homo teneatur facere quod promiſit, requiritur quod omnia immutata permaneant*. 4. Quod promiſſio ſine peccato poſſit impleri; ideo Herodes non tenebatur promiſſionem filiæ Herodiadis factam ſervare, quia ut obſervat S. Th. q. 89. a. 7. ad 2. *Hoc juramentum poterat eſſe a principio licitum, intellecta debita conditione, ſcilicet ſi peteret quod dare deceret; ſed impletio juramenti fuit illicita.*

CAPUT NONUM.

De juramentis contractibus adjectis, necnon errore, vi, & dolo extortis.

DOCTRINA.

I. *Duplex obligatio in juramento promiſſorio.*
II. *Juramenta per ſe ſtantia ſunt religioſe ſervanda.*
III. *Adjecta contractibus irritis ob bonum commune non obligant.*
IV. *Adjecta contractibus irritis in favorem ſubditi num ipſos contractus afficiant validos.*
V. *Probabilius videtur ſententia negans.*
VI. *Solvitur objectio.*
VII. *Juramenta metu extorta ſunt ſervanda.*
VIII. *Qui doloſe jurat ad fallendum proximum, quid præſtare teneatur.*
IX. *Juramenta dolo extorta, vel ex errore præſtita, ſi circa rei ſubſtantiam verſentur, non obligant.*
X. *At ſi verſentur ſolum circa accidentia, vim obtinent.*

I. OPtime obſervat & docet D. Th. hic q. 89. a. 7. ad 3. ex juramento duplicem oriri obligationem, *una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittitur .... alia, qua quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promiſit*. Hinc quandoque contingit, ut promiſſio & obligatio erga hominem adeo nulla ſit, ut nec valorem recipiat a juramento, ut patet in promiſſionibus ſolvendi uſuras, dandi latroni pecuniam, quæ promiſſiones nullæ ſunt, nullumque jus tribuunt uſurario, & latroni retinendi pecunias, licet ſint juramento corroboratæ. Quandoque vero contingit, ut promiſſio ſit quidem invalida, juramento tamen ita corroboretur, ut jus promiſſarius adipiſcatur adverſus promittentem; ut cum uxor juramento confirmat venditionem fundi dotalis, quæ a civili jure irritatur, quam tamen propter juramenti reverentiam ſervare debet. Primum juramentum dicitur per ſe ſtans, quia nullam aliam inducit obligationem, niſi religionis; alterum vero dicitur juramentum corroborans & confirmans promiſſionem, ac proinde duplicem inducit obligationem (ſaltem juxta plures Theologos) nimirum juſtitiæ & religionis, quia, ipſi ajunt, jus poſitivum ob reverentiam juramenti robur concedit promiſſioni alioquin invalidæ & nullæ.

II. Juramenta per ſe ſtantia ſunt religioſe ſervanda: ſic uſuræ juramento promiſſæ, & pecunia latroni ſunt ſolvendæ, quia homo una ex parte tenetur facere, ut verum ſit quod ſub teſtificatio-

tione divini nominis pollicitus eſt, & ex alia parte id licite præſtare poteſt, non enim peccat vel ſolvendo uſuras, vel dando latroni pecuniam, licet hi peccent & recipiendo & retinendo. Ita docet & ratione confirmat S. Th. hic q. 89. a. 7. ad 3. „ In juramento, quod quis coactus facit, duplex „ eſt obligatio, una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit; & talis obligatio „ tollitur per coactionem, quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promiſſum non ſervetur. Alia autem eſt obligatio, qua quis Deo „ obligatur, ut impleat quod per nomen ejus „ promiſit: & talis obligatio non tollitur in foro conſcientiæ, quia magis debet damnum temporale ſuſtinere, quam juramentum violare. „ Poteſt tamen repetere in judicio quod ſolvit, „ vel prælato denuntiare, non obſtante quod contrarium juravit, quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum, eſſet enim contra „ juſtitiam publicam. Romani autem Pontifices „ ab hujuſmodi juramentis homines abſolverunt, „ non quaſi decernentes hujuſmodi juramenta non „ eſſe obligatoria, ſed quaſi hujuſmodi obligationes ex juſta cauſa relaxantes “.

III. Quando jure poſitivo contractus irriti declarantur & nulli primo & principaliter ob bonum commune, tunc nec per juramentum validi efficiuntur, nec ipſum ſervandum eſt juramentum, nam tunc res ſive objectum contractus eſt illicitum, proinde juramentum ſervatum vergeret in deteriorem exitum, & eſſet vinculum iniquitatis; iniquum enim eſt, quod vergit in damnum alterius, vel integræ Communitatis, ut patet in Clerico, qui renunciare non poteſt privilegio fori, quippe quod conceſſum eſt in favorem totius clericalis ſtatus.

IV. Quando vero contractus jure poſitivo irriti declarantur & nulli in favorem ſubditorum, & in eorum privatum commodum, cujuſmodi ſunt leges irritantes pupillorum contractus ſine tutore, alienationem fundi dotalis factam ab uxore, renunciationem primogenituræ & ſimilia, tunc num juramento ita roborentur & validi fiant, ut non ſolum religionis onus afferant, ſed & veræ juſtitiæ obligationem, diſſentiunt Theologi, Canoniſtæ, & Juriſtæ: affirmant plurimi adeo, ut pondere auctoritatis ſpectato opinio affirmans probabilior videatur. At contra ſentiunt alii numero quidem pauciores, at rationum & argumentorum pondere multo validiores, quibus adhærens ſic eorum opinionem oſtendo.

V. Nam juramentum validitatem addit contractui vel ratione ſui, vel juris diſpoſitione. Non primo nomine, quia cum juramentum ad ſolam ſpectet religionem, vinculum non poteſt inferre juſtitiæ, quæ virtus eſt a Religione omnino diſparata ac diverſa, & cum qua de ſe nihil commune habet juramentum. Supereſt igitur, ut id præſtet conceſſione juris, & diſpoſitione legum ob reverentiam ſacramenti: verum hoc negare videntur ipſa jura, ipſæque leges, quæ ſemper eoſdem contractus irritos, nulloſque appellant, & agnoſcunt, nec niſi vinculo juramenti obligare, nullam vero de juſtitiæ obligatione injiciunt mentionem. Audiatur Innoc. III. cap. 28. de jurejur. *Etſi mulieris conſenſus in talibus non videatur obligatorius ſecundum legitimas ſanctiones, ne tali prætextu viam contingat perjuriis aperiri, mulieres ipſæ ſervare debent hujuſmodi juramenta;* & rurſum in cap. *Cum contingat* decernit, *ne via perjuriis aperiatur, tale juramentum ſine vi, & dolo præſtitum, ſervare debere.* Idem dicitur pluribus aliis in locis etiam ab Adverſariis productis, in quibus tamen nulla mentio eſt, niſi de obligatione juramenti, de reverentia ipſi adhibenda, at de obligatione juſtitiæ nec jota unum, nec unus apex habetur. Præterea ſupremi Principes poteſtatem habent contractus, quos bonis moribus & communi bono repugnantes agnoſcunt, infirmandi, & nullos irritoſque declarandi: at ſi hujuſmodi contractus vi juramenti validi firmique evaderent, fruſtraneæ omnino eſſent hujuſmodi leges, & eas deludere poſſent pravi homines a contrahentibus ſacramentum petendo, & ſic hac via conſequerentur, quod vi legitimi contractus conſequi non valerent. Nec ex hoc infertur, temporales Principes juramenta ſolvere, quæ ſoli ſpirituali ſunt ſubjecta poteſtati, ſed vim jurisjurandi in ſuo vigore relinquentes, non ſinunt uſque ad validitatem, & obligationem juſtitiæ inducendam dilatari.

VI. Nec in contrarium movet, quod leges quidem actionem concedunt ad petendam reſciſſionem contractuum, quos invalidos declarant, quam tamen non concedunt ſi ſint juramento confirmati, nam ita ſtatuunt, quia volunt legem ſacramenti ſervari, ne via perjuriis aperiatur, non quia in ipſis contractibus aliquam agnoſcant validitatem ex juſtitia provenientem. Similiter dum declarant juramenta vi & metu extorta momentanea ſolutione eſſe implenda, quæ vero ſponte emittuntur & libere, conſtanter & abſolute eſſe cuſtodienda, non judicant hæc poſteriora valida fieri, ſed quia in prioribus manifeſta apparet cauſa petendæ reſciſſionis contractus, nimirum injuria & metus, qui ſicut fuit cauſa contractus, ita eſt cauſa concedendæ reſciſſionis, & relaxationis; at in poſterioribus cum nulla interfuerit injuria, nulla coactio, nulla injuſtitia, nulla quoque apparet juſta cauſa petendæ reſciſſionis & relaxationis juramenti, quod proinde in ſuo robore permanere jubent, donec aliqua afferatur juſta cauſa & titulus obtinendæ reſciſſionis.

VII. Juramenta metu extorta, ſive metus gravis ſit ſive levis, ſive juſte incuſſus ſive injuſte, ſunt abſolute valida, & ſancte cuſtodienda quotieſcunque ſine culpa ſervari poſſunt, ut conſtat tum ex D. Thomæ teſtimonio paulo ſuper. laud. & ex his, quæ dicta ſunt To. 2. Tract. 3. cap. 5. §. 2. Hujuſmodi autem juramenta relaxare poſſunt Prælati, qui licet difficiles ſe præbere non debeant in iis relaxandis, ne iniqui lucrum ex hac iniquitate reportent, cavere tamen debent, ne ſcandalum inde oriri poſſit, præſertim ſi juramenta præſtita ſint infidelibus, qui facile ſuſpicarentur, Religionem juramenti apud Chriſtianos flocci fieri, vel licitum ab ipſis reputari mentiri, fallere, fidem frangere inimicis, aliiſque in Religione ſua diffidentibus, tunc enim a relaxatione concedenda ſe temperare debent.

Non

Nec relaxationem juramenti concedere debent vel poſſunt, quotieſcumque ea cedat in damnum alterius innocentis, ut dicemus in conſectariis.

VIII. Qui doloſe jurat ad fallendum proximum, tenetur juratam promiſſionem ſervare ſecundum mentem & intelligentiam illius, cui juratum eſt. Ita aperte docet S. Th. q. 89. a. 7. ad 4. *Quando* (ſcribit) *non eſt eadem jurantis intentio, & ejus cui jurat, ſi hoc proveniat ex dolo jurantis, debet juramentum ſervari ſecundum ſanum intellectum ejus, cui juramentum præſtatur.* Quod jam ab Auguſtino didicerat in epiſt. ad Alipium ſcribente: *Illud ſane rectiſſime dici non ambigo, non ſecundum verbum jurantis, ſed ſecundum expectationem illius cui juratur, quam novit ille qui jurat, fidem jurationis impleri. Si autem* (ſubdit D. A.) *jurans dolum non adhibeat, obligatur ſecundum intentionem jurantis. Unde Gregorius dicit 26. moral. cap. 7.* humanæ aures verba noſtra judicant qualia foris ſonant. Divina vero judicia talia foris audiunt qualia ex intimis proferuntur".

IX. Juramenta dolo extorta, vel ex errore præſtita, ſi verſentur circa ſubſtantiam rei jurejurando promiſſæ, ſive error & dolus ſit antecedens & dederit cauſam promiſſioni, ſive ſit concomitans, adeo ut etiam non interveniente errore vel dolo promiſſio facta fuiſſet, nulla omnino ſunt & invalida. Ratio manifeſta eſt, quia ad quamcumque promiſſionem, contractum, conventionem ſive juramento firmatam, ſive abſque juramento, ut valida ſit requiritur promittentis vel contrahentis conſenſus, ex quo ſolo promiſſio vim nanciſcitur obligandi: porro hujuſmodi conſenſus non poteſt ab eo haberi, qui rei ſubſtantiam ignorat, cum nihil ſit volitum quin præcognitum; non ergo conſenſum præſtat; proinde nulla promiſſio, nullus contractus. Et licet error & dolus ſi concomitentur dumtaxat, promiſſionem illam non reddant involuntariam, ſed, ut docet S. Th. 1. 2. q. 6. a. 8. *non voluntariam*, hoc tamen ſufficit, ut adhuc nulla ſit promiſſio, quæ debet eſſe omnino voluntaria; ſic qui alteri promittit ſe donaturum vas, quod putat eſſe cupreum, cum ſit argenteum, nulla eſt promiſſio, licet fortaſſe ita animo affectus fuiſſet, ut etiam argenteum donaſſet. Sic nulla ſunt ſponſalia etiam jurata Jacobi cum Lia, quam putat eſſe Rachelem, licet ita diſpoſitus eſſet ut Rachelem deſpondiſſet, errore detecto, cum adhuc verus deſit conſenſus in Liam.

X. Si vero præfata juramenta verſentur ſolum circa accidentia, & qualitates rei promiſſæ, licet error ſit antecedens, & dans cauſam contractui, valida ſunt ſaltem inſpecto naturæ jure, niſi vel ipſa accidentia & qualitates rei vel ex pacto contrahentis, vel ex indole ſua in ſubſtantiam redundent contractus, eumque afficiant. Prioris partis ea eſt ratio, quia error & dolus circa qualitates & accidentia non impediunt certum adeſſe & legitimum in promiſſione & contractu conſenſum. Sic ſi matrimonium celebraſti cum puella, quam virginem vel divitem putabas, aliter in uxorem non ducturus, validum eſt matrimonium, licet & pauperem poſtea deprehendas, & corruptam. Alterius vero partis ratio eſt, quia quæcumque etiam tenuis qualitas, ſi in pactum deducatur, in ſubſtantiam rei tranſit, proinde ſi ex errore vel dolo deſit, invalidum efficit contractum ex defectu conſenſus; hinc qui vinum vetus ſe emere velle teſtaretur, non teneretur ſtare contractui, ſi vinum novum, etiam fortaſſis pretioſius ſubſtitueretur. Similiter ſi Clericus pannum a Mercatore poſtularet ad veſtem clericalem, & iſte pannum ſuppeditaret coloris albi, vel viridis, loco nigri, nullus eſſet contractus, quia licet color ad qualitatem ſpectet, in hiſce tamen circumſtantiis in ſubſtantiam tranſit contractus. Sed de his fuſius ſuo loco.

CAPUT DECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Qui aliquid acquiſivit ratione juramenti invalido contractui adjecti, ad reſtitutionem tenetur.*
II. *Qui pecuniam latroni, & uſuras fœneratori ſolvere juravit, tenetur implere.*
III. *Sicut & captivus, qui ad captivitatem redire juravit, & qui carcerem repetere Cuſtodi jurejurando pollicitus eſt, tenentur implere etiam cum vitæ periculo.*
IV. *Juramentum vel non repetendi ſolutas uſuras, vel non reſcindendi contractum, eſt cuſtodiendum.*
V. *Qui pecuniæ ſolutionem ſub juramento pollicitus eſt, uti non poteſt compenſatione.*
VI. *Juramentum de non denunciando graſſatore vel fœneratore non ſemper obligat.*

Conſectarium Primum.

I. QUi aliquid acquiſivit ratione juramenti invalido contractui adjecti, ad reſtitutionem tenetur. Nullus quippe adeſt titulus acquiſiti dominii, nam contractus ſupponitur invalidus, nec juramento validus redditur. Juramenti vero Religio alterum quidem ad id, quod pollicitus eſt, præſtandum adigit, at non parit in altero jus legitimum retinendi. Jurans autem quod ſolvit poteſt recipere, licet fortaſſe juraverit non repetere, cum juramentum non ſe extendat ultra mentem jurantis, qui pollicitus eſt quidem ſolvere, & etiam non repetere, at oblatum & reſtitutionis cauſa datum non recipere minime ſpopondit. Hæredes vero jurantis ad nihil omnino tenentur, non ratione contractus, qui nullus ſupponitur & invalidus, non ratione juramenti, cum ipſi non juraverint.

Conſectarium Secundum.

II. Qui latroni juramento pecuniam pollicitus eſt, ſicut & qui uſuræ ſolutionem promiſit, tenentur ſolvere. Hoc negant Recentiores plures, & putant in iſtis etiam juratis pollicitationibus ſemper vel mente jurantis vel ex ipſis exterioribus circumſtantiis ſubintelligi reſtrictionem *ſi debuero, ſi voluero.* At ſi hoc verum foret, nunquam locum haberet doctrina S. Th. & Sum-

mo-

morum Pontificum docentium, quod Religione juramenti tenetur jurans ad implendum quod promiſſum eſt, licet vim inferens mereatur ut ei promiſſum non ſervetur; & juramenta ſemper eſſe ſervanda, quoties non vergant in detrimentum animæ, & in injuriam Creatoris, nam ſemper ſubintelligeretur *tibi dabo ſi debeo*, vel *juro dare ſi debeam*. Audiatur D. Tho. hic q. 98. a. 3. ad 1. *Coactio non aufert juramento promiſſorio vim obligandi, reſpectu ejus quod licite fieri poteſt. Et ideo ſi aliquis non impleat quod coactus juravit, nihilominus perjurium incurrit, & mortaliter peccat*. In promiſſione tamen ſolvendi uſuras ſunt qui diſtinctione utuntur. Si ab uſurario quis fœneratur ad ſuæ ſubveniendum neceſſitati, & juraverit uſuras ſolvere, teneri ad juratam fidem ſolvendam docent; at a ſolutione liberant, ſi fœnus acceperit ad comeſſationes, ludos, ſcortationes, & ſimilia plane illicita & ſuperflua: quia, inquiunt, tam acceptio ad uſuram, quam ſolutio mala eſt. At non ſatis capio, cur hæc ſolutio mala ſit, nam vel eſt mala quia eſt uſurarum ſolutio, at hoc pacto nunquam nec in priori caſu licita foret, vel quia pecunia ad uſuram accepta fuit & ſine neceſſitate & ad illicita perpetranda conſumpta, at non video cur illicita acceptio, illicita conſumptio pecuniæ ſuam malitiam in ſolutionem uſurarum refundat? Profecto Deum quidem offendit, & dum ſine neceſſitate accipit ad uſuram, & pecunia accepta abuſus eſt; at quomodo Deum offendat, quando ob ejus nominis reverentiam datam fidem liberet, non ſatis perſpicio. Et certe Alex. III. dum capite *Debitores* ſic decernit: *Debitores ad ſolvendas uſuras, in quibus ſe obligaverunt, cogi non debent. Si vero de ipſorum ſolutione juraverint, cogendi ſunt Domino reddere juramentum*, hanc diſtinctionem de uſuris ob neceſſitatem acceptis, & uſuris ad luxum & ſine neceſſitate ignoravit, qui univerſaliter ſtatuit, eſſe Domino juramentum reddendum.

Conſectarium Tertium.

III. Captivus, qui infideli Domino jurejurando pollicitus eſt ſe rediturum in vincula, & qui reditum ad carcerem Cuſtodi juravit, tenentur implere promiſſa etiam cum vitæ periculo. Negant aliqui cum adeſt periculum vitæ, quia, inquiunt, quiſque ex caritate tenetur propriæ vitæ conſulere, & mortis periculo ſe exponere illicitum videtur. At oppoſitum longe probabilius, & verius docent Cajetanus, Soto, Sylvius, aliique plures. Quia, inquiunt, ad carcerem redire, diſcrimen mortis ſubire ob juramenti fidem ſervandam opus eſt fortitudinis, religionis, fidelitatis, & veracitatis, & quiſque, juxta D. Th. doctrinam, *magis debet malum temporale ſuſtinere quam juramentum violare*; & tunc ſolum poſſumus, & debemus vitæ noſtræ conſulere, quotieſcumque ſine injuria Creatoris id efficere poſſumus, a quo vitam habemus, inſpirationem, & omnia. Vitam autem periculo exponere vel pro bono communi, vel pro virtutis exercitio, vel ad Dei offenſam vitandam omni caret imprudentia, & opus eſſe poteſt veræ virtutis. Præterea in utroque caſu duplex eſt attendenda circumſtantia, primum in captivo apud infideles, ſcandalum & dedecus, quod in chriſtianam redundaret religionem, penes quam juramenta ludibrio haberi putarent infideles. In altero vero ratio habenda innocentis Cuſtodis, qui libertatem dedit ſub ſpe reditus juramento promiſſi, qui graviſſimo ſubjiceretur diſcrimini.

Conſectarium Quartum.

IV. Juramentum vel non repetendi ſolutas uſuras, vel non reſcindendi contractum injuſtum, eſt ſervandum. Ex dictis etiam hujus conſectarii veritas patet, quandoquidem ſine injuria ulla Creatoris hæc juramenta ſervari poſſunt, *nec*, ut verbis utar Alex. III. cap. *Si vero*, de jurejurando, *eſt tutum, quemlibet contra juramentum ſuum venire, niſi tale ſit, quod ſervatum vergat in interitum ſalutis æternæ*. Poſſunt tamen a legitimo Superiore hujuſce juramenti injuſte extorti petere relaxationem, niſi forte promiſſio facta eſſet infideli; tunc enim ratio ſcandali foret habenda, & periculum exponendi chriſtianam religionem impiorum blaſphemiis penſandum.

Conſectarium Quintum.

V. Qui ſolutionem pecuniæ alicui juravit, non poteſt obtentu compenſationis eam non ſolvere. Nam primo, num licita ſit occulta compenſatio, incertum eſt, ut ſuo loco expendemus; verum etſi licita in quibuſdam circumſtantiis poſſit admitti, hic tamen certe locum ob juramenti religionem non habet. Quandoquidem hoc pacto juramentum non implet, juravit enim ſolvere, cum nihil revera ſolvat: nec dicant, compenſationem eſſe ſolutionis loco, nam ideo eſt loco ſolutionis, quia revera non intervenit ſolutio; non implet igitur quod juravit: ſicut ſi quis veſtem alicui pollicitus eſt ſub juramento, non implet promiſſum, ſi pretium veſtis exhibeat, niſi alter conſentiat. Præterea quare iſte utitur compenſatione? Profecto ut ſe indemnem ſervet, & illud obtineat quod juſte ſibi debetur, nec alia via conſequi valet, cum hac enim ſola conditione licita præſumitur compenſatio; porro juxta S. Thom. *quilibet debet magis damnum temporale ſuſtinere, quam juramentum violare*: ergo etiam cum hoc periculo debet promiſſam pecuniam ſolvere, & juramentum implere omni abjecta compenſatione.

Conſectarium Sextum.

VI. Juramentum, quo quis latroni, vel uſurario pollicitus eſt, vel non denunciaturum apud judicem, vel non impetraturum diſpenſationem, non ſemper eſt ſervandum. Nam ſi latro infenſus ſit bono communi, vel uſurarius publicus, tunc urget præceptum illum denunciandi, a quo per

juramentum non liberatur, immo tunc juramenti cuſtodia vergeret in deteriorem exitum. At ſi latro vel talis non eſt, de quo urgeat denunciandi præceptum, vel uſurarius publicus non ſit, tunc eſt præferenda juramenti religio, & non petenda diſpenſatio. Ita docet S. Tho. hic q. 89. a. 7. ad 3. ſcribens: *Poteſt tamen repetere in judicio quod ſolvit, vel prælato denuntiare, non obſtante quod contrarium juravit, quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum, eſſet enim contra juſtitiam publicam. Romani autem Pontifices ab hujuſmodi juramentis homines abſolverunt, non quaſi decernentes hujuſmodi juramenta non eſſe obligatoria, ſed quaſi hujuſmodi obligationes ex juſta cauſa relaxantes.*

CAPUT UNDECIMUM.

De peculiaribus quibuſdam juramentis.

DOCTRINA.

I. *De juramento non ambiendi dignitates.*
II. *Quando illud non violent Nobiles, Optimates &c.*
III. *Quando perjurii rei fiant.*
IV. *Qui in aliqua Communitate recipiuntur, tenentur ſervare quæ ſub juramento polliciti ſunt.*
V. *Quænam ſtatuta juramento promiſſa ſervanda ſint.*
VI. *Notarii, Scribæ &c. qui jurant nihil accepturos ultra ſtatutum pretium, tenentur ſervare juramentum.*
VII. *Qui in Capitulis, Comitiis, Congregationibus ſecretum jurant, illud tenentur cuſtodire.*
VIII. *De juramento Medicorum.*

I. IN optimis recteque inſtitutis Rebuſpublicis ac Principatibus ſtatuitur, ut Optimates ac Nobiles jurejurando ſe adſtringant ad dignitates non ambiendas, vel ſibi procurandas; hinc vetantur officia, preces importunæ, ſollicitationes, & alia hujuſmodi, quæ vulgari vocabulo *Broglio* dicuntur: & jure meritoque, ut hoc pacto juſtitia diſtributiva ſarta tecta ſervetur, & officia, dignitates ac munia reipublicæ nonniſi aptis, idoneis, digniſque conferantur. Ad quid vero teneantur qui hujuſmodi præſtant ſacramentum, breviter indicabimus, & quando contra præſtitum peccent juramentum, declarabimus.

II. Juramentum non violant Nobiles & Optimates, dum ſigno aliquo exteriori, puta veſtis demiſſione oſtendunt ſe officium aliquod vel Magiſtraturam petere, dum ſua merita exponunt, cauſas & rationes, cur dignitatem vel Magiſtraturam petant, declarant, & dum orant ut præ oculis habeantur & ſua in Rempublicam merita, expenſæ, labores, & ſtudia. Et quidem in his nec peccare, nec juramentum infringere oſtendunt mos & conſuetudo nunquam a Republica improbata hæc exercendi, quæ immo videtur & opportuna, & neceſſaria, ut concurrentium merita dignoſcantur, & recte fiat dignitatum, Magiſtratuum, officiorum, honorumque diſtributio. Eapropter ſtatuitur, ut plures ſemper ſint, qui ad officium & munus proponantur, adeout ſi unus tantummodo adſit, qui pro ſe officium poſtulet, nihilominus in proclamatione alius ei additur, qui cum ipſo de electione certet. Item juramentum non violant, ſi privatim ſcrutinium conficiant, & ſuffragia expendant, quæ ſibi favorabilia ſperant, vel timent adverſa, ut inde proſpiciant, num petitionem proſequi debeant, an ab ea deſiſtere; hoc enim prudentis videtur officium, ne ſe familiamque ſuam ludibrio, & contemptui exponant.

III. Perjuri vero ſunt, qui importunis precibus, multoque magis ſollicitationibus amicorum, pollicitationibus, minis, ſponſionibus, juramenti poſtulatione electores urgent, ſollicitant, impellunt ad ſibi in electione favendum. Hæc enim omnia, ut patet, apta ad animos inflectendos, ad indifferentiam tollendam, ſunt juſtitiæ diſtributivæ omnino infenſa, & in decretis & legibus & juramentis ambitum vetantibus expreſſe contenta: ſicut igitur leges violant, qui hæc violenta adhibent officia, ita & præſtitum juramentum infringunt. Sicut etiam illi, qui ad ſuffragia expendenda & multiplicanda ſcrutinium cum amicis & fautoribus inſtituunt, ut videant quinam adverſari poſſint conſecutioni muneris, ut eos ſollicitent per amicos, & per potentes inflectant, & viam inquirant eos alliciendi, & trahendi, vel terrendi ne ſaltem obſiſtant, quæ omnia libertatem lædunt ſuffragiorum, & diſtributivam juſtitiam labefactant. Perjuri quoque ſunt, ſanctarumque legum violatores, qui conveniunt non ſolum ut alter alteri cedat in poſtulatione officii, ſed etiam ſuffragia ſibi faventia polliceantur, cum aliud vacaverit munus, vel Magiſtratus, & ſic quod electionis ac juſtitiæ diſtributivæ officium eſt, evadit nundinatio quædam & commutatio, quo certe nihil pernicioſius in Republica contingere poteſt. Sunt igitur omnes iſti ut perjuri habendi, & niſi deſiſtant, & emendationem polliceantur, a Sacramentorum perceptione arcendi.

IV. Qui in aliqua Communitate recipiuntur, tenentur ea ſancte cuſtodire, quæ ſub juramento ſervare polliciti ſunt. Quamlibet Communitatem poſſe aliqua ſtatuere, ſive a ſingulis interpoſito jurejurando præſtanda, ſive ab omnibus collegialiter accepta, nullus eſt qui ambigat, cum cuique liberum ſit Communitati illi ſe adjungere, ac proinde juramentum vel præſtare vel declinare; poſito itaque aliquem in aggregatione juramentum emiſiſſe, jam ad illud ſervandum teneri, ipſa religio ſacramenti oſtendit. Quod ſi forte in aggregatione juramentum declinaverint, non tenentur quidem ad ſtatuta ſervanda vi juramenti, ſed vi pacti, conventionis, & juſtitiæ obſtringentis quemlibet ad ea ſervanda, quæ vel a tota Communitate, vel a majori parte pro ejus conſervatione & bono ſancita ſunt, alioquin nihil foret firmum ac ſtabile, & non Communitas, ſed Babylon eſſet, ſi cuique quod ſibi libet facere liceret. Ita S. Tho. hic q. 98. a. 2. ad 4. docens: *Ille, qui de novo fit civis alicujus civitatis, non obligatur quaſi juramento ad ſervanda illa, quæ civi-*

civitas ſe ſervaturam juravit, tamen tenetur ex quadam fidelitate, ex qua obligatur, ut ſicut ſit ſocius bonorum civitatis, ita etiam fiat particeps onerum. Juramenti autem lex non adſtringit niſi ad ea ſervanda ſtatuta & leges, quæ jam conſtitutæ ſunt, nec etiam ad futura extenditur, licet S. Antoninus hanc regulam diſtinctione temperet ſcribens part. 3. tit. 1. cap. 6. §. 6. *Poteſt tamen diſtingui, quod aut ſtatuta, quæ poſtmodum fiunt, non ſunt multum præjudicialia, & tunc extenditur juramentum ad illa, aut ſunt gravis præjudicii, & ad illa non extenditur juramentum;* verum videtur, quod ſive levia ſive gravia ſint quæ poſtea ſtatuuntur, ad illa non ſit extendendum juramentum, cum juramentum ſit ſtrictiſſime intelligendum, ut etiam declaratum legitur cap. *Cler.* 35. de jurejur. & docet S. Tho. l. l. ſcribens: *Canonicus vero, qui jurat ſe ſervaturum ſtatuta edita in aliquo collegio, non tenetur ex juramento ad ſervandum futura, niſi intenderit ſe obligare ad omnia ſtatuta præterita, & futura: tenetur tamen ea ſervare ex ipſa vi ſtatutorum, quæ habent coactivam virtutem.*

V. Qui ad præfata ſervanda ſtatuta ſacramento ſe adſtrinxere, omnia tenentur ſervare, quæ conformia ſunt juri naturæ, licet a pleriſque non obſerventur; quæ vero ſunt juris mere poſitivi, ſi vel uſu recepta non ſint, vel in deſuetudinem abierint, vel revocata ſint, ſub juramento non continentur. Prioris partis ratio eſt aperta; ſtatuta enim & decreta juri naturali conformia in illo fundata, nulla unquam poſſunt deſuetudine aut contrario uſu aboleri, nec multorum inobſervantia, aut culpabili transgreſſione queunt auferri. Poſteriorem vero partem ſic oſtendo: 1. Quia quæ juris tantum ſunt poſitivi & humani, contrariæ ſubſunt conſuetudini, & obnoxia ſunt præſcriptioni. 2. Quia non raro contingit, ut quæ primum ſalutaria ſunt, & recte conſtituta, temporis progreſſu noxia fiant, & in perniciem vergant, ac propterea non amplius urgeant, & de his locutus eſt D. Anton. p. 2. tit. 10. cap. 6. §. 6. cum docuit: *Cum quis jurat ſervare ſtatuta communitatis, vel alicujus collegii, ſi qua ſunt abrogata per contrariam conſuetudinem, quæ ſit rationabilis & præſumpta ... non videtur obligatus ad illa.* Hujus tamen legitimæ deſuetudinis & præſumptionis firmum argumentum non eſt, quod a pleriſque non obſerventur, quandoquidem humana imbecillitas & malitia facile nimis a ſe abjicit quod ſibi vel moleſtum ſentit, vel perniciosum. Sed inſpiciendum coram Deo, num ſtatutorum obſervantia bono communitatis vel promovendo, vel conſervando conducat, illique admodum utilis ſit, & tunc multorum tranſgreſſio non eſt ex deſuetudine excuſanda, ſed immo culpanda, & ſtatutorum obſervantiam adhuc obligare cenſendum eſt. Quod multo magis verum erit, ſi ex illorum tranſgreſſione & inobſervantia bonum commune jacturam patiatur, & in ruinam ruere videatur. At e contra ſi ea ſtatuta bono communi aut parum conferant, aut omnino non proſint, immo perſpiciantur obeſſe poſſe, tunc contraria deſuetudine abolita merito cenſeri poſſunt, nec amplius obligare. Verum in hoc chriſtiana prudentia opus eſt, nec res dijudicanda ex privato onere vel damno, ſed ad trutinam veritatis, ſemper bono communi inſpecto, libranda.

VI. Notarii, Scribæ, aliique publici Miniſtri, qui in Officii acceptatione jurant ſe nihil accepturos ultra pretium a lege taxatum, juramentum ſervare debent, licet pretium ſit inſufficiens, & tenue. Audiatur Cardinalis Toletus, qui lib. 5. cap. 62. ſic optime ſcribit: „ Notarius non „ excedat pretium juſtum inſtrumenti, pro quo „ poteſt pretium accipere, hoc autem eſt ſequen„ te lege taxatum. In qua taxatione notandum „ eſt, apud aliquas regiones exigi taxationes has „ ſecundum pretia viliſſima quia ſunt antiquiſſi„ ma, quando res minimo pretio emebantur, & „ tunc ipſa officia minus multo valebant, modo „ autem multum valent. Et quamvis juſte poſſit „ Notarius excedere illa taxata pretia, tamen u„ num obſtat, nimirum juramentum, quod ſin„ gulis annis, aut in principio officii facit, pu„ ta obſervandi illam taxationem, ob id peccat „ tranſgrediendo. Unde ſanctiſſime facerent Prin„ cipes, ſi pretium conveniens, habita tempo„ rum & regionum ratione, imponerent, aut ta„ le juramentum, quo multi illaqueantur, aufer„ rent “. Profecto paucis his verbis doctiſſimus piiſſimuſque Cardinalis & veram tradit doctrinam, & recentium ratiocinationes eludit, & verum aſſignat abhibendum remedium, ut perjuriis finis imponatur. 1. Itaque ſtatuit, Notarios alioſque contra juſtitiam peccare, ſi pretium a lege taxatum augeant. 2. Contingere poſſe, ut pretium ſit nimis tenue & inæquale, proinde ſi pretium augeant, fortaſſe contra juſtitiam non peccare. 3. At obſtare religionem juramenti, quo ſingulis annis, aut in principio officii ſe obſtringunt ad injuſtam illam taxationem ſervandam, propterea peccare non peccato injuſtitiæ, quia taxationem jam levem nimis ſupponit, ſed perjurii contra religionem. 4. Denique non aliud adhiberi poſſe remedium ne multi perjuriis illaqueantur, niſi ut Princeps vel taxationem augeat, vel juramenta aboleat. Et cap. ſeq. alterum tollit effugium ab aliquibus inductum ad hæc perjuria excuſanda, nimirum quod *Clientes ſponte donent quod taxationem excedit, quam ſciunt niſi injuſtam, ſaltem nimis tenuem*, reſpondens, Clientes dare invitos, & ſignum eſt, quod lite peracta *frequenter dicunt* hoſce Miniſtros *eſſe rapaces & latrones.*

VII. Qui in Capitulis, Congregationibus, Conventibus de ſervando ſecreto juramentum præſtant, ſub mortali illud ſervare tenentur. P. Boranga de Virt. relig. cap. 5. §. 30. hanc tradit regulam: ut (inquit) dignoſcatur, qualiter hujuſmodi juramentum obliget venialiter ne, an mortaliter, qualitas materiæ eſt attendenda; nimirum ſi juramentum ſit magni momenti, ejus violatio erit mortale peccatum; ſi autem levis ſit momenti, erit veniale. *Juramentum enim* (addit) *obligat ad inſtar præcepti ſervandi ſecretum, & ſolum addit novam circumſtantiam ſacrilegii*: in cujus confirmationem & plurium Theologorum auctoritatem allegat, & doctrinam adducit,

per

per quam aſſeritur, tranſgreſſionem juramenti in materia levi eſſe dumtaxat veniale peccatum. Verum ſicut hanc poſtremam doctrinam ſuperius rejecimus, oſtendendo promiſſorium juramentum parvitatem materiæ non admittere, ita hic a ſententia P. Boranga recedere cogimur. Et primo quidem verum non uſquequaque videtur, juramentum non eſſe niſi acceſſionem obligationis naturalis ſervandi ſecretum, nam certe id falſum eſt, quotieſcumque res aliqua definita, & in particulari ſub juramento celanda indicitur, nam etſi res levis ſit, eſt tamen ſervandum juramentum, alioquin deficeret veritas, & ea deficiente in quocumque jurejurando lethale peccatum committitur. Quod autem nec verum ſit etiam quando juramentum de ſervando ſecreto eſt generale, ex ipſa indole juramenti patet, quod pondus obligationis non ex gravitate materiæ, ſed ex reverentia divino nomini debita deſumit, alioquin non eſſet grave peccatum leve mendacium juramento confirmare. Licet igitur res ſecreto tegenda non magni ſit ponderis, cum tamen accedat divini nominis invocatio, talis eſt ut nonniſi pejerando detegi poſſit.

VIII. De juramento autem Medicorum jam dictum eſt in Appendice T. 3. cap. 4. §. 3. n. 12. ubi & quæ a Benedicto XIV. ſunt ſtatuta exponuntur.

CAPUT DUODECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Decreta juramentum ſubſequentia, ſi ſint præcedentium declaratoria, ſub juramento comprehenduntur.*

II. *Sicut etiam ſtatuta, licet non ſub culpa, ſed ad ſolam obligent pœnam, ſine perjurio violari non poſſunt.*

III. *Ad quid teneantur vi juramenti Præſides, Gubernatores, Rectores Urbium.*

IV. *Quid ſervare debeant Medici.*

Conſectarium Primum.

I. Licet qui juravit ſtatuta alicujus Eccleſiæ, Collegii, Communitatis ſervare, ad ea, quæ in poſterum condentur, vi juramenti non teneri dixerimus, excipienda tamen ſunt ea ſtatuta, quæ forent mere declarativa præcedentium ſtatutorum; ad ea enim ſe extenderet juramentum, hujuſmodi enim declaratorium ſtatutum non eſt vere novum ſtatutum, ſed idem cum veteri, quod declarat & exponit. Qui vero peculiare aliquod ſtatutum ſervare jurat, quod tamen eſt omnino obſoletum, licet non obſervando perjurus non ſit, peccat tamen jurando, quia juramentum incautum & imprudens omnino foret, & abuſum divini nominis ſecum afferret, debet ſiquidem quodlibet juramentum eſſe de re poſſibili, licita, & gravis momenti: at amabo quænam utilitas & neceſſitas eſſe poteſt in hujuſmodi juramento, cum quod promittitur jam ex oppoſita conſuetudine tamquam inutile abolitum ſit? Cavendum igitur ab imprudenti hoc juramentorum abuſu.

Conſectarium Secundum.

II. Quamvis fortaſſe aliqua ſtatuta Communitatis ad ſui obſervantiam non obligent ſub culpa, ſed ſolum ſub aliqua pœna, qui tamen ad illa ſervanda ſe juramento adſtringeret, perjurus eſſet violando. Inficiantur plures ex recentioribus, eo quia, inquiunt, jurans non promittit ſervare ea quæ ſtatuta ſunt, ſed ipſa ſtatuta prout ſtatuta ſunt, ſtatuta autem non obligant ſub culpa, ſed ſolum ſub pœna, ergo illa violans non culpam incurrit, ſed ſolam pœnam. Verum horum doctrinam refutat Ang. Præc. qui 2. 2. q. 186. a. 9. inquirit, num „ Religioſi ſemper peccent mortaliter transgrediendo ea quæ ſunt in „ regula “: & primo quidem ſibi objicit, „ facere contra votum eſt peccatum damnabile ... „ ſed Religioſi voto profeſſionis ad regulam aſtringuntur. Ergo peccant mortaliter tranſgrediendo ea, quæ in regula continentur “: deinde in corpore articuli docet eos non peccare ſemper lethaliter in hujuſmodi tranſgreſſionibus, quia ſcribit: „ Votum profeſſionis reſpicit principaliter tria prædicta (*vota*) ſcilicet paupertatem, continentiam & obedientiam, alia vero „ omnia ad hæc ordinantur, & ideo transgreſſio „ horum trium obligat ad mortale; aliorum autem traſgreſſio non obligat ad mortale “. Cujus rei rationem aſſignat in ſolutione ad 1. objectionem dicens: „ Ille qui profitetur regulam, „ non vovet ſervare omnia, quæ ſunt in regula; ſed vovet regularem vitam, quæ eſſentialiter conſiſtit in tribus prædictis. Unde & in „ quibuſdam religionibus cautius aliqui profitentur non quidem regulam, ſed vivere ſecundum regulam ... In quibuſdam autem religionibus adhuc cautius profitentur obedientiam ſecundum regulam; ita quod profeſſioni non contrariatur niſi id quod eſt contra præceptum „ regulæ “. Ubi notandum Doctorem Ang. non docere Religioſos non teneri ad Religionis ſtatuta, quia ea vovent ſervare quatenus ſtatuta ſunt, ſed quia revera regulas, leges, & ſtatuta non vovent: quod ſi quiſpiam Religioſus in Ordine Prædic. voveret feria ſexta jejunare, licet ex vi regulæ non niſi ſub pœna ad hujuſmodi jejunium teneatur, lethaliter tamen peccaret frangendo jejunium non ratione regulæ, ſed cauſa voti. Sic itaque ratiocinandum eſt & de ſtatutis illis, quæ licet in ſe inſpectis non obligent ad culpam, ſi tamen juramento confirmentur, jam ſine culpa violari non poſſunt. Duplex itaque in illis eſt diſtinguenda obligatio, nimirum quæ a lege oritur, & hæc, ut ſupponimus, ex legislatoris voluntate non niſi ad pœnam aſtringit; alia quæ oritur ex ſuperadjecto jurejurando, & hæc cum ab humano legislatore non pendeat, vim obligandi a divina lege & religione deſumit, quæ profecto ad culpam & quidem lethalem obligat, adeo ut ejus violatio ſit verum perjurium.

Con-

Conſectarium Tertium.

III. Dum Urbium Gubernatores, Præſides, Prætores in ſui Officii acceptatione jurant ſe publico bono proſpecturos, vi hujuſce juramenti non tenentur omnia peccata etiam publica coercere, vel impedire. Quandoquidem cum deſignantur horum locorum Rectores ſolum in rebus politicis, ex vi præſtiti juramenti non niſi in rebus politicis proſpicere debent, & ſolum temporale locorum bonum procurare, nimirum pretia rerum venalium juſta ſtatuere, de annona providere, pacem inter cives conſervare, publicæ quietis perturbatores compeſcere, latrones homicidas punire, curare, ne publici Miniſtri privatis civibus injuriam irrogent, ſuiſque abutantur miniſteriis, ad hæc enim obligantur & vi legum, & præſtito juramento: at meretrices, concubinarios punire, ludos prohibere, niſi forte vel in publicum cedant detrimentum, vel ſpecialiter in mandatis habeant, vi juramenti non tenentur, cum vel ipſi ſupremi Principes cogantur quandoque minora mala permittere, ut majora vitent.

Conſectarium Quartum.

IV. Ubi S. Pii V. Conſtitutio *ſuper gregem Dominicum* anni 1566. non eſt uſu & conſuetudine recepta, nec ſolent Medici, cum Lauream Medicinæ recipiunt, ejus Bullæ obſervantiam jurare, nihilominus jure naturæ, & divino aſtringuntur monere infirmos in diſcrimine vitæ conſtitutos de ſacramentis ſuſcipiendis. Immo ut optime præcipit, & monet Innoc. III. in Cap. *Cum infirmitas* de pœnit. & remiſſ. debent Medici in quacumque gravi infirmitate, licet fortaſſis mortis non immineat periculum, ægros monere, ne cum „ infirmi admonentur, exiſtiment ſe jam eſſe in „ periculo, & afficiantur triſtitia, atque adeo mortis periculum facilius incurrant.

CAPUT TERTIUMDECIMUM

De juramentorum ſolutione.

D o c t r i n a.

I. *Juramenta ſoli homini facta pluribus modis ceſſare poſſunt.*
II. *Quando habeatur notabilis materiæ mutatio.*
III. *Quando ceſſent condonatione.*
IV. *Quando juramenta ſunt Deo ſimul & homini facta, quænam regula ſervanda.*
V. *In juramentis homini factis per ſe locum non habet diſpenſatio.*
VI. *Irritatione tolluntur juramenta Deo facta.*
VII. *Ceſſant diſpenſatione vel commutatione.*
VIII. *Qui delegata gaudent poteſtate commutandi vota, num poſſint & juramenta relaxare.*
IX. *Juramenta homini facta quandoque diſpenſationem admittunt.*

I. CUM juramenta fieri valeant & ſoli homini, & ſoli Deo, & utrique, hinc pluribus modis ceſſare, tolli, & auferri poteſt juramenti obligatio. Et quidem quoad juramenta ſoli homini facta, horum onus & executio pluribus modis ceſſare poteſt, nimirum 1. per materiæ notabilem mutationem: 2. per condonationem, & relaxationem illius, in cujus favorem emiſſum eſt juramentum: 3. irritatione per Superiorem.

II. Notabilis mutatio habetur, non ſolum quando res jurata facta eſt vel phyſice, vel moraliter impoſſibilis, ſed etiam quando ex communi omnium ſenſu, vel ex conſuetudine, vel aliqua juris regula reputatur omnino alia ab ea, quæ jurata fuit, ut ſi quod promiſiſti, implere poſtea non poſſis ſine periculo vitæ, vel gravi detrimento honoris, vel bonorum, non teneris niſi tale periculum prævidiſti & voluiſti, ut contingit Medicis qui jurant ſervire infirmis lue infectis. Ita docet S. Th. hic q. 110. a. 3. ad 5. ſcribens: „ Ut enim Seneca dicit in lib. 4. de „ benefic. ad hoc, quod homo teneatur facere „ quod promiſit, requiritur quod omnia immutata permaneant; alioquin nec fuit mendax in „ promittendo, quia promiſit quod habebat in „ mente, ſubintellectis debitis conditionibus; nec „ etiam eſt infidelis non implendo quod promiſit, „ quia eædem conditiones non extant". Non tamen eſt ſufficiens illa mutatio, quam ſi jurans prævidiſſet, a juramento abſtinuiſſet, puta promiſiſti ſub juramento pauperi eleemoſynam vel diurnam, vel menſilem, & eum poſtea deprehendis ebrioſum, pravum, tibi infenſum, quod ſi præſciviſſes, profecto non ſpopondiſſes, juramentum implere teneris. Mutatur etiam res omnino, ſi fiat illicita ob Superioris prohibitionem. Ceſſat etiam obligatio juramenti ſi ceſſet finis totalis, & adæquatus illius, puta promiſiſti dotem puellæ indigenti, vel pecuniam pro redemptione captivi, ſed illa effecta eſt ob hæreditatem dives, ille fuga libertatem eſt conſecutus, non amplius urget juramenti obligatio.

III. Condonatione etiam, & remiſſione ceſſat obligatio juramenti in ſolius hominis favorem facti, poteſt ſiquidem quilibet rem vi juramenti ſibi debitam remittere, & condonare, & juri ſuo acquiſito renuntiare. Hinc ſi duo ſibi viciſſim jurejurando ſpoponderint, mutua utriuſque condonatione ceſſabit juramenti vinculum.

IV. In juramentis Deo ſimul, & homini factis hæc eſt regula ſervanda: inſpiciendum, num promiſſio ſit principaliter in hominis utilitatem jurata, & ſecundario in Dei honorem, ut cum quis miſertus puellæ periclitantis illi dotem pollicetur, & Deo jurat eam a periculo peccandi ſubtrahere, & tunc ſi puella vel dotem nolit acceptare, vel moriatur, non tenetur ad erogandam dotem alteri; ſi vero principaliter promiſſio jurata honorem Dei reſpiciat, ſecundario vero proximi utilitatem, ut cum quis jurat Virginem pauperem dotare, & hanc eligit, cui dotem ſub jurejurando promittit; & tunc licet hæc vel promiſſionem remittat, vel obeat, adhuc ſubſiſtit jus divinum ex juramento ortum, & alteram dotare tenetur.

V. In juramentis homini factis, & ab eo acceptatis, nullus poteſt diſpenſare, niſi vel ita poſtulet commune bonum, vel intercedat culpa illius, cui juratum eſt. Nam promiſſarius vi juramenti jus jam acquiſivit ad rem promiſſam, quo ſine cauſa vel culpa invitus ſpoliari nequit. Quando vero promiſſio in boni communis perniciem vergat, poteſt Superior diſpenſare (ſi qua tamen opus eſt diſpenſatione in executione rei jam illicitæ) ut ſi juraſti non denunciare, non manifeſtare ſecretum, quod vergit in damnum boni communis vel innocentis, & ſimilia. Pari pacto ſi juramentum vi extortum ſit, ut ſi juraſti pecuniam ludo vetito amiſſam ſolvere, poterit Superior diſpenſationem concedere, ut dicemus infra.

VI. Irritatione etiam ſolvuntur juramenta Deo facta, ut docet S. Tho. 2. 2. q. 89. a. 9. ad 3. ſcribens: *Ad unumquemque pertinet irritare juramentum, quod a ſibi ſubditis factum eſt, circa ea quæ ejus poteſtati ſubduntur*. In qua S. Tho. doctrina notandum 1. ſolos Superiores poſſe vota ſubditorum irritare: 2. poſſe ſolum circa ea quæ ſuæ ſubduntur poteſtati. Hinc ex primo capite Summus Pontifex poteſt irritare juramenta ad rem eccleſiaſticam ſpectantia, ut de alienandis bonis Eccleſiæ, de Canonicorum numero non augendo, vel minuendo, & in ceteris ſpectantibus ad officia, beneficia, diſtributiones, commutationes, reſignationes &c. Epiſcopus vero in ſua Diœceſi poteſtate pollet irritandi juramenta Clericorum ſibi ſubditorum in materia per ſe ſibi ſubjecta. Ita parentes juramenta irritare poſſunt filiorum, tutores pupillorum, mariti uxorum, domini ſervorum, & ſuperiores religioſorum. Ex ſecundo capite non valent parentes irritare juratos contractus filiorum de bonis caſtrenſibus, ſicut nec maritus de bonis paraphernalibus uxoris, cum horum votorum materia eorum non ſubjaceat poteſtati. Quod ſi ſuperiores, qui irritare juramenta poſſunt, ſemel adprobaverint, non amplius revocare poſſunt niſi nova ſuperveniente cauſa, quæ materiam juramenti notabiliter mutet, adeout Superioris juriſdictioni & poteſtati noxia fiat: ſic habetur Num. 30. *Mulier ſi ſe conſtrinxerit juramento, quæ eſt in domo patris ſui, & in ætate adhuc puellari, ſi cognoverit pater juramentum, quo obligavit animam ſuam, & tacuerit ... quidquid juravit opere complebit*. Nonnulli Theologi putant ad juramentorum irritationem nullam prærequiri cauſam, ſed omnino a voluntate Superioris pendere vota ſubditorum irritare; verum puto aliquam cauſam requiri ad legitimam irritationem, nam prudens oportet ſit irritatio, ne temere quis operetur; porro ſi nulla adſit irritationis cauſa, jam temeraria eſt, & imprudens irritatio; quæ proinde Deo injurioſa ſit oportet, cujus ſanctiſſimum nomen fruſtra fuiſſe aſſumptum efficit.

VII. Ceſſat etiam juramentum per diſpenſationem ſeu relaxationem a Superiore factam. Et quidem quantum ad juramentum ſoli Deo factum, qui poteſtate ordinaria pollent diſpenſandi, ſive commutandi vota, poſſunt etiam juramenta commutare. Hinc Summus Pontifex omnia poteſt commutare juramenta, vel ab eis diſpenſare, juſta tamen de cauſa. Epiſcopi vero pari gaudent poteſtate in ſuos ſubditos, niſi forte aliqua ſint Sedi Apoſtolicæ reſervata, cujuſmodi ſunt illa quæ materiam reſpiciunt, quæ ſi voveretur, votum eſſet Pontifici reſervatum, cujuſmodi ſunt juramenta de caſtitate ſervanda, de ſtatu religioſo aſſumendo, & peregrinatione ad limina Apoſtolorum, Hieroſolymitana & Compoſtellana. Sed de his fuſius Tract. de Voto.

VIII. Qui vero nonniſi delegata poteſtate donati ſunt, num ſi poſſint vota commutare, poſſint & juramenta, diffident Theologi: nonnulli ſiquidem cenſent facultatem diſpenſandi vota & poteſtatem continere diſpenſandi juramenta, & ſimul ita eſſe connexa, ut una conceſſa, & altera data cenſeatur, tum quia vota & juramenta pari modo obligare, & idem vinculum inducere videntur, tum quia ſi quis in voto jurato diſpenſet ſublata materia voti, corruat & juramentum neceſſe eſt, & viciſſim. Ita ſentiunt Suarez, Leſſius, aliique. Verum probabilior eſt aliorum opinio, qui docent, poteſtate donatum commutandi vota, facultate non potiri commutandi juramenta, tum quia juxta Romanæ Curiæ ſtylum, & morem privilegium commutandi juramenta a privilegio diſtinguitur commutandi vota, ut docent Navarrus, aliique, quod profecto ab habente delegatam poteſtatem eſt perpendendum, ne limites ſibi conceſſæ facultatis tranſiliat. Præterea juramentum, & votum vinculum inducunt diverſi generis, quorum unum ab altero minime pendet. Et licet commutatione voti tollatur materia illius, tollitur tamen ſolum quatenus ſubeſt voto, non vero quatenus ſubeſt juramento, ſi votum juratum ſit, ut patet in contractibus nullis, ſed juratis, in quibus tollitur vinculum juſtitiæ, at non tollitur vinculum juramenti; proinde contrahentes pacta ſervare debent licet non ex juſtitia, certe ex religione. Ita Azorius, Navarrus, Leſſius, aliique.

IX. Diſpenſare vero poſſunt juramenta homini facta ſummus Pontifex, Epiſcopi, aliique quaſi epiſcopalem juriſdictionem habentes, quotieſcumque id poſtulet indignitas, & turpitudo illius, qui juramentum in ſui favorem extorſit. Sic relaxare poſſunt pacta, promiſſiones, & contractus juratos metu gravi extortos, non vero metu levi, qui pro nihilo eſt habendus. Unde S. Tho. hic q. 98. a. 3. loquens de poteſtate ſummi Pontificis diſpenſandi in juramentis coactis dicit, *præſertim ſi coactus fuerit tali metu, qui cadere poſſit in conſtantem virum*. Poteſt etiam relaxare contractus juratos ab impuberibus celebratos etiam doli capaces, ſi ſint de rebus a jure vetitis, vel enormem læſionem paſſi ſint. Immo hæc juramenta licet Judex laicus relaxare directe non valeat, cum juramenti relaxatio actus ſit ſpiritualis juriſdictionis, poteſt tamen indirecte irrita reddere, obligationem remittendo, & initos contractus reſcindendo, qui bono publico noxii deprehenduntur.

CA-

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De Perjurii gravitate, ejusque pœnis.

DOCTRINA.

I. *Perjurii eſſentia in falſitate conſiſtit.*
II. *Eſt de ſe ſemper lethale peccatum.*
III. *Eſt graviſſimum ſcelus ipſum homicidium vincens.*
IV. *Pœnæ in perjuros conſtitutæ.*
Reflexio.

I. PERJURII eſſentiam D. Tho. in falſitate conſtituit, ſic enim ſcribit hic q. 98. a. 1. „ Morales actus ex fine ſpeciem ſortiuntur. Finis autem juramenti eſt confirmatio dicti humani: cui quidem confirmationi falſitas opponitur: per hoc enim confirmatur aliquod dictum, quod oſtenditur firmiter eſſe verum: quod quidem non poteſt contingere de eo, quod falſum eſt. Unde falſitas directe evacuat finem juramenti: & propter hoc a falſitate præcipue ſpecificatur perverſitas juramenti, quæ perjurium dicitur. Et ideo falſitas eſt de ratione perjurii. " Addit tamen in reſponſione ad 1. deficientiam etiam juſtitiæ, & judicii perjurium conſtituere, licet *non eodem ordine*: nam „ primo quidem & principaliter perjurium eſt, quando deeſt veritas, ratione jam dicta (in corp.) Secundario autem, quando deeſt juſtitia: quocumque enim modo quis jurat illicitum, ex hoc ipſo falſitatem incurrit, quia obligatus eſt ad hoc quod contrarium faciat. Tertio vero, quando deeſt judicium: quia cum indiſcrete jurat, ex hoc ipſo periculo ſe committit falſitatem incurrendi.

II. Perjurium autem, præcipue cum veritati adverſetur, eſſe de ſe ſemper lethale peccatum oſtendit idem A. D. art. 3. ſcribens: „ Quidquid eſt, quod de ſui ratione pertinet ad contemptum Dei, eſt peccatum mortale ": probaverat autem art. præced. ad Dei irreverentiam pertinere, quod „ eum in teſtem invocet falſitatis, quia per hoc dat intelligere vel quod Deus veritatem non cognoſcat, vel quod falſitatem teſtificari velit.

III. Perjurium graviſſimum eſſe ſcelus ad unum fatentur omnes Theologi, nam & adverſatur præceptis primæ tabulæ, & immediate ipſum Deum attingit, hinc ſolum blaſphemiæ cedit, & infidelitati. Num autem omnia vincat peccata, quæ in homines committuntur, ambigunt nonnulli Theologi, qui homicidium perjurio gravius arbitrantur, cum hoc religioni adverſetur, quæ virtus eſt moralis, illud autem caritati virtuti theologicæ. Verum quæſtionem dirimit Aug. Præc. in quodlib. 1. art. 18. ubi quæſtionem hanc verſans docet, perjurium vincere malitia homicidium, quod probat argumentatione deducta ex teſtimonio Apoſtoli ad Hebræos dicentis: *Omnis controverſiæ eorum finis eſt juramentum*, unde ſubſumit Angelicus: „ Fruſtra in cauſa homicidii controverſiæ finis eſſet juramentum, ſi homicidium eſſet gravius peccatum quam perjurium, præſumeretur enim quod qui majorem culpam homicidii commiſiſſet, non vereretur minorem perjurii incurrere ". Confirmat S. Antoninus 2. par. tit. 10. cap. 7. ſcribens: „ Peccata quæ ſunt directe contra Deum, ſunt ſecundum ſe graviora quam ea, quæ ſunt contra proximum, quia Deus ſine comparatione majus eſt proximo ". Verum quidem eſt, quod ſi nocumentum ſpectetur ex homicidio proveniens, gravius eſt homicidium perjurio, cum hoc graviſſimum homini inferat damnum, illud autem Deo non noceat, & hæc eſt etiam ratio, cur gravius ab hominibus homicidium puniatur quam perjurium.

IV. Pœnæ tum in civili tum in canonico jure perjuriis ſtatutæ ſunt. Prima eſt infamia, quam tamen non incurrunt niſi qui ſolemniter jurando pejeraverint, ac de perjurio convicti fuerint in judicio, & condemnati; & hoc in ſenſu intelligendus eſt D. Th. cum docet hic q. 98. a. 3. ad 3. „ Ille, qui jurat falſum juramento aſſertorio, non eſt infamis ipſo jure; ſed ſolum per ſententiam definitivam latam contra eum in accuſatione. " Similiter cum ſubdit „: Ideo magis reputatur infamis ipſo jure qui frangit juramentum promiſſorium ſolemniter factum, quia in ejus poteſtate remanet, poſtquam juravit, ut det ſuo juramento veritatem: quod non contingit in juramento aſſertorio ". Adhuc tamen ſententia Judicis eſt neceſſaria. Altera pœna eſt excluſio a teſtificando, ut ſtatuitur cap. Quicumque quæſt. 1. & cap. *Parvuli* 2. quæſt. 1. ubi dicitur: „ Qui ſemel pejeravit, nec teſtis ſit, nec ad juramentum admittatur nec in ſua, nec in altera cauſa. " 3. Si Clericus ſit, & falſum dixerit in judicio, deponendus eſt, ac in Monaſterio recludendus. Si Laicus vero, pœna puniatur deportationis & exilii, ejuſque bona publicentur. Immo ſi in cauſa criminali pejeravit, eadem eſt plectendus pœna, qua afficeretur reus. 4. In foro pœnitentiali Canones eamdem conſtituunt pœnam ſeu ſatisfactionem, quam adulterio ſtatuunt, & homicidio. S. Baſilius in epiſt. ad Amphilochium ſic canonem refert: „ Perjurus decem annis non erit communionis particeps, duobus annis deflens, tribus audiens, quatuor ſubſtratus, anno unico conſiſtens; & tunc communione dignus habebitur ". In jure autem Canonico cap. *Quicumque* 6. queſt. 1. dicitur: „ Quicumque ſciens pejeraverit, quadraginta dies in pane & aqua, & ſeptem ſequentes annos pœniteat, & nunquam ſit ſine pœnitentia, & nunquam in teſtimonium recipiatur. Communionem tamen poſt hoc percipiat.

REFLEXIO.

I. *Nullum vinculum*, inquit Tullius Offic. lib. 3. „ ad adſtringendam fidem jurejurando Majores arctius eſſe voluerunt. Id indicant leges in duodecim Tabulis, indicant ſacra, indicant fœdera, quibus etiam cum hoſte devincitur fides, indicant notationes animadverſioneſque Cenſorum, qui nulla de re diligentius, quam de

„ jurejurando judicabunt “. Jure proinde meritoque in optima beneque inſtituta republica qui adminiſtrationem juſtitiæ, ſive commutantis, ſive diſtribuentis obtinent, ad eam in omnibus ſartam tectamque ſervandam jurejurando adiguntur. Jurejurando ſubditi Regibus, Principibus, ſupremis Magiſtratibus obſequium, obedientiam, ſubjectionem pollicentur. Jurejurando Principes, & Reges Regni ac Principatus jura, ſubditorum bonum, utilitatem, & commodum ſe curaturos ſancte ſpondent. Sub hac ſacra ac tutiſſima cuſtodia arcana, & ſecreta tuta eſſe creduntur; fœdera ſanciuntur, cohibetur ambitus, luxus & pompæ juſtis limitibus coercentur; pacta & conventiones firmantur, roborantur, ac immota permanere ſperantur.

II. Quis igitur non proſpiciat quantum reipublicæ, communique bono detrimentum afferant, qui hæc ſacra vincula relaxare non horrent, vel obtentu deſuetudinis, vel inoliti contrarii uſus, vel difficultatis & moralis impotentiæ in ſacramentorum cuſtodia, & impletione? „ Peſſimum nefas (inquit Ferrandus Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconus in Parænetico ad Reginum Comitem) „ falſa juratio, & ſi paulo altius conſideres, inutilis ſemper, maximeque exercituum gubernatoribus. Mutabilia etenim hominum corda ſacramenti vinculo frequenter ligantur, ut fide ſtabili bella ſuſcipiant, & tunc firma ſit ſecuritas Ducibus. Quam grave, & quam perniciosum, ut videant, vel ſentiant ſolvi facile ſacramentum, Duciſque ſui invitentur exemplo leve æſtimare perjurium! Quidquid proinde juramento intercedente confirmas, ratum ſemper obſerva, ſive inimico gratiam, ſive veniam reo, ſive laborantibus tecum præmia pollicearis, & hoc adhibita invocatione nominis Domini credibile facias operando, nullius utilitatis conſideratione, nullius periculi formidine debes irritum facere. Fixus ſit & immutabilis „ ſermo, cujus fidei eſt adhibitus Deus.“

III. O utinam iſta perpendant animarum ſtudioſi Moderatores! ſtatim ab eorum oculis evaneſcent quæ finguntur ad excuſandas excuſationes in peccatis, & ad juramenta fraudanda, cujuſmodi ferme ſunt, juramenta publica pro forma adhiberi, a nemine cuſtodiri, eorum obſervantiam nunquam obtinuiſſe, & cum plura ſint quæ jubentur, ſatis eſſe ſi aliqua tantum ſerventur, ut juramenti veritas adhuc conſiſtat, & denique juramenta publice violari ſciente & vidente legiſlatore, nec pœnam tamen ab iis ſumi, qui violant. Nam ſi pro forma adhibentur juramenta, peccant igitur qui Dei nomen in vanum aſſumunt: ſed temerarium plane eſt exiſtimare Reges, Principes, Magiſtratus ad hoc unice juramentum a Miniſtris, a Judicibus, a Præſidibus a ſe deputatis expoſcere, ut Dei nomen in vanum aſſumant; volunt igitur ſacramenta ſancte cuſtodiri. Si ex transgreſſorum multitudine juramenti valor penderet, jam abolita eſſe dicenda forent Decalogi præcepta, cum innumeri ſint, qui in ea peccant: Nec ipſæ humanæ leges ſola inobſervantia abolentur, ſed Legiſlatoris conſenſus requiritur, quem non adeſſe certum eſt, quotieſcumque ab omnibus eas obſervari vult, de ejus obſervantia ſacramentum exigit: quod ſi tranſgreſſores etiam manifeſtos non punit, non perinde cenſendus tranſgreſſioni annuere, ſicuti nec annuit Deus, dum peccatores ipſo vidente, & ſciente in ſcelera labentes non punit, ſed quia multa quidem poſſunt Principes, quæ non expediunt, ideoque tolerant, vel diſſimulant, vim tamen legis nec minimum minui oſtendunt, dum leges innovant, urgent, ſacramentum exigunt ab omnibus, & non niſi eo præſtito dignitates, officia, publica miniſteria adire concedunt. Dum igitur hæc audiunt Confeſſarii, non credant, nec perniciosa miſericordia ſuccurrendi pejeratoribus ſe moveri ſinant, ſed juramenti ſacrum vinculum urgeant, & illorum excuſationibus regerant illud Pſal. 118. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua.*

DIS-

DISSERTATIO II.

DE VOTO.

AMPLISSIMUM ſane eſt voti nomen, & ad plura ſignificanda uſurpatur. Aliquando enim ſumitur pro pio affectu, deſiderio & pietate; ſic dicimus pia fidelium vota Deo eſſe grata, & in hoc ſenſu etiam in Canone Miſſæ Deo dicimus de fidelibus Miſſæ Sacrificio præſentibus, Tibique reddunt vota ſua, *& Proverb.* 31. *filius a matre vocatur*, dilecte votorum meorum, *ideſt objectum affectus dilectioniſque maternæ. Quandoque vero pro ſacrificio, oblatione, & oratione. Sic Proverb.* 15. 8. *habetur:* Victimæ impiorum abominabiles Domino, vota juſtorum placabilia. *Nonnumquam deſiderium, propoſitum, & animi deliberationem indicat, ut contingit in Baptiſmo, in quo homines vovent abrenunciare Diabolo, & pompis ejus, & fidem Chriſti amplecti. Indicat quandoque res Deo oblatas. Sic de Aſa Rege* 3. *Reg.* 15. 15 *dicitur:* Intulit ea, quæ ſanctificaverat Pater ſuus, & voverat, in Domum Domini argentum, & aurum, & vaſa. *Denique ſumitur pro promiſſione Deo facta, qua quis ſe Deo obſtringit, ut dicitur Eccleſ.* 5. Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere, diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio. *Et in hac poſtrema ſignificatione voti nomen hic uſurpamus, cujus notionem, obligationem, effectus, impletionem, aliaque ad ipſum pertinentia ſumimus explananda.*

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit votum. Conditiones ad verum legitimumque votum. Voti multiplices diſtinctiones exponuntur.

DOCTRINA.

I. *Voti definitio ex S. Thoma.*
II. *Quomodo ſit promiſſio.*
III. *Quid ſit* de meliori bono.
IV. *Opus virtutis ex voto melius eſt, & laudabilius quam ſine voto.*
V. *Voti diviſio in ſimplex & ſolemne.*
VI. *Nonnullæ voti diviſiones.*
VII. VIII. *Aliæ diviſiones.*
IX. *Votum quo ſenſu aliud neceſſarium, aliud liberum.*

I. VOTUM definitur ab Angel. Præc. hic q. 88. a. 2.

Promiſſio facta Deo de bono meliori.

Eſt autem actus religionis, tum quia vota ſoli Deo fiunt, tum quia ejus cultum, honoremque reſpiciunt, & promovent. Et 1. quidem quomodo vota licet Sanctis, immo & Prælatis facta, dicantur Deo tamen ſemper fieri, explicat D. Aug. hic q. 88. a. 5. ad 3. dicens: „ Dicendum, quod votum ſoli Deo fit; ſed promiſſio etiam poteſt fieri homini: & ipſa promiſſio boni, quæ fit „ homini, poteſt cadere ſub voto, inquantum eſt „ quoddam opus virtuoſum. Et per hunc modum „ intelligendum eſt votum, quo quis vovet aliquid Sanctis, vel Prælatis; ut ipſa promiſſio facta Sanctis, vel Prælatis cadat ſub voto materialiter, inquantum ſcilicet homo vovet Deo, „ ſe impleturum quod Sanctis, vel Prælatis promittit". Quod vero 2. votum ad religionem pertineat, docet idem Angelicus l. l. in corp. ſcribens: „ Manifeſtum eſt, quod votum eſt quædam „ promiſſio Deo facta, & quod promiſſio nihil eſt „ aliud quam ordinatio quædam ejus, quod promittitur, in eum cui promittitur. Unde votum eſt „ ordinatio quædam eorum, quæ quis vovet, in divinum cultum, ſeu obſequium. Et ſic patet, quod „ vovere proprie eſt actus latriæ, ſeu religionis.

II. Dicitur vero votum *promiſſio*, ut a propoſito, conſilio, & etiam firma aliquid faciendi vel implendi voluntate, quæ tamen conjunctam non habeat promiſſionem, diſtinguatur. Tria proinde ſapienter docet D. Tho. ad votum requiri, hic art. 1. ſcribens: „ Promiſſio autem procedit ex „ propoſito faciendi. Propoſitum autem aliquam „ deliberationem præexigit, cum ſit actus voluntatis deliberatæ. Sic ergo ad votum tria ex neceſſitate requiruntur: primo quidem deliberatio; „ ſecundo propoſitum voluntatis; tertio promiſſio, in qua perficitur ratio voti.

III. Dicitur *de meliori bono*, res ſiquidem, quas Deo vovere poſſumus, in triplici ſunt differentia, ut docet D. Th. hic art. 2. nimirum vel mala ſunt & indifferentia, vel bona neceſſaria ad ſalutem, vel bona omnino libera, & a voventis voluntate pendentia; hinc de his ita ſcribit D. Th. „ Cum omne peccatum ſit contra „ Deum, nec aliquod opus ſit Deo acceptum, niſi „ ſit virtuoſum, conſequens eſt, quod de nullo illicito, nec de aliquo indifferenti debeat fieri votum, ſed ſolum de aliquo actu virtutis... Illud „ vero, quod non habet abſolutam neceſſitatem, „ ſed neceſſitatem finis, puta quia ſine eo non poteſt eſſe ſalus, cadit quidem ſub voto, inquantum voluntarie fit, non autem inquantum eſt „ neceſſitatis. Illud autem, quod neque cadit ſub „ neceſſitate abſoluta, neque ſub neceſſitate finis, „ omnino eſt voluntarium; & ideo hoc propriiſſime cadit ſub voto. Hoc autem dicitur eſſe majus „ bo-

„ bonum in comparatione ad bonum, quod com-„ muniter eſt de neceſſitate ſalutis. Ideo, proprie „ loquendo, votum dicitur eſſe de meliori bono“. Quam D. Th. doctrinam latius explicabimus, ubi de voti materia ſermo erit.

IV. Opus virtutis ex voto factum melius eſt, & laudabilius opere non ex voto. Ita docent SS. Auguſtinus & Thomas. Ille quidem lib. de Virginitate cap. 8. ſcribit: „ Neque enim & ipſa, „ quia virginitas eſt, ſed quia Deo dicata eſt, „ honoratur... quæ licet interne ſervetur, ſpiri-„ tus tamen religione ac devotione ſervatur. Ac „ per hoc ſpiritualis eſt etiam virginitas corpo-„ ris, quam vovet, & ſervat continentia pieta-„ tis. “ Alter vero a. 6. ſic docet: „ Facere i-„ dem opus cum voto eſt melius, & magis me-„ ritorium quam facere ſine voto. Primo quidem, „ quia vovere eſt actus latriæ, quæ eſt præcipua „ inter virtutes morales. Nobilioris autem virtu-„ tis eſt opus melius, & magis meritorium. Un-„ de actus inferioris virtutis eſt melior, & magis me-„ ritorius ex hoc, quod imperatur a ſuperiori vir-„ tute, cujus actus fit per imperium; ſicut actus „ fidei, vel ſpei melior eſt, ſi imperetur a carita-„ te. Et ideo opera aliarum virtutum moralium „ (puta jejunare, quod eſt actus abſtinentiæ; & „ continere, quod eſt actus caſtitatis) ſunt me-„ liora, & magis meritoria, ſi fiant ex voto, „ quia ſic jam pertinent ad divinum cultum, quaſi „ quædam Dei ſacrificia... Secundo quia ille, qui „ vovet aliquid, & facit, plus ſe Deo ſubjicit, „ quam ille qui ſolum facit: ſubjicit enim ſe Deo „ non ſolum quantum ad actum, ſed etiam quan-„ tum ad poteſtatem, quia de cætero non poteſt „ aliud facere; ſicut plus daret homini qui daret „ ei arborem cum fructibus, quam qui daret ei „ fructus tantum... Tertio quia per votum im-„ mobiliter voluntas firmatur in bonum. Facere „ autem aliquid ex voluntate firmata in bonum, „ pertinet ad perfectionem virtutis.

V. Plures ſunt votorum diſtinctiones, diviſioneſque, quas hic breviter delibabimus; prima & omnium maxima eſt in votum ſolemne, & ſimplex. Solemne votum conſtituit S. Th. hic q. 88. a. 11. „ in quadam conſecratione, ſeu benedictione, „ per quam Monachus Domino offertur, & ſancti-„ ficatur, abrenuntiato ſeculo, & totaliter divino „ ſervitio mancipatur“: unde & in facie Eccleſiæ fit, & ejuſdem poſtulat acceptationem. Simplex vero votum illud eſt, quod a qualibet privata perſona emittitur.

VI. Dividitur 2. votum in abſolutum, conditionale, & pœnale. 1. Abſolutum illud dicitur, quod a nulla pendet conditione per voventem appoſita, ut cum quis vovet recitationem Roſarii, Offici B. V., & ſimilia. Dixi per voventem appoſita, ſunt enim nonnullæ conditiones ita omnibus votis imbibitæ, nimirum ſi res ſit poſſibilis, ſi res totaliter non immutetur, ſi non fiat mala, ſalvo Superioris jure &c. de quibus ſuo loco. Conditionale votum illud eſt, quod ab aliqua pendet conditione per voventem appoſita, puta ſi convaluero, eccleſiam Lauretanam viſitabo: quæ conditiones vel neceſſariæ eſſe poſſunt, vel contingentes; ſi neceſſariæ, jam votum abſolutum oſtendunt, ut ſunt omnes conditiones de præterito, vel de præſenti, quæ ſi jam exiſtunt, votum non ſuſpendunt, immo & de futuro, ſi quod neceſſarium eſt facturum apponat, ut ſi quis dicat, Religionem ingredi voveo, ſi annum vigeſimum explevero, tunc enim cenſetur votum abſolutum, ſolumque deſignatur impletionis tempus: contingentes vero ſunt, quæ poſſunt eſſe & non eſſe, proinde votum ſuſpendunt uſque ad ſui impletionem, ut ſi quis voveat eleemosynam, ſi beneficium, quod optat, conſequatur. Pœnale votum eſt conditionatum, & adjicitur ad ſe in bono propoſito confirmandum, & peccatum vitandum, ut ſi quis dicat, ſi blaſphemavero, voveo jejunium in pane & aqua.

VII. Votum aliud eſt reale, aliud perſonale, aliud mixtum. Perſonale votum actionem voventis reſpicit, & pollicetur, puta jejunare ſingulis ferris ſextis, Roſarium recitare, nudis pedibus Eccleſiam viſitare. Reale vero externam rem Deo pollicetur, ut dare eleemoſynam, eccleſiam, Monaſterium, Capellam erigere, dotare &c. Mixtum; quod utrumque complectitur, ut Ædem Lauretanam viſitabo, & Calicem argenteum offeram.

VIII. Votum aliud eſt tacitum, aliud expreſſum. Tacitum eſt, quod corde concipitur, nec exterius verbis exprimitur; licet enim, ut optime obſervat D. Th. hic ar. 1. „ promiſſio, quæ „ ab homine fit homini, non poteſt fieri niſi per „ verba, vel quæcumque exteriora ſigna; Deo au-„ tem poteſt fieri promiſſio per ſolam interiorem „ cogitationem: “ *quia ut dicitur* 1. *Reg.* 16. 7. Homines vident ea, quæ parent; ſed Deus intuetur cor. „ Exprimuntur tamen quandoque verba „ exteriora vel ad ſuipſius excitationem... vel „ etiam ad alios conteſtandum, ut non ſolum de-„ ſiſtat a fractione voti propter timorem Dei, „ ſed etiam propter reverentiam hominum“. Tacitum etiam a D. Th. reputatur votum caſtitatis, quod a Subdiaconis emittitur in eorum ordinatione, nam licet illud exterius non proferant, in ipſa tamen voluntaria ordinis ſuſceptione continetur, ut ſcribit ſupplem. q. 53. a. 3. „ Ordo ſacer... apud Græcos impedit matrimo-„ nium contrahendum ſolum ex vi ordinis; ſed „ apud Latinos impedit ex vi ordinis, & ulte-„ rius ex voto continentiæ, quod eſt ordinibus „ ſacris annexum: quod etiamſi quis verbo tenus „ non emittat, ex hoc ipſo tamen quod ordinem „ ſuſcipit, ſecundum ritum occidentalis Eccleſiæ, „ intelligitur emiſiſſe“. Expreſſum vero eſt, quod exterius verbis concipitur. Hæc autem vota ſive tacita, ſive expreſſa & perpetua eſſe poſſunt, & temporanea: perpetua dicuntur, quæ per totam voventis vitam durant, & aliquando etiam poſt ejus mortem perſeverant, ut ſi quis voveat Monaſterium fundare, ubi Deus perpetuo laudetur; temporale vero, quod præfinito limitatur tempore, ut ſi quis jejunium voveat ſingulis ſabbatis, vel per decennium.

IX. Sunt qui votum in neceſſarium dividunt, & liberum. Voti neceſſarii nomine baptiſmale deſignant votum, quo omnes pollicentur ſe Diabolo re-

ſo renuntiare, & pompis ejus; verum minus proprie votum nuncupatur: ſunt qui neceſſarium etiam dicunt, quod alias eſt de neceſſitate ſalutis, ut ſi quis voveat non fornicari; at hoc quatenus ſub præcepto cadit, votum non eſt; fieri tamen poteſt materia voti, ſi ſupra præceptum ſpontaneam quis addit Deo pollicitationem, & hoc pacto liberum eſt, cum non vovere poſſit ſi velit: liberum autem dicunt votum, quod neutro modo eſt neceſſarium, ſed omnino pendet a voventis libera voluntate: quod tamen non tam diſtinctio voti, quam neceſſaria omnium votorum conditio eſt dicenda. At bene quidem poſtremo loco votum in poſitivum diſtinguitur, & negativum; hoc in ceſſatione operis alioquin liciti ſitum eſt, ut ſi quis voveat non ludere, non bibere vinum &c. Illud in poſitione alicujus vel operis, vel rei, ut audire miſſam in die ſabbati, largiri eleemoſynam &c. Priora vota conditionem induunt præceptorum negativorum, quæ obligant ſemper & pro ſemper; poſteriora vero ad inſtar præcepti negativi, non urgent niſi præſtituto tempore.

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Ad votum quænam requiratur deliberatio.*
II. *Nullum propoſitum licet firmiſſimum voti obligationem inducit.*
III. *Qui vovere vellet, ſed animo non vovendi, voto non teneretur.*
IV. *Qui vero vellet & vovere, & promittere, at nollet ſe obligare, voto teneretur.*
V. *Ad voti valorem non eſt neceſſaria voluntas implendi.*

Conſectarium Primum.

I. AD valorem voti requiritur plena & perfecta deliberatio, nec ſufficit imperfecta, & ſemiplena. Nam cum votum ſit lex graviſſima, quam ſibi quilibet imponit, neceſſe eſt ut plene & perfecte advertat quid voveat, quid polliceatur, & eo attentior requiritur conſideratio, quo majus eſt onus, quod per votum aſſumitur; hinc oportet, ut qui vovet, ſit ſui compos, & cognoſcat, noveritque quod promittit. Sicut vero ad hanc plenam, perfectamque advertentiam nec longa eſt opus conſideratione, & diſcuſſione, ita nec quæcumque animi ſive commotio, ſive perturbatio eam tollit, cum plerumque vota Deo nuncupentur vel in devotionis fervore, vel in vehementi alicujus boni deſiderio, vel alicujus vitandi mali timore. Hinc vota etiam repentino motu emiſſa, ſi ex deliberato animo proficiſcantur, ſuo valore non carent, nec hanc defuiſſe deliberationem indicat quæ ſtatim ſubſequitur de voto facto diſplicentia; in humanis enim non ſemel contingit, plura etiam libere & plena voluntate facta confeſtim diſplicere; ad ſummum (ut nonnulli putant Theologi (hæc repentina voti emiſſio, petendæ commutationis, & relaxationis cauſam præbere poteſt. Porro ea eſt cenſenda ſufficiens libertas & deliberatio in voto, quæ ſatis dignoſcitur ad lethale peccatum committendum, vel contractum, ſive negotium grave ineundum. Eapropter minime ſufficiens eſt dicenda illa ſemiplena deliberatio & libertas, quæ ad veniale peccatum ſatis cenſetur, licet votum eſſet etiam de re leviſſima. Hæc autem deliberatio neceſſe non eſt, ut ſit actualis, ſed ſufficit virtualis in præcedentibus actibus contenta, ut patet in Moniali, quæ in manibus Epiſcopi vota ſua nuncupat Deo, profeſſionis verba pronuntians, licet actualiter de ipſis votis non cogitet.

Conſectarium Secundum.

II. Nullum propoſitum licet firmiſſimum voti obligationem & onus unquam inducit. Quandoquidem ad votum, propoſitum quidem prærequiritur, at in eo non ſiſtit, ſed ulterius promiſſionem poſtulat. Audiatur D. Th. hic a. 1. „ Ad „ votum tria neceſſario requiruntur: primo quidem „ deliberatio, ſecundo propoſitum voluntatis; „ tertio promiſſio, in qua perficitur ratio voti “. Num autem propoſitum de bono aliquo faciendo obligationem inducat, inquirit S. Th. hæc obiter tertio loco ſibi objiciens: „ Dominus „ dicit Lucæ 1. *v.* 62. *Nemo mittens manum ad* „ *aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* „ Sed aliquis ex hoc ipſo quod habet propoſitum bene faciendi, mittit manum ad aratrum. „ Ergo ſi aſpiciat retro deſiſtens a bono propoſito non eſt aptus regno Dei. Ex ſolo ergo bono „ propoſito aliquis obligatur apud Deum, etiam „ nulla promiſſione facta. “ Et reſpondet „: Dicendum quod ille, qui mittit manum ad aratrum, „ jam facit aliquid; ſed ille, qui ſolum proponit, nondum aliquid facit; ſed quando promittit, jam incipit ſe exhibere ad faciendum, licet nondum impleat quod promittit: ſicut ille, „ qui ponit manum ad aratrum, nondum arat, jam „ tamen ponit manum ad arandum “. Ex qua D. Th. doctrina licet appareat in bono propoſito deficientem nec infidelitatis nec irreverentiæ erga Deum culpam incurrere, cum per propoſitum ſibi libertatem adimere nullus velit, & ideo ſolum proponat, quia vult ſibi licitum eſſe conſilium mutare; nihilotamen ſecius inconſtantiæ, & volubilitatis notam coram Deo non effugere patet, unde optime ait D. Gregorius: *In conſpectu Dei cadit, qui a bono propoſito reſilit.*

Conſectarium Tertium.

III. Qui ſponte & libere votum exterius pronuntiaret, ſed animo deliberato intus ſtatueret ſe nolle vovere, voto non obſtringi probabilius videtur, deeſt enim quod maxime ad votum videtur neceſſarium, nimirum voluntas vovendi, a qua omnino votum pendet, eo quod ſit lex privata ſola voventis voluntate ferenda. Hic igitur cenſebitur ludere velle, quod certe multo magis verum erit, ſi forte qui voto verba pronunciat, timore, vel exteriori violentia cogatur, ut docet S. Th. in IV. ſent. diſt. 28. q. 1.

a. 1. quæſtiuncula 1. ad 2. *Promiſſio quandoque fit ore, & non corde, & talis quoad Deum non eſt votum, & ideo oportet addere ſpontanee ... quamvis homo non poſſit cogi ſufficienter ſimpliciter ad promittendum, poteſt tamen cogi coactione quadam interpretativa ad exteriorem promiſſionem, & ad alia opera voluntatis exteriora, non autem ad promiſſionem interiorem.* Non ſine peccato tamen ſive ex timore, ſive ex luſu hæc vota emittuntur, cum ſint doloſa vota & fallaces promiſſiones, quæ in divinæ Majeſtatis dedecus redundare videntur, præſertim in ſolemnioribus votis, quæ Deo in religioſa profeſſione offeruntur, in qua fictio a lethali peccato excuſari nequit.

Conſectarium Quartum.

IV. Qui ſinceram habet voluntatem vovendi, & promittendi, at intentionem non habet ſe obligandi, vere vovet, & voto obſtringitur. Non deſunt qui inficiantur Theologi obtendentes hanc poſteriorem intentionem priorem elidere, quippe quæ conditionem apponit omnino voti naturæ & indoli adverſantem. Verum quam poſui aſſertionem docent nobiliores Theologi Sotus, Azorius, Valentia, & Salmanticenſes, & jure meritoque, nam qui vere & abſolute vovere vult, & promittere, ea omnia velle convincitur, quæ ipſum votum vel conſtituunt, vel neceſſario ſequuntur; porro obligatio neceſſario promiſſionem conſequitur & votum, quæ contraria voluntate elidi non poteſt; ſicut qui in hoſtem deliberate telum vibrat, ejus vulnus profecto velle convincitur, cum illud impedire non valeat: hinc ſi forte etiam in vovente non ſe obligandi voluntas ſupponatur, hæc potius ab illa vovendi & promittendi eliditur, cum hæc efficax ſit, quippe quæ in actum prorumpit vovendi & promittendi; illa vero otioſa cum ſit, nonniſi meræ velleitatis ſpeciem oſtentat. Qui vero ſe vovere diceret, ſed nec actualiter, nec virtualiter ad obligationem ex voto exurgentem adverteret, immo putaret non majorem inde obligationem exurgere, quam ex propoſito, non vere voveret, cum nihil poſſit eſſe volitum niſi ab intellectu præcognitum, & ea deliberatio ſit ad votum neceſſaria.

Conſectarium Quintum.

V. Ad voti valorem non requiritur propoſitum & voluntas implendi. Impletio enim oneris, & obligationis per votum aſſumptæ non ipſum votum ingreditur, aut ullo pacto conſtituit, immo jam completum ſupponit, ac proinde conſequitur; iniqua igitur non implendi voluntas voti vim non elidit. Sic qui profeſſionem emitteret ſine animo promiſſa vota ſervandi, & vere profiteretur, & ſacrilegæ profanationis reus fieret, pravo animo non reddendi Domino vota ſua, quæ diſtinxerunt labia ſua. Nec huic doctrinæ adverſatur D. Th. dum art. 1. ad votum, propoſitum voluntatis docet prærequiri; loquitur enim de voto rite, & recte emittendo, ut communiter fit, & ipſa ratio actus religioſi poſtulat: hinc deficiente propoſito non rite nec recte votum emittitur, quod imperfectum eſt, tali tamen imperfectione, quæ ejus validitatem non tollit, nec ab obligatione eximit.

CAPUT TERTIUM.

De materia voti.

CUM plura ſint, quæ voti materia eſſe poſſunt, nimirum & res malæ, indifferentes, inutiles, ſub præcepto cadentes, liberæ omnino, bonæ, meliores, optimæ, impoſſibiles, de his ſingillatim diſtinctis paragraphis brevitatis gratia diſſeremus.

D O C T R I N A.

I. *Impium eſt votum de re mala.*
II. *Sicut & votum de re bona ad malum finem ordinatum.*
III. *Votum ad impetrandum effectum bonum ex turpi actione quandoque impium eſt.*
IV. *Votum in gratiarum actione pro flagitio feliciter perpetrato ſacrilegum eſt.*
V. *Qui rem partim bonam, partim malam, vel indifferentem vovit, ad quid teneatur.*
VI. *Votum de re licita, ſed quæ ex aliquibus circumſtantiis illicita evadere poteſt, quando validum ſit.*
VII. *Votum de re indifferenti, vana, & inutili irritum eſt.*
VIII. *Fieri tamen poteſt, ut res de ſe indifferens fiat bona, & apta voto.*
IX. *Quænam ſint inter indifferentia connumeranda.*
X. *Quid ſit de meliori bono.*
XI. *Non excludenda etiam præcepta a materia voti.*
XII. *Quæ ſunt divinis & evangelicis conſiliis contraria, non ſunt apta voto.*
XIII. *Num votum Matrimonii aliquando licitum ſit.*
XIV. *Num licitum ſit in remedium concupiſcentiæ.*
XV. *Nullum eſt votum de re ſive phyſice, ſive moraliter impoſſibili.*
XVI. *Quid ſi pars ſit poſſibilis, pars vero impoſſibilis.*
XVII. *Quid ſi partim ſit bona, partim mala.*

§. I.

Votum de re mala.

I. Profanum & impium eſſet votum de re mala patranda; injuriam enim Deo inferret, qui voto ſtatueret peccatum patrare. Ita docet S. Tho. hic q. 88. a. 2. ſcribens: „ Votum eſt promiſſio facta „ Deo. Promiſſio autem eſt alicujus, quod quis „ pro aliquo voluntarie facit. Non enim eſſet pro„ miſſio, ſed comminatio, ſi quis diceret ſe con„ tra aliquem facturum. Similiter vana eſſet pro„ miſſio, ſi alicui promitteret, id quod ei non eſ„ ſet

„ ſet acceptum. Et ideo cum omne peccatum ſit „ contra Deum, nec aliquod opus ſit Deo acce- „ ptum, niſi ſit virtuoſum; conſequens eſt, quod „ de nullo illicito, nec de aliquo indifferenti de- „ beat fieri votum, ſed ſolum de aliquo actu „ virtutis “. Et in reſp. ad 2. ubi argumento reſpondet, quod ſibi objecerat de Jephte, qui filiam innocentem occidit propter votum, ſic habet: „ Quædam ſunt, quæ in omni eventu ſunt „ bona, ſicut opera virtutis: & talia bona poſſunt „ abſolute cadere ſub voto. Quædam vero in o- „ mnem eventum ſunt mala; ſicut ea, quæ ſecun- „ dum ſe ſunt peccata: & hæc nullo modo poſ- „ ſunt ſub voto cadere. Quædam vero ſunt qui- „ dem in ſe conſiderata bona, & ſecundum hoc „ poſſunt cadere ſub voto; poſſunt tamen habere „ malum eventum, in quo non ſunt obſervanda. „ Et ſic accidit in voto Jephte ... de quo Hie- „ ronymus dicit: *In vovendo fuit ſtultus, quia di-* „ *ſcretionem non habuit, & in reddendo impius.* „ Præmittitur tamen ibidem, quod *factus eſt ſu-* „ *per eum Spiritus Domini*: quia fides & devotio „ ipſius, ex qua motus eſt ad vovendum, fuit a „ Spiritu Sancto: propter quod ponitur in cata- „ logo Sanctorum, & propter victoriam, quam „ obtinuit, & quia probabile eſt eum pœnituiſſe „ de facto iniquo; quod tamen aliquod bonum „ figurabat “. Qui proinde rem lethaliter malam Deo voveret, duplex peccatum committeret, alterum contra religionem ob injuriam Deo illatam, alterum contra præceptum illud, cui res mala voto promiſſa adverſaretur, & quam animo implere ſtatuit; immo ſi crederet Deo gratum futurum malum, quod pollicetur patrare, profecto blaſphemus foret, impius, & hæreticus. A lethali quoque peccato non eſſet excuſandus, qui rem lethaliter malam Deo vovens polliceretur, licet ſine animo implendi, quippe qui adhuc gravem injuriam Deo irrogaret, & gravem irreverentiam contra Deum oſtenderet.

II. Irritum & impium eſt votum de re bona ad pravum finem obtinendum, ut ſi quis voveret dare eleemoſynam pauperi, ſi in duello hoſtem occidat, hoc enim eſſet gravem injuriam Deo irrogare, & ipſum homicidii approbatorem, ac etiam quodammodo participem velle. Præterea cum votum actus ſit religionis, ex divini cultus motivo exoriri debet; porro hoc votum non ex pio in Deum affectu oritur, non ad divinum cultum ordinatur, ſed ad finem impium, pravum, & malum, & qui eſt cauſa totalis voti: ergo ſacrilegum eſt votum & Deo indignum, proinde irritum, & nullum.

Sed qui rem bonam vovet ex fine aliquo malo quidem, ſed qui non eſt cauſa voti, ſed mere concomitanter ſe habet ad votum, peccat fortaſſe vovens, at votum ipſum nec malum eſt, nec irritum: ſic qui ſpe ductus pinguioris obtinendi beneficii voveret clericalem ſtatum amplecti, peccaret quidem, quia ſua inordinata voluntate clericalem ſtatum ad temporalia obtinenda ordinaret, at ipſum votum in ſua bonitate objectiva perſiſteret, nec deſiderium beneficii eſt cauſa motiva vovendi, ſed ſolum alliciens ad ſtatum clericalem, quem ille amplectitur immediate ad Deo inſerviendum, licet concomitetur deſiderium boni temporalis. Quod ſi conſecutio beneficii eſt tota ratio voti & unicum motivum & principalis finis voti, profecto licet objectum de ſe & materialiter inſpectum ſit bonum formaliter, tamen ratione pravi finis in ipſum influentis, & ad ipſum impellentis ſacrilegum evaderet & irritum, eo prorſus modo quo dicimus, Canonicum ad Chorum accedentem ob lucrandas diſtributiones, vel Sacerdotem Miſſam celebrantem ob ſtipendium, ſimoniacos eſſe, ſi lucrum primo & principaliter intendant & appetant, ſecus vero ſi ſecundario tantum. Ita pari pacto, ſi hic vovens primo quidem, & principaliter Dei famulatum in ſtatu clericali vovendo reſpiciat, validum eſt votum, licet ſecundario beneficii conſecutionem ſpectet, quod voventem inficit, non votum; ſecus vero ſi ita beneficium primario & principaliter reſpiciat, ut ſit vel tota, vel prima & principalis voti cauſa, & finis.

III. Votum Deo factum ad impetrandum effectum bonum ex turpi actione, quandoque impium eſt ſacrilegium, ut ſi quis voveat virginem dotare, ſi in adulterio, in furto non deprehendatur, ſi nundinatio ſimoniaca proſperum ſortiatur effectum, & beneficium ſimoniace obtineatur. Nam in hiſce votis pravus finis inſpicitur, ad quem felicius tutiuſque obtinendum diriguntur vota; ut enim tutius furari poſſit & mœchari, ad Dei protectionem confugit, ut deprehenſionis malum avertat, ut infami ſimoniacæ negotiationi felicem largiatur exitum, quæ profecto impia eſt oratio, ac proinde impium votum. Sunt qui diſtinguunt Theologi, & conſentiunt quidem de poſteriori ſimoniaca nundinatione, quia, inquiunt, pravus effectus malus in ipſa beneficii detentione perſeverat, at negant in priori caſu, quia, inquiunt, patrato adulterio & furto immunitas vel ab infamia, vel a deprehenſione bona eſt, & a Deo præſervante, & benefaciente proveniens. Non abnuo. Sed dico clariorem quidem poſterioris voti ſacrilegam apparere malitiam, & etiam lipporum oculos ferire, at non minus apparet in priori, quia votum ſemper aſſumitur ut medium ad tutius libentiuſque peccandum; & licet in aliquo rariſſimo caſu contingere poſſit, votum hac exui malitia, plerumque tamen illam ſecum affert, adjunctamque habet. Regulæ autem non ſunt ſtatuendæ a Theologis juxta ea, quæ raro accidunt, ſed juxta quod frequentius contingit. Tunc vero cenſerem votum malitia carere, ſi e. c. mulieri, quæ virum abſentem putat, dum cum proco mœchatur, ſuperveniat inexpectatus Conjux, cujus furorem illa pertimeſcens, adulterum abſcondat in aliquo domus abdito loco, ſed adhuc timens, ne a marito deprehendatur, adulterii pœnitens ad Deum confugiat, & votum emittat, rogans, ne ſinat cum ſuæ & alterius vitæ periculo mœchum a marito detegi, hoc votum & licitum, & validum cenſerem, cum nullo modo in flagitii ſecuritatem influat, ſed ſolum ad imminens periculum avertendum ordinetur.

IV.

IV. Votum in gratiarum actionem Deo oblatum pro flagitio & crimine feliciter perpetrato, puta pro victoria in duello, pro beneficio ſimoniace obtento, ob lucrum ex ludo illicito reportatum, ſacrilegum eſt: qui enim hæc impia concipiunt vota, Deum criminis agnoſcunt approbatorem, illique grata eſſe ſcelera ſe indicant credere, quod profecto impium eſt & blaſphemum. Ita quidem. Nihilo tamen ſecius ſi forte effectus pravi operis ita omni pravitate ſpolietur, ut in ſe bonus ſit, & juſte retineri poſſit, putarem licere pro tali effectu & vovere, & Deo gratias agere; puta ſi quis poſt duellum feliciter peractum, ad periculum tum corporalis, tum ſpiritualis vitæ amittendæ reſpiciens Deo gratias agat, quod incolumem pro ſua miſericordia ſervare dignatus ſit, & votum voveat, præſertim ſi perpetrati criminis pœniteat, licitum, validumque eſſet votum. At non ita, ſi adultera de filio per adulterium habito gratias ageret, & voveret, ſperans magis a mœcho per hoc diligendam, quia licet filius ſit a Deo datus, tamen ſimul de effectu lætatur, & de adulterio gaudet, & pravi affectus perſeverantiam in adultero reſpicit, quæ profecto omnia mala ſunt, & impia. Facilius excuſari poſſet in viro votum pro filio ex concubina habito, dummodo ita de filio gaudeat, ut nec de pravo concubitu ſibi complaceat, nec arctius concubinæ adhæreſcat. In praxi vero hos inique voventes cum ad Pœnitentiæ Sacramentum accedunt, & de patratis facinoribus dolent, cogerem in pœnam ad id, quod illicite voverant, implendum, ne ex pravo opere lucrum reportent, ideſt liberationem vel ab eleemoſyna eroganda, vel a jejuniis aſſumptis, vel ab orationibus ſibi præſtitutis.

V. Qui vovit rem partim bonam, partim malam, vel indifferentem, ſive in ſe, ſive ex fine, ſi partes ſeparari poſſint, & fines ſejungi, ad id, quod bonum eſt, implendum tenetur: ut ſi quis voveat & deambulationem in platea, & eleemoſynam, largitionem eleemoſynæ & ad ſubveniendum pauperi, & ad famam captandam, nam cum iſtæ partes & fines ſeparari poſſint, omittendum quod ineptum, quod pravum eſt, & quod bonum & Deo gratum implendum; poterit igitur deambulationem omittere, & pravum finem gloriolæ captandæ deponere tenebitur, ſed eleemoſynam erogare debebit.

VI. Votum de re ſecundum ſe licita, ſed quæ ex aliquibus circumſtantiis illicita evadere poteſt, validum eſt & honeſtum, ſi ab illicitis circumſtantiis poſſit ſejungi. Ita S. Thom. hic q. 88. a. 2. ad 3. „ Maceratio proprii corporis, puta per „ vigilias, & jejunia, non eſt Deo accepta, niſi „ inquantum eſt opus virtutis: quod quidem eſt, „ inquantum cum debita diſcretione fit, ut ſcilicet concupiſcentia refrænetur, & natura non „ nimis gravetur. Et ſub tali tenore poſſunt hu„ juſmodi ſub voto cadere. Propter quod & A„ poſtolus Rom. 12. 1. poſtquam dixerat, *Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem*, addidit, *Rationabile obſequium* „ *veſtrum*. Sed quia in his, quæ ad ſeipſum per„ tinent, de facili fallitur homo in judicando, „ talia vota congruentius ſecundum arbitrium Su„ perioris ſunt vel ſervanda, vel prætermittenda; „ ita tamen quod ſi ex obſervatione talis voti ma„ gnum, & manifeſtum gravamen ſentiret, & „ non eſſet facultas ad Superiorem recurrendi, „ non deberet homo tale votum ſervare “.

§. II.

Votum de re indifferenti, vana, vel inutili.

VII. Votum de re indifferenti, vana, & inutili irritum eſt, & illicitum, deridendum proinde, non implendum: *Diſplicet enim Deo ſtulta promiſſio*, Eccleſ. 5. v. 3. & S. Iſidorus dicit: *Stulta vota frangenda ſunt*. Sed audiatur D. Th. qui de votis de re indifferenti ſic docet hic q. 88. a. 2. *Conſequens eſt, quod de nullo illicito, nec de aliquo indifferenti debet fieri votum, ſed ſolum de actu virtutis*; de votis vero res vanas & inutiles reſpicientibus ſcribit in reſp. ad 3. *Vota vero, quæ ſunt de rebus vanis, & inutilibus, ſunt magis deridenda, quam ſervanda*. Et in IV. Sent. diſt. 28. q. 1. art. 1. quæſtiuncula 2. ad 2. de votis mulierum, quæ pollicentur tali die capillos non pectere, docet: *Talia vota mulierum ſunt ſortilegia magis, quam vota. Sunt enim reliquiæ quædam idololatriæ, ſecundum quam obſervantur dies, & menſes; & ideo pro non votis habenda ſunt, & peccant talia voventes*. Hinc inutilia habenda vota de mercatura non exercenda, non ingrediendi certam domum, non exeundi domo &c.

VIII. Fieri tamen poteſt, ut res de ſe indifferentes, ex aliqua circumſtantia, vel fine bonæ fiant & honeſtæ, propterea materia evadant licita voti. Sic veſtes ſericas deferre, vel talis coloris, indifferens videtur; ſi quæ tamen Matrona nobilis ad humilitatem & pœnitentiam voveat nunquam ſericas veſtes induere, vel ſplendidi coloris, ſed humilis & abjecti, votum validum eſſet, & Deo gratum. Pari pacto talem adire, vel non adire domum, cum aliqua fœmina loqui, vel non loqui indifferens apparet: ſi tamen quis ingredi illam domum, vel cum tali fœmina colloquia miſcere occaſionem ſibi perſpiciet eſſe peccandi, licite & valide vovere poterit fugam ab illo colloquio, & ab ingreſſu in illa domo.

IX. Inter res indifferentes ſunt actus illi, qui licet de ſe boni, ad finem tamen ineptum ordinantur, ut votum jejunandi, vel abſtinendi a lautioribus cibis ad parcendum ſumptibus, quia in rebus moralibus ſpecies bonitatis, vel malitiæ, vel indifferentiæ a fine etiam deſumuntur. Quod ſi quis voveat orationem, eleemoſynam, vel jejunium ad res quidem indifferentes, ſed cum animo illis bene utendi, licitum erit votum; ut ſi quis voveat jejunare ad obtinendam ſanitatem, lucroſum officium, utile matrimonium, & ſimilia, quia cum & a Deo donentur, & ab eo ſaltem conditionate peti poſſint, ac pro ipſis obtentis gratiæ agantur, ergo etiam voveri poterunt.

§. III.

§. III.

Votum de rebus bonis, & melioris boni.

X. Cum ex D. Th. dixerimus votum eſſe promiſſionem de meliori bono, non ita eſt intelligendum, quaſi quod vovemus, eſſe debeat melius bonum comparate alteri bono, ut melius eſt Miſſam celebrare quam audire; hoc enim pacto nonniſi perfectiſſima vovere poſſemus: ſed ſufficit, ſi ſit melius bonum comparate ad ejuſdem boni omiſſionem: ſic melius eſt jejunare, quam non jejunare, non nubere, quam nubere. D. Thomas vero ita interpretatur melius bonum, quod ſit aliquid ſupererogationis, & non præcepti, ut cum ſcribit in IV. diſt. 30. q. 1. a. 1. quæſtiuncula 2. „ Si votum accipiatur ſecundum propriam ſui rationem, eſt proprie de bonis illis, ad quæ non „ omnes tenentur, quæ ſupererogationis ſunt, & „ ideo dicuntur meliora bona, quia ſuperadduntur illis bonis, ſine quibus non eſt ſalus: & „ ideo votum proprie acceptum dicitur eſſe de „ meliori bono “. Ita explicat & docet etiam S. Antoninus par. 2. tit. 2. cap. 1. §. 1. *Votum eſt promiſſio de meliori bono opere, quam ſit illud, ad quod tenemur de neceſſitate ſalutis.*

XI. Hac tamen doctrina a materia voti ea non excluduntur, quæ etiam in præcepto ſunt, cum enim & iſta voluntaria ſint, & in hominis poteſtate ſitum ea ſervare, vel non ſervare, implere vel tranſgredi; hinc poteſt homo ad ſuam in bono firmandam voluntatem novo ſe vinculo voti obligare. Audiatur D. Th. hic art. 2. *Illud vero, quod non habet abſolutam neceſſitatem, ſed neceſſitatem finis, puta quia ſine eo non poteſt eſſe ſalus, cadit quidem ſub voto inquantum voluntarie ſit.* Supererogatoria itaque opera ſunt primo quidem & principaliter materia voti, cum non ſolum ſint de meliori bono, quia bonitate ſua oppoſitum vincunt, ſed etiam quia bono ad ſalutem neceſſario aliud ſuperaddunt bonum; quæ vero ſunt in præcepto, idoneam & ſufficientem adhuc conſtituunt voti materiam, & quia voluntaria, & quia in ſe ſuo oppoſito meliora.

XII. Deficientia itaque hujuſce bonitatis ea vovere non poſſumus, quæ ſunt divinis & evangelicis conſiliis oppoſita, vel alicujus virtutis actibus adverſa: ideo nulla ſunt & irrita vota nubendi, non jejunandi, non mutuandi, non fidejubendi, cum melius bonum ſit caſtitatem ſervare, & proximo indigenti ex caritate auxiliari. Immo nec votum matrimonii validum eſt, licet quis voveat pauperculam virginem ſibi copulare, quia hæc miſericordiæ circumſtantia non efficit, ut matrimonium ſit melius cœlibatu.

XIII. Contingere tamen poteſt, ut quibuſdam poſitis circumſtantiis, & nubendi, & matrimonii vota valida ſint & licita, nimirum ſi quis puellæ juravit in ſponſam ducturum, quia tunc ex juſtitia tenetur implere promiſſum, & melius eſt fidem ſervare, quam frangere; ſimiliter ſi quis voveret ducere puellam pauperem, vel meretricem, poſito quod matrimonium eligat, tunc enim nec votum matrimonii adverſatur caſtitati, cum non ſit de ipſo matrimonio, & poſita voluntate ducendi uxorem, melius eſt ſaluti pauperis virginis, vel meretricis conſulere, quam ab hoc pietatis opere abſtinere. Fieri etiam quandoque poteſt, ſed raro admodum, quod matrimonii votum validum ſit, quotieſcumque de maximo bono publico agatur, puta de converſione Regni vel ab infidelitate, vel ab hæreſi ad fidem catholicam, de pace inter Principes potentes, & jamdiu belligerantes inducenda, vel firmanda: tunc enim commune bonum melius eſt bono privato.

XIV. Num autem votum nubendi in puella, vel contrahendi matrimonium in adoleſcente carnis ſtimulis vexatis ad lapſus in peccata vitandos validum ſit, diſputant Theologi. Salmanticenſes, Sylvius, Cajetanus, aliique putant hujuſmodi votum & validum eſſe, & honeſtum; & quidem primo, quia tunc eſſet de bono, quia matrimonium bonum eſt, & etiam de meliori bono, quia aſſumeretur ut medium ad vitandum malum oppoſitum, lapſum ſcilicet in peccatum, unde & Apoſtolus dicit, *melius eſt nubere quam uri.* 2. Matrimonium inire quandoque ita poteſt eſſe neceſſarium alicui ad peccata vitanda, ut ex præcepto caritatis erga ſeipſum teneatur Matrimonium celebrare, ſed ea, quæ ſub præcepto cadunt, poſſunt eſſe materia voti; ergo tali urgente neceſſitate matrimonium vovere & licitum erit & honeſtum, & propterea validum hujuſmodi votum. At oppoſitum, & quidem longe probabilius cenſent Sotus, Jo. a S. Th., Arragonius, aliique, & primo quidem doctrinæ innixi & auctoritati S. Thomæ, qui in 4. diſt. 31. q. 2. a. 2. ad 2. ſic egregie docet: „ Si aliquis per actum matrimonii „ intendat vitare fornicationem in conjuge, non „ eſt aliquod peccatum, quia hoc eſt quædam „ redditio debiti, quod ad bonum fidei pertinet; „ ſed ſi intendat vitare fornicationem in ſe, ſic „ eſt ibi aliqua ſuperfluitas, & ſecundum hoc eſt „ peccatum veniale, nec ad hoc eſt matrimonium „ inſtitutum niſi ſecundum indulgentiam, quæ eſt „ de peccatis venialibus “; ergo juxta S. Thomam matrimonium ob frœnandam concupiſcentiam eſt ſolum ad indulgentiam conceſſum; non eſt ergo abſolute bonum, matrimonium eligere ad comprimendos concupiſcentiæ effectus, vel ſi bonum eſt, adeo tamen tenue, adeo leve, ut vix a veniali ſit ſejunctum culpa: quo pacto igitur eſſe poteſt materia voti? Præterea nonne docent communiter Theologi etiam contra ſentientes, votum matrimonii etiam in rectum finem procreandæ prolis, & mutui conjugalis amoris, licet abſolute bonum honeſtumque, tamen eſſe non poſſe materiam voti, non quia non ſit bonum, *honorabile enim connubium, & thorus immaculatus*, ſed quia impeditivum majoris boni, nempe caſtitatis & continentiæ? Quomodo ergo poterit eſſe materia voti matrimonium celebratum ob imperfectiorem finem, & ſolum ſecundum indulgentiam conceſſum, quod eſt longe minus bonum, immo imperfectio? Nec opponant hoc verum quidem eſſe re in ſe ſpectata, non vero relate ad fragilitatem voventis, quandoquidem hæc fragilitas naturam rei non mutat, nec efficit, ut quod in ſe eſt imperfectum, fiat perfectum, ſed ſolum præ-

ſtat

ſtat ut per indulgentiam concedatur, quod alias minime concederetur, ſemper enim verum eſt, quod meliori bono opponitur illudque impediat; proinde apta nequit eſſe materia voti. Ad alterum vero dicimus, licet quandoque contingere poſſit, ut quis ad conſulendum ſaluti ſuæ teneatur ex præcepto caritatis matrimonium amplecti (quod tamen raro eſt admittendum, cum & alia longe efficaciora ſuppetant remedia, & ipſum Matrimonium non ſemper efficax remedium ſit concupiſcentiæ, hæc enim non ei indulgendo, ſed obſiſtendo enervatur, unde & de conjugatis dicit Apoſtolus, *tribulationem carnis habebunt hujuſmodi*) nihilominus aliud eſt matrimonium celebrare, aliud de illo ineundo votum emittere: primum licitum eſt, cum nulla ſit lege prohibitum, & in ſe bonum, at alterum non ſatis eſt quod ſit bonum, & non vetitum, ſed requiritur, ut non ſit majoris boni impedimentum, quod profecto a voto nubendi in quacumque hypotheſi eſt inſeparabile, ac proinde illicitum, & irritum ſit oportet.

§. IV.

Votum de re vel phyſice, vel moraliter impoſſibili.

XV. Palam eſt, votum de re vel phyſice, vel moraliter impoſſibili eſſe nullum, ſtultum, & imprudens, niſi forte cum illud emiſſum fuit, res erat, vel prudenter putabatur poſſibilis, & poſtea vel facta, vel detecta eſt impoſſibilis. Hinc votum de omnibus peccatis venialibus vitandis irritum eſt, & nullum, quia licet ſingula peccata venialia, Deo adjuvante, vitare poſſimus, omnia tamen collective ſine ſpeciali privilegio eſt moraliter impoſſibile, ut optime definivit Trid. Synodus ſeſſ. 6. can. 23. *Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit ... poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio ... anathema ſit.*

XVI. At ſi res voto promiſſa ſiat partim poſſibilis, partim impoſſibilis, hoc pro certo ſtatuunt Theologi omnes, nimirum ſpectandam intentionem voventis, qui ſi rei partes ita conjunxit, ut ad unam ſine altera non teneri vellet, omnino votum irritum eſſet, & nullum, ſicut ille qui novit peregrinationem Romanam nudis pedibus, ſi illi peregrinatio fiat impoſſibilis, non tenetur nudis pedibus incedere, quia ita conjunxit pedum nuditatem cum peregrinatione, ut ſine illa nuditatem pedum noluerit. Si vero de voventis intentione & voluntate non conſtet, ipſa rei voto promiſſæ indoles, & natura ſpectanda eſt, quæ ſi dividua ſit, & in ipſa diviſione adhuc utilis, votum validum eſt judicandum, & ea parte implendum, quæ poſſibilis remanet. Hanc regulam tradit, & probat D. Th. hic q. 88. a. 3. ad 2. docens: *Si illud quod quis vovit, ex quacumque alia cauſa impoſſibile reddatur, debet hoc facere quod in ſe eſt, ut ſaltem habeat promptam voluntatem faciendi quod poteſt.* Et in IV. diſt. 38. q. 1. a. 3. quæſtiuncula 1. ad 1. ſcribit: *Qui factus eſt impotens ad totum perficiendum, quamvis non ad partem, tunc ad illud, quod poteſt, remanet obligatus.* Qui itaque decem aureos vovit dandos pauperibus, ſi non poteſt erogare niſi partem, ad hanc tenetur; qui caſtitatem vovit, & poſtea matrimonium iniit, debet a petitione debiti abſtinere, & ſimilia. At majorem faceſſit difficultatem diſcernere, num res dividua ſit in ordine ad votum, hæc enim diviſibilitas in aliquibus rebus apparet manifeſte, ut in ſuperius allatis exemplis; aliquando vero non ita obvia eſt ut difficultati & ambiguitati non ſubſit. Hæc itaque regula tollendis ambagibus idonea mihi videtur: ſi res diviſa adhuc utilis prudenti exiſtimatione cenſeatur, & in Dei honorem cedat, eſt ſervandum votum. Sit exemplum ex D. Tho. in eo, qui vovit ædificare Templum, qui poſtea ſuperveniente paupertate impos evadit, de quo ſic ſtatuit in IV. diſt. 38. „ Si quis dives voverit „ ædificare Eccleſiam, quod poſtmodum perficere non potuit paupertate ſuperveniente, non „ obligatur ex voto ad implendum. Sed tamen „ in hoc diſtinguendum eſt dupliciter. Uno modo, quia vel omnino factus eſt impotens, & „ tunc non tenetur ſimpliciter ad hoc quod vovit; vel eſt factus impotens ad totum perficiendum, quamvis non ad partem, & tunc ad „ illud, quod poteſt, remanet obligatus “. A tam clara, & aperta D. Thom. doctrina recedunt Salmanticenſes, & quare? „ Quia, *inquiunt*, Eccleſia eſt corpus quoddam individuum, quod nec „ ordinarie, nec regulariter ſeparatur, ideoque „ vovens cenſetur per modum unius totam promittere, & ſi tota impoſſibilis eſt, ad nihil tenetur “. Verum adeo ne hebetis ingenii fuit D. Thomas, ut hæc non perſpiceret? Vidit utique, ſed contempſit. Eccleſiam corpus eſſe dividuum cenſuit, & revera quot ſunt in Orbe Eccleſiæ, quarum nonniſi pars conſtructa eſt, & inibi divina celebrantur officia? Hanc itaque partem conſtruat, non deerit qui ex Dei amore inceptum Templum compleat. Quod ſi integram conſtruere non poterit Eccleſiam, cur ad Oratorium, ad Capellam erigendam ſaltem ex voto non tenebitur? Nequaquam reponent Salmanticenſes, *quia non eſt actus moraliter ejuſdem rationis Eccleſia, & Capella.* Sed cur? Nullam aſſignant ipſi rationem & cauſam; & revera nonne ad idem officium Capellæ eriguntur & Templa, nonne in utriſque divinum perficitur ſervitium, tum in Miſſæ celebratione, tum in confeſſionibus audiendis, tum in Sacramentis miniſtrandis? Moraliter igitur idem cenſentur & Eccleſia, & Capella; & ſi quid forte minus in una peragi poteſt quam in alia, hoc non impedit, quin ambo æqualiter ad divinum ordinentur cultum, qui in utroque Deo exhibetur. Non negaverim tamen, quod ſi pars ædificanda adeo exigua eſſet, ut nihil ad Dei cultum conferret, ad eam conſtruendam non teneretur: res enim inutilis materia non eſt idonea voti.

XVIII. Si vero voti obſervantia ſit impoſſibilis, quia de re partim bona, partim inepta, vel mala, ut ſi quis voveat Lauretum pergere, & ut Ædem Virginis viſitet, & amaſiam ibidem commorantem, ſi partes ſint diviſibiles, & una

ab

tenetur ex parte votum implere, cum nihil ſit, quod ejus validitatem impediat, eſt ſiquidem de re bona, & de meliori bono, & ſejuncta a parte vel inutili, vel mala, nulla inficitur pravitate. Implere igitur tenebitur, & Lauretum pergens a pravo amaſiæ commercio abſtinere.

CAPUT QUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Illicitum & nullum eſt votum de diſtribuenda pauperibus parte iniqui lucri.*
II. *Sicut & votum matris pro morte filiæ ex ſtupro prægnantis.*
III. *Licitum vero de non nubendo niſi ſtupratori.*
IV. *Irritum & iniquum eſt votum de re etiam ſolum venialiter mala.*
V. *Vota contra conſilia Evangelica ſunt nulla, & ſacrilega.*
VI. *Et de re inutili, irrita, & mala.*
VII. *Votum peregrinationis cum nuditate pedum, quomodo licitum.*
VIII. *Votum non ludendi quando validum, & quantum dilatanda obligatio.*
IX. *Num qui vovit chartis non ludere, per alium ludere poſſit.*
X. *Votum vitandi omnia peccata quomodo validum.*
XI. *Non licet voto caſtitatis obſtricto debitum petere in Matrimonio, ne in peccatum labatur.*
XII. *Votum de non vovendo invalidum eſt.*
XIII. *Votum de non petenda diſpenſatione, vel commutatione voti validum eſt.*
XIV. *Nonnulla peculiaria vota quomodo intelligenda.*

§. I.

Votum de re mala.

Conſectarium Primum.

I. ILlicitum, invalidum, & ſacrilegum eſt votum de diſtribuenda pauperibus iniqui pretii parte, ut ſi meretrix, uſurarius, fur Deo voveat partem lucri, cum per hoc indicet vel Deum iniqua opera adprobare, vel ſperet a Deo uberius lucrum concedendum, quod profecto impium eſt, & blaſphemum. Quod ſi pœnitentes voveant lucrum inique perceptum, & non certis perſonis reſtituendum, in pauperum eleemoſynas erogare, validum, licitum, & honeſtum erit votum, cum tunc ſit & opus partim præceptum reſpectu furis & uſurarii, partim ſupererogationis, ut forte in meretrice, quæ ſe privat lucro prave acquiſito, & in pauperum alimoniam convertit: quod profecto bonum opus eſſe nemo non videt.

Conſectarium Secundum.

II. Illicitum eſt votum matris eleemoſynas vel peregrinationem voventis, ſi filia ex ſtupro gravida in partu moriatur, quippe quæ mortem filiæ optaret, a Deoque iniquum ſuum deſiderium expleri depoſceret: quod ſane divinæ legi adverſatur, ſummam proinde illi irrogaret injuriam.

Conſectarium Tertium.

III. Non eſſet illicitum votum mulieris, quæ voveret non niſi illi nubere, a quo eſt deflorata ad infamiam tollendam; nam non eſſet de re certe mala, nec impeditiva majoris boni, quippe quæ non abſolute voveret ulli nubere, ſed ſi nubat, nonniſi illum velle in conjugem habere, videretur quidem votum de re indifferenti, cum nihil ad Dei gloriam conducat, quod illi vel alteri nubat, at finis rectus tollendæ infamiæ, & ſarciendi aliquo modo ſcandalum, rem indifferentem in bonum finem ordinando, moraliter bonum reddit, proinde licitum cenſerem, & validum.

Conſectarium Quartum.

IV. Qui rem etiam ſolum venialiter malam voveret, non ſolum invalidum emitteret votum, ſed etiam graviter peccaret, nam practice in Deum blaſphemat offerendo illi peccatum, quaſi Deo gratum foret, quod ille maxime deteſtatur; & licet velle venialiter peccare ſolum veniale ſit, velle tamen venialem culpam ordinare in Dei cultum & obſequium, & ſic illum peccatis colere, gravis injuria eſt Dei, & blaſphemia in ipſum. Immo & idem dicendum de votis de re vana, & inutili, quia eſſet proteſtari, Deum delectari de rebus vanis & inutilibus, illique placere & gratas eſſe; quod pariter impium eſt, & blaſphemum: unde optime ſcribit Natalis Alexander lib. 4. Decalogi §. 8. *Neque res illicitæ, neque res indifferentes ſunt materia voti, & contra religionem graviter peccaret, qui opera hujuſmodi voveret.* Nec idonea videtur Lacroixii ratio ad eos excuſandos, nimirum talem non eſſe voventis mentem, putare videlicet peccata venialia Deo placere, vel illum de vanis & inutilibus operibus delectari, ſed ſolum tribuendum imprudentiæ voventis circa electionem materiæ, quandoquidem ad lethale peccatum non requiritur intentio mala, ſed ſufficit ſi actio ipſa in ſe ſpectata ſit graviter criminoſa, & divinæ majeſtatis contemptiva. Fieri tamen poteſt, ut tanta ſit in vovente mentis imbecillitas, tanta inadvertentia, & ignorantia, ut poſſit a gravi culpa excuſari.

Conſectarium Quintum.

V. Vota contra conſilia Evangelica nulla ſunt, & ſacrilega. Nam ſi votum de re inutili & indifferenti, ut mox diximus, a lethali peccato non excuſatur, multo minus votum de re conſiliis Evangelicis adverſa. Præterea, ut ſuperius præcedenti diſputatione vidimus, perjurus eſt & peccat lethaliter, qui jurat ſe aliquid facturum contra evangelica conſilia, dicente S. Th. 2. 2. q. 98. a. 2. „ Qui jurat ſe non intraturum religionem, vel daturum eleemoſynam, vel aliud „ hujuſmodi jurando, perjurium incurrit propter „ defectum judicii, “ multo magis qui votum emit-

emittit de abjiciendis evangelicis conſiliis, vel aliquo illorum, cum, eodem A. Præcept. docente, ſanctius ſit, arctiusque obliget votum, quam juramentum, nam ſcribit ibid. q. 89. a. 8. „ Obligatio voti cauſatur ex fidelitate, quam Deo „ debemus, ut ſcilicet ei promiſſum ſolvamus; „ obligatio autem juramenti cauſatur ex reverentia, quam debemus ei, ex qua tenemur quod „ verificemus id quod, per nomen ejus promittimus. Omnis autem infidelitas irreverentiam „ continet; ſed non convertitur: videtur enim „ infidelitas ſubjecti ad dominum eſſe maxima irreverentia. Et ideo votum ex ratione ſua magis eſt obligatorium, quam juramentum.

§. II.

Votum de re indifferenti & inutili.

Conſectarium Sextum.

VI. Vota non nendi in die ſabbati ad honorem Virginis, non fodiendi terram in die Paraſceve, non comedendi capita animalium in honorem S. Jo. Baptiſtæ, nec carnes aſſas in die S. Laurentii, & ſimilia, illicita ſunt & nulla: nulla quidem, cum ſint de rebus ad Dei gloriam inutilibus, & Deo nullo modo accepta; illicita vero non ſolum, ut dixi, quia otioſa & vana, ſed etiam quia ſuperſtitionem redolent, cum ita ab aliquibus actionibus ratione diei abſtineant, ut ſimilia tamen exerceant, ſic enim a nendo abſtinent, ut ſuere non recuſent, terram fodere nolunt, cum tamen alia exerceant ſimilia opera, unde arant, ſerunt &c.

Conſectarium Septimum.

VII. Votum peregrinandi nudis pedibus licitum eſt, & validum, non tamen ſi ſit de totius corporis nuditate. Prima pars eſt manifeſta, cum ſit actus humilitatis & pœnitentiæ, Deo proinde gratus. Altera vero pars, quæ totius corporis nuditatem rejicit, non approbatur a Navarro, qui licitum putat votum hujuſmodi, ſi tamen fiat tectis partibus quas pudor occultare impellit. Verum melius ſentiunt D. Antoninus, aliique Theologi, qui licitum habent, & validum votum quoad peregrinationem, nullum tamen quoad nuditatis circumſtantiam, quæ quid inhoneſtum exhibet, & etiam ſcandalo eſſe poteſt & offenſioni præter grave valetudinis periculum, proinde implenda peregrinatio, nuditas abjicienda.

Conſectarium Octavum.

VIII. Votum non ludendi ullo prorſus ludo, ut ſolet a chriſtianis communiter elici, validum eſt & licitum, eſt enim de meliori bono; nam vel emittitur gratia vitandi peccata, & rixarum occaſiones, pecuniæ diſſipationem, & tunc procul dubio acceptum eſt Deo, & de re optima; vel emittitur amore pœnitentiæ, mortificationis, cujus gratia a quocumque etiam moderato ludo prorſus abſtinere vovens ſtatuit, & tunc quoque validum, & honeſtum apparet, & eſt longe præſtantius opus pœnitentiæ, & mortificationis, quam moderatus etiam luſus. Si vero hoc poſteriori motivo emiſſum ſit votum, nullus unquam luſus licitus erit, niſi forte in ſpeciali aliquo caſu ad triſtitiam gravem animi ſublevandam ludus aliquis neceſſarius cenſeretur, tunc enim non fieret invalidum votum, ſed ceſſaret obligatio voti, ſicut & ceſſant in gravi incommodo, & neceſſitate cætera vota, & præcepta eccleſiaſtica, unde licet infirmis, diebus ſive ex præcepto, ſive ex voto eſurialibus, carnes comedere, & jejunium frangere. Si vero elicitum ſit ex priori capite, ad prudenter diſcernendum quantum ſit ejus extendenda obligatio, inſpiciendus eſt finis & cauſa voti, quæ efficit ipſam ludi abſtinentiam, idoneam materiam voti, nam ludi abſtinentia de ſe inſpecta, & a quacumque circumſtantia ſejuncta, eſt quid indifferens, proinde vix apta materia voti. Si itaque quis vovit abſtinere a ludo cauſa rixas vitandi, contentiones, jurgia, blaſphemias, a quibus ægre ob impotentis bilis æſtum ſe novit poſſe abſtinere, nullum poterit amplius ludum aſſumere. Si vero voverit ad redimendum tempus, quod in ludis diuturnis terere conſuevit, per breve aliquod tempus ludendo ſaltem graviter non peccabit. Si ad votum impulit nimia pecuniæ jactura, ludere non poterit ullo pecunioſo ludo, niſi tanta foret pecuniæ ludo expoſitæ tenuitas, ut leve tantum peccatum conſtitueret. Ita quidem ſi de ludo indeterminato votum emiſſum ſit: at ſi a peculiari aliquo ludo vel illicito, vel illiberali puta alearum, taxillorum abſtinere voviſſet, proculdubio ex quacumque cauſa emiſerit votum, ludere amplius ludo illo non poterit, cum enim jam ſit de ſe materia voti, quia melius eſt a ludo vel illicito, vel illiberali abſtinere, quam eo uti quacumque ex cauſa, quocumque ex fine votum illud proceſſerit, licitum ſemper erit & validum, proinde ſemper, etiam ceſſante fine voti, cuſtodiendum.

Conſectarium Nonum.

IX. Qui vovit aleis non ludere ad vitandas contentiones, rixas, blaſphemias, poterit per alium ludere, dummodo ipſe ludo non interſit, nam ipſo præſente idem immineret periculum rixandi, blaſphemandi, vitilitigandi, unde cenſetur in eo caſu verum adagium illud, *qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur*. Falſa proinde eſt Lacroixii doctrina, adhuc licere illi per alium ludere in ſui præſentia, licet periculum adſit blaſphemiæ, rixæ, contentionis, quia (inquit ipſe) ſemper verum eſt, te non ludere: at hoc eſt votum deludere, non implere. Qui vero vovit aleis non ludere, ne jacturam ſubeat pecuniæ, non poterit ludere aliena pecunia, cum illiberale hoc genus ſit materia legitima voti, & melius ſit aleis non ludere, quam pro alio ludere, eſt proinde illi ludus iſte omnino interdictus, præſertim cum voto ſuo ab omni aleatorio ludo ſtatuerit, & ſe obſtrinxerit abſtinere.

§. III.

§. III.

Votum de rebus bonis, & de meliori bono.

Conſectarium Decimum.

X. Votum vitandi omnia peccata ſive mortalia, ſive venialia collective de ſe & abſolute inſpectum invalidum eſt, cum ſit plane humanæ imbecillitati hoc univerſale votum impoſſibile. Verum in praxi hocce votum validum cenſerem, tum quia prudenti conſilio eaque mente emitti ſolet, ut ſubintelligatur juxta vires humanæ imbecillitatis, & communia auxilia gratiæ; cum itaque omnia mortalia poſſint vitari, ex hac parte validum erit votum, tum quia, ut ſuperius diximus, quando votum ex duplici coaleſcit parte, quarum altera bona ſit & poſſibilis, altera vel mala, vel impoſſibilis, ſi partes ſejungi poſſunt, ad eam obligat partem, quæ bona eſt & poſſibilis, ut in hoc voto contingit, in quo a lethali peccato abſtinere & bonum eſt & poſſibile, & ab alia parte ſeparabile, proinde ex parte obligatorium. At votum vitandi omnia venialia, ut ſuperiori capite diximus, nullum eſt & irritum, quia ſine ſpeciali privilegio humanæ infirmitati moraliter impoſſibile eſt abſtinere ab omnibus collective venialibus. E contra vero valida ſunt vota vitandi omnia lethalia peccata, cum & ſint materia idonea voti, &, divina opitulante gratia, poſſibilis; non enim ſunt impoſſibilia divina mandata; ſicut & vitandi nonnulla determinata venialia, puta in linea veracitatis, caſtitatis, & ſimilia, cum hoc quoque ſit auxiliis etiam communibus gratiæ poſſibile. Exciperem tamen votum vitandi omnia peccata venialia, quæ verbis & lingua committi poſſunt, cum in tanta linguæ labilitate ſine ſpeciali auxilio gratiæ omnia venialia vitare moraliter videatur impoſſibile, dicente Apoſtolo Jacobo epiſt. cap. 3. v. 10. *In multis offendimus omnes; ſi quis verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.*

Conſectarium Undecimum.

XI. Qui voto caſtitatis obſtricti Matrimonium celebrarunt, peccant ſi ſtimulis concupiſcentiæ agitati debitum petant ne luxurientur. Sunt qui in hoc caſu petitionem debiti licitam putant, quia, inquiunt, ſicut votum debet eſſe de meliori bono, ita ejus obſervatio debet eſſe de bono meliori: porro qui ſtimulis carnis agitatus peccato conſentit, jam non melius bonum, immo nec bonum proſequitur, ſed peccatum committit, quod vitare poteſt per uſum conjugii, quod eſt bonum, & conjugato licitum; poterit ergo in urgente neceſſitate debitum petere, quin violet votum. At falſa certe eſt hæc doctrina, nam fatentur votum eſſe validum, cur igitur non erit obſervandum? Quia, inquiunt, grave inſtat periculum incontinentiæ. At 1. hoc periculum non eſt avertendum alio peccato, ſcilicet tranſgreſſione voti, quia, ut inquit Apoſtolus, *non ſunt facienda mala, ut eveniant bona*, alioquin Regularis profeſſus ſtimulis carnis vehementer vexatus poſſet Matrimonium inire potiuſquam tentationi ſuccumbere, cum Matrimonium ſit in ſe bonum, & luxuriari certo malum. 2. Si, quando urget tentatio vehemens violandi vota, liceret, ne tranſgreſſioni conſentiat, voventi illud violare, jam vota inepta forent, cum omnia emittantur, ut homo magis in bono firmetur, & oppoſito vitio vehementius reluctetur, tenetur igitur votum ſervare, & carnis ſtimulis oratione, mortificatione, aliiſque pœnitentiis obſiſtere. Hinc falſa eſt quoque doctrina Sporerii docentis, adoleſcentem ſtimulis carnis agitatum, & in peccata identidem labentem, ſi advertat utiliorem ſibi futurum conjugalem ſtatum, & nihilominus votum caſtitatis emittat, cujus poſtea pœniteat, voto non teneri, quia omnibus inſpectis, non eſt illud de meliori bono. At quare non de meliori bono? Non ne caſtitas eſt melius bonum Matrimonio, nonne extra Matrimonium caſtitatem, Deo adjuvante, ſervare poteſt? Nonne voluntarie votum emiſit? Cur ergo invalidum? Quia frequenter peccat, inquit, & votum eſt illi offenſionis petra. Utique, at peccat malitia ſua, voluntate libera; poteſt ergo abſtinere ſi velit, & voti violationes etiam frequentes nunquam ab onere voti liberant. Imprudens itaque fuit ejus votum, quod non emittere cautius erat, at ejus valor non tollitur. Solum illa imprudentia cum fragilitate conjuncta cauſam aliquam poteſt ſuppeditare petendæ diſpenſationis.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Votum de nullo emittendo voto de ſe invalidum eſſe nullus eſt qui ambigat, tum quia evangelicis conſiliis aliquo modo adverſari videtur, tum quia non eſt de meliori bono, cum melius ſit Deo vota offerre, quam non offerre, actum religionis elicere, quam omittere. Attamen ſi quis nimis in votis emittendis præceps, incautus, imprudens, votum emittat de non vovendo niſi in ſcriptis cum approbatione Confeſſarii, & conſilio prudentis viri, validum reputarem hocce votum, cum non eſſet de abſoluta negatione voti, ſed de prudenti, cauta, & conſiderata ejus emiſſione, quæ profecto & bona eſt, & de meliori bono, cum prudens circumſpecta ratio vovendi melior ſit imprudenti & præcipiti emiſſione voti. At tali poſito voto, ſi poſtea contemptis illis circumſtantiis voveat, peccabit ne lethaliter, an venialiter? Emiſſumque poſterius votum erit ne validum? Puto tranſgreſſionem voti, ſi ex contemptu procedat emiſſi voti, lethale fore peccatum, cum violet prudens votum, & ſuæ conſcientiæ vel utile, vel neceſſarium, alio imprudenti & incauto voto; ſi vero ex inadvertentia, & inconſideratione voveat, vel putet circumſtantiam illam vel ſcribendi votum, vel adeundi Confeſſarium in illo quo vovit momento non urgere, poterit a mortali excuſari. Quoad validitatem vero poſterioris voti eſt inſpicienda voventis intentio, ſi enim voluit non valere votum niſi in ſcripto, niſi de conſilio, & licentia Confeſſarii, profecto nullum eſt votum ſubſequens

quens non tali pacto emiſſum; ſi vero votum voluit quidem talibus affici conditionibus, ut ſibi noluerit adimere libertatem aliter vovendi, peccabit quidem contra primum votum, eo quod imprudenter contra quod promiſit voveat, at valebit novum votum, cum plura ſint quæ illicite fiunt, facta tamen obligant, ut patet in Matrimonio ab habente votum caſtitatis celebrato.

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Votum de non petenda voti diſpenſatione, vel commutatione, vel irritatione in ſe validum eſt, & quidem ſi ſermo ſit de non petenda diſpenſatione abſque legitima cauſa, tale votum validum eſſe nemo ambigit, cum ſine legitima cauſa diſpenſationem petere malum ſit, & illicitum: ſi vero ſit de non petenda diſpenſatione etiam legitima ſubſiſtente cauſa, adhuc valere ex eo patet, quia importat firmitatem in bono per votum ſuſcepto, a quo nec legitima urgente cauſa reſilire valet, ut patet in præcepto abſtinendi a carnibus, quod licet non urgeat infirmum, ſi tamen illud valeat obſervare, nullus profecto erit qui accuſet, & damnet. Quod ſi talis urgeat evidens cauſa, ut animæ ſaluti expediens ſit & neceſſarium petere diſpenſationem, tunc eam depoſcere poterit, non quia votum validum non ſit, ſed quia in illis circumſtantiis, in quibus non aliud ſuppetit medium vitandi ſpiritualis damni, niſi petitio diſpenſationis, præceptum non urget, nec ullus ſibi poteſt adimere poteſtatem confugiendi in urgente neceſſitate ad Superiorem, & Superiori facultatem ſuccurrendi ſubdito in tali neceſſitate ſpirituali conſtituto non ademit ſubditi votum. Semper tamen poterit oblatam ſponte a Superiore commutationem, vel diſpenſationem acceptare, cum votum ſuum alterius non obliget poteſtatem, & voluntatem, quod multo magis verum eſt de irritatione, quæ tota eſt in poteſtate Superioris, cui ſubditus tenetur obtemperare.

Conſectarium Quartumdecimum.

XIV. Vota non ingrediendi niſi tale religionem, non orandi niſi flexis genibus, non dandi eleemoſynam niſi ad minus unius aurei, & ſimilia ab aliquibus Theologis & valida putantur, & licita, quippe qui cenſent eſſe de meliori bono, melius eſt enim aliquam religionem ingredi quam nullam, aliquam eleemoſynam largiri quam nihil dare, orare flexis genibus quam alio minus humili modo. Verum hæc vota mihi videntur melioris boni impeditiva; nam una ex parte nihil boni certo perficiendum promittit vovens cum conditionatum ſit votum, cujus conditionem ipſe vovens vel ponere, vel non ponere pro libito poteſt; hunc enim referunt ſenſum: ſi religionem amplecti voluero, voveo nonniſi hanc religionem ingreſſurum: ſi eleemoſynam erogare mihi libuerit, non tenuiorem unius aurei daturum: ſi orare voluero, id facturum voveo genibus flexis; interim tamen nec religionem ingreditur, nec eleemoſynam largitur, nec orat, nec ad hæc præſtanda tenetur; ex altera vero parte per hocce votum & impeditur aliam religionem ingredi, ſi forte ab ea quam elegit vel repellatur, vel minus idoneus reperiatur; a danda eleemoſyna arcetur, ſi forte pecuniam voto promiſſam in promptu non habeat, habeat vero minorem; non orat quando orare poſſet, licet non genibus flexis. Hinc tutius putarem hæc vota ſic intelligenda, ut juxta regulam juris utile per inutile non vitietur, nimirum voviſſe hanc religionem ingredi, ſi ſtatum religioſum amplecti voluerit, ita tamen ut aliquo ſuboriente impedimento nec aliam teneatur ingredi religionem, nec impediatur ad ingrediendam ſi velit; ita debere eleemoſynam unius aurei dare quoties potuerit, ut minorem tamen dare non impediatur, ſi in promptu eam non habeat pecuniæ ſummam, quam vovit; teneatur dum liber eſt conſuetas orationes ſuas genibus flexis perſolvere, ſed ſimul non impediatur orare etiam non flexis genibus cum non poterit genuflectere. At dices, non ita intellexit vovens, nec hæc fuit ejus mens in vovendo, quid igitur? Reſpondeo nulla eſſe tunc ea vota habenda, utpote non de meliori bono, ſed melius bonum impedientia.

CAPUT QUINTUM.

De voti obligatione, modo, & tempore quo urget.

DOCTRINA.

I. *Obligatio voti ex religione, & fidelitate proficiſcitur.*
II. *Violatio voti de ſe lethale peccatum eſt.*
III. *Confirmatur doctrina S. Thomæ.*
IV. *Violatio voti in re levi num leve peccatum ſit.*
V. *Voventem rem gravem ſolum ſub levi ſe poſſe obligare nonnulli docent Theologi.*
VI. *Probabilior oppoſita doctrina.*
VII. *Argumenta in oppoſitum ſolvuntur.*
VIII. *Vota perſonalia ſolos voventes obſtringunt.*
IX. *Non poſſunt, nec tenentur per alium implere.*
X. *Vota realia & per alium impleri poſſunt, & aliquando debent.*
XI. *Hæredes quando realia vota teneantur implere.*
XII. *Num donatarii donantis vota teneantur implere.*
XIII. *Tempus implendi voti aliud ad finiendam obligationem, aliud ad urgendam.*
XIV. *Quomodo dignoſci poſſit alterutro modo appoſitum.*
XV. *Elapſo tempore appoſito ad finiendam obligationem non amplius urget votum.*
XVI. *Sicut nec urget niſi adveniente tempore præſtituto.*
XVII. *Non omnis mora temporis ad votum implendum eſt lethale peccatum.*

§. I.

§. I.

De Voti obligatione.

I. VOTI obligatio ex virtute religionis, & fidelitatis erga Deum proficiſcitur; ex religione quidem, quia votum eſt actus religionis, ut docet S. Th. hic q. 88. a. 5. ſcribens: „ Manifeſtum eſt, quod votum eſt quædam promiſſio Deo facta, & quod promiſſio nihil eſt aliud quam ordinatio quædam ejus, quod promittitur, in eum cui promittitur. Unde votum eſt ordinatio quædam eorum, quæ quis vovet, in divinum cultum, ſeu obſequium. Et ſic patet quod vovere proprie eſt actus latriæ, ſeu religionis ". Quod vero ad fidelitatem erga Deum pertineat voti impletio, docet idem Ang. art. 3 „ Ad fidelitatem hominis pertinet, ut ſolvat id quod promittit. Unde ſecundum Auguſtinum lib. de mendac. cap. 20. fides dicitur ex hoc, quod fiunt dicta. Maxime autem debet homo Deo fidelitatem, tum ratione dominii, tum etiam ratione beneficii ſuſcepti: & ideo maxime obligatur homo ad hoc, quod impleat vota Deo facta: hoc enim pertinet ad fidelitatem quam homo debet Deo. Fractio autem voti eſt quædam infidelitatis ſpecies. Unde Salomon rationem aſſignat, quare ſint vota reddenda: quia " diſplicet Deo infidelis promiſſio. Et Deuter. 23. dicitur: *Quod autem ſemel egreſſum eſt de labiis tuis, obſervabis, & facies ſicut promiſiſti Deo tuo, & propria voluntate, & ore locutus es.* Et iterum: *Cum votum voveris Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, & ſi moratus fueris reputabitur tibi in peccatum.*

II. Porro hæc obligatio de ſe non levis eſt, ſed gravis; hoc enim indicant Scripturæ mox citata verba, & quod habetur Eccleſ. 5. *Quodcumque voveris, redde, multoque melius eſt non vovere, quam poſt votum promiſſa non reddere:* ſed clarius Apoſtolus ad Timoth. 1. cap. 5. de viduis ſcribit: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt:* quæ verba exponens Auguſtinus enarrat. in pſal. 75. ſcribit: „ Quid eſt primam fidem irritam fecerunt? Voverunt, & non reddiderunt ": & idem D. ad Paulinum, & Armentarium ſcribit: „ Quia jam voviſti, jam te obſtrinxiſti, aliud tibi facere non licet... nunc vero quia tenetur apud Deum ſponſio tua, non te ad magnam juſtitiam invito, ſed a magna iniquitate deterreo ". Ab Auguſtino non diſſentit fidiſſimus ejus diſcipulus D. Thomas tum quodlib. 2. a. 13. tum in IV. diſt. 38. q. 1. n. 3. ubi hæc habet: „ Cum contractus bonæ fidei inter homines factus obliget ad neceſſariam obſervationem, multo fortius votum, quo homo Deo aliquid promittit... & ideo qui votum rite factum prætermittit, mortaliter peccat, quia fidem, quam cum Deo iniit, frangit.

III. Porro licet, ut obſervat D. Th. l. c. in 1. objectione, „ promiſſio ſimplex homini facta non obligat ad obſervandum ſecundum inſtitutionem legis humanæ, quod eſſe videtur inſtitutum propter mutabilitatem voluntatis humanæ; " tamen ſubdit in reſp. ad 1. „ Deus etſi bonis noſtris non egeat, ei tamen maxime obligamur, & ita votum ei factum eſt maxime obligatorium ": quippe quia res voto promiſſa eſt jam divini juris facta, quod violare lethale peccatum eſt.

IV. Tametſi votum ex ſpecie ſua gravem afferat obligationem, in ejus tamen violatione aliquando non niſi veniale intercedere poſſe peccatum docent ad unum Theologi omnes, ſcilicet quotieſcumque tranſgreſſio ex imperfecta deliberatione, ex ſubreptione, ex levi negligentia oriatur. At num talis ſit etiam ex materiæ parvitate, rurſum conveniunt, quotieſcumque res parva voto promiſſa non ſit tota materia voti, ſed ejus pars tenuis: Voviſti Officium B. V., non peccas lethaliter, ſi unam vel alteram omittas antiphonam: voviſti Roſarium, non peccas unam vel alteram angelicam ſalutationem negligens. Diffident tamen, ſi res tenuis voto promiſſa ſit tota materia voti; affirmant Cajetanus, Card. Toletus, aliique hac duplici innixi ratione. 1. Quia, inquiunt, votum de ſe ſub mortali obligat tum ex religione, tum ex fidelitate erga Deum, nec in hoc nullum diſcrimen eſt in voto de re gravi, & levi, utrumque enim ex eadem profluit virtute, ergo cum in levi materia integrum violetur votum, & Deo promiſſa non impleantur, lethale inde ſequitur peccatum. 2. In juramento promiſſorio licet res promiſſa levis ſit, grave tamen committitur peccatum; ergo pari ratione lethale erit peccatum tranſgreſſio voti etiam in re levi, eo magis quia, ut diximus ex D. Th. *arctius votum obligat, quam juramentum.* Verum oppoſita doctrina, quam tuentur Navarrus, Jo. a S. Th., Azorius, Antoine, aliique, longe eſt probabilior, & evincitur hac ſatis firma, & ſolida ratione: votum non eſt niſi lex privata, quam vovens ſibi ſponte imponit, quæ proinde eo obligat pacto, quo ceteræ omnes leges ſive divinæ, ſive naturales, ſive poſitivæ humanæ ſolent adſtringere; porro omnibus legibus commune eſt, & proprium, in gravi materia obligare ſub gravi, in materia vero levi non niſi levem inferre obligationem. Pari itaque pacto votum de re levi non niſi levem injiciet ſervandi obligationem, de gravi vero gravem. Nec oppoſita adverſantium Theologorum urgent argumenta, nam etiam præcepta legis naturalis, & divinæ de ſe ſub lethali obligant, & nihilominus in eorum violatione ſi levis ſit materia, nonniſi leve eſt peccatum, nec fortius conſurgit vinculum ex religione, quam ex aliis virtutibus, ut patet in ſacrilegio, quod licet illi adverſetur virtuti, nihilominus etiam in linea ſacrilegii leve poteſt eſſe peccatum. Licet vero major ſit voti, quam juramenti obligatio, obſervandum tamen inter utrumque diſcrimen, quod non tam ex objecto & materia ſive juramento, ſive voto promiſſa deſumitur, quam ex ipſa indole juramenti & voti. Jusjurandum etenim Deum in teſtem invocat veritatis: por-

ro deficiente veritate, quæ tota, & integra eſt ſive in re gravi, ſive levi graviſſima Deo irrogatur injuria, dum teſtis inducitur falſitatis. In voto vero cum aliquid Deo offeratur, ejus obligatio ex ipſa materia commenſuratur, quæ ſi gravis ſit, gravem infert culpam, ſi levis, nonniſi venialem. Accedit doctrina Eccleſiæ, quæ definivit in juramento etiam de re levi, ſi deſit veritas, perjurium committi, quod de voto nunquam conſtitutum legitur.

V. Tametſi votum lex ſit particularis, quam ſibi vovens imponit, in ejus quidem poteſtate eſt eam ſibi indicere vel non indicere, at non eſt illi liberum, ſe in re levi ſub gravi obligare, aut in re gravi non niſi levem velle inducere obligationem, ſed ſi res gravis in ſe ſit, gravem parit obligationem, ſi levis, levem. Et quidem ex levi materia grave non conſurgere debitum indicant leges omnes ſive humanæ, ſive divinæ, quæ nunquam rem levem graviter obſtringere volunt, & conſentiunt Doctores; qui tamen diſſentiunt, dum inquirunt, num quis votum de re gravi & magni momenti aſſumere poſſit, ea tamen mente, intentione, & voluntate, ut nonniſi ſub culpa veniali ad voti obſervantiam teneatur; & plures quidem affirmant, quippe quia „ actus agentium ex intentione non operan- „ tur ultra intentionem agentium “, unde & S. Tho. a. 3. q. 88. ad 3. pro certo ſtatuit, „ quod „ obligatio voti ex propria voluntate, & inten- „ tione cauſatur “. Si ergo vovens non aliam ſibi conſtituat obligationem aſſumere niſi ſub veniali, non ultra protendetur culpa. Addunt, in voto homo eſt ſibi ipſi legislator legem ferens prout ſibi placet, at in poteſtate eſt legislatoris legem ferre, quæ non ad culpam obliget, ſed ſolum ad pœnam: ſic plures Religionum Inſtitutores plura ſuis ſive legibus, ſive conſtitutionibus juſſerunt etiam gravia, puta a carnibus abſtinentiam, nocturnam pſalmodiam, quin tamen ſub culpa gravi profitentes voluerint obſtringere; cur ergo non poterit vovens ita ſibi legem imponere, quæ non gravem, ſed ſolum levem inducat obligationem?

VI. Oppoſitum tamen, & meo quidem judicio probabilius docent alii, & quidem magni nominis Theologi Sotus, Corduba, Vaſquez, Wigandt, & noviſſime Concina, & merito quidem. Nam qui rem gravem Deo vovet, rem profecto gravem illi pollicetur; at promiſſio de re gravi Deo facta, gravem neceſſe eſt inducat obligationem; nam ſi puellæ pauperi, ut nubere poſſit, centum aureos promiſiſti, teneris ſub gravi culpa datam fidem implere; quomodo non ita erit & reſpectu Dei? Deuter. 23. dicitur: *Quod ſemel egreſſum eſt de labiis tuis, obſervabis, & facies ſicut promiſiſti Deo tuo, & propria voluntate & ore locutus es*; atqui propria voluntate, & ore promiſiſti Deo tuo rem gravem, ergo ſi implere omittas, gravis omiſſionis reus effceris, graviter ergo peccabis; vix enim concipi poteſt gravem omiſſionem leve tantum afferre peccatum. Præterea votum in promiſſione conſiſtit Deo facta, ex qua ſemel emiſſa ſponte & veluti naturaliter conſequitur implendi obligatio, porro hæc naturam conſequitur promiſſionis, a qua tamquam a radice profluit; ſi ergo promiſſio eſt de re gravi, grave quoque conſequatur implendi debitum oportet, ſi de levi, nonniſi leve. Et hic non ſibi cohærent adverſæ ſententiæ Patroni, qui docent non poſſe voventem rem levem ſub gravi ſibi inducere obligationem, quia, inquiunt, rei indolem, & naturam invertere, & immutare nequeunt voventes, & efficere, ut quod in ſe leve eſt, grave onus inducat, quomodo ergo poterunt rei gravis momenti naturam invertere, & efficere, ut quod in re magni momenti eſt, nonniſi leve debitum importet? Et revera ita eſt in omnibus aliis humani promiſſionibus, pactis, contractibus, quorum celebratio licet homini libera ſit, & omnino in eorum poſita voluntate, ſi ſemel tamen ea velint inire, proportionatam eorum materiæ obligationem aſſumant oportet: ſic qui contractum celebrat de re gravi, ad illum implendum ſub gravi obligatur, qui matrimonium init, ſub gravi debitum reddere debet, nec poteſt ſe velle ad id ſub levi obſtringere, ita enim rectus ordo, rerum indoles, & lex ipſa naturæ poſtulat.

VII. Nec oppoſita urgent adverſariorum argumenta. Nam ut a poſtremo incipiam, verum quidem eſt voventem libere ſibi legem ferre, a qua poſſet abſtinere, at poſito quod velit vovere, debet obligationem aſſumere naturæ voti correſpondentem; liber eſt ad vovendum, vel non vovendum, liber eſt ad rem gravem vel levem promittendam, at emiſſo voto, facta promiſſione, hæc ſi de re gravi erit, gravem inducet obligationem, ſi de re levi, non niſi levem. Nec humani Legislatoris valet exemplum, nam 1. oſtendimus tract. 1. de leg. hum. cap. 9. n. 7. non eſſe in poteſtate Legislatoris materiam gravem prohibere, vel præcipere ſub culpa levi, nec levem ſub gravi, & ideo dum Religionum Fundatores aliquid in ſuis conſtitutionibus mandant, quod in ſe grave eſt, ſub ſola pœna, vel levi culpa, leges non condunt, ſed meras directiones, & ſtatuta, & ordinationes ſolum obligantes ad pœnam, ut oſtendimus loc. cit. cap. 5. Confect. 2. Verum dato etiam Legislatori humano id licere, non idem tamen dicendum foret de lege voventis, quæ immediate ipſum divinum jus reſpicit, & proxime ad illud ordinatur, dum humanæ leges non niſi indirecte jus divinum reſpiciunt; hinc in voto promiſſio fit deo, qui novum jus adipiſcitur ad rem ſibi oblatam juxta ipſius materiæ naturam, & indolem; in lege vero humana onus ſubdito imponitur, quod vel leve, vel grave eſſe juxta legislatoris voluntatem ſuſpicari poſſumus. Similiter dum S. Th. docet, obligationem voti ex voventis propria voluntate, & intentione cauſari, nec ultra ejus intentionem extendi, ſolum indicat, liberum quidem eſſe homini votum emittere, vel non emittere, materiam levem, & gravem voto polliceri; non eſſe voventis promiſſionem quoad materiam, tempus, & modum ultra ejus voluntatem extendendam, non vero obligationis onus a voventis voluntate

pen-

pendere, ſed eſſe ex materiæ gravitate penſandum, quod patet ex reſp. ad 3. ubi S. D. oſtendit, ad quid ſe extendat voluntas, & intentio voventis, ſcribens: *Dicendum, quod obligatio voti ex propria voluntate, & intentione cauſatur . . . & ideo ſi in intentione, & voluntate voventis eſt obligare ſe ad ſtatim ſolvendum, tenetur ſtatim ſolvere; ſi autem ad certum tempus, ſub certa conditione, non ſtatim tenetur ſolvere.*

§. II.

De obligationis modo.

VIII. Vota non obligant niſi ipſum voventem ſi ſint perſonalia, quia cum vota ſint leges privatæ, & a ſola voluntate & libertate voventis procedant, & ipſius voventis proprias reſpiciant actiones, nonniſi ipſum voventem afficiunt. Hinc vota parentum pro filiis iſtos non obſtringunt, niſi a filiis rata habeantur, & confirmentur; ad hoc vero non ſufficit ſilentium filii, ſed neceſſarius eſt expreſſus conſenſus, & libera ejuſdem voluntas. Itaque parentum vota de filiis ſuis hoc afferunt onus voventibus, ut curent quantum fieri poteſt, ſalva ſemper filiorum libertate, ut ad acceptanda, rata habenda, & implenda natos ſuos hortentur, & moveant.

IX. Vota perſonalia ſi nequeant a vovente impleri, non tenetur implere per alium, ſicut nec ſi per ſe poſſit, valet alium ſubſtituere. Non primum, quia votum eſt de actione ab ipſo vovente ponenda, puta jejunio, oratione, viſitatione Eccleſiæ, quod ſi præſtare non poſſit, minime tenetur per alium. Non ſecundum, quia non præſtaret quod pollicitus eſt, promiſit autem voto actionem ſuam perſonalem, ergo hanc debet ipſe præſtare, non alter. Quod verum arbitramur, licet ex ſua culpa factus ſit impotens ad perſonale votum implendum, quia omiſſionis culpa naturam non immutat voti perſonalis, quod ita afficit perſonam, ut ſi per ipſum impleri non poſſit, ejus ceſſet obligatio; pœnitere igitur debet de commiſſa culpa, & facere quod in ſe eſt, ut docet S. Th. hic q. 88. art. 3. ad 2. ſcribens: *Si illud, quod quis vovit, ex quacumque alia cauſa impoſſibile redatur, debet hoc facere quod in ſe eſt, ut ſaltem habeat promptam voluntatem faciendi quod poteſt . . . . . . Si vero incidit in impoſſibilitatem implendi votum ex propria culpa, tenetur inſuper de propria culpa præterita pœnitentiam agere.* Non deſunt tamen etiam magni nominis Theologi, qui docent, impotentem ex ſua malitia & culpa ad implendum votum, debere per alium ſupplere. Audiatur D. Antoninus 3. p. tit. 2. cap. 2. §. 5. *Si autem fecerat votum cauſa devotionis eundi, ſuperveniente impedimento non tenetur ire, vel mittere, niſi forte fuerit in mora, & ſic eſt in culpa, quia cum potuit, noluit.* Et certe ſi de admiſſa culpa vere pœniteret, curaret omni ſtudio omiſſionem reparare eo meliori quo poſſet modo, & a Confeſſario, ne ex iniquitate ſua lucrum reportaret, ſaltem in pœnitentiam illi injungenda voti ſatisfactio foret, eo quo valeret modo.

X. Vota vero realia etiam per alium impleri poſſunt, immo quandoque & debent. Et quidem quod realia vota per alium impleri poſſint, manifeſte patet, quippe quæ conſiſtunt in exhibitione rei promiſſæ, puta dotis, eleemoſynæ, calicis &c., quod æque præſtari poſſunt & per ipſum voventem, & per alium ipſius nomine; immo ita per alium exhiberi poteſt res promiſſa, ut etiam inſcio ipſo vovente impletum ſit votum, dummodo tamen invitus non ſit nec reluctans oblationi rei; ſi enim obſiſtat, non impletur votum, quod voluntatem ſatisfaciendi, & implendi neceſſario poſtulat; hæc autem in inſcio habetur per ratihabitionem, non vero in reluctante, & contradicente, quem ſi obſiſtentiæ pœniteat, & rei promiſſæ oblationem ratam haberi vellet, non amplius poſſet, quia jam voti impletio invalida fuiſſet, & nulla; quod autem ſemel invalidum fuit, niſi iterum innovetur per alios ſubſequentes actus, non revaleſcit. Ita quidem rei inſpecta natura, in praxi tamen hanc ſervandam regulam cenſerem. Si votum reale impletum fuit re ad dominium vel uſum voventis pertinente, licet tempore impletionis obluctans fuerit & invitus, at poſtea obſiſtentiæ illum pœniteat, paratus rem offerre, ſi jam præſtita non fuiſſet, ad iterum offerendum non obſtringerem: duo ſiquidem importat voti obligatio, nimirum & voluntas implendi, & rei promiſſæ oblatio: hoc ſecundum jam præſtitum fuit, & quidem per rem ad ipſum voventem pertinentem, alterum vero præſtatur per pœnitentiam & ratihabitionem. Si vero res oblata non ad ipſum voventem pertinebat, ſed ad alium, qui ſponte de ſuo penu obtulit, non cenſerem voto ſatisfactum, nam revera nihil de ſuo contuliſſet vovens, non rem voto promiſſam, non conſenſum, cum oblatio facta ſit de re aliena, & iſte ſua voluntate reſtiterit, & obluctatus ſit, proinde res non amplius in impletionem voti, ſed in ſpontaneam dantis oblationem tranſiſſet, quare ſubſequenti ratihabitione ſanari non poſſet, cum per eam ſpontanea oblatio in debiti ſolutionem tranſire amplius non valeat; teneretur itaque votum ſuum implere.

XI. Debent quandoque ab alio realia vota impleri, nimirum ab hærede ſive neceſſario, ſive libere electo, dummodo onera hæreditatis valorem non excedant. Ratio eſt manifeſta; nam hæres ex juſtitia ſolvere tenetur onera ipſi adnexa hæreditati, ſicut enim in bona, commoda, & jura defuncti ſuccedit, ita debita, & onera realia ſubire debet; inter hæc autem profecto ea ſunt connumeranda, quæ Deo ſunt promiſſa, cum ſint illi ſpeciali titulo obnoxia. Diſtinguendum tamen inter neceſſarium hæredem, & liberum. Ille enim nonniſi ea vota teſtatoris realia implere tenetur, quæ vel legitimam ſuam, & quæ ſibi jure neceſſario obveniunt, non minuunt; de his enim libere diſponere non poterat teſtator, cum abſolute in ejus dominio non fuerint, debent proinde in hæredem tranſire ab omni onere ſoluta, & libera. At hæres libere

electus ſicut bona teſtatoris acquirit nullo modo ſibi debita, ita & omnia onera ſubire debet, cum hæreditas non dicatur niſi ære alieno ſoluto; ſicut nec ſolvere tenetur vota realia, ſi vires excedant hæreditatis; hoc enim pacto non beneficium aſſequeretur ex alienis bonis, ſed detrimentum in propriis, ad quod certe nullus tenetur. Quod ſi plures ſint hæredes, juxta hæreditatis partem, quæ unicuique obtigit, quilibet pro rata ſolvere debet, niſi forte res promiſſa apud unum ſit, & individua, tunc enim ab illo eſt offerenda, & ab aliis ſervandus indemnis. Horum autem votorum impletio præferenda eſt ſolutioni legatorum piorum, cum hæc libera ſint, & gratioſa, vota vero debita, & obligatoria; at non præferenda ſunt debitis ex juſtitia, cum votum ſit implendum ex bonis propriis ipſius voventis; illa vero ſunt bona voventis propria, quæ ære alieno deducto ſuperſunt.

XII. Num autem, & donatarii ex re ſibi a vovente donata teneantur realia donantis vota perſolvere, digladiantur Theologi, nonnullis negantibus, affirmantibus aliis; utroſque tamen conciliare poſſe putarem, ſi ratio, & fundamentum debiti diſtinguantur: qui enim negant, debitum juſtitiæ eorum argumentis abeſſe oſtendunt; qui affirmant, ſolum religionis debitum agnoſcunt. Et quidem juſtitiæ debitum non oriri ex donatione facta, & acceptata manifeſtum eſt, nam donator etiam poſt emiſſum reale votum dominium retinet rei voto obſtrictæ, poteſt igitur illud etſi illicite, valide tamen in alium transferre, nec ipſa donatio licet illicita adverſatur juſtitiæ, quæ ſola debitum reſtitutionis, & ſolutionis infert, ſed religioni, quæ tale onus non affert, nec ullum tacitum intereſt pactum inter donantem, & donatarium; hoc enim ſupponitur ſolum in hærede, qui teſtatoris perſonam repræſentat, quod donatario non convenit: non ergo ex juſtitia votum reale implere donatarius tenebitur: & huic ſententiæ ego quoque lubens ſubſcribo. At nihilominus ex religione teneri cum aliis ſentio. Nam res donata jam eſt Deo oblata, & ad ipſum ex religione pertinens; porro rem Deo debitam quis ſibi audeat uſurpare, & retinere? Retinendo non furtum committis, at ſacrilegium perpetras. Præterea qui rem Deo voto oblatam non illi reddit, ſed alteri donat, ſacrilegus eſt, & tenetur ſemper quod voto promiſit reddere: ergo qui accipit ab hoc perverſo donatore rem voto Deo oblatam, ejus ſacrilegio cooperatur, & niſi ille compenſet votum implendo, qui accipit rem Deo oblatam, ex religione dare tenebitur. 3. Qui donat rem Deo devotam, valide quidem donat, quia illius dominium retinet, ſed illicite donat, quia gravatum onere eamdem rem Deo offerendi, ergo cum hoc onere tranſit ad donatarium, qui dominium quidem obtinebit validum, ſed illicitum, & pari onere gravatum, niſi qui donavit, votum ſolvendo rem ab eo onere ſublevet.

§. III.

De obligationis tempore.

XIII. Tempus ad voti impletionem dupliciter deſignari poteſt, nimirum determinate, puta ſingulis ſabbatis Miſſæ Sacrificio intereſſe voveo, jejunabo omnibus feriis tertiis in honorem S. Antonii; vel indeterminate, puta dicendo, decem Miſſas celebrare faciam, eleemoſynam dabo pauperibus, Eccleſiam viſitabo. Rurſus temporis deſignatio vel eſſe poteſt ad finiendam obligationem, puta dicendo, jejunabo per annum omnibus ſabbatis in honorem B. V. & elapſo anno completum habetur votum, nec ultra ejus extenditur obligatio; vel deſignatio temporis ponitur ad ſollicitandum obligationis effectum, ut ſi quis diceret, voveo intra annum religionem ingredi, elapſo termino non liberatur ab onere ingrediendi religionem, nam in eo voto duplex habetur voventis voluntas & intentio, alia de religioſo ſtatu aſſumendo, altera de tempore aſſumptionis; prima abſoluta eſt, ac proinde ſemper obligat, altera vero tempus reſpicit quod ad urgendam obligationem additur, non ad tollendam, proinde ſive ex culpa, ſive ſine culpa omiſerit intra annum ingredi religionem, ab onere tamen non liberabitur, niſi forte vovens aliter expreſſe ſtatuat dicens, voveo ingredi religionem, ita tamen ut ſi intra annum votum implere nequivero, ceſſet onus, tunc enim ultra annum non dilatabitur obligatio.

XIV. Quando vero tempus dicendum ſit præſtitutum ad finiendam obligationem, quando vero ſolum ad ſollicitandam, 1. voventis intentio eſt exploranda, & ab ea dignoſcenda veritas. 2. Si de voventis intentione non conſtet, hanc regulam ſtatuunt Theologi, nimirum quando circumſtantia temporis præcipue a vovente ex motivo pietatis, & religionis inſpicitur, tunc tempus cenſetur appoſitum ad determinandam obligationem, ut patet in eo qui vovit jejunare die præcedenti ad omnes B. V. feſtivitates, abſtinere a carnibus omnibus feriis tertiis B. Antonio dicatis. Quando vero circumſtantia temporis ad ſpecialem devotionem non pertineat, tunc tempus appoſitum cenſendum eſt ad urgendam obligationem, ut ſi dicas, hoc anno peregrinabo Lauretum ad Virginis domum inviſendam, tempus circumſtantia non eſt ad finiendam obligationem appoſita, ſed ad ſollicitandam, adeo ut ſi hoc anno pergere nequeas, teneris tamen alio anno. Immo licet circumſtantia temporis ſit ex pietate aliqua appoſita, ſi tamen non ſit cauſa principalis voti, non tollitur obligatio per lapſum temporis, ut ſi quis voveat monaſticum ſtatum aſſumere in die S. Benedicti devotionis gratia erga hunc S. Monachorum Inſtitutorem, licet tali die non poſſit Monaſterium ingredi, non per hoc ab aſſumendo ſtatu monaſtico liberatur, cum diei præſtitutio non ſit cauſa principalis voti, ſed ſolum appoſita ad devotionem augendam, excitandamque pietatem.

XV. Quando igitur circumſtantia temporis eſt appoſita ad præfiniendam obligationem, eo elapſo non urget amplius votum, ſive culpabiliter omi-

omiſeris, ſive inculpate, tunc enim obligant vota ad inſtar præceptorum Eccleſiæ in quibus tempus aſſignatur tamquam obligationis terminus. Sic voviſti jejunare omnibus ſextis feriis, vel in vigiliis ſolemnitates B. V. præcedentibus, ſi jejunare noluiſti, vel nequiviſti, non teneris alio die jejunare. Si vero tempus non ſit appoſitum ad præfiniendam obligationem, ſed ad ſollicitandam, temporis lapſus non liberat ab onere implendi voti; voviſti per menſem quotidie Miſſam audire, ſi hoc menſe non potuiſti, teneris alio menſe; voviſti hoc anno ad viſitanda Apoſtolorum limina Romam pergere, adhuc elapſo anno teneris votum implere.

XVI. Quando tempus ad voti impletionem præſtitutum eſt, non urget niſi præfinito tempore, ut voviſti intra annum puellam pauperem dotare, non teneris niſi intra illud tempus, voviſti ingredi religionem poſt obitum Patris, non urget obligatio niſi defuncto patre. Si vero voti impletioni nullum ſit præſtitutum tempus, tunc urget quamprimum commode potes, nec diu differre debes, ut habetur Eccleſ. 5. *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere:* & Deut. 23. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere ... & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Rationem aſſignat D. Th. hic q. 88. a. 3. ad 3. „ Obligatio voti ex propria voluntate & intentione cauſatur . . . . „ & ideo ſi intentione, & voluntate voventis eſt „ obligare ſe ad ſtatim ſolvendum, tenetur ſtatim ſolvere: ſi autem ad certum tempus, vel „ ſub certa conditione, non ſtatim tenetur ſolvere; ſed nec debet tardare ultra quam intendit „ ſe obligare.

XVII. Non omnis mora temporis ad implendum votum ſemper eſt peccatum lethale, parvitatem enim materiæ admittere nullus eſt qui ambigat; at tempus non eſt mathematice inſpiciendum, ſed moraliter: ſic qui vovit eleemoſynam dare pauperi, non eodem momento, non eadem hora, nec die emiſſi voti tenebitur ita rigide implere, ut ſi ad alteram vel tertiam diem differat, reus ſit moræ lethaliter culpabilis; non tamen differre poteſt ab libitum ſuum, ſed cito, & quantocius moraliter poteſt, implere votum debet. Ad urgendam tamen impletionem voti, & culpandam dilationem & moram, hanc regulam ſtatuunt Theologi; inſpiciendum utrum ex mora & dilatione minuatur votum, ſi enim minuitur, impletio non eſt diutius differenda: c. e. Voviſti religionem ingredi, infirmorum ſervitio te adjicere, quo magis voti differs impletionem, minus Deo in religione, minus infirmis ſervis in Xenodochio, præterlabitur enim tempus, quod in pia opera poteras inſumere, ideoque culpabilis eſt longior mora: ſi vero ex dilatione votum non minuatur, longioris temporis mora inculpata eſſe poteſt: ſic qui vovit puellam pauperem dotare, vel Patavium ad D. Antonium inviſendum pergere, eleemoſynam dare, etſi aliquantulum differat non per hoc minuitur pium opus, ſed integre adhuc perficitur. Quando autem mora implendi ſit lethaliter culpabilis, facile non eſt ſtatuere, ſed circumſtantiæ ſunt penſandæ tum perſonæ voventis, tum rei voto promiſſæ, tum adjunctorum. Qui Religionem ingredi vovit, voti impletionem differre poteſt, donec rebus domeſticis conſulat, Patris, vel conſanguineorum dolor minuatur, frater abſens, cujus præſentia neceſſaria eſt ad res domeſticas procurandas, revertatur, & ſimilia, prudentis tamen Confeſſarii judicio penſitanda. Quando vero timetur periculum, & impedimentum probabile ad votum implendum, dilatio & mora lethale peccatum eſſe poteſt, & tenetur quantocius votum implere.

CAPUT SEXTUM.

Conſectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Qui transgreditur votum de aliquo virtutis actu non præcepto, duplex peccatum non committit.*

II. *Aliquando omiſſio rei levis in voto eſſe poteſt lethale peccatum.*

III. *Plures res leves voto promiſſæ gravem inducere valent obligationem.*

IV. *Transgreſſio voti de aliquo veniali peccato vitando, aliquando grave peccatum eſt.*

V. *In votis perſonalibus diei præfixis, onus unius diei ad alteram non tranſit; ſecus in realibus.*

VI. *Qui vovit rem per alium præſtandam, tenetur curare voti impletionem.*

VII. *Quando quis ab impletione voti realis excuſari poſſit.*

VIII. *Qui ex culpa votum non implevit, ad quid teneatur.*

IX. *Hæres non tenetur vota perſonalia Teſtatoris implere.*

X. *At vota realia implere debet.*

XI. *Non tamen cum detrimento ſuæ legitimæ, vel ſi vires hæreditatis ſuperent.*

XII. *Quid præſtare debet hæres, quando omnia teſtatoris vota implere non poteſt.*

XIII. *Quando hæredes in ſolidum, & quando pro rata vota Teſtatoris implere teneantur.*

XIV. *Legatarius etiam aliquando realia Teſtatoris vota tenetur implere.*

XV. *Vota communitatis quando, & quomodo poſteros obligent.*

XVI. *Quando vovens teneatur tempus implendi voti prævenire.*

XVII. *Quænam dilatio ſive mora implendi voti ſit graviter culpabilis.*

Conſectarium Primum.

I. QUI vovit aliquem virtutis actum, alias non præceptum, duplex peccatum non committit illud non implendo, aliud contra religionem, aliud contra virtutem, ad quam actus, ſive promiſſum opus pertinet. Adverſantur quidem huic poſitioni nonnulli Theologi, quos Salmanticenſes citant, quia, inquiunt, duo ſtatuit vovens, nimirum 1. actum virtutis exercere, quem ſibi lege privata imponit, 2. hunc actum per religionis virtutem in Deum ordinat; violando igitur votum, & in virtutem peccat, ad quam actus pertinet, puta tempe-

rantiam, ſi jejunium vovit, vel miſericordiam, ſi eleemoſynam pollicitus eſt; & in religionem, ad quam pertinet emiſſi voti impletio. Quod manifeſte apparet ex confeſſione peccati, in qua non ſufficit dicere: votum violavit, ſed eſt etiam aperienda materia voti. Verum poſitio noſtra probabilior eſt: Qui vovet opus, alias non præceptum, non aliam ſibi imponit obligationem quam ex vi voti, nec aliam legem ſibi indicit præter eam, quæ convenit voto, unde lex privata, & votum non diſtinguuntur; hinc tota obligatio ex virtute religionis progreditur, contra quam ſolam peccat qui votum violat. Nec urgent argumenta adverſariorum, ut ex adducta ratione patet, & ideo in confeſſione eſt aperienda materia voti, ut Confeſſarius circumſtantias aggravantes poſſit dignoſcere, & de pœnitentis ſtatu recte judicare. Ita quidem communiter ſentiendum eſt; nihil tamen impedit, quod quis bene effectus erga aliquam virtutem ita vovere poſſit, ut duplex ſumere velit onus, & exercendi opus illius virtutis, & illud Deo per votum offerendi; verum niſi hoc expreſſe intellexerit vovendo, in communi ratione voti non eſt præſumendum.

Conſectarium Secundum.

II. Qui rem levem voto ſpopondit Dei, licet ejus omiſſio in ſe levis ſit, & culpa venialis, fieri tamen poteſt lethale peccatum ex voventis erronea conſcientia, qua putaret, ad rem etiam levem vi voti gravi obligatione teneri. Præterea non raro contingit rem voto promiſſam, licet in ſe levem, gravem tamen fieri, & ejus omiſſionem lethale peccatum inducere, vel ratione finis in promiſſione intenti, vel diuturnitate temporis, & actuum multiplicitate, ut ſi quis moleſta preſſus carnis tentatione voveat ea inſurgente pectus tundere, & nomen Jeſu invocare; expertus hoc ſibi prodeſſe ad reſiſtendum, profecto ſub gravi teneretur votum implere, cum ratione finis res ſit effecta multum utilis, & neceſſaria ad peccatum vitandum. Similiter ſi quis voveat per annum ſalutationem Angelicam quotidie recitare, terram oſculando, licet unius, vel alterius diei omiſſio gravis culpa non ſit, votum tamen non implere per plures menſes, vel per totum annum, nemo arbitror a gravi culpa excuſaret; qui vovit infirmo inſervire in rebus levioris momenti, puta ipſum movendo, potum porrigendo, famulos ad difficiliora officia vocando, licet quæ præſtat miniſteria levia in ſe ſint, cum tamen & magnum afferant infirmo levamen, & voventi non leviter moleſta ſint, illorum omiſſio, & infirmi derelictio, grave inducerent crimen: idemque judicium de ſimilibus feras, oculos non in materiæ levitatem ſolum fingendo, ſed & ad finem, & ad actuum multiplicitatem, & temporis diuturnitatem inſpiciendo.

Conſectarium Tertium.

III. Qui unico voto plures leves actus, ſive res tenues Deo pollicetur, ſi partem notabilem omittat, graviter peccat, ſicut & qui plura vota, ſed de levi materia emittat, ea tamen vel in totum, vel in majori parte non ſervat. Sit exemplum: voviſti ſingulis diebus de mane Virginem ſalutare ter recitando ſalutationem Angelicam, deinde Sacramentum Euchariſtiæ inviſere, recitando Hymnum *Pange lingua &c.* per quadrantem horæ lectioni ſacræ incumbere, infirmum, vel in carcere conſtitutum ſolari, obulum pauperi dare, quinquies nomen Jeſu invocare, qui hujus voti majorem partem omitteret, profecto lethaliter peccaret: negat quidem Caſtropalao, quia, inquit, cum res ſint diſparatæ non coaleſcunt, ſed ſunt diſparati actus ejuſdem voti, cum autem quilibet illorum ſit de levi materia, eorum omiſſio grave peccatum non valet conſtituere. At falſam eſſe hanc opinionem patet ex eo, quia omnes iſti actus ad unum ordinantur Dei honorem & cultum, quo Deus privatur per eorum omiſſionem; cum autem omnes non levem, ſed magnum afferant Deo cultum, multum enim colitur repetitis virtutis actibus, hoc Deus fraudatur vel omnium, vel plurium omiſſione; lethale ergo peccatum committitur. Idem dicendum de illo, qui præfata opera bona, vel actus pios per diſtincta vota Deo pollicitus eſt; ſiquidem per plures leves promiſſiones ad non levem, ſed notabilem Dei cultum ſe obſtrinxit, quo Deum fraudare leve peccatum non eſt; ſicut non leve peccatum foret, gravem pecuniæ ſummam proximo denegare, licet non illi debitam niſi per plures leves contractus, vel exiguas promiſſiones.

Conſectarium Quartum.

IV. Qui ab aliquo veniali determinato vovet abſtinere, lethaliter peccare poteſt illud perpetrando; quia licet a veniali peccato abſtinere ſit materia de ſe levis, fieri tamen poteſt gravis ratione finis, cujus gratia votum elicit, nimirum ut a lethali peccato, in quod ſe proclivem experitur, abſtineat: ſic qui vovet a mendacio abſtinere, quia luctuoſa novit experientia ſe facile in perjurium labi, qui vovit a levi furto abſtinere, quia expertus eſt per levia furta conſueviſſe gravem materiam ſibi uſurpare, lethaliter peccabit etiam leve mendacium proferendo, etiam levem materiam ſurripiendo; immo Salmanticenſes addunt, idem contingere, ſi quis ideo voveret ab aliquo veniali abſtinere, quia per illum novit & experitur a majori perfectione impediri, quia tunc abſtinentia a veniali peccato res magni momenti evadit, utpote medium efficax vel abſtinendi a lethali, vel ad majorem perfectionem aſcendendi.

Con-

Conſectarium Quintum.

V. In levibus votis perſonalibus diei affixis onus unius diei ad alterum non tranſit, grave tamen peccatum committitur, ſi per plures dies notabilis omiſſio conſurgat, ſecus vero in realibus, ubi onus unius diei ad alium transfertur. Qui vovit per annum recitare in honorem Virginis quotidie ter Antiphonam *Salve regina*, & dare parvum obulum pauperi: ratione primi voti ſi uno, vel altero die orationis omittat recitationem, non tenetur alio die ſupplere, quia onus diei affixum eſt, & cum die tranſit, ut contingit in omittente recitationem Breviarii, ſed peccavit venialiter omittendo: quod ſi per majorem partem anni, vel per totum annum omittat, licet ſingulis diebus non niſi venialiter peccet, continuata tamen & deliberata voluntas tranſgrediendi votum per longum tempus, & continuata infidelitas in violanda Deo data fide non leve peccatum apparet. Ratione autem alterius voti dandi obulum quotidie pauperi, ita obſtringitur, ut ſi uno die dare omittat, onus ad alium diem tranſeat, proinde tenetur ſemper, quod dare omiſit, ſupplere; proinde quotieſcumque ad gravem aſcendit materiam, peccat lethaliter, quippe quia rem Deo debitam illicite detinet, & reus eſt illicitæ detentionis, a qua liberari non poteſt niſi eleemosynam erogando. Ita Sotus, aliique quoad voti realis impletionem, licet diſſentiant quoad votum perſonale, cujus tranſgreſſionem etiam diutius continuatam ad mortale peccatum nunquam pertingere arbitrantur.

Conſectarium Sextum.

VI. Qui vovit rem ab alio præſtandam, curare debet ut impleat, & ſupplere quandoque tenetur, ſi omittatur. Voviſti celebrationem decem Miſſarum, miſſionem peregrini ad indulgentiam Portiunculæ, ideo & eleemoſynam tribuiſti Sacerdoti, & peregrino viaticum, hoc ſatis eſt, inquiunt, nonnulli Probabiliſtæ ad voti impletionem, non enim te obſtrinxiſti voto ad infallibilem effectum, ſed ſolum ad procurandum ut res voto promiſſa impleatur conſueto modo, nimirum & eleemoſynam ſolvendo Sacerdoti, & viaticum peregrino. Ita equidem ſi res in cortice ſpectetur, verum accuratius perpenſa quid amplius a vovente poſtulare videtur; nam non voviſti dare eleemoſynam Sacerdoti, viaticum peregrino, ſed voviſti ipſam celebrationem Miſſarum, ipſam peregrinationem per alium, hinc præter ſtipendium & viaticum teneris etiam vigilare & curare, ut & Miſſæ celebrentur, & peregrinatio impleatur, hoc enim poſtulat votum, ut in pari caſu docet S. Thom. hic queſt. 88. de illo, *qui vovit Monaſterium aliquod intrare*, non enim ſatis eſt, ſi ſe Monaſterio offerat & præſentet, petens recipi, ſed ulterius addit D. A. *debet dare operam, quantum poteſt, ut ibi recipiatur*: propterea & a Sacerdote teſtimonium vel in ſcriptis, vel ſaltem verbis de Miſſis celebratis, & a peregrino litteras teſtimoniales de peracta peregrinatione petere debet. Quod ſi ſibi certo conſtet nec celebratas a Sacerdote Miſſas, nec impletam peregrinationem, licet definire non audeam, teneri voventem iterum eleemoſynam ſive viaticum perſolvere, ut revera votum impleatur, præſertim ſi bona fide perſolvit, ipſum tamen ab onere abſolute liberare non præſumo; nam alterius malitia, & culpa ipſum a promiſſione Deo facta non liberat, ſicut non liberatur ab onere reſtitutionis, qui rem furto ablatam Confeſſario reſtituendam dedit, ſi iſte non reſtituat; & licet hic juſtitia urgeat, ibi vero ſola religio, par tamen eſt utriuſque obligatio, illa quidem erga proximum, hæc vero erga Deum, cui fidem datam ſolvere etiam cum noſtro detrimento debemus, quod certe multo magis verum erit, ſi forte ex negligentia & oſcitantia in electione vel Sacerdotis, vel peregrini, votum non fuiſſet impletum; eſt enim in re tam gravi non levis diligentia adhibenda.

Conſectarium Septimum.

VII. Ut quis paupertate ſuperveniente votum reale, quod antea emiſit, implere poſſit, non tenetur aut mendicare, aut a ſuo ſtatu decidere, aut etiam mutuum ſub uſura petere. Nam merito præſumi poteſt, noluiſſe ſe cum tanto onere obſtringere, & ſicut diximus ſuperius, juramentum promiſſorium non urgere, quando materia eſt notabiliter mutata; ita pari modo cenſendum, & votum non obligare, quotieſcumque voti impletio effecta ſit moraliter impoſſibilis, vel non ſine magno & gravi onere impleri poſſit. Addidi: aut etiam mutuum ſub uſura petere, quia vel prævidet fore ut nequeat poſtea ſortem & uſuras ſolvere, & tunc ad uſuram nequibit accipere, hoc enim eſſet proximum fallere, & fraudare; vel prævidet fore ut poſſit, & tunc differre debet voti impletionem, non enim Deo diſplicere poteſt illa dilatio, quæ alterius peccatum impedit. Non poteſt tamen vel pecuniam ſibi oblatam, vel hæreditatem ſibi obvenientem renunciare, ſed acceptare tenetur, ut fiat ad votum implendum idoneus.

Conſectarium Octavum.

VIII. Qui votum etiam ex culpa non implevit, vel factus eſt impotens ad implendum, non tenetur quidem vi voti ad compenſationem, in pœnam tamen eſt illi aliqua compenſatio injungenda. Non tenetur vi voti, quia cum, ut ſupponimus, votum ſit de re determinata, vel præfinito tempori affixa, non eſt ejus onus vel ad aliam rem, vel ad aliud tempus extendendum ultra voventis mentem; ſic qui vovit jejunare omnibus vigiliis B. Virginis, ſi vel ex culpa jejunare omiſit, vel factus eſt impos ad jejunandum, non eſt cogendus alia die jejunare, nec loco jejunii tenetur ad eleemoſynam; ſic enim contingit & in Eccleſiæ præceptis, ut qui miſſam audire omiſit in die feſto, vi præcepti non tenetur audire die feriali; qui Breviarium ex culpa non

recitavit, non tenetur duplicatum perſolvere ſequenti die. Sunt tamen hujuſmodi ad aliquam compenſationem adigendi, quando facti pœnitentes ad Confeſſarium accedunt, tum ne ex iniquitate lucrum reportent, tum ut facto etiam oſtendant, ſe vere de patrato crimine dolere, & ad ſatisfaciendum pro poſſe paratos eſſe. Quod ſi nulla interfuit culpa, nec ad ullam compenſationem ſunt urgendi.

Conſectarium Nonum.

IX. Hæredes vota perſonalia teſtatoris implere non tenentur, nequidem ſi ab ipſo teſtatore præcipiantur, quotieſcumque hæres eſt neceſſarius; ſi vero ſit voluntarius & electivus, implere tenetur, non ut vota ſunt, ſed quatenus onera hæreditatis. Et quidem hæredes non teneri ad vota perſonalia teſtatorum omnes fatentur, cum ita afficiant perſonam, ut ejus interitu omnino ceſſent. Si vero a teſtatore præcipiatur hæredi neceſſario voti perſonalis impletio, adhuc non teneri manifeſtum eſt, cum nec ad vota realia teneatur, non enim gravatam illi poteſt tradere hæreditatem, cui jam omnino libera debetur. Voluntarium vero & electivum hæredem teneri, non quidem quatenus vota ſunt, ſed quatenus onera hæreditatis, nonnulli inficiantur Theologi, ſaltem ex debito juſtitiæ, & ſolius gratitudinis debitum agnoſcunt, niſi hæres expreſſe ſe obſtrinxerit. Verum cum hæres voluntariæ hæreditatem acceptat, jam ex juſtitia onera illi annexa ſubire debet, cum qui commodum ſentit, ſentiat oportet & incommodum, & contractus ſaltem tacitus interſit, do ut facias: hinc ſi teſtator hæredi imponat, ut ſingulis ſabbatis Ædem Virginis viſitet, & nonnullas preces ibi recitet, vel hæreditati renunciare debet, vel pactum & onus impoſitum implere.

Conſectarium Decimum.

X. Voti realis impletio ita eſt hæredi voluntario neceſſaria, ut ab ea liberari non poſſit vel ab ipſo teſtatore. Nam vota realia ſunt quædam debita realia non ex juſtitia quidem, ſed ex religione, non homini, ſed Deo perſolvenda, quæ ipſam gravant hæreditatem, & hæres quis non dicitur niſi rei, quæ ſupereſt ſoluto ære alieno; debet igitur ea neceſſario ſolvere. Nequit autem vel ab ipſo teſtatore ab hoc onere liberari, quippe qui bona per votum promiſſa jam Deo obtulerat, & eidem obſtrinxerat; non poteſt igitur ea ab hoc onere liberare, nec quod Deo dicatum eſt illi auferre, & homini elargiri: tranſeunt igitur ad hæredem cum hoc reali onere quod implere tenebitur.

Conſectarium Undecimum.

XI. Non tenetur hæres vota realia teſtatoris implere vel cum detrimento ſuæ legitimæ, vel ſi vires hæreditatis ſuperent. Non primum, quia legitima eſt jure filiis debita, de quibus Pater dominium non habet quod poſt mortem perſeveret, licet enim quandiu vivit Parens, poſſit filiorum legitimam eleemoſynis & piis operibus minuere, hoc certe non obtinet poſt mortem, in qua omne dominium ceſſat, nequit igitur filiorum legitimam oneribus gravatam illis adjudicare. Sunt tamen qui contra ſentiunt Theologi, quia, inquiunt, vota realia ſunt debita, quæ ex tota hæreditate ſunt deducenda, non ex una tantum parte, de qua teſtator poterat diſponere. Sed hoc minime verum eſt; nam debita etiam juſtitiæ ex bonis liberis teſtatoris ſunt extrahenda, non ex bonis aliis debitis, quippe quæ de illis diſponere non poterat, de quibus dominium minime obtinebat, ut patet in primogenituris, fideicommiſſis, aliiſque bonis, quorum dumtaxat uſus, non dominium ad teſtatorem pertinebat, & quæ ab hæreditate ab omni onere libera deducuntur; idem igitur dicendum & de filiorum legitima, quæ ad ipſos nullo gravata onere debet pervenire. Multo minus vero tenetur, ſi vota hæreditatis vires excedant, tunc enim non beneficium, ſed damnum, & gravamen reportaret, quod verum eſt, licet hæreditatem adierit non confecto inventario, dummodo in fraudem non omiſerit, quod profecto præſumendum non eſt, quotieſcumque onera vires excedunt hæreditatis.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Si vota realia teſtatoris plura ſint, ad quæ implenda non ſufficiat hæreditas, hæres debet vota principaliora, & quæ magis in Dei gloriam cedunt præferre; ratio eſt, quia ipſe vovens hunc ordinem ſervare debuiſſet, proinde & hæres qui ejus perſonam repræſentat. Quod ſi vota ſint æqualia, vel quaſi æqualia, nec unum alteri præferendum appareat, tum priora ſemper ſunt ſolvenda; & ſi & hoc lateat, liberum erit hæredi quod voluerit eligere. Sunt tamen non ignobiles Theologi & Canoniſtæ, qui putant pro rata eſſe ſolvenda, ut fit in legatis. Verum diſcrimen eſt inter legata & vota, illa enim cum ad plures pertineant, ſi uni integrum daretur legatum, alter ſuo fraudaretur, quod non contingit in votis, ubi ſolus Deus creditor eſt, cui totum offertur, quod ex hæreditate offerri poteſt, etiam ſi hoc fiat unius voti, vel alterius impletione, nec ulla re fraudatur, quod enim non ſolvitur, non ex malitia, ſed ex impotentia non ſolvitur. Præterea vota ſi pro rata ſolvantur, revera nullum impletur, nec ita in Dei gloriam cedit, ſicut impletio integra unius voti; & frequenter inutilis foret partialis illa voti impletio, ut patet in illo, qui voviſſet puellam pauperem dotare, Capellam conſtruere, altare erigere, & ſimilia; nihil enim ad perfectionem reduceretur, ac proinde inutile foret dividere illam voti impletionem.

Conſectarium Tertiumdecimum.

XIII. Licet quando plures ſunt hæredes, quiſque teneatur ſolum pro rata hæreditatis vota realia teſtatoris

toris implere, quia tenetur ſolum quatenus hæres, nihilominus duplici caſu adſtringitur quiſque in ſolidum implere, nimirum 1. ſi res voto promiſſa integra ſit penes unum ex hæredibus, puta promiſit Calicem aureum, qui uni ex hæredibus obtigit, hic tenetur calicem dare, & ſolum jus habet a cohæredibus repetendi compenſationem, & indemnitatem. 2. Si ceteri hæredes vel nolint, vel nequeant ſolvere, quilibet tenetur in ſolidum. Concedunt quidem nonnulli Theologi, quando hæredes ex malitia tantum ſolvere recuſant, ſecus ſi ex impotentia. Verum inutilis eſt diſtinctio; nam onus ſolvendi vota realia teſtatoris oritur ex ipſa teſtamenti conditione, & tacito inter teſtatorem, & hæredes contractu, quo hi debita illius ſolvere tenentur, ſi beneficium ſentiunt hæreditatis; tota enim hæreditas, & quælibet illius pars ſolvendis debitis legatis votiſque realibus cenſetur obnoxia; proinde onus ſolvendi non tollitur ex aliorum hæredum impotentia vel malitia, quotieſcumque pars hæreditatis ad hoc ſufficiat. Nec valet partem quidem eſſe debitis ſolvendis obſtrictam, at non ſeorſim; ſed ſimul cum alia comparte: nam hoc verum quidem eſt re abſolute inſpecta, non vero in hypotheſi, quod cohæredes ſolvere nequeant vel nolint, tunc enim quælibet pars hæreditatis eſt integre voti ſolutioni obnoxia.

Conſectarium Quartumdecimum.

XIV. Legatarius tenetur teſtatoris realia vota implere quotieſcumque 1. vel res legato relicta ſit in ſpecie Deo promiſſa. 2. Si hæreditas non ſit voto ſolvendo ſufficiens. Et primum quidem quia legatum eſt de re illicita, & minime ſub dominio teſtatoris, qui vivens Deo eam obtulerat, proinde Deo debita, non legatario; quod ſi res ſit in manu legatarii, & hæreditas ſit voto ſolvendo ſufficiens, æquum videtur, ut res Deo quidem reddatur, & legatarius ab hæreditate rei pretium accipiat, tunc enim voluntas teſtatoris perfecte impletur, qui & rem ſuam Deo vovit, & legatario beneficium eſt impertitus. Quod ſi hæreditas non ſit voto ſolvendo ſufficiens, licet res legato relicta non fuerit in ſpecie Deo conſecrata, corruit legatum, nam prius ſunt hæreditatis onera ſolvenda, deinde quæ gratuita ſunt, implenda.

Conſectarium Quintumdecimum.

XV. Vota, quæ a Communitate eliciuntur jejunandi tali die, vel illum ut feſtum habendi, vel de peregrinatione, ſeu proceſſione facienda, poſteros non obligant vi ipſius voti. At ſi accedat Epiſcopi approbatio implicite tale feſtum vel jejunium præcipientis, vi hujus præcepti etiam poſteri tenentur, vel etiam ex conſuetudine vim legis obtinente, vel denique ratione ſcandali, & diſcordiarum, quæ inde inter cives oriri poſſent. Obſervat tamen Barboſa in Collect. Deciſ. Apoſtol. verb. *Feſtum in communi n.* 8. non eſſe cives vel oppidanos ulla pœna cogendos, ut die ex voto feſtiva a ſervilibus operibus abſtineant. Immo Monacel. ſe vidiſſe teſtatur plures ſupplices libellos pro hujuſmodi votorum vel promiſſionum confirmatione Sacræ Rituum Congregationi porrectos, fuiſſe ab illa rejectus.

Conſectarium Sextumdecimum.

XVI. Si tempus voto appoſitum ſit ad ejus impletionem præfiniendam, non tenetur vovens tempus prævenire. Sic qui vovit jejunare omnibus ſabbatis in honorem Virginis, ſi prævidet ſe proximo ſabbato a jejunio impediendum, non tenetur prævenire, & feria ſexta jejunare, ut patet ex præceptis Eccleſiæ, quæ non obligant niſi præſtituto tempore, ut jejunium quadrageſimæ, auditio Miſſæ in die feſto &c. in quibus nemo tenetur prævenire. At ſi tempus præſtitutum etiam ad definiendam obligationem latitudinem admittens, jam urgere incœperit, tunc prævenienda eſt voti impletio, ſi vovens prævideat ſe ulterius differendo a voti executione impediendum: ſic qui vovit ſingulis hebdomadibus bis Miſſam audire, ſemel in menſe confiteri, ſi præſciat poſtremis vel hebdomadæ, vel menſis diebus fore ut vota implere non poſſit, tunc tenetur prævenire, & primis hebdomadæ diebus Miſſam audire, vel prima menſis hebdomada confiteri, ut pariter contingit in Eccleſiæ præceptis, nam in die feſto quilibet tenetur ſummo mane Miſſam audire, ſi prævideat impedimentum ſuperventurum in reliquis horis; ita etiam docet S. Tho. dum in 4. diſt. 38. q. 1. a. 3. quæſtiuncula 1. ad 7. dicit, illum qui vovit Religionem ingredi, licet non voverit ſtatim ingredi, ſi tamen *timeat rationabiliter perpetuum impedimentum, tenetur ulterius non differre.*

Conſectarium Decimumſeptimum.

XVII. Dilatio exequendi voti nullo tempore affixi, ſi annum excedit, videtur non leviter culpabilis, dummodo validæ non obſtent dilationis rationes, & cauſæ. Diſtinximus ſuperius cum Theologis vota, quæ ex dilatione minuuntur, ab iis, quæ etiam longa temporis mora non minuuntur; & diximus, longius temporis ſpatium requiri in poſterioribus votis ad moram culpabilem, quam in prioribus, nihilominus hic merito dicimus, unius anni dilationem videri non leviter culpabilem in cujuſcumque voti impletione: & primo ut opinionem nonnullorum Theologorum refutemus, qui cenſent requiri dilationem etiam duorum, vel trium annorum in vovente religionem ingredi, ut ſit mora notabilis & gravis culpæ arguenda, quæ certe opinio nimis benigna eſt, tum ob diutinam & nimiam dilationem, tum quia votum nimis minuitur, cum non modica pars divino ſervitio ſubtrahatur: 2. ut aliam quoque eorumdem Theologorum doctrinam rejiciamus, qua docent, in ceteris votis Dei cultum non minuentibus, etiam longiorem dilationem non eſſe graviter culpandam, immo tunc ſolum peccare lethaliter, cum ex diuturna dilatione periculum occurrat non implendi votum, quæ profecto pariter nimium indulget, cum & præceptum

ptum adſit de non tardanda voti impletione, & mora ſemper in peccatum reputetur. Deut. 23. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere ... & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*. Et iterum Eccleſ. 5. *Si quid voviſti Domino, ne moreris reddere, diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio*. Porro infidelis eſt non illa ſolum promiſſio, quæ omnino non reddit, ſed quæ ſine cauſa, quando poteſt & debet, non reddit; dilatio vero unius anni in quocumque voto ſine cauſa, vel levibus de cauſis nimia profecto videtur, ac proinde a lethali peccato vix excuſanda. Quod ſi vero legitimæ urgeant cauſæ, tunc excuſabitur mora etiam longior, ut ſi quis vovens religionem ita hebetis ſit ingenii, ut per binos annos ſtudio vacare debeat, ut aptus fiat religioni, vel delicatus & tenellus indigeat corroborari, ut fortior fiat & aptus ad onera religionis portanda, non erit hæc etiam longior mora illi culpæ verenda. A prudente itaque Confeſſario ſunt circumſtantiæ perpendendæ, & voti urgenda impletio.

CAPUT SEPTIMUM.

De votis dubiis, indeterminatis, conditionalibus, & pœnalibus, metu, errore, & dolo emiſſis.

DOCTRINA.

I. *Variæ votorum circumſtantiæ, & adjuncta.*
II. *Dubii a ſcrupulis & trepidatione diſtinctio.*
III. *Dubius de emiſſione voti tenetur implere.*
IV. *Argumenta Probabiliſtarum ex principiis reflexis contemnenda.*
V. *Salmanticenſium opinio rejicitur.*
VI. *Certus de voto, & de impletione dubius tenetur implere.*
VII. *Pluribus modis votum eſſe poteſt indeterminatum.*
VIII. *Vota licet indeterminata valida ſunt.*
IX. *Profeſſio religioſa ante ſextum decimum annum emiſſa invalida eſt.*
X. *Regula ſervanda in votis indeterminatis quoad qualitatem, & quantitatem.*
XI. *De vovente religionem indeterminate doctrina S. Thomæ.*
XII. *Qui jejunium indeterminate vovit, ad quid teneatur.*
XIII. *Qui a vino abſtinere vovit, ad quid teneatur.*
XIV. *Qui virginitatem, vel caſtitatem vovit, tenetur votum ſervare, licet virginitatem illicite amiſerit.*
XV. *Quid in voto, in quo qualitas rei non eſt niſi in genere promiſſa.*
XVI. *In voto de quantitate indeterminata quanta debeat eſſe erogatio.*
XVII. *Qui jejunium indeterminate vovit, voto unico jejunio ſatisfacit, qui vero plura, non implet duplici tantum jejunio.*
XVIII. *Quid ſit votum conditionatum. Nonnullæ ſtatuuntur Regulæ.*
XIX. *Regula 1.*
XX. *Regula 2.*
XXI. *Regula 3.*
XXII. *Regula 4.*
XXIII. *Regula 5.*
XXIV. *Regula 6.*
XXV. *Regula 7.*
XXVI. *Quid ſit Votum pœnale.*
XXVII. *Valida ſunt vota pœnalia.*
XXVIII. *Qui inculpabiliter quod promiſit tranſgreditur, ad pœnam voto ſibi conſtitutam non tenetur.*
XXIX. *Qui abſolute vovit, ſi luſero, eleemoſynam dabo, num teneatur eleemoſynam dare ſemel tantum cum primum luſerit, vel toties quoties ludo indulſerit.*
XXX. *De voto metu & errore elicito. Regula. 1.*
XXXI. *Regula 2.*
XXXII. *Regula 3.*
XXXIII. *Explicatur doctrina S. Thomæ.*
XXXIV. *Regula 4.*
XXXV. *De voto ex metu extorto. Regula 1.*
XXXVI. *Regula 2.*
XXXVII. *Regula 3.*
XXXVIII. *Num vota metu injuſte incuſſo ad extorquendum votum, ſint jure poſitivo nulla.*

I. Votorum emiſſionem plura quandoque comitari ſolent adjuncta, quæ non leves ingerunt difficultates. Nam 1. fieri poteſt, ut quis ambigat de voto emiſſo, vel de re, ſive rei quantitate, & hinc conſurgit votum dubium. 2. Quis vovendo aliquid in genere Deo ſpondet, quin tamen in individuo aliquid determinet, ut qui vovet jejunare, dare eleemoſynam, Miſſam audire, non decernendo tempus, quantitatem, & quoties, & tunc votum dicitur indeterminatum. 3. Voto aliquando conditio apponitur, ut qui dicit, ſi ab hac infirmitate convaluero, ſi eripiar ab hoc periculo, voveo quotidianam recitationem officii, & hoc votum dicitur conditionatum. 4. Denique votum aliquando aſſumitur in pœnam alicujus criminis, a quo quis vellet abſtinere, ut ſi quis voveat, quoties pejeravero, vel blaſphemavero, voveo dare ſingulis vicibus unum aureum pauperi, vel toties quoties jejunare in pane & aqua; & hoc votum pœnale dicitur. De ſingulis mox dicemus diſtinctis paragraphis claritatis gratia.

§. I.

De voto dubio.

II. Dupliciter quis circa vota ambigere poteſt, nimirum 1. num votum emiſerit, 2. num impleverit. Primum eſt dubium de ipſo voto, alterum de ejus impletione. Poteſt etiam ſuboriri dubium circa quantitatem, & qualitatem materiæ. Rurſum aliud eſt verum dubium, aliud eſt ſuſpicio, ſive ſcrupulus. Primum occurrit, quando voventis animus variis hinc inde rationibus & argumentis preſſus ſuſpenſus vere hæret, num votum emiſerit nec ne. Alterum vero ex inanibus conjecturis, ex mentis imbecillitate, ex meticuloſæ

loſæ conſcientiæ angore oritur. De hoc non diſputamus, hujuſmodi enim dubium prudentes Confeſſarii ex imbecillium animis expellere debent, & flocci facere. De primo itaque vero dubio diſputamus.

III. Quando quis dubitat, num votum emiſerit, tenetur votum implere, & quidem ita ſentiunt omnes Probabilioriſtæ tum antiquiores tum recentiores adverſus Probabiliſtas, & quidem jure merito innixi illi Regulæ, & principio certo in jure canonico ſtatuto & a jure naturali exoriente: *In dubiis ſemitam debemus eligere tutiorem*, unde & S. Auguſtinus tamquam axioma certiſſimum ſtatuit lib. 1. de Baptiſmo cap. 3. *Homo graviter peccat in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, vel eo ſolo quod certis incerta præponat*, ut late oſtendimus tract. 2. de ratione humana diſſ. 2. cap. 7. n. 10. Sed propius ad rem noſtram accedentes de voto, ita docet S. Th. in IV. diſt. 38. q. 1. a. 3. quæſtiuncula 1. ad 3. ſcribens: „ Si autem dubitet, quomodo in vovendo ſe „ habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne ſe „ diſcrimini committat “. Cui aſſentitur & D. Antoninus 2. Par. tit. 11. cap. 2. §. 1. „ Nota „ ſexto, ſi autem dubitant, utrum intenderint „ ſe obligare, tutius eſt quod impleant ſecundum „ Thomam: & §. 10. Quando eſt dubium, u- „ trum poſſit, vel non poſſit, dicendum, quod „ talis vovens illud jejunium, quod non poteſt „ implere, tenetur in alium diem prolungare, „ aut in aliud bonum commutare. Cujus ratio „ eſt, quia exiſtens in dubio ne tranſgrediatur „ votum, & per conſequens peccet mortaliter, „ tenetur ſe ponere in tuto, ut ſcilicet votum „ non tranſgrediatur “. Iſtis conſentiunt omnes antiquiores Theologi, ex recentioribus vero Genetus, Pontaſius, Natalis Alexander, Antoine, aliique.

IV. Nec opus eſt quod diutius in Probabiliſtarum argumentis expendendis immoremur, deſumptis ex eorum principiis reflexis, legem dubiam non eſſe legem, meliorem eſſe poſſidentis conditionem; nam illorum falſitatem late oſtendimus tract. 2. de ratione humana diſſ. 2. cap. 7. §. 1. & ſeq.

V. Hinc apparet quam falſa ſit, & laxa Salmanticenſium & nonnullorum Probabiliſtarum ab ipſis laudatorum doctrina, qui docent, liberum eſſe a voto, qui dubitans de ſui voti emiſſione, magis tamen pendet in eam partem, quæ emiſſionem voti evincit, quia fortiora pro ea parte urgent argumenta, *dummodo*, inquiunt, *non ſint adeo efficacia, ut illius partis certum aſſenſum generent, ſed adhuc rem dubiam relinquant*, & quare? quia poſſeſſio libertatis certa debet huic inæqualitati præponderare, & pro illa judicium prudens ſententiam ferre. At dum fortiora urgent pro obligatione voti argumenta, nonne fortius oſtendunt non eſſe amplius voventem liberum, ſed obſtrictum? Petunt igitur principium, dum libertatem adſtruunt, de qua tota eſt controverſia, & quam ſublatam evincunt fortiora quæ vigent pro voto argumenta. Sed in iis diutius non eſt immorandum.

VI. Qui certus eſt de voto, at de ejus dubitat impletione, tenetur implere. Huic veritati nec ipſi adverſantur Probabiliſtæ, quippe qui juxta eorum inepta principia putant in hocce caſu non libertatem hominis, ſed voti obligationem eſſe in poſſeſſione, proinde hanc prævalere. Nos idem ſentimus, ſed non huic fallaci principio innixi, ſed Sanctorum Patrum doctrinæ, juris Canonici regulis, rationique naturali, quæ docent, inculcant, præcipiunt: *In dubiis ſententiam tutiorem eſſe eligendam, peccare qui peccandi periculo ſe exponit*, & criminis reum eſſe vel hoc ſolo nomine, quod *in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus incerta certis præponat*. Idem propterea dicendum eſt de eo, qui de quantitate materiæ voto promiſſæ dubitat, num videlicet decem promiſerit ſe daturum pauperibus, an viginti, tenetur enim quod tutius eſt eligere, quemadmodum & ille, qui dubitat, num votum ante ſeptennium emiſerit, tenetur votum ſervare etiam juxta Probabiliſtarum doctrinam, cum certus ſit de voto emiſſo; ſimiliter qui dubitat, num animum habuerit ſe obligandi, quia ſemper præſumendum eſt communi modo voviſſe, ideſt cum onere implendi quod promiſit, eo vel maxime quia cum obligatio ſit effectus ex ipſo voto neceſſario profluens, ut illum excludat, neceſſarius eſt expreſſus actus voluntatis, quem non interfuiſſe vel ipſa dubitatio ſtatim oſtendit.

§. II.

De voto indeterminato.

VII. Voti indeterminatio tria reſpicere poteſt, nimirum vel impletionis tempus, quia nullum eſt deſignatum, vel materiæ qualitatem, quæ varia eſſe poteſt, puta vovit religionem ingredi non mitiorem determinando, vel ſeveriorem, vel quantitatem, puta eleemoſynam vel jejunia, non definiendo vel pecuniæ, vel jejuniorum quantitatem.

VIII. Porro hujuſmodi vota & quoad quantitatem, & qualitatem indeterminata valida eſſe & rata communiter docent Theologi, quia licet ſic indeterminate impleri non poſſint, cum tamen ſint de re licita & honeſta, ac de meliori bono, & ab ipſo vovente definiri poſſint, vel a prudenti confeſſario inſpecta voventis intentione, profecto obligare nemo prudens inficiabitur.

IX. Et quidem quoad impletionis tempus recolantur ea, quæ diximus cap. 5. præcedenti §. 3. & cap. 7. corol. ult. Solum hic addimus, Votum ſolemne Religionis elicitum ante decimum ſextum annum nullum eſſe ex Trid. ſeſſ. 25. cap. 15. de Regular. nec vim obtinere voti ſimplicis, licet qui profeſſionem emittit, ſit doli capax, ut declaratur Cap. *Is qui de Regularibus in* 6. ubi ſtatuitur, Profeſſum ante completum tempus ab Eccleſia ſtatutum redire poſſe ad ſeculum: ſi tamen impubes plene inſtructus de voti ſimplicis & ſolemnis diſcrimine expreſſe ſtatueret, ſe licet ad ſolemne votum ineptum, velle tamen ad votum ſimplex obligare, tali voto obſtringeretur, cum nihil deſit ad voti ſimplicis validitatem.

X. Quando vero voventis intentio non eſt expreſſa,

preſſa, & determinata quoad qualitatem vel quantitatem materiæ, hæc univerſalis regula ſervanda videtur: non eſt intelligendum votum nec juxta rigidiorem, nec juxta laxiorem verborum ſenſum, quibus vovendo uſus eſt, ſed ſecundum communem, & uſitatam eorumdem verborum acceptionem. Vota enim cum ſint veluti privatæ leges, juxta legum morem ſunt dijudicanda, leges autem non obligare cenſentur juxta vel rigidiorem vel laxiorem interpretationem, ſed juxta communem. Sic qui vovit Religionem ingredi, nullam determinando, nec tenetur rigidiſſimum Carthuſianorum Ordinem amplecti, nec ſatisfacit ſi militarem Equitum Ordinem ingrediatur, quia licet Regulares ſint, more tamen ſecularium extra Clauſtra & in propriis domibus vivunt, & communiter, niſi aliter declaretur, intentio voventis Religionem reſpicere ſolet, & referri ad Religionem Clauſtralem, in qua regularis in communi Religioſorum conventu viget obſervantia. Implebit itaque votum ſuum legitime, ſi aliquem etiam mitiorem ingrediatur Ordinem, in quo tamen eſſentialia Religionis vota obſerventur.

XI. Hic tamen non eſt omittenda S. Thomæ doctrina, quoad votum etiam determinatum hunc vel illum Ordinem ingrediendi, nimirum, eſt exploranda voventis intentio, quæ ſi primo, & per ſe ad religioſum amplectendum ſtatum reſpexit, & deinde hunc Ordinem elegit, ſi in iſto non recipiatur, tenetur alium Ordinem ingredi; ſi vero e contra bene erga talem Ordinem affectus, illum ingredi propoſuit, ut inibi Deo in religione ſerviret, profecto ſi vel impediatur talem Ordinem ingredi, vel in eo non recipiatur, a ſuo voto liber efficitur. Audiatur D. Th. hic q. 88. a. 3. ad 2. ſcribens: „ Ille qui vovit Monaſterium „ aliquod intrare, debet dare operam, quantum „ poteſt, ut ibi recipiatur. Et ſi quidem intentio „ ejus fuit ſe obligare ad religionis ingreſſum „ principaliter, & ex conſequenti elegit hanc religionem, vel hunc locum, quaſi magis ſibi „ congruentem; tenetur, ſi non poteſt ibi recipi, alibi religionem intrare: ſi autem principaliter intendit ſe obligare ad hanc religionem, vel ad hunc locum, propter ſpecialem „ complacentiam hujus religionis, vel loci, non „ tenetur aliam religionem intrare, ſi eum illi „ recipere nolunt.

XII. Qui jejunium indeterminate vovit, non eſt adigendus ad jejunium in pane & aqua, ſed voto ſatisfacit, ſi Eccleſiaſticum jejunium ſervet, hoc enim jejunii genus communiter intelligitur in voto jejunandi. Hinc ubi cum jejunio conjungitur abſtinentia a lacticiniis ex præcepto Eccleſiæ, tenetur ab illis etiam vi voti abſtinere, ubi vero conſuetudo lacticiniorum obtinet, eiſdem veſci poterit; nam ſicut in voto indeterminato jejunandi intelligitur jejunium eccleſiaſticum, ita hoc jejunium eſt ſumendum juxta morem illius Eccleſiæ ſive regionis, ubi immoratur vovens, nec eſt ultra ejus intentionem latius extendendum, niſi ipſe vovens expreſſe quid amplius ſibi præſtituere voluerit. Pari ratione qui vovit jejunare per integrum menſem, non tenetur Dominicis diebus jejunare, quia ſicut voventis intentio eſt intelligenda de jejunio eccleſiaſtico quoad modum, ita eſt & intelligenda quoad tempus ab ipſa Eccleſia pro jejunio præſtitutum; cum autem Eccleſia jejunium in die Dominico non præſtituerit, non eſt vovens ad illud ſervandum adigendus, eapropter ſi forte voviſſet jejunare in vigilia S. Antonii, quæ in die Dominico aliquando incidit, poteſt licite juxta Eccleſiæ morem jejunium in præcedenti ſabbato prævenire. At ſi voviſſet omnibus ſabbatis jejunare, non poſſet jejunium frangere, ſi dies Natalis Domini tali die incideret, cum Pontifex ſolum iis facultatem veſcendi carnibus conceſſerit, qui nec voto, nec regulari obſervantia ſunt jejunio, & abſtinentiæ adſtricti.

XIII. Qui a vino abſtinere vovit, ſi ſacerdos ſit poterit Miſſam celebrare, & utramque ablutionem ſumere, ſimiliter & laicus poteſt poſt communionem modicum vini ad purificationem adhibere, quin frangat votum, quia hæc in voto nec comprehenſa ſunt, nec comprehendi poſſunt. Num autem poſſit aliis liquoribus, puta cerviſia, cremato uti, ut definiamus diſtinctione opus eſt. Nam ſi a vino abſtinentiam vovit, ut ebrietatem vitet, cui ſe proclivem ſenſit, proculdubio & ab omnibus aliis liquoribus ebrietatem gignentibus abſtinere teneretur, alioquin fruſtraneum eſſet votum, cum parum interſit, num vino vel cerviſia, vel cremato, vel ſpiritu vini ſe ingurgitet & inebriet. Si vero votum emiſit ob finem temperantiæ, ut vini guſtandi voluptate ſe privet, tunc poterit cerviſia uti, licet & illa inebriare poſſit, quia quod præcipue in vini abſtinentia ſibi præſtituit, fuit carentia voluptatis in vini potatione, quæ profecto in uſu cerviſiæ non invenitur. Non poſſet tamen nec cremato uti, nec ſpiritu vini, cum hi liquores ſub vino comprehendantur, & e vino expreſſi ſint, immo ipſius vini nobiliores ſpiritus; vel ſaltem dubium ſit, num comprehendantur, proinde abſtinendum ab illis, ut quod tutius eſt in dubio eligatur. Ita quidem & clariſſimus Franzoja, qui tamen a primæ partis deciſione recedit, & cenſet, voventem abſtinentiam a vino ad evitandam ebrietatem non teneri abſtinere a cerviſia aliiſque liquoribus ad inebriandum aptis, niſi in emiſſione voti de illis cogitaverit; quia, inquit, ſicut finis legis non cadit ſub lege, ita nec finis voti cadit ſub voto. At diſtinguendum puto inter finem intrinſecum ipſi voto, & conſtituentem materiam aptam, ut Deo offeratur, & finem extrinſecum voto ex voventis voluntate ſuperadditum; primum ſub voto cadere cenſeo, ſecus vero ſecundum. Abſtinentia itaque a vino eſt quid de ſe indifferens, poteſt enim proficiſci a natura a vino abhorrente, ut contingit in abſtemiis, ab avaritia ut parcat ſumptui, a ſuperſtitione ut in Manichæis, & ſic mala eſſet; poteſt eſſe a virtute ad ebrietatem vitandam, vel carnem affligendam, & ſic bona eſt. A fine itaque abſtinentia a vino ſuum bonitatem deſumat oportet, ut fiat idonea materia voti, & hic finis jam eſt voto intrinſecus, & conſtituit ipſam materiam voti, proinde ſub lege cadit. Qui itaque

taque vovit abſtinere a vino ad evitandam ebrietatem, jam ipſa ebrietatis fuga objectum ingreditur voti, & abſtinentiam vini reddit Deo gratam. Porro qui a vino abſtinet, non vero ab aliis liquoribus ad ebrietatem, ad quam ſe ſe proclivem experitur, inducendam idoneis, vix abſtinet, dum abſtinet; nam fruſtra abſtinet, cum parum interſit, ut diximus, num vino, vel alio liquore ſe inebriet, & ſic ipſum votum non implet. Rem exemplo illuſtro. Quis domo concubinæ egrediens & divino lumine tactus vovet non amplius illam maledictam ingredi domum, ne Deum offendat; at poſtea voti pœnitens, & concubinæ amore uri ſe ſentiens, ut & illa fruatur, & votum non violet, ad aliam domum eam transfert. Quis non dicat hunc non voti religioſum cuſtodem, ſed impium deriſorem? cum parum interſit, num in hac, vel in illa domo cum muliere fornicetur. Laxa certe eſt Lacroixii ſententia docentis, non peccare hunc graviter, etiamſi multum bibat, ſi certus ſit non adeſſe hic & nunc ebrietatis periculum, nam vini abſtinentiam Deo vovit; violat ergo votum, quoties multum bibit, nam quod Deo promiſit non implet, licet non adſit periculum ebrietatis. Solum itaque excuſandus, ſi vovens abſtinentiam a vino, animo conſtituat ſolum polliceri abſtinentiam ad immoderato uſu vini, vel in iis circumſtantiis, in quibus antea inebriari conſueverat.

XIV. Qui virginitatem, vel caſtitatem vovit, tenetur votum ſervare, etiamſi illicito congreſſu virginitatem amiſerit. Ita D. Th. q. 88. a. 3. ad 1. ſcribens; *Mulier, quæ vovit virginitatem, ſi poſtea corrumpatur, non ſolum debet ſervare quod poteſt, ſcilicet perpetuam continentiam, ſed etiam de eo quod admiſit peccando pœnitere*; & ratio eſt manifeſta, quia votum virginitatis & caſtitatis de ſe, & indole ſua perpetuitatem importat. Nihil tamen vetat, quin & votum virginitatis & caſtitatis ad tempus aliquod coarctetur, & etiam quod puella ita vovere poſſit virginitatem, ut ſolum ſtuprum vitare voluerit, & tunc ultra eorum intentionem non eſt dilatandum votum. Ceterum niſi id expreſſe conſtet ex voventis mente, ea vota in communi ſenſu ſunt accipienda.

XV. Qui vovit aliquid in genere, minime rei qualitatem determinando, votum adimplet, ſi quid illius generis det, dummodo non ſit adeo vile aut exiguum, ut votum potius irrideri videatur, quam ſolvi; nam intentio voventis ita eſt intelligenda, ut nec optimum, nec viliſſimum illius generis offerre voluerit. Quæ mediocritas etiam ſervanda eſt ab illo, qui unum ex ſuis aulæis, unum ex ſuis bobus Deo promiſit, nam ſicut non tenetur quod pretioſius eſt, ſic nec debet quod viliſſimum eſt offerre. Quod ſi ex rebus Deo disjunctive oblatis omnes pereant, una excepta, puta ex duodecim ovibus, quas habes, unam Deo voviſti, diſtinguunt nonnulli Theologi, ſi enim ceteræ tua culpa perierunt, teneris ſuperſtitem reddere; ſi vero ſine tua culpa perierint, nec fueris in mora reddendi, a ſolutione liberant. Non deſunt tamen Theologi, qui arbitrantur voventem etiam ceteris ſine culpa pereuntibus teneri ex re ſuperſtite votum ſolvere, cum omnia fuerint licet disjunctive voto obnoxia; & ſolum concedunt huic voventi, quod, ſi res ſine ſua culpa perierint, poſſit ſi velit rem ſuperſtitem ſibi retinere pretium erogando, quod non permittunt illi, qui in culpa fuerit rerum deperditarum. Verum hanc ſententiam tutiorem quidem fateor, at probabiliorem non agnoſco. Nam ſi, ut ſuperius diximus, & infra repetemus, in omnibus votis & juramentis ea intime imbibitur conditio *ſi res in eodem ſtatu ſit*, ideoque rebus notabiliter mutatis, votum non urgeat, jam quiſque perſpicit in caſu noſtro notabilem factam eſſe in ipſa voti materia mutationem, & quidem procul omni voventis culpa: ovis enim, quæ promiſſa eſt, voti tempore duodecimam ſolum conſtituebat gregis partem, tempore vero implendi voti totum gregem conſtituit; notabilis igitur facta eſt mutatio; nec totum eſt cogendus dare qui partem promiſit. Præterea merito præſumere licet, non eam fuiſſe voventis mentem ſe obſtringere ad dandam ovem, ſi ſolam futuram ſuperſtitem prævidiſſet; non videtur ergo ad implendum votum cogendus.

XVI. Quoad quantitatem vero indeterminatam rei promiſſæ hanc regulam ſtatuunt, in poteſtate voventis eſſe ipſam quantitatem determinare, eo plane modo quo poterat dum votum emiſit, dummodo tamen adeo tenuis non ſit, ut non voti impletio, ſed illuſio videatur; ut ſi dives, qui eleemoſynam indeterminate vovit, det infimam monetam, voto non ſatisfacit. Sunt itaque inſpiciendæ circumſtantiæ tum perſonæ voventis, tum ipſius voti, quod eſt promiſſio Deo facta, unde quod offertur & congruat facultati perſonæ, & divinæ conveniat dignitati, mitius tamen onus ſemper eſt voventi imponendum.

XVII. Hinc qui jejunium vovit, ſatisfacit etiam unico jejunio, at qui plura jejunia promiſit, non videtur votum implere ſi bis jejunet; licet enim duo jejunia pluralem numerum conſtituant, nihil tamen ſecius in communi modo loquendi pluralitas quid ſupra binarium numerum ſignificare videtur, ut cum dicimus dominum plures habere ſervos, plures equos, plures amicos, intelligimus certum numerum, qui binarium excedit. Sic qui Roſarium recitare vovit, dubitat num ſatisfaciat præcepto, ſi tertiam partem tantum recitet, nonnulli Theologi putant non implere votum, quia tertia pars Roſarii, ut ex ipſis verbis patet, non eſt Roſarium; alii vero cenſent ſatisfacere, quia communiter fideles non ſolum in privatis domibus, ſed etiam in publicis Eccleſiis ſe recitare Roſarium dicunt, etſi ſolam tertiam partem percurrant; ſic vere dicitur in Eccleſiis PP. Prædicatorum ter in ſingulis hebdomadibus Roſarium recitari, in aliis Eccleſiis omnibus diebus feſtis fideles ad Roſarium orandum accedere, & tamen nullibi omnes quindecim decades recitantur, ſed ſolum quinque: quare ſi forte in aliqua PP. Eccleſia mos ſit totum Roſarium in tres partes diei diviſum recitare, hic ſpecialis ritus deſignari ſolet dicendo, integrum Roſarium quotidie recitari. Puto itaque non materiale verbum, quod æquivocum vere eſt, eſſe attendendum, ſed communem Eccleſiæ ac fidelium

uſum

uſum inſpiciendum, cui ſupponendum eſt voventis mentem ſe accommodare voluiſſe; proinde diſtinguerem, vel vovens Roſarium quotidianum promiſit, & tunc cenſeo votum implere quotidiana tertiæ partis recitatione, vel vovit ſingulis hebdomadibus, vel menſibus; & tunc ad integram quindecim decadum recitationem adſtringerem, ita enim mos Eccleſiæ, & fidelium viget, ut vel ſingulis diebus tertia pars Roſarii recitetur, vel totum in hebdomada, vel in menſe percurratur Marianum Pſalterium.

§. III.

De voto conditionato.

XVIII. Sunt quædam conditiones, quæ omnia vota ſponte ſua comitantur, ut ſuperius diximus de juramentis promiſſoriis; hujuſmodi autem ſunt 1. Si potero, 2. Si res in eodem ſtatu ſint, 3. Si res licita ſit, 4. Niſi Superioris adverſetur voluntati, qui aliter decernat, vel obligationem diſrumpat. In his non immorabimur, cum ſatis ſit dicta recolere loco laudato. Aliæ vero ſunt conditiones, quæ ab ipſo vovente ſponte ſua adjiciuntur, & hæ licet ſecundum triplicem differentiam præteriti, præſentis, & futuri temporis diſtingui poſſint, nihilominus quæ vel præſens tempus reſpiciunt, vel præteritum, propriæ votum conditionatum non efficiunt, quia ejus impletionem non ſuſpendunt, revera enim vel in ſe ſunt, vel fuerunt: & ſic votum reddunt abſolute obligatorium, vel nullo modo ſunt, & ſic omnem tollunt obligationem. Sic qui diceret: voveo ingredi Religionem, ſi frater meus Romæ vivit, vel dare eleemoſynam, ſi Pater ſalvus e navigatione ad portum pervenit, jam abſolutum votum emiſiſſet patet, nec aliud ad ſummum requiritur niſi rei deſideratæ notitia. Conditiones itaque de futuro proprie votum conditionatum efficiunt, & hæ rurſum in triplici differentia ſunt, videlicet de re vel impoſſibili, vel neceſſaria, vel contingente, ut ſi quis dicat: voveo jejunare, ſi cælum digito tangam, vel voveo eleemoſynam, ſi ſol cras orietur, vel denique voveo ingredi Religionem, ſi ab hoc periculo eripiar, vel ab infirmitate convaluero. Rurſum conditiones de re contingente, aliæ ſunt in poteſtate ipſius voventis, ut ſi quis dicat: voveo Miſſam audire hodie, ſi domo exiero; vel ab aliena pendent voluntate vel externa cauſſa, ut ſi quis dicat: voveo caſtitatem, ſi Pater conſenſerit, vel ſi frater conſequatur hæreditatem. His poſitis ſequentes ſtatuuntur Regulæ.

Regula Prima.

XIX. Vota, quæ conditionem adjunctam habent de re vel phyſice, vel moraliter impoſſibili, nulla ſunt. Nam cum vovens nolit ſe obligare niſi impleta conditione, poſito quod conditionem addat impoſſibilem, manifeſte indicat ſe omnem obligationem reſpuere, & licet in aliquibus contractibus hæ conditiones habeantur tamquam non adjectæ, id oritur ex voluntate legislatoris in commune bonum ſic præcipientis; quæ ratio locum non habet in privatis votis. Videntur tamen fictæ & ſimulatæ promiſſiones, quæ culpa non vacant.

Regula Secunda.

XX. Conditio de futuro neceſſario reddit votum abſolutum, cum enim conditio ſit neceſſario implenda, jam pro impleta habetur, & ad ſummum tempus impletionis determinat, ut ſi quis dicat, voveo ingredi religionem, ſi Pater meus morietur, idem eſt ac ſi diceret, voveo religionem poſt mortem Patris, quare votum eſt abſolutum, ſed non implendum niſi ſecuta morte Patris, & eo ſolo nomine conditionatum dici poteſt, quatenus mors patris res eſt quoad tempus contingens.

Regula Tertia.

XXI. Conditio de futuro contingente voti executionem ſuſpendit donec impleta ſit, quæ ſi non eveniat, votum nullam inducit obligationem, ut ſi quis eleemoſynam voveat, ſi beneficium eccleſiaſticum obtinuerit, non tenetur eleemoſynam erogare, niſi obtento beneficio, & ſi a ſpe ſua cadat, nulla obſtringitur obligatione. At probabilius docent Theologi non neceſſario requiri, conditionem in ſe, &, ut ita dicam in propria ſpecie impleri, ſed ſufficere, ſi in æquivalenti impleatur, quando effectus intentus æqualiter obtineatur. Sic ſi quis voveret ingredi religionem, ſi ſoror curæ ſuæ commiſſa nupſerit, tenetur voto vel ſi ſoror moriatur, vel ſi & ipſa religionem ingrediatur, cum enim mens voventis, in conditione apponenda, fuerit, ne ſoror in ſeculo derelicta remaneret, æquivalenter conditio eſt impleta, & vovens ſuum eſt confecutus intentum, dummodo tamen expreſſe ipſam materialem conditionis impletionem non poſtulaverit, tunc enim voluntati ſtandum eſt: quod ſi dubitet, tenetur tutiorem partem eligere, nec ſupponere ſe ſua conditione divinæ providentiæ leges voluiſſe præſtituere.

Regula Quarta.

XXII. Vota cum conditione turpi illicita, & inhoneſta non obligant, & gravem injuriam Deo irrogant, ut ſi quis jejunium voveret, ſi inimicum occidat, vel cum aliena muliere congrediatur, cum hæc conditio quodammodo induat rationem finis, & votum aſſumatur ut medium ad turpem finem obtinendum, proinde graviter peccaret vovendo; votum enim eſſe debet actus latriæ, & cedens in cultum, & honorem Dei, non ipſi injurioſum, adeoque actus veræ virtutis: ſimiliter impium eſſet votum, quo quis polliceretur ad ædem Lauretanam peregrinari, ſi hoſtem in duello interficiat. Tunc ſolum poteſt eſſe validum votum, quotieſcumque licet actus ſit malus, tamen finis qui ſperatur bonum ſit, ut ſi quis voveat Miſſam audire quotidie, ſi incolumis in duello diſcedat; tunc enim licet iniquum ſit

ſit duellum inire, gratias tamen agere Deo, & illi vota perſolvere pro liberatione a morte corporis & animæ non videtur illicitum. Legantur ea quæ de juramento promiſſorio diximus.

Regula Quinta.

XXIII. Si plures ſint voto conditiones adjunctæ, videndum num copulative additæ ſint, an disjunctive: ſi primum, omnium impletio eſt expectanda, ut ad voti obligationem neceſſaria; ſi ſecundum, ſatis eſt ſi altera impleatur. Qui vovet religionem ingredi, ſi Pater conſenſerit, & ſoror nupſerit, utriuſque conditionis eſt impletio neceſſaria ut votum abſolutum fiat, & obligationem pariat, cum voventis intentio fuerit onus ſubire ſolum poſt utriuſque conditionis eventum, utraque igitur non impleta non conſurgit onus voti. Qui vero voveat religionem ingredi, ſi vel pater conſenſerit, vel ſoror nupſerit, una tantum impleta conditione ad votum adſtringitur, cum hoc ſolum poſtulet natura conditionis disjunctivæ. Quando vero conditiones appoſitæ ſint copulativæ, quando vero disjunctivæ, & ex verbis voventis, & ex ejus intentione, & fine colligendum eſt. Quod ſi vovens vel de hoc non cogitaverit, vel non meminerit, num copulative an disjunctive promiſerit, tutiorem partem tenetur eligere, & votum ſuum implere.

Regula Sexta.

XXIV. Quando conditio appoſita eſt in manu, & voluntate ipſius voventis, liberum illi eſt conditionem implere, vel non implere, quin vel peccet, vel voto obligetur, nec tenetur conditionis eventum expectare. Qui vovit veſpere, ſe die ſequenti ſi domo exeat Miſſam audire, poteſt domo non exire, & ſic liber erit ab onere Miſſæ audiendæ, quippe qui ad auditionem quidem Miſſæ ſe obſtrinxit, non vero ad conditionem apponendam, immo ſe liberum eſſe voluit ad onus vel ſubeundum, vel non ſubeundum ponendo, vel non ponendo conditionem. Sic qui vovit calicem aureum offerre Eccleſiæ S. Petri ſi Romam perrexerit, liberum eſt illi Romam petere vel non petere. Non tenetur vero conditionis impletionem expectare, quia conditio appoſita libertatem non tollit, etiamſi conditio ab aliena voluntate, aut cauſa pendeat, proinde multo minus ſi a propria: hinc ſi quis voveat ingredi religionem, ſi frater hæreditatem conſequatur, liber eſt ad eam ingrediendam etiam non expectato conditionis eventu, proinde multo magis ſi quis dicat, voveo recitationem Officii B. V. per annum, ſi Lauretum perrexero, cum poſſit Officium recitare etiam ſi Lauretum non adeat.

Regula Septima.

XXV. Quando conditionis eventus ex aliena voluntate, vel extranea cauſa pendet, non licet voventi ullo modo effectum impedire: ſic qui vovit jejunare ſi ſanitatem recuperet, nequit vel medicinas reſpuere, vel ſalutem negligere, vel noxiis cibis uti, ne ſanus factus jejunare teneatur. Pari pacto qui vovit ingredi Religionem ſi Pater conſenſerit, nequit non ſolum dolo vel fraude, ut omnes conſentiunt Theologi, ſed neque precibus aut argumentis Patrem ab aſſenſu præſtando retrahere, ut ſic a voti eximatur impletione. Non me latet, Salmanticenſes alioſque Theologos non deeſſe qui docent, licere precibus & rationibus Patris aſſenſum impedire, cum preces & argumenta vim non inferant, nec Patrem cogant; verum nec fraus nec dolus Patrem cogit, qui ſemper poteſt aſſenſum præbere, ſed ſicut illa oſtendunt in vovente pravum animum non implendi votum, hoc idem præſtant & preces & rationes, quæ malam ejus fidem erga Deum evincunt, cui ne ſolvat quod promiſit, tentat patris aſſenſum impedire. Immo probabilius cenſeo cum Angelo V. *Votum*, Sayro in Clavi Regia lib. 6. cap. 8. n. 4. aliiſque, eum, qui ſua culpa & malitia impedivit ne conditio impleretur, a voti onere non liberari. Ita enim declaratur in Regula *Cum non ſtat per eum* de Regulis juris in 6. ex Lege juris civilis 85. jubente: *Quicumque ſub conditione obligatus curaverit, ne conditio exiſteret, nihilominus obligatur*; & jure merito, quia dolus & fraus nemini patrocinatur; & nullus debet lucrum ex ſua iniquitate reportare. Confirmari etiam poteſt doctrina S. Th. qui in IV. diſt. 38. q. 1. a. 3. quæſtiuncula 1. docet, eum qui *ſua culpa impotentiam voti implendi incurrit, teneri recompenſare per pœnitentiam*. Cenſet igitur S. D. impotentiam tollere quidem materialem voti impletionem, quæ facta eſt impoſſibilis, at non auferre debitum *recompenſandi*; cum igitur qui culpa ſua conditionis impedivit eventum, adhuc poſſet quod promiſit implere, ad illud teneri dicendum eſt. Nec obſtat adverſantium Theologorum ratio, nimirum votum a voventis intentione pendere, qui non ſe obſtrinxerit niſi impleta conditione, hac proinde, quacumque ex cauſa, deficiente a voti onere liberabitur; non obſtat, inquam, quia votum pendet quidem a voventis intentione & voluntate in emiſſione, cum poſſit tunc quam libuerit conditionem apponere, non vero in ſui impletione; poſito enim quod ſemel voverit, & contingentem appoſuerit conditionem, non amplius poteſt ſua culpa & malitia conditionis eventum impedire, & ſi impediat, ab onere minime liberabitur.

§. IV.

De voto pœnali.

XXVI. Pœnale votum illud dicitur, quod vovens ſibi aſſumit, ut ab aliquo admittendo peccato avertatur, vel ut admiſſum puniat, ut cum quis vovet toties dare eleemoſynam, quoties pejeraverit, jejunare, quoties ſe inebriaverit, & ſimilia. Hinc patet pœnale votum eſſe conditionatum, nec obligare niſi impleta conditione; in hoc vero diſcriminatur, quod conditionale votum eligitur a vovente ob affectum ad rem quam vovet; in pœnali vero voluntas voventis move-

tur

tur ſolum ex deſiderio vitandæ actionis, quæ ſibi diſplicet, vel nocivam apprehendit, ut ex adductis patet exemplis.

XXVII. Valida eſſe hujuſmodi pœnalia vota omnes conſentiunt Theologi, ſolo refragante Catharino, cum & ſit de re honeſta, & de meliori bono, cujuſmodi eſt vel a peccato abſtinere, vel peccatum admiſſum punire. Aliquando ſimplici conſtat voto, aliquando duplici, ut cum quis vovit eleemoſynam dare ſi blaſphemet, & cum quis vovit non inebriari, & ſi in ebrietatem incidat, vovit jejunium in pane & aqua.

XXVIII. Cum itaque hoc votum in pœnam aſſumatur, ſequitur tranſgredientem præceptum, cui pœnam ex voto adjunxit, ſi tranſgreſſio ſit ſine culpa, vel ob invincibilem ignorantiam, vel alia cauſa excuſante, non teneri ad pœnam tranſgreſſioni ex voto adjunctam; ubi enim culpa non eſt, nec pœna locum habere poteſt: quod verum eſt etiam, ſi immemor ſit pœnæ adjectæ, dummodo talis oblivio non ſit culpabilis, quia cum pœna non ſit delicto propria, nec per ſe annexa, non contrahitur niſi menti lex occurrat, quæ talem pœnam aſſignavit.

XXIX. Qui abſolute vovit, ſi luſero eleemoſynam dabo, num teneatur eleemoſynam dare ſemel tantum cum primum luſerit, vel toties quoties ludo indulſerit, diſſident Theologi; nonnulli putant ſolum pro prima vice teneri, cum non ſit credibile ad plures ſubeundas pœnas ſe obſtringere voluiſſe, & cum vota ſalva proprietate verborum & promiſſionis ſint quantum fieri poteſt reſtringenda: alii vero cenſent, toties quoties luſerit ad eleemoſynam teneri, quia, inquiunt, per pœnam etiam plures repetitam volunt ſe a ludo avertere. Verum hæ duæ opiniones facile conciliari poſſunt, ſi ratio pœnæ tranſgreſſioni appoſitæ ſpectetur, nam ſi pœna ſit graviſſima, videtur præſumendum appoſitam ut ſemel tantum ſubeundam, ut ſi quis dicat, ſi blaſphemavero, peregrinationem Romanam voveo, ſi fornicavero, voveo caſtitatem, vel Religionem ingredi, eo vel maxime quod hujuſmodi pœnæ repeti vix poſſunt. E contra vero ſi pœnæ leves ſint, cenſentur appoſitæ toties quoties, ut per eorum frequentem ſolutionem a peccato paulatim retrahatur: ſic qui dicit, ſi pejeravero, Pſalmum Miſerere recitabo, ſi fornicavero, jejunabo, & ſimilia: quod ſi quis dicat, ſi me inebriavero: jejunabo in vigilia S. Laurentii, puto intelligendum votum de prima tantum S. Laurentii vigilia, non de omnibus. Inſpicienda tamen ſemper eſt intentio voventis, de qua ſi non conſtet, tunc ex data regula judicandum.

§. V.

De voto metu & errore elicito.

XXX. Tametſi ea, quæ in ſuperioribus diximus de juramento metu & errore elicito, etiam ad votum aptari poſſint, nihilominus ad clariorem materiæ intelligentiam nonnulla adjicienda cenſemus, & nonnullas ſtatuimus Regulas.

Regula Prima.

Quando error cadit ſupra voti ſubſtantiam, illud nullum efficit, & invalidum, & ratio eſt manifeſta, quia nihil poteſt eſſe volitum, niſi præcognitum ſit; non poteſt eſſe igitur voluntarium illud votum, quod ex errore, vel ignorantia, rei ſubſtantiam afficiente, procedit, cum illa objecti cognitionem excludat. Quare ſi quis voveat Eccleſiæ offerre calicem ſibi ab amico donatum, quem putat argenteum, & invenit aureum, non tenetur voto, cum error ſit in ipſa materia, quæ in quocumque voto eſt ſubſtantialis; ſic ſi voviſti ingredi Religionem, quia putabas profeſſionem non eſſe perpetuam, pariter non teneris voto, quia perpetuitas eſt de eſſentia & ſubſtantia ſtatus religioſi.

Regula Secunda.

XXXI. Pariter ſi error vel ignorantia verſetur circa finem voti, votum nullum efficit, cum finis ſit ejuſdem voti veluti objectum, vel ſaltem objectum ingrediatur. Triplex autem eſſe poteſt voti finis, alius votis omnibus communis, nimirum divinus cultus, quo deficiente jam patet manifeſte votum nullum fieri, cum debeat eſſe actus latriæ, & virtuoſus, proinde Deo gratus. 2. Alter eſt finis peculiaris hujus vel illius voti, qui tamen eſt ipſi voto intrinſecus, & hoc quoque ſublato tollitur votum, cum juxta S. Thomam 1. 2. q. 8. a. 3. ea, *quæ ſunt ad finem inquantum media, non ſunt valida niſi propter finem*; qui itaque aliquid vovit ut medium ad aliquem finem obtinendum, vult illud ut ad finem conducens; ſi ergo circa finem erret, jam finis non eſt volitus, ergo nec medium ad illum. Exempla rem declarant, voves dotare hanc puellam pauperem, dare eleemoſynam huic pauperi, deprehendis illam jam ab alio dotem obtinuiſſe, hunc non indigentem eſſe, ſed divitem, nec illi dotem, nec huic eleemoſynam dare teneris. 3. Finis eſſe poteſt omnino extrinſecus, & ab ipſo vovente præſtitutus, & hic quoque ſi in objecti ſubſtantiam tranſeat & deficiat, nullum reddit votum, voviſti peregrinationem ad impetrandam ſalutem patris, quem infirmum putas, non teneris, ſi comperies patrem vel ſanum eſſe, vel fato functum, peregrinari; voviſti tot Miſſas celebrare ad Beneficium vacans obtinendum, reperis vel Beneficium non vacare, vel alteri jam collatum, voto non obſtringeris.

Regula Tertia.

XXXII. Si error verſetur circa accidentia, & circumſtantias, quæ in objecti ſubſtantiam non redundant, validum remanet votum, & obligatorium, licet fortaſſe ſi ea prævidiſſet, vovens non voviſſet. Et ratio eſt manifeſta, quia talis ignorantia non tollit voluntarium quoad ſubſtantiam, ſed omnino voluntarium relinquit, alioquin ſi cujuslibet circumſtantiæ ignorantia tolleret voluntarium, jam nullus pene foret in mundo

do contractus, promiſſio, matrimonium, religioſa profeſſio, quæ in irritum revocari non poſſent, cum omnes circumſtantiæ rei accidentia & difficultates comperta eſſe non valeant. Qui itaque vovit dare eleemoſynam huic pauperi, quem ſibi amicum putat, non liberatur a voto, etſi detegat illum eſſe ſibi infenſum: ſic qui vovit jejunare in vigilia S. Laurentii, putans cadere in diem veneris, & reperit eſſe in die jovis, adhuc ad jejunium tenetur, licet fortaſſe ſi noviſſet, votum non emiſiſſet.

XXXIII. Nec huic Regulæ adverſatur D. Thom. dum docet in IV. diſt. 38. q. 1. a. 3. quæſtiuncula 1. ad 1. „ Illud, quod votum fiendum impe„ diret, ſi præſens eſſet, etiam voto facto obliga„ tionem aufert “, nam S. Tho. de iis loquitur difficultatibus & circumſtantiis, quæ ſi ab initio adeſſent, votum facerent irritum, ejuſque impedirent valorem, ut ſi res promiſſa foret illicita, indifferens, impoſſibilis, ut patet tam ex objectione, in cujus ſolutionem laudata pronuntiat verba, nimirum *ad votum impoſſibile nemo obligari*; tum ex verbis immediate ſequentibus, „ unde cum de „ impoſſibili non poſſit eſſe votum, ut dictum „ eſt, ſi aliquid fuit impoſſibile poſt voti emiſſio„ nem quod prius erat poſſibile, obligatio voti „ quantum ad illud tollitur.

Regula Quarta.

XXXIV. Si error vel ignorantia ſit ſolum circa finem concomitantem & mere impellentem, ſive occaſionem præbentem voto, non impedit valorem voti. Ratio eſt, quia jam manet immota, & ſalva ſubſtantia voti, & error ille vel ignorantia jam ob alium finem voventem determinatum ſupponit, dum ille finis circa quem errat, vel quem ignorat, non conducit niſi ut libentius & facilius votum eliciatur; ſic qui vovit dare quotidie eleemoſynam huic pauperi, quia probum & chriſtianum putat, licet poſtea deprehendat malum & ebrioſum, non liberatur a voto, nam finis primarius eſt ſublevatio hujus pauperis, alter autem finis, quia putatur bonus, non eſt niſi cauſa concomitans, & efficiens ut libentius illi miſereatur. Quando vero aliquæ circumſtantiæ habeant rationem veri finis moventis, vel ſolum finis occaſionalis concomitantis, facile non eſt definire, ſed prudentis Confeſſarii arbitrio relinquendum: non videtur tamen rejicienda regula, quam exhibet Sylveſter V. *Votum*, quando etiam illis circumſtantiis deficientibus adhuc verus finis voti conſiſtit, tunc circumſtantiæ illæ ſunt habendæ ut occaſionales, concomitantes, & accidentariæ; ſi vero finem omnino voti auferant, habendæ ſunt eſſentiales & neceſſariæ, adeo ut eis deficientibus votum quoque corruat. Si vero res ambigua ſit & dubio prudenti obnoxia, tum Probabiliſtæ tum Probabilioriſtæ docent votum eſſe ſervandum, licet diſpari ratione; illi quidem, quia, dicunt, votum eſt in poſſeſſione, & præſumptionem ſtare pro valore voti; iſti vero longe efficaciori & veriori ratione, quia in dubiis tutior pars eſt eligenda.

XXXV. De votis vero metu elicitis ſequentes ſtatuuntur regulæ, præter ea, quæ diximus ſuperius de juramentis eodem timore extortis, & Tract. 3. de officiis hominum diſſ. 1. cap. 5. n. 4. & ſeq.

Regula Prima.

Vota omnia, quæ ex metu gravi ab intrinſeco proveniente eliciuntur, tum jure naturæ, tum jure poſitivo valida ſunt. Quia licet, ut ex D. Th. l. l. diximus, quæ fiunt ex metu ſint ſecundum quid involuntaria, ſimpliciter tamen & ſecundum ſe voluntaria ſunt; unde a peccato non excuſantur, qui ex metu Dei legem violant, quod multo magis verum eſt in metu ab intrinſeco proveniente, quia tunc vovens a nullo cogitur, ſed ipſe ſponte votum aſſumit tamquam medium ad malum quod timet avertendum. Hinc valida ſunt omnia vota, quæ eliciuntur a timentibus naufragium, mortem ex infirmitate, vel gravia damna ab incendio, a fulmine, a feris, &c. Dicitur autem hos metus ab intrinſeco profluere, quia licet cauſa quæ metum excitat, ſit externa, non cogit tamen ad votum edendum.

Regula Secunda.

XXXVI. Vota etiam elicita ob timorem ab extrinſeco incuſſum invalida non ſunt, niſi ſit incuſſus ad extorquendum ipſum votum. Sic qui timet minas inimici illi mortem intentantis, ſi votum eliciat ut liberetur, validum eſt votum, ratione ſuperius adducta, nimirum quia licet cauſa metum incutiens ſit extrinſeca, non cogit tamen ad votum eliciendum, ſed vovens ad vitandum periculum illud ſponte emittit.

Regula Tertia.

XXXVII. Vota emiſſa ex metu ſive juſte, ſive injuſte incuſſo, etiam ad ipſum votum extorquendum, jure naturæ ſpectato valida ſunt. Et quidem de votis elicitis ex metu juſte incuſſo manifeſtum eſt, quia ſi juſte incutitur timor, vovens irrationabiliter eſt invitus, ac proinde valida habentur hujuſmodi vota, nedum jure naturæ, ſed etiam poſitivo. De votis vero emiſſis ex metu etiam injuſte incuſſo patet, quia adhuc metus non tollit voluntarium, licet minuat, ut patet in eo, qui metu ſuppliciorum & mortis intentatæ ad fidem catholicam deferendam cogeretur, denegatæ fidei reus foret, ſi a fide recederet, quia voluntaria eſſet fidei negatio, & injuria ab altero irrogata non efficit, ut quis poſſit fidem Deo datam violare, ſicut & de juramento metu etiam injuſto extorto docet Angelicus Præceptor hic q. 89. a. 7. ad 3. „ In juramento, quod quis coactus facit, „ duplex eſt obligatio. Una quidem, qua obli„ gatur homini, cui aliquid promittit: & talis ob„ ligatio tollitur per coactionem, quia ille qui „ vim intulit, hoc meretur, ut illi promiſſum „ non ſervetur. Alia autem eſt obligatio, qua quis „ Deo obligatur, ut impleat quod per nomen ejus „ promiſit: & talis obligatio non tollitur in foro con„ ſcien-

„ ſcientiæ, quia magis debet damnum temporale ſu- „ ſtinere, quam juramentum violare “. Notan- „ dum tamen nos loqui de illo, qui vere in eo timore voveat, ſi enim ficte, & labiis tantum, non animo voveret; nullum eſſet votum non timoris cauſa, ſed voluntatis deficientia.

XXXVIII. Num autem jure poſitivo nulla ſint præfata vota, diſcrepant Theologi, in eo ſolum uno ore conſentientes, quod vota ſolemnia, vel in facie Eccleſiæ emiſſa, ſi metu gravi injuſte ad hoc incuſſo extorqueantur, ipſo jure nulla ſunt & invalida; de privatis votis vero plurimi ſunt a Salmanticenſibus laudati, qui & illa ipſo jure irrita & nulla decernunt ex pluribus juris textibus ex Cap. *Ad audientiam: de iis quæ vi*, ubi dicitur, *debere carere firmitate quæ metu fiunt*. Et Cap. *Cum locum* de ſponſalibus habetur*, *cum locum non habeat conſenſus, ubi metus vel coactio intercedit*. His addunt Salmanticenſes communem Juriſperitorum intelligentiam, qui eos textus de omnibus actibus ex metu provenientibus interpretantur, & longævam Eccleſiæ conſuetudinem. Alii e contra cenſent, valida eſſe etiam jure poſitivo, quia allati juris canonici textus nonniſi de ſolemnibus votis, & in facie Eccleſiæ emiſſis loquuntur, non autem de omnibus indiſcriminatim votis: cum itaque iſta vota jure naturæ valida ſint, ipſorum vero irritatio ipſo juri deroget naturali, non eſt admittenda, niſi expreſſe, clare, & aperte habeatur in jure, ſicut clara eſt & aperta irritatio Profeſſionis, Matrimonii, & Sponſalium; porro textus irritantes omnia vota nulli habentur in jure canonico, ergo ad illa non ſunt extendendi; & ita ſentiunt cum Suarezio, Garzia, aliique, quorum opinio & mihi probabilior videtur. Nam & præfati textus optime de ſolis ſolemnioribus votis intelliguntur, & paritas rationis de matrimonio & ſolemnibus votis cum aliis non prodeſt, quia & ipſa vota ſolemnia & matrimonium, licet ex metu extorta, in ſe valida ſunt: ut itaque invalida declarentur, neceſſaria eſt irritatio Eccleſiæ, quæ de prioribus habetur, de poſterioribus vero omnino non habetur; immo ſi Eccleſia expreſſe iſta a lege naturali, ut ita dicam, exemit, hac ſua exemptione oſtendit, cætera vota in ſuo naturali ſtatu relinquere. Juriſtarum communis interpretatio, ſi tamen revera communis eſt, rem omnino non conficit, cum illi adverſentur & plures juris canonici Doctores, & non pauci Theologi. Conſuetudinem vero Eccleſiæ jactant quidem Salmanticenſes, at non oſtendunt: profecto ſi hæc idoneis documentis probetur, nullus puto erit, qui eorum ſententiæ non acquieſcat.

CAPUT OCTAVUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Qui calicem indeterminate vovit, num aureum, vel argenteum, vel partim ex argento & cupro poſſit, & teneatur dare.*

II. *Quomodo intelligendum votum de non congrediendo cum fœmina?*

III. *Vota ex repentino timore vel animi perturbatione emiſſa quando valida ſint.*

IV. *Qui dubitat, num quod vovit licitum ſit, vel illicitum, non tenetur voto, at ille obſtringitur qui dubitat, num abſolutum an conditionatum emiſerit.*

V. *Qui vovit ſe nolle in ſæculo vivere, tenetur religionem ingredi.*

VI. *Qui vovit indeterminate religionem, ſatisfacit voto religionem mitiorem ingrediens.*

VII. *Non ſatisfacit vero, ſi ſeveriorem voverit religionem.*

VIII. *Qui religionem indefinite vovit, tenetur totum id præſtare quod in ſe eſt, ut in religionem admittatur.*

IX. *Non tenetur tamen niſi ingredi religionem, & anno probationis experiri, num ſit ad illam idoneus.*

X. *Qui vovit quotidie audire Miſſam, non tenetur binis in die feſto intereſſe.*

XI. *Qui vovit jejunium in pane & aqua, peccat ſi vinum bibat.*

XII. *Votum conditionalem impleta conditione abſolutum evadit.*

XIII. *Qui duplex emiſit votum, quorum alterum pœnale eſt, ſi a priori voto liberetur, etiam a ſecundo liber evadit.*

XIV. *Qui religionem Carthuſianorum ingredi vovit, putans licere in ea veſci carnibus, num voto teneatur.*

De voto dubio.

Conſectarium Primum.

I. QUI Eccleſiæ voto pollicitus eſt calicem, ſi dubitet, an voverit aureum vel argenteum, ſatis eſt, ſi dat argenteum: ratio eſt, quia cum communiter ſacra hæc vaſa ex argento fiant, præſumendum eſt juxta communem uſum voviſſe, eo vel maxime quod cum calix aureus ſit longe majoris pretii quam argenteus, ſi hoc peculiare & pretioſum munus voviſſet, profecto memoriæ retineret; cum igitur non recordetur, & dubitet, argumentum eſt validum nihil ſingulare voviſſe, ſed quod commune eſt in ſimilibus votis. At ſatis ne erit, ſi ſit argenteus quantum ad cuppam, licet alia pars calicis ſit ærea, vel cuprea? Non deſunt Theologi, qui hoc putant ſufficere; verum ratio habenda eſt illius Eccleſiæ, cui calix eſt offerendus, ſi enim ſolis calicibus undequaque argenteis utatur, talis eſſe debet offerendus calix; ſi vero etiam admittat, & adhibeat calices partim ex argento, partim ex cupro, poſſet talem offerre; facultas quoque, & opes voventis ſunt inſpiciendæ.

Conſectarium Secundum.

II. Qui vovit cum fœmina non congredi, dubitat vero, num votum fuerit de congreſſu licito & maritali, vel ſolum de illicito, & fornicario, ad dubium prudenter dirimendum inſpicienda eſt cauſa, ſeu occaſio hujuſmodi voti: ſi enim votum emiſit, dum pertæſus fornicationis illam deteſta-

teſtabatur, vel dum periculum expendebat ſuæ ſalutis ex illicito cum fœminis congreſſu, præſumendum eſt voviſſe abſtinentiam a ſolo illicito congreſſu; e contra vero ſi votum emiſit amore caſtitatis illectus lectione alicujus libri virginitatis laudes complectentis, vel devotionis affectu erga Deiparam, præſumendum eſt voviſſe abſtinentiam etiam a licito, & maritali congreſſu. Quod ſi nec ex intentione voventis, nec ex circumſtantiis voti hoc dubium dirimi queat, non eſt Leandri, Sanchezii, aliorumque Probabiliſtarum amplectenda doctrina, qui dicunt intelligendum de abſtinentia a ſolo illicito concubitu. Sed tutior pars eſt eligenda, & etiam licitus excludendus, eo vel maxime, quod juxta D. Th. doctrinam, votum de ſe & ex indole ſua eſt de iis, quæ ſub conſilio cadunt, non ſub præcepto. „ Illud, quod neque cadit ſub neceſſi„ tate " (verba ſunt S. Th. hic q. 88. a. 2.) „ ab„ ſoluta, neque ſub neceſſitate finis, omnino eſt „ voluntarium: & ideo hoc propriiſſime cadit ſub „ voto. Hoc autem dicitur eſſe majus bonum in „ comparatione ad bonum, quod communiter eſt de „ neceſſitate ſalutis. Ideo proprie loquendo, vo„ tum dicitur eſſe de meliori bono ". Idem dicendum de illo, qui dubitat, num perpetuum, vel temporarium emiſerit continentiæ votum, niſi enim vel ex intentione voventis, vel ex circumſtantiis aliter colligi poſſit, eſt intelligendum de voto perpetuo; & de ambigente num emiſerit votum ante ſeptennium, ſupponendum eſt pro valore voti, cum raro admodum contingat, ut quis ante ſeptennium voveat.

Conſectarium Tertium.

III. Qui ex repentino timore, vel animi perturbatione, vel alia affectione impulſi vovent, valida ſunt illorum vota, licet poſtea dubitent, num plenam habuerint animi deliberationem, ſi talis non ſit animi affectio & perturbatio, ut rationis uſum auferat, & libertatem. Ita egregie docet S. Antoninus 2. p. tit. 9. cap. 11. §. 1. „ Vota, quæ fiunt a mulieribus in partu, vel in„ firmitate, vel virorum in quibuſcumque angu„ ſtiis propriis, vel ſuorum, aut perturbatione, „ ſi habuerint talem intentionem obligandi ſe Deo, „ cogitantes etiam de cauſa, quæ eos movebat ad „ vovendum, ſcilicet infirmitate, vel periculo, „ & de fine, ſcilicet evitatione periculi, pro„ pter quod evitandum vovebant, tenenda ſunt. „ Idem Thomas. Si autem dubitent, utrum ſe „ intenderint obligare, tutius eſt quod impleant „ ſecundum Thomam. Item nota, quod qui iratus „ patri, vel magiſtro, vel bene potatus vovet, vel „ jurat intrare religionem, quod non tenetur, quia „ quod calore iracundiæ fit, pro non facto haberi „ debet: quod verum eſt, ſi ſic fiat ſubito, quod „ non feciſſet per deliberationem, & ſententiam ra„ tionis, quæ non requirit magnam moram tem„ poris. Sed quando ſciens quid jurat, vel vovet, „ hoc agit, tenetur, niſi cum eo diſpenſetur ra„ tione minus plenæ deliberationis. Sicut enim qui „ calore concupiſcentiæ inflammatus, aut bene po„ tatus, non tamen ebrius, jurat uxorem ducere, „ compellitur eam ducere, niſi omnino ebrius eſ„ ſet. Confirmatur quod dictum eſt per ſequen„ tem rationem. Sicut enim requiritur deliberatio „ ad votum, ſic ad peccatum mortale, & tamen „ licet iratus, aut potatus occidat hominem, ex„ cuſatur a tanto, ſed non a toto, quin ſit morta„ le, ex quo ſic non fuit ex ſe, quin ſciret quod „ faceret, licet tamen poſtea pœniteat ſe feciſſe, „ quia eſſe ſtatim pœnitentem de peccato bene ar„ guit quod non ſit factum ex habitu, ſed non ar„ guit quod non ſit factum ex electione, licet paſ„ ſione turbante judicium rationis. Illa ergo deli„ beratio temporis, vel ætatis, quæ ſufficeret ad „ obligandum Diabolo per peccatum mortale, ſufficit ad obligandum Deo per votum.

Conſectarium Quartum.

IV. Qui dubitat, num votum ſit de re licita vel illicita, voto non tenetur, nequit enim Chriſtianus facere quod dubitat, num peccatum ſit, alioquin peccaret. Sed qui dubitat, num conditionatum votum emiſerit, vel abſolutum, tenetur votum ſervare, ne periculo peccandi ſubjaceat, quod vitare tenetur, id quod tutius eſt eligendo.

De voto indeterminato.

Conſectarium Quintum.

V. Qui voveret ſe nolle in ſæculo vivere, teneretur religionem ingredi, quia tale votum contineret in ſe virtualiter propoſitum ingrediendi religionem, æquivalet enim huic voto: *volo a ſeculo recedere*; porro nemo a ſæculari vita recedit niſi religioſum ſtatum amplectendo. At dicunt nonnulli Theologi, aliud eſt votum de volitione vel nolitione alicujus rei, aliud de ipſa re: hic votum edit de nolitione permanſionis in ſeculo, vel de voluntate ingrediendi religionem, non vero de ipſo vel a ſæculo receſſu, vel de religionis ingreſſu; proinde ſat eſt ad voti impletionem, ſi nunquam contrarium votum eliciat, dicens, volo in ſæculo permanere, vel nolo a ſæculo recedere. Verum hæ ſubtiles ſunt cavillationes, quæ veritatem tenebris offundunt, non oſtendunt, nec declarant. Nam qui ſic vovit, vel aliquid Deo promiſit, vel nihil, qualis eſt mera negatio *nolo in ſæculo manere*; ſi nihil, votum, ut patet, nullum eſt, & ſtulta promiſſio, quæ Deo diſplicet; ſi aliquid, quid, amabo, niſi aliquid poſitivum? porro hoc non poteſt eſſe niſi fuga ſæculi, religionis ingreſſus: ergo explorata voventis intentione, vel nullum eſſe votum dicendum eſt, vel ſi validum, ad religionis ingreſſum adſtringitur. Hoc ſolum adderem, poſſe voto ſuo ſatisfacere voventem amplectendo etiam vitam ſolitariam & eremiticam, quod tamen indiget ſpeciali Dei motione, & auxilio, quia licet non ſit talis ſtatus vera religio, eſt tamen plenus a ſæculo & ſæcularibus negotiis receſſus.

Conſectarium Sextum.

VI. Qui vovet indeterminate religionem ingredi, ſatisfacit voto ſuo, ſi religionem eligat minus ſeveram & rigidam in abſtinentiis, jejuniis, vigiliis, aliiſque regularibus obſervantiis, non vero ſi religionem ingrediatur laxiorem, ſeu, ut vocant, relaxatam, ubi nec vota implentur, nec communitas, nec ulla ferme diſciplina viget. Ratio primæ partis eſt, quia etiam in religionibus minus rigidis minuſque ſeveris & vota eſſentialiter implentur, & cuſtodiuntur, & virtutes excoli poſſunt, & ipſa pœnalitatum carentia aliis piis operibus & laboribus penſatur. Altera vero pars manifeſte patebit, ſi quid ſit religio relaxata expendetur, quæ profecto illa eſt, non quæ ſolum a primævo fervore refriguit, ſed in qua ſubſtantialia vota non cuſtodiuntur, & paupertatis loco quilibet ſibi pecuniam acquirit, ſibi retinet, pro libitu ſuo diſponit, licet fortaſſis in Monaſterii, vel Eccleſiæ utilitatem, ludis inſumit, vaſa aurea, argentea paramenta, ſuppellectiles ad proprium uſum ſibi comparat, & retinet. Ubi nulla viget communitas, ſed accepto a Monaſterio pane & vino, & paucis obulis pro victu, & certa quadam pecuniæ ſumma pro veſtitu quilibet Religioſus ſibi de cibo, de veſtibus & de ceteris providere debet; hinc fit, ut dum unus eſurit, alius ebrius ſit. Nulla obedientia, ſed quilibet pro ſuo libito accedit & recedit a Monaſterio, officia tanquam ſibi debita poſtulat, ſi repellatur, de injuſtitia conqueritur, dignitates ambit, lucris inhiat. Caſtitas periculis expoſita eſt in libero ad domum mulierum acceſſu, frequenti cum ipſis converſatione, ruſticatione, confabulatione. Ubi nec orationis ſtudium, nec ſilentii cuſtodia, nec legum regularium ulla obſervantia. Quis igitur non videt, hujuſmodi Religionem vel Cęnobium ingredientes voto ſuo non ſatisfacere, imo de ſua æterna ſalute periclitari? Quapropter ſi quis forte incaute hujuſcemodi Cęnobia, vel Religionem ingreſſus ſit, tenetur, ut ſaluti ſuæ conſulat, ad ſtrictiorem & rigidiorem convolare, ut reddere poſſit Domino vota ſua, quæ diſtinxerunt labia ſua. Sed dices. Sunt ne in Eccleſia Dei Ordines & Cęnobia adeo a recto tramite deviantia, & relaxata? Utinam non eſſent, vel ſaltem pauca. Sibi itaque conſulant adoleſcentes, qui Religionem vel ſponte, vel voto ingredi ſtatuunt, & attente perpendant, & Regulam, quam profiteri volunt, & Religioſorum, quibuſcum converſari debent, mores & conſuetudines, quas ſi Regulis congruere videant, alacriter jugo Dei colla ſubjiciant, ut æternam conſequantur mercedem; ſi vero omnino diſſonantes conſpiciant, vel ſtrictiorem ingrediantur ſi voto ſint obſtricti, vel in ſæculo potius maneant ſi liberi ſint.

Conſectarium Septimum.

VII. Qui rigidiorem religionem vovit, peccat, nec votum ſuum implet, ſi mitiorem ingrediatur, ab ea tamen profeſſus diſcedere non tenetur. Nam licet omnes religiones in ſubſtantialibus votis conveniant, una tamen alteri præſtat in abſtinentiis, vigiliis, nuditate, aliiſque auſteritatibus: qui itaque rigidiorem vovit, in qua longiora ſunt jejunia, major & perpetua abſtinentia, nocturnarum vigiliarum uſus, arctius ſilentium, ſolitudinis cuſtodia, non integre Deo reddit quod vovit, ſi eam Religionem ingrediatur, ubi hæc vel nulla vel longe minora ſint & mitiora. Quod vero emiſſa profeſſione in tali Religione ab ea recedere non debeat, docet & probat S. Tho. 2. 2. q. 189. a. 8. ad 3. „ Votum ſolemne, quo quis obligatur minori Religioni, eſt „ fortius quam votum ſimplex, quo quis aſtringitur majori Religioni. Poſt votum enim ſimplex „ ſi contraheret aliquis matrimonium, non diri„ meretur, ſicut poſt votum ſolemne. Et ideo il„ le, qui jam profeſſus eſt in minori Religione, „ non tenetur implere votum ſimplex, quod emi„ ſit de intrando Religionem majorem“. Statuitur in jure can. in Cap. „ *Qui poſt* de Regular. in 6. „ Qui poſt votum a ſe emiſſum de certa Religione „ intranda, Religionem aliam etiam laxiorem in„ greditur, & profitetur in ipſa, poteſt, non „ obſtante voto priori (cui tanquam ſimplici per „ ſecundum ſolemne noſcitur derogatum) manere „ licite in eadem; pro voto tamen non completo „ eidem pœnitentia imponenda. Ex D. Thomæ doctrina non inepte inferunt Salmanticenſes, qui rigidiorem ſeverioremque ingredi vovit Religionem, poſſe votum ſuum commutare in votum perſeverandi in mitiore, nam votum perſeverandi etiam in mitiore Religione melius eſt & perfectius voto ingrediendi Religionem ſeveriorem ſine onere permanendi; & ſimiliter qui vovit benigniorem Religionem, perfectius implet votum ſuum, ſi ſeveriorem amplectatur.

Conſectarium Octavum.

VIII. Qui ſtatum regularem indefinite vovit, tenetur totum id præſtare, quod in ſe eſt, ut in Religione recipiatur. Ita docet S. Th. hic q. 189. a. 3. ad 2. ubi primum diſtinguit inter illum, qui certam Religionem vovit, & alium qui indefinite ſtatum regularem vovit, & poſtea de utroque ſtatuit, teneri facere quod in ſe eſt, vel ut in illa Religione, quam vovit, recipiatur, vel plures Religiones adire, ut in aliqua recipiatur. „ Ille (verba ſunt S. Th.) qui „ ſe voto obligavit ad certæ Religionis ingreſ„ ſum, tenetur facere quantum in ſe eſt, ut in „ illa Religione recipiatur: & ſi quidem intendit „ ſe ſimpliciter ad Religionem obligare, ſi non „ recipitur in una Religione, tenetur ire ad a„ liam; ſi vero ſe intendit ſpecialiter obligare „ ad unam ſolum, non tenetur niſi ſecundum mo„ dum obligationis ſuæ. Ex qua D. Th. doctrina hæc colligenda. 1. Qui determinatum Monaſterium ingredi vovit, tenetur omni ſtudio curare, ut in eo recipiatur, ea adhibendo media & diligentiam, quæ in re magni momenti ſolent a prudentibus adhiberi, manifeſtando etiam, ſi opus ſit, emiſſum votum; quod ſi repellatur ad tempus ob

ob aliquod temporaneum impedimentum, vel ſuſpenditur receptio ad vocationem probandam, tenetur iterum poſtulare, & pro acceptatione flagitare; ſi vero abſolute repellatur, ſolutus eſt a lege voti, adeo ut etſi a Monaſterio invitetur, non amplius ingredi teneatur, & ratio eſt manifeſta, quia ſi abſolute repulſus teneretur ingredi monaſterium ſi forte invitetur, maneret toto vitæ ſuæ tempore de ſuo ſtatu incertus & anceps. 2. Si vero certam elegit Religionem, non ſatis eſt, ſi unum vel alterum adeat monaſterium ut in eo recipiatur, ſed & plura debet adire, ut in aliquà admittatur; ſi vero ab omnibus repellatur, non tenetur extra Provinciam vel regnum conventum ſibi inquirere, niſi hoc in voto ſuo complexus fuerit, & præſertim ſi attenta conditione perſonæ id illi foret oneroſum valde & incommodum. Quod certe maxime verum eſt in fœminis, quæ adigendæ non ſunt ut remotius Monaſterium a parentibus & conſanguineis nimium diſtans conquirant, ut in eo recipiantur. 3. Qui vero indefinite Religionem vovit, non ſat eſt ſi in una aut altera Religione recipi procuret, ſed debet ad plures Religiones accedere, & ſui admiſſionem efflagitare. Quod ſi ab omnibus repellatur, nec admiſſionem inveniat niſi in aliqua ſeveriore Religione, puta Carthuſianorum, Cappucinorum, vel Minimorum, num illam ingredi teneatur, diſputant Doctores, & plures quidem aperte inficiantur, quia, inquiunt, non eſt præſumendum ad hoc ſe in voto ſuo obſtringere voluiſſe. Verum hoc adeo mihi certum non videtur, nam & 1. indeterminate ſtatum religioſum vovit, nulla facta limitatione, nulla exceptione. 2. Si ſanus eſt, robuſtus, Deoque inſerviendi deſiderio flagrans, & ſuam ſalutem in tuto collocandi ſtudio votum emiſerit, cur votum ſuum hoc pacto implere cum poſſit, non tenebitur? 3. Quod ſi tenellus ſit, & aſperitatibus minus idoneus vel a tali vitæ genere abhorreat, non erit ad ingreſſum cogendus, quia ad illum ſtatum amplectendum minime cenſeretur idoneus. 4. Si vovendo Religionem, Clericalem ſtatum elegit, liber eſt habendus a voto, ſi non niſi ut Laicus recipiatur, quia votum ultra voventis mentem non eſt extendendum. Si vero ita vovit Religionem, ut nec de Clericali, vel Laicali ſtatu decreverit, ratio eſt habenda perſonæ; ſi enim nobilis ſit, doctus, vel litteris imbutus, ingenio pollens, præſumendum eſt Clericalem ſtatum voviſſe; ſi vero rudis ſit, ruſticus, ſine litteris, laicalem ſtatum voluiſſe credendum. Si vero utrique ſtatui aptus ſit, nec ex circumſtantiis dignoſci poſſit quem voluerit ſtatum, ſe debet Religioni offerre, & ejus electioni & decreto ſe ſubmittere. Sed quocumque modo hæc vota emiſſa ſint, numquam voventes ſunt cogendi vel ingredi monaſteria, in quibus regularis eſt diſciplina collapſa, vel militares ordines amplecti, ut ſuperius diximus.

Conſectarium Nonum.

IX. Qui determinate Religionem vovit, non tenetur niſi illam ingredi, & anno probationis experiri num ad illam ſit idoneus. Ita S. Th. 2. 2. q. 189. a. 4. ſcribens: „Si vovens intendit ſe „obligare non ſolum ad ingreſſum religionis, ſed „etiam ad perpetuo remanendum, tenetur perpe„tuo remanere. Si autem intendit ſe obligare „ad ingreſſum cauſa experiendi, cum libertate „remanendi, vel non remanendi, manifeſtum eſt „quod remanere non tenetur. Si vero in voven„do ſimpliciter de ingreſſu religionis cogitavit, „abſque hoc quod cogitaret de libertate exitus, vel „de perpetuitate remanendi, videtur obligari „ad ingreſſum religionis ſecundum formam juris „communis, quæ eſt ut ingredientibus detur an„nus probationis. Unde non tenetur perpetuo „in religione permanere". Non ſatisfacit itaque voto, nec illud implet qui ingreditur animo exeundi, ut docet idem A. P. ad 3. „Ille, qui in„trat ut ſtatim exeat, non videtur ſatisfacere „voto ſuo, quia ipſe in vovendo hoc non inten„dit: & ideo tenetur mutare propoſitum, ut ſaltem „velit experiri, an ei expediat in religione re„manere; non autem tenetur ad perpetuo rema„nendum". Tenetur itaque ſincero animo experiri, num & ipſe ſit ad ſtatum religioſum idoneus, & ſibi congruat in tali ſtatu Deo ſervire. Quod ſi abſque ſua culpa a Religione rejiciatur, a ſuo voto liber manet, nec in aliam Religionem ingreſſum quærere tenetur. Si vero ipſe abſque ulla legitima cauſa, ſed ex mero arbitrio, & libertate uti volens omnibus Novitiis primo anno conceſſa deſerendi Religionem abſcedat, probabilius cenſeo votum non impleviſſe. Quandoquidem votum de Religione ingredienda non materialem corporeumque ingreſſum in religionem importat, ſed & animum permanendi, & in ea profitendi, ſi tyrocinii experientia ſtatum religioſum ſibi convenientem compererit, nullus enim eſt, qui etiam ſine voto religioſum ſtatum complectens hoc in animo non habeat, alioquin ingreſſus in Religionem cum animo etiam ſine cauſa & ex ſola libertate exeundi, de ſe quid otioſum eſt & inutile, proinde ineptum ut ſit materia voti, & talis ingreſſus doloſus foret, & non ad implendum votum, ſed ad illudendum ordinatum: tenetur itaque vovens bona fide ingredi, & poſt ingreſſum moribus religionis ſe accommodare, & niſi juſta interveniente cauſa diſcedere non poteſt. Immo non quæcumque levis cauſa ſufficit ut egredi poſſit, ſed neceſſaria eſt gravis & momentoſa. Hoc enim eſt diſcrimen inter ingredientem ſine voto, & cum voto ingredientem; ille ſi abſque ulla cauſa diſcedit, & ex mera libertate, reus erit venialis levitatis, & ingratitudinis in Deum; at qui tenetur voto, ſi ita diſcedat, reus eſt lethalis culpæ, & non liberatur a voto; & rurſus liber a voto ut etiam ſine culpa veniali exire poſſit, ſatis eſt qualiſcumque rationabilis cauſa, puta quia religioſum ſtatum ſibi oneroſum, & gravem ſentit, quia timet ſe vitam ducturum triſtem, vel ægritudines veretur, & infirmitates ex perſeverantia in religione; at qui voto tenetur, gravioribus ſolum urgentibus cauſis diſcedere poterit expendendis, & penſandis judicio prudentis, cujuſmodi foret ſi gravibus urgeretur ſcrupulis, ſi graviſſi-

mis ſubjiceretur tentationibus, ſi ſalutem corporis attenuari experiretur, & ſimilia. Qui vero non ſolum ingreſſum voviſſet, ſed & perſeverantiam in ſtatu religioſo, diſcedere non poteſt niſi a religione ob impotentiam, & ineptitudinem ad onera religionis, non ex ſua culpa provenientem, dimittatur, & quidem abſolute; ſi enim dimitteretur ob temporaneum impedimentum, cujuſmodi foret ut ſanetur ab aliqua infirmitate, remoto impedimento ad religionem regredi tenebitur. Ita docent Navarrus, Cajetanus, Suarez, Toletus, aliique plures.

Conſectarium Decimum.

X. Qui vovit audire Miſſam quotidie per annum, non tenetur in diebus feſtis duplici Miſſæ intereſſe, niſi vovens ſic ſtatuerit, nam votum de Miſſa quotidiana audienda impletur etiam per auditionem Miſſæ de præcepto, cum importet nullam diem in toto anno ſine Miſſæ auditione eſſe decurrendam.

Conſectarium Undecimum.

XI. Qui vovit jejunium in pane & aqua, ſi modicam vini potionem ſumat, non violat jejunium ſaltem lethaliter, cum detur parvitas materiæ: at falſa eſt & laxa nimis Sporerii, Sanchezii, aliorumque opinio, qui ad voti tranſgreſſionem requirunt, ut tantum vini bibat, quantum vir temperatus ſumere poteſt in prandio, hoc enim pacto ter, vel quatuor vini cyathos ſumere poſſet, quod profecto falſum cuique cordato apparebit. Falſa quoque eſt aliorum Theologorum doctrina, qua dicunt, qui ſemel votum ſuum fregit vinum bibendo, abſque alia culpa poſſe quoties voluerit vinum ſumere, cum voti impletio jam per tranſgreſſionem ſit illi facta impoſſibilis: nam votum jejunandi in pane & acqua præceptum involvit abſtinendi a vino, & aliis cibis per integram diem, toties igitur peccabit quoties hanc abſtinentiam violabit, alioquin ex ſua iniquitate lucrum reportaret.

De voto conditionali.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Votum conditionale adimpleta conditione abſolutum evadit, & pari modo obligat ac ſi abſolutum fuiſſet; cum enim ut tale ſit ſolum a conditionis impletione pendeat, ea adimpleta in abſolutum tranſit, ideoque nec novus requiritur conſenſus, nec nova intentio, ut pariat obligationem. Hinc qui in naufragio, in infirmitate, in periculo aliquo vovit jejunium, orationes, eleemoſynas, ſi ab illo eripiatur, obtenta liberatione ad vota implenda ſtatim adſtringitur.

De voto pœnali.

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Qui duplex votum emiſit, puta non ludendi, & ſi ludat, votum pœnale addit jejunandi in pane & aqua, ſi aliquo modo liberetur a priori voto, etiam a ſecundo liber evadit, quia deficiente principali, etiam deficit acceſſorium; & hæc duo vota ita reputantur connexa, ut ſecundum omnino pendeat a priori; & revera ſi ſecundum votum eſt pęnale, locum habere non poteſt niſi poſita culpa; porro ex obtenta diſpenſatione nulla eſt in ludendo amplius culpa, ergo nec locum habet pęna: quod verum eſt, licet fortaſſis primum votum ſit de abſtinendo a re mala, quia adhuc pęna illi debetur, non quatenus eſt ex præcepto vetita, ſed ut voto obnoxia, & pęna adjecta eſt voluntaria ex voto, non neceſſaria ex lege, vel præcepto. Dubitant vero Theologi, num ad obtinendam principalioris voti diſpenſationem ſit poſterius etiam pęnale votum illi adjunctum manifeſtandum: negant cum Salmanticenſibus plerique, quia, inquiunt, circumſtantia pęnalis voti adjecti materiam principalioris voti non reddit illuſtriorem, ut quando quis vovit Romam adire nudis pedibus, & ſacco indutus, tunc enim cum hæ circumſtantiæ reddant peregrinationem illuſtriorem, & notabiliorem, ſunt in petenda diſpenſatione aperiendæ; verum probabilius cenſeo, utrumque votum eſſe ſuperiori aperiendum, quia licet poſterius votum prius votum non reddat illuſtrius & notabilius ex parte materiæ, reddit tamen illud tale ex parte conſtantiæ & firmitatis in re promiſſa ex parte voluntatis voventis: quare ut ſuperior prudens valeat efformare judicium, utrumque votum eſt exponendum. Quid vero ſi ante diſpenſationem tranſgreſſus ſit votum, diſpenſatus a voto intelligitur ne etiam abſolutus a pęna propter tranſgreſſionem luenda? Minime, ſed hæc vel eſt luenda, vel peculiaris eſt petenda diſpenſatio; nam per tranſgreſſionem voti jam pęna de ſe ſubſiſtit, nec tollitur per ſubſequentem voti diſpenſationem.

De voto ex errore & metu elicito.

Conſectarium Quartumdecimum.

XIV. Qui Religionem Carthuſianorum, vel Monachorum ingredi vovet, erronee putans, licere in eis carnibus veſci, num teneatur voto, diſputant Theologi. Salmanticenſes, alique putant hunc errorem pertinere ad ſubſtantiam rei, & abſtinentiam a carnibus eſſe in præfatis Ordinibus ſubſtantialem, proinde nullum eſſe votum. E contra alii ſuſtinent, errorem ſolum verſari circa accidentia, cum abſtinentia a carnibus non ſit tanti momenti, nec adeo gravis, præcipue ſi cum tribus votis comparetur, ut ad ipſam profeſſionis ſubſtantiam pertineat; eapropter votum non infirmari ex tali errore dicendum ſit. Ipſe vero puto diſtinguendum inter

ter Ordinem & Ordinem, & inter hujus abſtinentiæ modum. In Ordinibus Monachorum, ſicut & in Ordinibus Prædicatorum & Carmelitarum 1. ita abſtinentia a carnibus indicitur, ut tamen nec ſub lethali peccato obligeto, ſed vel ſolum ſub veniali, vel ſub pęna. 2. Superioribus eſt conceſſa poteſtas in hac abſtinentia diſpenſandi quotieſcumque conveniens judicaverint. 3. In infirmitate non tenentur Religioſi abſtinere a carnibus, quibus licite veſci poſſunt, proinde in hiſce Ordinibus non cenſerem, hanc abſtinentiam ad ſubſtantialia profeſſionis pertinere, præcipue comparate ad tria vota & cætera Religionis onera, ſed ad accidentalia; adeoque votum ex tali errore emiſſum irritum non eſſe, ſed validum. E contra vero in Ordine Carthuſianorum, cum abſtinentia a carnibus ſub mortali præcipiatur, & Superiores nullam habeant in ea diſpenſandi facultatem, cum nec in infirmitate, immo nec in mortis periculo ob ægritudinem poſſunt Religioſi carnibus uti, cenſerem ad ſubſtantialia Religionis pertinere, cum revera tam rigida abſtinentia ſit quid ſingulare in Ordine Carthuſianorum, ac propterea voventem ex errore ingreſſum in eum Ordinem, erronee putans inibi veſci carnibus licere, voto non teneri. Idem etiam dicerem de vovente ingredi Religionem Minimorum ex eodem errore, in qua abſtinentia a carnibus eſt conjuncta cum onere uténdi cibis quadrageſimalibus, & hoc etiam ex voto, unde quartum ſit ſubſtantiale hujus Religionis votum: porro nullus eſt qui ambigat, vota ad ſubſtantialia Religionis pertinere.

CAPUT OCTAVUM.

De iis, qui a vovendo quoquomodo impediuntur.

DOCTRINA.

I. *Voti emittendi incapaces ſunt, qui uſu carent rationis.*

II. *Et qui ſuarum actionum vel rerum dominio carent.*

III. *Num religioſi valide & licite vovere poſſint.*

IV. *Vovere non poſſunt quæ a Superioribus vetita ſunt, vel vetatur ne ſine licentia fiant.*

V. *Num Filii familias, Pupilli, Uxores vovere prohibeantur.*

I. CUM ad valorem voti neceſſaria ſit in vovente cognitio tum rei quam vovit, tum ipſius voti quod elicit; hinc vovendi incapaces ſunt jure naturæ amentes, furioſi, ebrii, dormientes, & pueri ante ſeptennium, quia in his omnibus deeſt cognitio, vel deeſſe præſumitur, ut in pueris ante ſeptennium, qui tamen, ſi vel malitia ita ſuppleat ætatem, ut lethalis peccati capaces ſint, vel gratia ita præveniat, ut voti indolem cognoſcant, ut contigit in pluribus ſanctis viris & fœminis, ad vovendum idonei cenſendi ſunt.

II. Item cum ad vovendum requiratur in ſubjecto poteſtas ſive dominium rerum, vel actionum, quæ voto ſuo Deo offert, vovendo repelluntur qui nullum habent ſive rerum, ſive ſuorum actuum dominium. Qui vero aliqua pollent facultate ſive in actus ſuos, ſive in res, ſed a Superioris nutu pendente & voluntate, a vovendo omnino inepti non ſunt, ſed eorum vota infirma fiunt, & a Superioris voluntate, ſive in emiſſione, ſive in executione pendent; & de his præcipue hic diſſerendum ſumimus.

III. Et primo quidem occurrunt Religioſi, & hi quidem de re licita, quæ nec regulari adverſetur diſciplinæ, nec Superioris obſit juriſdictioni, etiam non petita venia, valide & licite vovere poſſunt; cujuſmodi ſunt vota aliquo die jejunandi, recitandi nonnullas preces, & ſimilia. Huic aſſertioni noſtræ plures quidem, & magni nominis adverſantur Theologi, qui putant hujuſmodi vota ſine Superioris ſcientia, & voluntate elicita invalida eſſe habenda: & quidem primo auctoritatem allegant S. D. 2. 2. q. 88. a. 8. ad 3. docentis: „ Religioſus ſubditus eſt Prælato quantum ad ſuas operationes ſecundum profeſſionem regulæ. Et ideo etiamſi aliquis ad horam aliquid facere poſſit, quando ad alia non occupatur a Prælato; quia tamen nullum tempus eſt exceptum, in quo Prælatus non poſſit eum circa aliquid occupare, nullum votum Religioſi eſt firmum, niſi ſit de conſenſu Prælati “: & confirmant ratione, nam Regulares non ſolum ſubduntur prælatis ſuis, ratione materiæ, quam voto Deo offerunt, ſed ratione ipſius voluntatis, qua vovent, quæ ſuperiori jam eſt obnoxia voto obedientiæ, vi cujus proprium nolle aut velle habere omnino non poſſunt. Verum noſtra aſſertio a pluribus & inſignioribus Theologis, inter quos Jo. a S. Tho. Sayrus, Suarezius, Azorius, Salmanticenſes, tamquam probabilior defenditur; nam revera laudata Religioſorum vota & bona de ſe ſunt & honeſta, nec ullo meliori bono adverſantur, ſed & Religioſo ſtatui ſunt convenientia, & ad perfectionem cui anhelare debent conducentia; invalida igitur non ſunt pronuncianda. Voto vero obedientiæ ita ſubditorum voluntates Prælato ſubduntur, ut nec Deo aliquid promittere valeant, quod putent Superiori poſſe diſplicere, nec contra illorum voluntatem: porro in præfatis votis & nihil eſt, vel adeſſe ſupponimus, quod gratum Prælato non ſit, nec ejus voluntati adverſum, ergo validum erit votum; ſive ad ſummum id ex obedientiæ voto ſequetur, vota Religioſorum firma non eſſe & ſtabilia ſine Superioris approbatione, & confirmatione, non vero quod invalida ſint & nulla: donec itaque Superiori innotuerint, & ab ipſo non fuerint in irritum revocata, valida erunt, & ea poterit & tenebitur Religioſus obſervare. Et hoc eſt, quod revera docet S. Th. loc. cit. nimirum hujuſmodi vota non invalida, non irrita, non nulla, ſed *firma* non eſſe niſi de Prælati conſenſu, ut ipſe declarat in reſp. ad 1. ſcribens: „ Non poteſt ſalvari ratio voti, cum quis in poteſtate alterius conſtitutus vovet id, quod eſt in poteſtate alterius, niſi ſub conditione, ſi ille ad cujus poteſtatem pertinet, non contradi-

 „ cat-

„ cat “. Quæ profecto conditio jam de ſe votis omnibus religioſorum adnexa merito præſumitur. Hinc probabilius aſſerendum, ea vota valida eſſe: quod certe veriſſimum puto de votis ad actus mere internos fidei, ſpei, caritatis, patientiæ, mortificationis ſpectantibus.

IV. Religioſi ſi ea vovere velint, quæ vel a ſuperiore prohibita ſunt, vel ſaltem vetitum ne ſine licentia fiant, tenentur ex vi voti obedientiæ licentiam petere, alioquin votum eſſet de re illicita. Si vero ignorantes rem vetitam voverunt, vel poſt votum prohibeatur, ceſſat in utroque caſu voti obligatio, quamdiu durat prohibitio; nam ſi hæc ceſſet, quia vel Superior qui vetuit removetur, vel vovens ad aliud transfertur Monaſterium, in quo res minime vetita eſt, vel denique elapſum eſt tempus, ad quod prohibitio ſe extendebat, tunc redit voti onus, cum ſolum exiſtens prohibitio obligationem ſuſpendat, ea vero ceſſante ceſſat & obligationis ſuſpenſio.

V. Quod de Religioſis diximus, idem &, ſervata proportione, dicendum de filiis familias reſpectu parentum, de pupillis reſpectu tutorum, de uxoribus reſpectu maritorum, de ſervis reſpectu dominorum; immo nec Epiſcopi, nec Clerici beneficiarii, nec non Abbates, & Prælati Religionum vota nuncupare nequeunt, quæ præjudicium afferant eorum Eccleſiæ, ſtatui, officio, & muneri ſine licentia Papæ, Epiſcopi, ſuorumque Superiorum, de quibus omnibus hanc auream conſtituit regulam D. Ang. l. l. a. 8. „ Nullus poteſt per promiſſionem ſe firmiter obligare „ ad id, quod eſt in poteſtate alterius, ſed ſolum ad id, quod eſt omnino in ſua poteſtate. „ Quicumque autem eſt ſubditus alicui, quantum „ ad id in quo eſt ſubjectus, non eſt ſuæ poteſtatis facere quod vult, ſed dependet ex voluntate alterius. Et ideo non poteſt ſe per votum firmiter obligare in his, in quibus alteri „ ſubjicitur, ſine conſenſu ſui Superioris “. Sed de his fuſior redibit ſermo, ubi de votorum irritatione diſputabimus cap. 12.

CAPUT NONUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Religioſi num aliquas eleemoſynas vovere poſſint.*
II. *Quas eleemoſynas vovere poſſint filii familias, & pupilli.*
III. *A quibus votis impediantur Epiſcopi.*
IV. *Num Parochi ingreſſum in Religionem vovere poſſint etiam ſine licentia Epiſcopi.*

Conſectarium Primum.

I. RELIGIOSI de licentia ſuorum Prælatorum votum emittere poſſunt aliquas eleemoſynas pauperibus erogandi. Diſſentit P. Concina, verum ejus argumenta non mihi videntur adeo luculenta, ut noſtræ aſſertioni adimant probabilioritatem. Nam vel ſermo eſt de Religioſis, qui in perfecta vivunt communitate, & victum, & veſtitum, & cætera ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria accipiunt de communi penu, & iſti cum nihil habeant pecuniæ, eleemoſynas quidem facere nequeunt, aut vovere ex deficientia materiæ. Verum ſi quis ex his religioſis ad pauperem aliquem ſuſtentandum ſe aliqua ſui victus portione privare velit, quare id non poterit præſtare de licentia Superioris? Si Religioſo quædam donentur ab amicis & benefactoribus, quæ ipſi ex licentia Superiorum cedunt in uſum, cur nequibit concedente Superiore illis ſe privare, ut eleemoſynas eroget? Novi ego, qui, ſumma Dei miſericordia, ubi viget perfecta communitas, vivo, optimos piiſſimoſque Religioſos, qui cum munuſcula reciperent ſive cafeti, ſive cocholatæ, quæ illi a Superiore in uſum permittebantur, accepta ab ipſis Superioribus venia, vendenda tradebant communi Syndaco, & pretium inde acceptum pauperum ſuſtentationi elargiebantur. Quis violatæ paupertatis damnabit vel hoſce Religioſos has eleemoſynas facientes, vel Superiores veniam illis concedentes? Novi & alium Religioſum tanta erga pauperes miſericordia a Deo donatum, ut pane & pulmento contentus, obſonium omne de licentia Superioris pauperibus diſtribuendum Janitori tradebat, & ſi quando Superior, vel ne nimia abſtinentia debilitaretur, vel ut ejus obedientiam probaret, veniam denegabat, obediebat promptiſſime, at vultus mœſtitia & lacrymis internum dolorem ob denegatam licentiam oſtendebat, & a Superiore ſummis precibus flagitabat, ut iterum ablata concederetur venia, qua obtenta hilaris, & gaudens ad conſuetam revertebatur abſtinentiam, ut per eam locus eſſet pauperum miſericordiæ. Si igitur iſti poſſunt de Superioris licentia ſuas eleemoſynas erogare, cur & vovere non poterunt? Si igitur Religioſus aliquis Deo voveat ab uſu cafeti, cocholatæ, & hujuſmodi deliciarum abſtinere, & ſi quæ illi donata in uſum a Superiore concedantur, illis quoque ſe privare, & eorum pretium pauperibus erogare, quid erit in hoc voto, quod Deo diſplicere poterit? Plura immo video Deo gratiſſima, ſtudium mortificationis, amor paupertatis, pietas erga Deum, miſericordia in pauperes: pium ergo, & licitum habeo hujuſmodi votum, & optandum, ut Religioſi omnes ſin ex voto, ſaltem ex pietate ita ſe gererent, nam exularent deliciæ illæ, quæ licet aliquando ſenibus, debilibus, infirmis permitti potius quam concedi poſſunt, communiter tamen Religioſorum ſtatum, qui oſtiatim panem etiam a pauperibus familiis emendicant, decere non videntur. Si vero ſermo ſit de Religioſis, qui in Conventibus degunt, ubi perfecta non viget communitas, unde omnia non de communi ſuppeditantur, ſed aliqua debent ſibi Religioſi procurare, fateor & ego, iſtos totum id, quod eorum victui, & veſtitui, ceteriſque neceſſariis indigentiis ſupereſt, teneri in communi conferre; verum ſi & iſti aliqua velint ſibi ſubtrahere, quæ licite poſſent in ſuum uſum convertere, ut de licentia Superioris pauperibus diſtribuant, non eos violatæ paupertatis damnarem. De communibus vero bonis eleemoſynam facere, ſicut nulli privato conceditur Religioſo,

ſo, niſi bonorum communium habeat adminiſtrationem, ita nec votum de hujuſmodi eleemoſynis facere poteſt; ſponderet enim Deo quod non eſt in ejus poteſtate poſitum, immo ſibi illicitum. Recolantur quæ diximus Tract. 4. de Virt. Theolog. cap. 15. n. 14.

Conſectarium Secundum.

II. Uxores, filii familias, pupilli eas eleemoſynas vovere poſſunt, quas elargiri juxta eorum ſtatum & conditionem eis conceditur. Cum de eleemoſyna diſputantes oſtenderimus, præfatis licere aliquando eleemoſynas dare, palam eſt, & iiſdem licere de licitis eleemoſynis vovere; tunc enim votum eſſet de re bona, & de meliori bono, proinde ibidem dicta recolantur. Verum quidem eſt, eorum vota infirma eſſe, quia a Superioribus irritari poſſunt; ſed quando & quibus in caſibus, dicemus infra, ubi de votorum irritatione ſermo erit.

Conſectarium Tertium.

III. Epiſcopi ſine Summi Pontificis venia nec abdicationem ab Epiſcopatu, nec ingreſſum in Religionem, nec diuturnam peregrinationem vovere poſſunt. Ratio eſt manifeſta, quia hujuſmodi abdicatio pluribus canonibus eſt ipſis interdicta, immo eorum dignitati, & ſtatui adverſa, quippe qui perpetua importat cum ſua Eccleſia ſpiritualia ſponſalia, ut optime obſervat D. Th. 2. 2. q. 189. a. 7. ſcribens: *Presbyteri autem curati, & Archidiaconi non obligantur voto perpetuo, & ſolemni ad curam animarum retinendam, ſicut ad hoc obligantur Epiſcopi. Unde Epiſcopi præſulatum non poſſunt deſerere quacumque occaſione, abſque auctoritate Romani Pontificis, ut habetur extra de reg. & tranſeuntibus ad relig. cap.* Licet. Propterea ſi votum emitteretur inconſulto Summo Pontifice, invalidum eſſet, quia de re illicita. Sicut vero Summus Pontifex juſta de cauſa Epiſcopatus abdicationem, & renunciationem recipere poteſt, ita & veniam concedere votum emittendi de hujuſmodi abdicatione & receſſu in Religionem. Quoad peregrinationem vero idem aſſerimus, quia reſidentia in Epiſcopatu eſt juris divini ac naturalis, cui longa peregrinatio adverſatur, cum a reſidentia Paſtorem abſtrahat, & a ſuo divellat ovili. Si vero brevis ita ſit, ut ſpatium illud non excedat, quo licite poſſunt Epiſcopi a ſuis Eccleſiis abeſſe, validum foret votum etiam ſine Pontificis licentia. Num vero longam peregrinationem quandoque concedere Epiſcopis poſſit Summus Pontifex, ad ipſum pertinebit judicare, inſpectis urgentiſſima cauſa, Dei honore, & communi bono Eccleſiæ.

Conſectarium Quartum.

IV. Parochis, ceteriſque beneficiatis ſive Preſbyteris ſervitio alicujus Eccleſiæ addictis vovere ingreſſum in Religionem licitum eſt, etiam inconſulto Epiſcopo. Ita docet S. Th. lo. ſup. laud. ſcribens: *Archidiaconi autem, & presbyteri curati poſſunt libere abrenuntiare Epiſcopo curam eis commiſſam, abſque ſpeciali licentia Papæ qui ſolus poteſt in votis perpetuis diſpenſare. Unde manifeſtum eſt, quod Archidiaconis & Presbyteris curatis licet ad Religionem tranſire*: & in reſp. ad 1. dicit: *Presbyteri curati, & Archidiaconi obligaverunt ſe ad curam agendam ſubditorum, quamdiu retinent Archidiaconatum, vel Parochiam; non autem obligaverunt ſe ad hoc, quod perpetuo Archidiaconatum, vel parochiam teneant.* Conſentit & S. Antoninus in ſum. part. 3. tit. 16. cap. 2. §. 2. addens etiam *Archidiaconis*, *Presbyteris*, *Curatis* licere ad Religionem tranſire, etiam Epiſcopo contradicente. Si igitur ingredi Religionem poſſunt, poſſunt etiam ingreſſum vovere. Optime tamen docet ſapientiſſimus Pontifex Benedictus XIV. in ſua Bulla *Ex quo*, Bull. T. 2. n. 25. quod *Presbyter Eccleſiæ regimen aut miniſterium dimiſſurus, ante omnia debet Epiſcopo conſilium ſuum ejuſque capiendi rationes, quantum eorum natura fert, aperire. In quo non tam officio & honeſtati, quam naturalis legis præcepto ſatisfaciet.*

CAPUT DECIMUM.

De voti ceſſatione per deficientiam cauſæ, & rei mutationem.

DOCTRINA.

I. *Quot modis vota ceſſare poſſint.*
II. *Voti duplex cauſa finalis.*
III. *Quomodo ceſſante cauſa finali proxima ceſſet votum.*
IV. *Non ceſſat vero ceſſante cauſa finali remota & alliciente.*
V. *Si cauſa finalis proxima & movens ceſſet ex culpa voventis, num voto teneatur.*
VI. *Quando ceſſat votum materiæ notabili mutatione.*

I. PRæter perfectam voti impletionem, qua voto finis imponitur, pluribus modis vota ceſſare poſſunt, nimirum ſi ceſſet cauſa & finis voti, ſi materia impoſſibilis fiat, vel phyſice, vel moraliter, denique ſi res notabiliter mutetur. Et quoad ceſſationem cauſæ, ſeu finis

II. Cum in qualibet humana actione aliqua ſit finalis cauſa ad agendum impellens, ita & in voto aliquis ſemper occurrit finis vel cauſa, qua vovens impellitur ad aliquid Deo promittendum. Porro hæc cauſa alia eſt ita movens & impellens ad votum, ut ea deficiente non fuiſſet emiſſum votum, alia vero mere alliciens, quæ alteri adjecta cauſæ magis trahit ad votum, ſine qua nihilominus adhuc emiſſum fuiſſet votum. Prioris exemplum eſt in illo, qui vovet peregrinationem ut Pater æger convaleſcat, ubi tota cauſa & finis voti, ut apparet manifeſte, eſt ſanitas & vita Patris; alterius exemplum in illo, qui vovet eleemoſynam pro recuperata Patris ſanitate dandam Petro pauperi, bono, & amico: hic finis primarius movens ad eleemoſynam eſt gratiarum

tiarum actio pro beneficio accepto, finis alliciens eſt paupertas Petri, ejus probitas & amicitia, qua etiam deficiente adhuc vigeret votum; cum jam in ipſa gratitudine cauſam habeat, & finem.

III. Si itaque cauſa finalis proxima ceſſet, ceſſat omnino & votum. Ratio eſt, quia ceſſante cauſa ceſſat effectus; ceſſante fine adæquato legis ceſſat & lex. Et licet in humanis legibus ceſſante etiam reſpectu unius vel alterius fine adæquato legis non ceſſat lex, ut ſuperius in Tract. de Legibus diximus; id oritur eo quia lex eſt communis regula, quæ non ad hoc vel illud peculiare determinatur ſubjectum; non idem tamen dicendum de voto, quod eſt lex particularis, proinde ceſſante fine, omnino ceſſat lex & votum. Et revera non ſubſiſtente materia a vovente promiſſa, prout promiſſa eſt, ceſſat votum, quod nunquam ultra intentionem voventis extenditur: porro deficiente fine movente, & adæquato ceſſat & materia voti, quæ non abſolute vovetur, ſed prout ordinatur ad finem, ergo ceſſet & votum oportet. Voviſti eleemoſynam ad redimendum captivum, qui vel fugit, vel mortuus eſt, voto liberaris. Voviſti non ingredi domum, in qua mulier morabatur, quæ tibi ſpiritualis ruinæ occaſionem præbebat, ea diſcedente vel mortua potes ingredi, & ſimilia.

IV. E contra vero ſi cauſa finalis non ſit nec principalis, nec movens, ſed mere alliciens, ea ceſſante non ceſſat votum, cum adhuc materia voti ſit in ſe volita, & ad alium finem ordinata; ut cum quis vovit ad honorem Virginis puellam pauperem dotare, & hanc eligit ſibi notam ob probitatem, & modeſtiam, ſi puella moriatur, vel nolit nubere, adhuc voto tenetur, quia probitas & modeſtia puellæ non eſt cauſa impellens ad votum, ſed alliciens, & adhuc votum ſubſiſtit in voluntate dotandi puellam ad honorem Virginis Deiparæ. Hinc ſi plures ſint cauſæ finales motivæ & impellentes, vel una, ſed diviſibilis in partes, ſi unus ceſſet finis, vel ſecundum unam partem, ſolum ſecundum illum obligatio voti ceſſabit, integra tamen ſemper manente quoad aliam partem, vel finem, qui perdurat, niſi forte vovens omnes partes, vel omnes fines copulative voluerit; ſicut etiam ſi finis, & cauſa non omnino, ſed per aliquod tempus ceſſet, pari modo ſuſpenditur voti obligatio, donec reviviſcente cauſa, & fine, & ipſa reviviſcat obligatio voti. Quod ſi dubium ſuboriatur, num finis & cauſa fuerit vere motiva principalis, & impellens, vel ſolum ſecundaria, & alliciens, tunc urgebit votum, quia in dubiis tutior pars ſemper eſt eligenda.

V. Quod ſi cauſa finalis præcipua, & movens ceſſet, ſed ob culpam & malitiam voventis, adhuc tamen ceſſare votum dicendum eſt, quia ceſſat materia voti, ceſſat finis proximus ejus, proinde corruit votum. Voviſti ſolvere æs alienum alicujus pauperis ob id in carcere detenti, ut eum ab ergaſtulo eripias, differs de die in diem, interim carcere detentus moritur, non teneris amplius voto, quia ceſſat materia voti & finis, ſcilicet ſolutio æris alieni, & liberatio captivi. Sunt qui inficiantur, quia, inquiunt, fuit ejus mora culpabilis, & lucrum non debet ex ſua iniquitate reportare. Non abnuo, & ad votum implendum abſtringerem, ut ſuperius dixi de eo, qui ex culpa in voto conditionato, ne conditio ponatur impedit, ſi adhuc ſubſiſteret materia voti, & finis movens; at hic materia, nec finis voti ſubſiſtunt; non materia, nimirum æs alienum, quia hujus ſolutio non fuit abſolute volita, & voto promiſſa, ſed ut medium ad captivi liberationem, non finis, nempe ipſa ſolutio a vinculis, quæ jam facta eſt impoſſibilis; utile autem quod ex culpa reportat, per accidens cum culpa conjungitur, non enim a culpa beneficium reportat, ſed quia ceſſat votum, ſicut contingit in illo, qui in quadrageſima ex culpa non jejunavit, non enim tenetur poſt Paſcha quadraginta diebus jejunare, ne lucrum ex iniquitate reportet, ſed a jejunio liber eſt, quia ceſſavit lex & præceptum jejunii. Ita docent Salmanticenſes, Navarrus, aliique ab ipſis laudati.

VI. Ceſſat etiam votum materiæ notabili mutatione, ut ex D. Th. ſuperius Diſſert. 1. cap. 13. diximus, cum de promiſſorio juramento diſputavimus. Solum hic addendum cenſeo, non ceſſare votum, nec mutatam notabiliter materiam dici, ſi in voti impletione hujuſmodi emergant difficultates, quæ ſi fuiſſent præſcitæ, a voto abſterruiſſent, quandoquidem rara admodum ſunt, non dicam vota, ſed & contractus & promiſſiones, in quorum impletione graves non emergant difficultates, quæ profecto prævisæ a contractu, & promiſſione avocaſſent, quæ tamen ratæ ſunt habendæ, firmæ, & ſtabiles; eo vel maxime, quod ſæpe ſæpius in vovendo mens ad difficultates in voti executione ſuperandas non attendit, quas poſtea in implendo experitur, quæ tamen cum materiam immutatam relinquant, & ſolum ex parte voventis ſe teneant, qui voto gravatur, ab ejus non liberant impletione. Neceſſe itaque eſt, ut mutatio ipſam voti materiam ita afficiat, ut eam reddat admodum gravem, & notabilem, quam ſi vovens præſciviſſet, votum non emiſiſſet. Sic qui vovit in Xenodochio pauperibus inſervire, ſi forte peſtis inibi graſſetur, onere in ſervitio perſeverandi cum vitæ manifeſto diſcrimine non tenetur, quia ſervitus voto promiſſa ita mutatur, & graviſſima fit, & adeo periculoſa, ut ſi eam prævidiſſet, profecto non voviſſet; hinc qui vovent infirmis inſervire, vel miniſtrare ex Religionis inſtituto, in voto ſuo declarant velle ſe obſtrictos hujuſmodi miniſterio, etiam graſſante peſtilentia.

CAPUT UNDECIMUM.

De votorum irritatione.

DOCTRINA.

I. *Quid ſit irritatio.*
II. *Doctrina S. Th. de votorum irritatione.*
III. *Quibus facultas competat vota irritandi.*
IV. *Num a jure naturæ, vel poſitivo oriatur.*

V.

V. *Ad validam votorum irritationem nulla requiritur cauſa; at aliqua ad licitam.*
VI. *Parentes impuberum filiorum vota omnia irritare poſſunt.*
VII. *Puberum vero perſonalia vota quando poſſint irritari.*
VIII. *Realia etiam irritari poſſunt a Parentibus.*
IX. *Tutorum, & Curatorum poteſtas irritandi vota.*
X. *Quænam uxoris vota a Marito irritari poſſint.*
XI. *Domini quando ſervorum vota in irritum revocare valeant.*
XII. *Prælati regulares num omnia vota Religioſorum poſſint irritare.*

I. TOllitur voti onus & obligatio irritatione, quæ a Theologis definitur: *Actio Superioris, qua declarat ſe contradicere, & tollere, quantum in ſe eſt, votum a ſubdito emiſſum, vel annullatio obligationis ex beneplacito voluntatis Superioris.* Quæ binæ definitiones optime conveniunt; prima enim directam indicat irritationem, quæ habetur per actum poteſtatem habentis, qua vinculum voti ita ſolvitur, ut nullam amplius inducat obligationem. Altera vero indirectam explicat irritationem, quæ materiam voto promiſſam reſpicit alterius juriſdictioni ſubjectam, quam Superior prohibere poteſt; & quamdiu durat hujuſmodi interdictum, voti ſuſpenditur obligatio, quæ reviviſcit ceſſante vel ſublata prohibitione.

II. Quoad vero hanc poteſtatem vota irritandi præ oculis eſt ſemper habenda S. Th. doctrina 2. 2. q. 104. a. 5. ubi hæc habet: *In his, quæ pertinent ad diſpoſitionem actuum, & rerum humanarum, tenetur ſubditus ſuo Superiori obedire ſecundum rationem ſuperioritatis; ſicut miles duci exercitus in his, quæ pertinent ad bellum; ſervus domino in his, quæ pertinent ad ſervilia opera exequenda; filius patri in his, quæ pertinent ad diſciplinam vitæ, & curam domeſticam; & ſic de aliis.* Ex qua S. D. doctrina aperte colligitur, ea ſola vota a Superioribus poſſe in irritum revocari, quæ impediunt, vel adverſantur officiis a ſubditis Superiori ſuo præſtandis, & juxta quam explicanda ſunt alia S. Th. teſtimonia, quæ ampliorem poteſtatem videntur Superioribus tribuere, ut marito reſpectu uxoris, & dominis reſpectu ſervorum.

III. Nonnulla de irritatione ſuperius diximus, cum de juramentis diſputavimus, at hic plura ſunt addenda. Et primo quidem, cum facultas irritandi vota in poteſtate dominante radicem habeat, hi ſolum valent vota irritare, qui tali gaudent poteſtate, non vero qui ſola pollent vel juriſdictionis vel directionis facultate: Sic Epiſcopi Monialium ſibi ſubjectarum vota irritare poſſunt, quippe quæ ejus dominanti ſubjaceant poteſtati, non vero clericorum, multoque minus laicorum, in quos nonniſi juriſdictionis exercent poteſtatem. Poſſunt itaque vota irritare parentes filiorum, tutores & curatores pupillorum & minorum, mariti uxorum, domini ſervorum, & Prælati regulares ſuorum ſubditorum, cum hi omnes ut in ſibi ſubjectos dominativa polleant poteſtate.

IV. Hæc vero poteſtas vota irritandi num a poſitivo vel naturali jure deſcendat, digladiantur Theologi. A naturali jure eam repetit D. Th. 2. 2. q. 189. a. 5. ſcribens: *Quia pueri, vel puellæ infra pubertatis annos naturaliter ſunt in poteſtate patris quantum ad diſpoſitionem ſuæ vitæ, poterit pater votum eorum revocare vel acceptare, ſi ſibi placuerit:* & ibid. q. 88. a. 8. in corpore idem ratione confirmat dicens: *Quicumque eſt ſubjectus alicui, quantum ad id in quo eſt ſubjectus, non eſt ſuæ poteſtatis facere quod vult, ſed dependet ex voluntate alterius. Et ideo non poteſt ſe per votum firmiter obligare in his, in quibus alteri ſubjicitur, ſine conſenſu ſui Superioris.* Et in reſp. ad 1. idem repetit atque confirmat ſubdens: *Sub promiſſione Deo facta non cadit niſi quod eſt virtuoſum. Eſt autem contra virtutem ut id quod eſt alterius, homo offerat Deo. Et ideo non poteſt omnino ſalvari ratio voti, cum quis in poteſtate alterius conſtitutus vovet id, quod eſt in poteſtate alterius, niſi ſub conditione, ſi ille, ad cujus poteſtatem pertinet, non contradicat.* Ex quibus teſtimoniis patet, D. A. totam poteſtatem irritandi vota deſumere ex poteſtate quæ jure naturali & divino competit Patri, & Superioribus poteſtatem dominativam habentibus in ſibi ſubjectos. Et licet fortaſſis hæc dominativa poteſtas a ſolo poſitivo jure in aliquibus ſit inducta, ut patet in poteſtate domini in ſervos, & Superiorum regularium in ſuos religioſos, adhuc tamen, ea poſita, jus naturale conſurgit, inducens unius ad alterum ſubjectionem; unde licet ſervitus jure gentium, & regularis ſubjectio jure eccleſiaſtico ſit invecta, jure tamen naturali & ſervus ſubjicitur Domino, & Regularis ſuo Prælato. Ita docent nobiliores Theologi Cajet. Soto, Suarezius, Salmant. aliique.

V. Hinc ſponte conſequitur, ad validam votorum irritationem nullam prærequiri in irritante cauſam, cum tota validæ irritationis cauſa ſit ipſa Superioris dominativa poteſtas ſive in perſonam, ſive in ejus opera, vel res ſibi ſubjectas. Immo nec ad licitam ullam prærequiri cauſam cenſent S. Antoninus, aliique clariores Theologi Navarrus Tolet. Azor. Palud. Cajet. quia, inquiunt, ſubditorum vota hanc tacitam ſemper ſecum afferunt conditionem, *ſi Superiori placuerit*; quis autem non perſpicit Superiorem nullo jure cogi ad aſſenſum ſuum præſtandum, & poſſe etiam pro libitu ſuo denegare, & ſic votum irritum reddere? Ita quidem ſi res ſecundum civile jus ſpectetur, at non ita, ſi ad illud generale naturæ principium revocetur, neminem debere poteſtate ſibi conceſſa ſine legitima cauſa uti, præſertim cum agatur de Dei gloria impedienda; cum itaque per irritationem voti Dei gloria impediatur, quippe qui voto colitur, aliqua cauſa ſubſit oportet, ut nedum valida, ſed & licita ſit irritatio; quare ſi nulla occurrat ratio (levis enim ſufficere poterit) irritandi, ſed ſolum ex cæca & temeraria procedat Superioris voluntate, a veniali peccato immunes non erunt & Superior votum irritans, & ſubditus irritationem poſtulans.

lans. Poteſt tamen Superior & ex ſua poteſtate & juſta de cauſa, etiam reluctantibus ſubditis, eorum vota in irritum revocare, cum ipſe in ſuæ poteſtatis exercitio a ſubditorum conſenſu non pendeat, & iſti teneantur legitimæ Superioris poteſtati ſe ſubmittere.

VI. Omnia impuberum vota patria poteſtate in irritum revocari poſſunt. Ita aperte D. Th. ſuper. laud. q. 88. a. 9. ubi hæc habet: „ Eſt ergo „ dicendum, quod ſi puer, vel puella ante pu„ bertatis annos nondum habeat uſum rationis, „ nullo modo poteſt ad aliquid ſe voto obligare. „ Si vero ante pubertatis annos attingit uſum „ rationis, poteſt quidem (quantum in ipſo eſt) „ ſe obligare, ſed votum ejus poteſt irritari per „ parentes, quorum curæ remanet adhuc ſubje„ ctus ". In qua univerſali doctrina omnia complectitur D. Th. impuberum vota ſive realia, ſive perſonalia, ſive mixta, immo & ipſum religionis votum, quia licet fieri poſſit, ut tanto polleant impuberes lumine rationis, ut valida vota emittere poſſint, nihilo tamen ſecius ſemper ob imbecillitatem ætatis neceſſe habent aliena dirigi voluntate, & paternæ ſubjici poteſtati.

VII. Dum vero filii ſunt pubertatem aſſecuti, parentes nonniſi ea ipſorum vota valent in irritum revocare, quæ domeſticum regimen interturbare apta ſunt. Ita S. Th. qui laud. quæſt. a. 8. ad 2. ſic docet: „ Ex quo homo venit ad annos „ pubertatis, ſi ſit liberæ conditionis, eſt ſuæ „ poteſtatis quantum ad ea, quæ pertinent ad „ ſuam perſonam, puta quod obliget ſe religioni „ per votum, vel quod matrimonium contrahat; „ non autem eſt ſuæ poteſtatis quantum ad diſpo„ ſitionem domeſticam, unde circa hoc non pot„ eſt aliquid vovere quod ſit ratum ſine conſen„ ſu patris ": cui conſentiunt Theologi fere omnes, ipſaque naturalis ratio confirmat. Quandoquidem cum puer ad pubertatis ſtatum pervenit ſupponitur & ſuæ libertatis poſſeſſionem adeptus, & plenum rationis lumen aſſecutus, quibus carent, vel carere cenſentur impuberes; poteſt itaque vota propriam perſonam reſpicientia licite & valide emittere, quæ rata erunt & firma, nec ab alterius voluntate pendentia. Cum vero puberes quoad exterius gubernium adhuc patriæ ſubjaceant poteſtati, ſi forte hæc puberum perſonalia vota domeſticæ officiant quieti, & domeſticum perturbent gubernium, in irritum revocari a parente poterunt, cum conſiſtere nequeant ſine conſenſu patris quæ ipſi patri noxia ſunt & incommoda. Eapropter nequibunt parentes irritare filiorum vota caſtitatis, Religionis, immo nec menſilis Confeſſionis & Communionis, ſicut nec precum, ſive aliquorum jejuniorum vota, niſi familiæ gubernio ſint incommoda: e contra vero irritare valent vota peregrinationis præſertim longinquæ, vel ſeverioris jejunii in pane & aqua, vel perpetuæ abſtinentiæ a carnibus &c.

VIII. Realia vero vota ſemper ita patriæ ſubjiciuntur poteſtati, ut etiam poſt pubertatem ea irritare poſſint parentes, ut optime docet idem Ang. laud. q. a. 8. ad 1. ſcribens: „ Non poteſt „ omnino ſalvari ratio voti, cum quis in pote„ ſtate alterius conſtitutus vovit id, quod eſt in „ poteſtate alterius, niſi ſub conditione, ſi ille, „ ad cujus poteſtatem pertinet, non contradi„ cat ". Et jure merito, quia filii etiam puberes de paternis bonis diſponere nullatenus queunt, quæ ad patris dominium & adminiſtrationem unice ſpectant, propterea de illis diſtribuendis votum validum nequeunt emittere, niſi patris accedat conſenſus. Oppoſita vero ratione valida ſunt, nec irritationi paternæ obnoxia vota realia filiorum, qui bona obtinent caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia, cum hæc ſint ſub pleno filiorum dominio: & idem dicendum, ſi obtineant bona adventitia, quæ eorum ſubſint dominio & adminiſtrationi: ſi vero de illis ſolum obtineant dominium, adminiſtratio vero ad patrem pertineat, poterit vota realia de illis diſtribuendis genitor irritare.

IX. Tutorem inter & Curatorem hoc diſcrimen aſſignant juris periti, videlicet Tutorem primario perſonæ dirigendæ, & ſecundario bonis adminiſtrandis ordinari: Curatorem vero inverſo ordine, primo rerum adminiſtrationi, ſecundario vero perſonæ dirigendæ deſtinari. Hinc non æqualis in utroque irritandorum votorum poteſtas. Nam Tutor, cum pupillis & impuberibus loco patris detur ad perſonam primario dirigendam, eadem pollet poteſtate ac pater; poterit itaque eorumdem vota tam perſonalia quam realia in irritum revocare. Curatores vero, qui minoribus jam pubertatis tempus aſſecutis præficiuntur, ſola vota realia irritare poſſunt, nec ad perſonalia extenditur eorum poteſtas, niſi quando ſuæ officiant adminiſtrationi, & obſint regimini. Probabiliorem itaque cenſeo Suarezii opinionem docentis, non poſſe Curatorem irritare vota perſonalia minorum emiſſa dum adhuc eſſent in pupillari ætate, & ante pubertatem, nec poſtea confirmata, quippe qui non ſuccedit loco patris, nec primario perſonæ dirigendæ præficitur, ſed rebus miniſtrandis. Oppoſitum tamen ſentiunt nonnulli Caſuiſtæ, quia licet fateantur, Curatores ad bonorum adminiſtrationem primario deſtinari, ſecundario tamen & perſonæ dirigendæ aliqua poteſtate potiri, vi cujus irritare poſſe præfata vota arbitrantur. Si Curator aſſignetur etiam Majori ob prodigalitatis vitium, poterit ejus realia vota irritare, quia tunc Major adminiſtratione bonorum a lege ſpoliatur, quæ ſunt Curatoris commiſſa adminiſtrationi, de quibus ſolus diſponere legitime valet.

X. Maritus poteſt ea omnia uxoris vota emiſſa poſt matrimonium irritare, quæ maritali adverſantur poteſtati juxta S. Th. doctrinam q. 88. a. 8. „ Nullus poteſt per promiſſionem ſe firmiter „ obligare ad id, quod eſt in poteſtate alterius, „ ſed ſolum ad id, quod eſt omnino in ſua po„ teſtate. Quicumque autem eſt ſubjectus alicui, „ quantum ad id, in quo eſt ſubjectus, non eſt „ ſuæ poteſtatis facere quod vult, ſed dependet „ ex voluntate alterius. Et ideo non poteſt ſe „ per votum firmiter obligare in his, in quibus „ alteri ſubjicitur, ſine conſenſu ſui Superioris ". Porro mulieres, ut inquit Apoſtolus, *viris ſuis ſubjectæ ſunt*, *ſicut domino* tum in conjugali debito, tum in iis, quæ rectam familiæ gubernatio-

tionem & domeſticæ rei adminiſtrationem reſpiciunt; non poſſunt igitur ſine mariti venia vota emittere, quæ hujuſmodi ſubjectioni repugnent, & ſi emiſerint, a marito in irritum revocari poterunt, ut ſtatuitur etiam Numer. 30. *Uxor in domo viri ſui cum ſe voto conſtrinxerit & juramento, ſi audierit vir, & . . . extemplo contradixerit, non tenebitur promiſſionis rea; quia maritus contradixit . . . ſi voverit . . . ut per jejunium, vel ceterarum rerum abſtinentiam, affligat animam ſuam: in arbitrio viri erit, ut faciat, ſive non faciat.* Quod ſi uxoris vota nullum inferant maritali poteſtati nocumentum, nequeunt a marito revocari, cujuſmodi forent vota, ſacramenta ſemel in menſe frequentandi, moderata jejunia & convenientes preces adhibendi, ſicut & abſtinendi ab aliquo peccato, puta mendacio, ornamentorum vanitate, & ſuperfluitate, vel de aliquo opere præcepto implendo, puta de audiendo ſacro in die feſto, de annua confeſſione, & communione, & ſimilia, nec non votum de eleemoſynis elargiendis ex bonis paraphernaliis quæ obtinet. Num autem uxor valeat aliqua ſaltem mariti vota irritare, affirmare refugiunt nonnulli inſigniores Theologi, quippe qui nullam in virum poteſtatem agnoſcunt in uxore, & aſſerere malunt, vota mariti conjugali officio contraria nulla eſſe & irrita. Verum communior eſt Theologorum doctrina, poſſe uxores vota maritorum irritare, quæ juri matrimoniali mutuæque cohabitationi officiunt, non enim omni poteſtate ſpoliatur uxor in virum, dicente Apoſtolo: *Vir poteſtatem ſui corporis non habet, ſed uxor*; ſicut nec dominio & adminiſtratione bonorum paraphernalium, de quibus vota nuncupare poteſt, quæ maritali non ſubſunt poteſtati: poterit igitur mariti vota conjugali ſtatui noxia irritare, cujuſmodi ſunt immodica jejunia, longiores peregrinationes, non tamen Hieroſolymitanam, quæ fieret in ſubſidium Terræ Sanctæ, ut mos erat tempore S. Th. qui in IV. diſt. 32. a. 4. ad 1. hanc reddit rationem: *Quia debet uxor velle continere ad tempus ſubveniendo neceſſitati generalis Eccleſiæ*; modo vero ſi maritus eam voveret peregrinationem devotionis gratia, poſſet ab uxore votum irritando ab impletione retrahi. Poteſt etiam, ut plerique docent Theologi, irritare votum mariti de ſuſcipiendo Eremitæ habitu, vel tertii Ordinis alicujus Religionis, cum hoc conjugalem minuat amorem.

XI. Servorum, ideſt mancipiorum vota irritare poſſunt eorum domini ſaltem indirecte, quando hæc obſequia & ſervitutem de jure ſibi præſtandam impediunt. Ita S. Th. in IV. diſt. 38. q. 1. a. 1. quæſtiuncula ult. ad 3. ubi hæc ſcribit: *Servus non eſt exemptus aliquo tempore a ſervitio Domini ſui, & ideo nullum tempus eſt ei vacans, quo poſſit quodlibet facere. Et quia omne votum eſt aliquo tempore complendum, ideo ſicut nec ſervus, ita nec Religioſus aliquod votum emittere poteſt abſque conſenſu ſui Superioris.* Quæ tamen verba S. Th. ſunt intelligenda juxta ejuſdem doctrinam n. 2. expoſitam, ideſt de votis, quæ præſtandæ ſervitutis officia & munia impedire valent. Ideo irritare nequeunt domini vota ſervorum de ſervandis divinis præceptis, de caſtitate cuſtodienda, de aliquibus precibus quotidie perſolvendis, ſicut nec vota de danda eleemoſyna de bonis, quorum dominium habent, & ſi qua ſunt alia, quæ domini ſervitium nequaquam minuunt.

XII. Prælati Regulares vota ſive interna ſive externa, quæ regularem obſervantiam, & monaſticam diſciplinam vel non præpediunt, vel non perturbant, nequeunt irritare. Huic opinioni adverſantur plures, & quidem magni nominis Theologi, Soto, Suarez, Valentia, Salmanticenſes, & alii, qui cenſent, omnia Religioſorum vota etiam mere interna poſſe a Superioribus in irritum revocari. Rationes, quas afferunt, hæ ferme ſunt, quia Religioſi cum non habeant nec velle nec nolle, omnino dependent a voluntate ſuorum Superiorum, & in jure expreſſe dicitur cap. *Monacho* XX. quæſt. 4. *Monacho non licet votum vovere ſine conſenſu Abbatis ſui; ſi autem voverit frangendum erit.* Nec diſſentit S. Th. qui hic q. 88. a. 8. ad 3. aperte docet: *Religioſus ſubditus eſt Prælato quantum ad ſuas operationes ſecundum profeſſionem regulæ. Et ideo etiamſi aliquis ad horam aliquid facere poſſit, quando ad alia non occupatur a Prælato; quia tamen nullum tempus eſt exceptum, in quo Prælatus non poſſit eum circa aliquid occupare, nullum votum Religioſi eſt firmum, niſi ſit de conſenſu Prælati.* Verum hæc non mihi tanti ponderis videntur, ut a ſtatuta doctrina cogant recedere. Nam 1. aperta eſt D. Th. doctrina, & quidem pluries repetita 2. 2. q. 104. a. 5. in corp. *In his, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, ſed ſolum Deo:* & in reſp. ad 2. *Deo ſubjicitur homo ſimpliciter quantum ad omnia & interiora, & exteriora: & ideo in omnibus ei obedire tenetur. Subditi autem non ſubjiciuntur ſuis Superioribus quantum ad omnia, ſed quantum ad aliqua determinate.* Et apertiſſime in reſp. ad 3. ubi objectionem hanc, quam ſibi propoſuerat: *Sic Religioſi profitendo vovent caſtitatem, & paupertatem, ita & obedientiam. Sed Religioſus tenetur quantum ad omnia ſervare caſtitatem, & paupertatem; ergo ſimiliter quantum ad omnia tenetur obedire*: Sic ſolvit: *Religioſi obedientiam profitentur quantum ad regularem converſationem, ſecundum quam ſuis prælatis ſubduntur: & ideo quantum ad illa ſola obedire tenentur, quæ poſſunt ad regularem converſationem pertinere; & hæc eſt obedientia ſufficiens ad ſalutem. Si autem etiam in aliis obedire voluerint, hoc pertinebit ad cumulum perfectionis; dum tamen illa non ſint contra Deum, aut contra profeſſionem regulæ, quia talis obedientia eſſet illicita. Sic ergo poteſt triplex obedientia diſtingui: una ſufficiens ad ſalutem, quæ ſcilicet obedit in his, ad quæ obligatur; alia perfecta, quæ obedit in omnibus licitis; alia indiſcreta, quæ etiam in illicitis obedit.* Itaque juxta S. Thom. Prælatis ſuis non ſubduntur Regulares niſi quantum ad regularem converſationem, circa hanc igitur ſolum habent poteſtatem dominativam in ſubditos Superiores, ac proinde ea irritare vota queunt, quæ huic poteſtati quoquomodo adverſantur, & obſunt; in iis vero, quæ eorum non officiunt poteſtati, ſicut nec ei ſubduntur

Re-

Religioſi, ita nec eorum vota poterunt in irritum revocare. Nec ſibi adverſatur D. A. in verbis ſuperius ex art. 8. in reſp. ad 3. quin immo & inibi hanc eamdem confirmat doctrinam, dum dicit, Religioſum ſubditum eſſe Prælato quantum ad ſuas operationes (non abſolute) ſed *ſecundum profeſſionem regulæ*, dum autem ſubdit, nullum tempus eſſe, in quo non poſſit eum circa aliqua occupare, proinde nullum eſſe firmum votum, niſi ſit de conſenſu Prælati, clare indicat de iis votis loqui, quæ regularem diſciplinam valent perturbare; & denique vota Religioſorum comparat votis puellarum exiſtentium in domo patris, & uxorum cum marito viventium doctrinam his verbis claudens: *Sicut votum puellæ exiſtentis in domo niſi ſit de conſenſu patris, nec uxoris niſi ſit de conſenſu mariti*, quorum tamen omnia vota cujuſcumque generis ſive a parentibus, ſive a maritis irritari poſſe negavit D. Ang. in hoc eodem art. ad 2. ut ſuperius oſtendimus. Et eodem in ſenſu intelligendum eſt juris canonici effatum, quod tamen a pluribus ut apocryphum nulliuſque ponderis habetur, præcipue cum non dicat poſſe Abbatem ea frangere, ſed dicat *eſſe frangenda*, quod profecto abſolute convenire non poteſt niſi votis regularem obſervantiam & monaſticam diſciplinam labefactantibus. Præterea vota irritandi facultas competit Superioribus tum in bonum commune, tum in ſubditorum utilitatem: porro cum vota Religioſorum non obſunt regulari obſervantiæ, irritari non poſſunt in bonum commune, cum ipſi non noceant, immo proſint; ſemper enim utile eſt religioſæ communitati aliquos Religioſos ſpeciali modo perfectioni incumbere, & ferventius Deo inſervire; non in bonum privatum, quia hæc vota ipſi voventi utilia ſunt, & pietatem fovent; ſi enim obeſſent, jam commutari a Superiore, vel Confeſſario poſſunt: non eſt ergo tam univerſalis poteſtas omnia irritandi in regularibus Prælatis admittenda.

CAPUT DUODECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quando vota in irritum revocata amplius non reviviſcant.*

II. *Num vota de licentia Superioris emiſſa ab eodem valeant irritari?*

III. *Matres num irritandi vota filiorum impuberum gaudeant poteſtate?*

IV. *Quænam uxoris vota maritus poſſit irritare.*

V. *Nonnulla vota uxorum, quæ nequeunt irritari a marito.*

VI. *Quænam mariti vota uxor irritare non valeat.*

VII. *Quænam Prælati vota Religioſorum valeant irritare.*

VIII. *Monialium vota irritare poſſunt Abbatiſſæ & Prioriſſæ.*

IX. *Quænam vota valeat Summus Pontifex irritare.*

X. *Vota profeſſioni adnexa licet ſimplicia irritari non poſſunt a Superioribus Regularium, ſicut nec votum tranſeundi ad arctiorem Religionem.*

Conſectarium Primum.

I. Vota, quæ Superior in irritum revocavit directe ob poteſtatem dominativam in perſonam voventis, ut vota Religioſi irritata a Prælato, filii impuberis a Patre, pupilli a Tutore, non amplius reviviſcunt, ſed perpetuo irrita manent; ſecus vero irritata indirecte, ideſt non ob poteſtatem dominativam in perſonam voventis, ſed in rem voto promiſſam, ut vota Novitii probationis tempore, filii puberis, minorennis, uxoris, &c. quæ reviviſcunt, poſtquam ab irritantis poteſtate ſolutus eſt vovens. Ratio primæ partis eſt, quia vota ratione primæ poteſtatis ſunt in ſua ipſa radice extincta, reviviſcere proinde non valent. Hinc votum filii impuberis, qui caſtitatem vovit, cujus votum pater, vel tutor irritavit, adveniente pubertate non reviviſcit, niſi ab ipſo expreſſe renovetur. Secundæ vero partis ratio eſt, quia indirecta irritatio ex poteſtate oritur in materiam voti, cujus executionem ſuſpendit, in quantum ſuo juri nocet, donec deſinat præjudicium afferre, poſtquam igitur vovens a poteſtate irritantis ſolutus eſt, votа tenetur implere, quippe quia eorum obligatio non in perpetuum ablata fuit, ſed ad tempus ſuſpenſa, durante ſcilicet ſubjectione & obligatione voventis Superiori irritanti. Sic Novitius, qui in ſæculo vel aliqua vovit jejunia, vel alicujus Eccleſiæ viſitationem, in anno probationis non tenetur ea implere, nam a Superiore, vel Magiſtro ſuſpenduntur, utpote obſtantia regulari militiæ, cui adſcribitur; at ſi a Religione abſcedat, ad ea implenda tenebitur, niſi a Prælatis ſint in alia opera commutata. Similiter uxor, quæ vovit perpetuo jejunare in pane & aqua die Sabbati, ſi maritus votum irritaverit, non tenebitur implere vivente viro, at ſoluta a lege viri ad jejunium adſtringetur. Hinc in jure canonico cap. *Placet* ſtatuitur de uxore, quæ arbitrata defunctum conjugem, Religionem fuerat profeſſa, a qua poſtea revocata fuit a marito domum ex longa peregrinatione reverſo, eam teneri ad continentiæ votum poſt mariti obitum: *Quantum ad ipſam* (inquit Pontifex) *tenuit votum, quod poſt viri obitum tenere non deſiit, cum ad eum caſum, a quo poterat efficax habere principium, perveniſſe noſcatur.*

Conſectarium Secundum.

II. Num vota, quæ irritari a legitimo Superiore valent, ſi emittantur de ejus licentia, ſemper ab ipſis in irritum revocari poſſint, diſſident Theologi & Canoniſtæ. Sunt qui cenſent, adhuc conceſſa a Superiore licentia vel vovendi vel implendi emiſſum votum, poſſe ſemper ipſum conceſſam revocare veniam, & votum irritum reddere, quia, inquiunt, Superior veniam concedendo vovendi, non a ſe abdicare voluit, nec a ſe rejicere poteſtatem illam dominativam, quam habet vel in ſubditum, vel in ejus opera, vel in ejus res ſibi addictas; quod adeo verum cenſent, ut addant locum habere irritationem, licet Superior ita licentiam conceſſerit, ut etiam eam ſe

ſe non revocaturum pollicitus ſit. Ita ſentiunt Sanchez, Tamburinus, & alii a Sporerio citati To. 1. tr. 3. in 2. Decal. Præcept. cap. 3. n. 30. Alii vero diſtinctione utuntur, & ita quidem ſentiunt de Superioribus poteſtatem dominativam in perſonas voventes habentibus, qui proinde ea vota directe poſſunt irritare; at inficiantur de Superioribus ſolum poteſtatem habentibus in opera, obſequia, vel res voventium, quique proinde nonniſi indirecte ea valent vota irritare. Tertia opinio, quæ mihi probabilior videtur, ſtatuit, ſemel conceſſam a Superioribus veniam ſubdito ſive ratione perſonæ, ſive ratione officii, obſequii, & rei, non poſſe amplius ab ipſis in irritum revocari. Et ſane hæc doctrina & magis conſona videtur Sacræ Scripturæ, quæ ſtatuit, puellas & uxores teneri vota ſervare, ſi eis pater vel maritus non obſtiterint; ubi animadvertendum, Scripturam ita ſtatuere non ſolum de votis illis, quæ uno complentur actu, ſed de illis, quæ diutius durant, & ſæpius obligant, ut patet in uxore, de qua ſtatuit Exod. 30. ut *ſi voverit & juramento ſe conſtrinxerit, ut per jejunium vel ceterarum rerum abſtinentiam affligat animam ſuam, in arbitrio viri erit, ut faciat, ſive non faciat, quod ſi audiens vir tacuerit, & in alterum diem diſtulerit ſententiam, quidquid voverat atque promiſerat, reddat, quia ſtatim ut audivit tacuit*: nec de facultate revocandi tacitam vel expreſſam approbationem, nullus inibi ſermo. Confirmatur etiam ex ipſa indole & natura hujuſmodi votorum, quæ ſemper ut conditionata habentur, nimirum ſi Superior conſenſerit; porro impleta conditione jam vota abſoluta evadunt, & firma, & ſtabilia, quin in irritum amplius revocari poſſint. Et ſane ſi filius familias puber, ſi uxor, ſi ſervus contractus ineant de conſenſu Patris, mariti, domini, validi & firmi habentur, quin pater, tutor, maritus amplius revocare poſſint, cur & non idem de voto, quod eſt promiſſio Deo facta? Nec urget ratio, quia Superiores nolunt ſe facultate dominativa in ſubditos, ſive in eorum officia, obſequia, & res per conceſſam ſemel licentiam ſpoliare, quandoquidem revera tali dominio & poteſtate non privantur, quæ adhuc durat reſpectu aliorum votorum, quæ poſſunt emittere, & reſpectu voti ſemel approbati poteſtatem ſuam, & dominationem, licentiam concedendo, exercere, ſicut dominio in ſervum non ſpoliatur Dominus, licet amico per aliquot dies ad uſum concedat, quamvis ſemel conceſſum ſervum ſine injuria nequeat revocare, nam & dominium adhuc retinet, & alteri concedendo poteſtatem ſuam, & dominium in opera & obſequia ſervi jam exercuit. Excipienda tamen ſunt Religioſorum vota, quia Religioſi ſunt immediate ſub poteſtate Religionis, cujus Prælati & Superiores, miniſtri ſolum ſunt, & quidem temporanei, qui proinde in perpetuum vota Religioſorum confirmare non valent. Hinc Regularis, qui a ſuo Prælato veniam obtinuit vel vovendi, vel votum implendi, tenetur voto quamdiu Superior durat, a quo conceſſa non poterit licentia revocari, at ab alio quidem in Præſulatu ſucceſſore in irritum poterit revocari. Quod ſi vota per Superiores adprobata, ſucceſſu temporis fiant noxia eorum dominationi & poteſtati, revocari tunc in irritum poterunt, quia materia voti notabiliter mutata cenſeretur, utpote quæ primum ſin utilis, ſaltem innoxia erat Superioris poteſtati, & poſtmodum effecta ſit infenſa & noxia.

Conſectarium Tertium.

III. Vota filiorum impuberum irritare non valent matres, ſi vivens & præſens ſit Pater, quia licet naturali jure ſpectato poteſtas & dominium illis competat in filias & filios, qui matribus ſubeſſe, eiſque obedire jure naturali tenentur, tamen cum hæc materna poteſtas ſit ſemper viri poteſtati ſubordinata, & ab ea dependens, nequit in actum prorumpere vivente & præſente Patre. Immo nec mortuo vel abſente Patre poterit mater vota filiorum irritare, ſi adſit Avus, vel illis datus ſit Tutor, tunc enim nullam in eos habet poteſtatem, quæ ad Avum & Tutorem vel Curatorem translata eſt. Sunt etiam qui cum Azorio cenſent nec deficientibus patre, avo, & tutore matrem irritare poſſe impuberum filiorum vota, niſi inſtituta ſit tutrix; contraria tamen opinio probabilior eſt, quia cum mater jure naturali poteſtatem habeat in filios, qui jure naturæ maternæ ſunt ſubjecti poteſtati, eique parere tenentur, poterit impuberum filiorum vota irritare, & eorum proſpicere gubernationi. Filiorum autem puberum realia vota irritare non poteſt mater, niſi ſit eorum inſtituta curatrix, quia ut mater bonorum ad filios pertinentium curam & adminiſtrationem non obtinet, niſi a lege concedatur. Filiorum vero, qui ſpurii ſunt & illegitimi, vota a patre irritari poſſunt, cum jure naturali teneatur eorum minuſculæ ætati parens conſulere, & patriæ poteſtati ſint ſubjecti, niſi forte a civili poteſtate datus ſit illis tutor, vel curator, qui perſonæ & bonorum curam & adminiſtrationem obtineant.

Conſectarium Quartum.

IV. Non poteſt maritus vota ab uxore emiſſa ante contractum Matrimonium, licet poſt Matrimonium implenda directe irritare, ſicut nec vota poſt diſſolutum Matrimonium implenda. Ratio primæ partis eſt, quia illa vota emiſſa fuerunt a perſona omnino libera, & ſui juris, proinde abſolute firma & rata, quæ proinde in irritum a marito revocari nequaquam poſſunt. Si tamen maritali contubernio, mutuiſque officiis forent noxia vel incommoda, poterit maritus eorum impletionem ſuſpendere. Poſterioris vero doctrinæ hæc ratio eſt, quia in morte ceſſat omnis viri poteſtas in mulierem, dicente Apoſtolo: *Si mortuus fuerit vir, ſoluta eſt a lege viri:* non poterit igitur maritus ea revocare vota, quæ tunc ſolum ſuum obtinent effectum, quando jam ſoluta eſt uxor ab ejus dominio, & poteſtate, & quæ proinde nocere non poſſunt maritalibus officiis.

Con-

Conſectarium Quintum.

V. Nequit maritus irritare votum ab uxore ſine licentia ſua emiſſum de non petendo debito, vel etiam caſtitatis de ejus licentia, vel ſi mutuo conſenſu voverint caſtitatem, nequit hoc votum ex parte uxoris maritus vel irritare, vel ſuſpendere, licet carnali copula votum fregerint. Non primum, quia reſpectu conjugalis debiti pares facit Apoſtolus virum & uxorem dicens ad Corinth. 1. 7. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Præterea nullo jure obſtringitur mulier ad petendum a marito debitum, quæ proinde poteſt licite abſtinere, & abſtinentiam Deo vovere. Optime tamen animadvertunt Theologi eſſe mulieres ab hujuſmodi voto avertendas, quod mutuum amorem & conjugalem valet benevolentiam minuere, præſertim ſi hocce votum marito innoteſcat. Non ſecundum; votum enim caſtitatis ab uxore emiſſum, etiam ſine licentia mariti, ab eo non poteſt irritari; nam vel conſideratur durante matrimonio vel poſt obitum viri; durante matrimonio cum hoc votum uxorem non obliget niſi ad non petendum debitum, in idem recidit cum voto de non petendo debito, de quo mox diximus; ſi vero conſideretur poſt obitum viri, cum tunc vir nullam ſit habiturus poteſtatem in conjugem, illud irritare nequibit, ut præcedenti Corollario oſtendimus. Si ergo non valet maritus irritare votum uxoris de caſtitate ſervanda etiam ſine ſua conceſſione emiſſum, multo minus valebit irritare ſe ipſo conſentiente & concedente, cum tunc vel ceſſerit juri ſuo, vel ſuam poteſtatem exercuerit licentiam concedendo. Denique ſi mutuo conſenſu vovent caſtitatem, cumque juri ſuo ceſſerint, nequibit amplius hocce votum nec a marito, nec ab uxore revocari. Conſentiunt quidem in hoc Salmanticenſes, qui tamen limitationem adjiciunt ſubdentes: „ Sed ſi poſt votum dictum caſtitatis „ mutuo conſenſu emiſſum, conjuges mutuam „ corporum poteſtatem ſibi invicem tradiderint, „ poterunt ſicut antea petere & reddere debi„ tum “. At quam ob rem? „ Quia, *inquiunt*, „ ſicut mutuo conſenſu contractus ille de ceſſione „ mutui juris celebratus eſt, ita mutuo conſenſu „ poteſt valide diſſolvi, quia eſt contractus qui„ dem humanus, qui neque ex ſe, nec ex jure „ aliquo poſitivo exigit perpetuitatem “. Non peccabunt igitur conjuges nec prima vice votum infringendo, quia jam convenerunt de ceſſione mutui juris revocanda, quod juxta Salmanticenſes præſtare poſſunt. Nequaquam ſubdunt, nam talis contractus diſſolutio erit peccatum grave contra votum factum. Igitur præter mutuum contractum de non petendo debito intervenit etiam votum Deo nuncupatum, quod violant, fatentibus ipſis Salmanticenſibus. At ab hoc voto quomodo liberantur? num per ſacrilegam copulam? at quis hoc dicet? Num mutuo conſenſu? Minime, nam ſicut hic non impedit, ne prima vice votum violent, quia mutuo conſenſu non tollitur, ita nec in poſterum, cum ſemper, & remaneat vinculum voti, quod mutuo conſenſu nequit diſſolvi. Falſa igitur eſt, & improbabilis Salmanticenſium limitatio.

Conſectarium Sextum.

VI. Votum Mariti de non petendo debito, vel de amplis eleemoſynis faciendis, licet familiæ damnum inferant, non poteſt uxor irritare. Putant nonnulli Theologi poſſe primum votum ab uxore irritari, ne cogatur, inquiunt, contra naturalem pudorem ſemper debitum petere, quod profecto oneroſum quam maxime illis redderet Matrimonium. Verum a poſita doctrina puto non recedendum: nam ſi vir non poteſt ſimile votum uxoris irritare, multo minus poterit uxor, cum huic ſufficiat ſemper habere Maritum animo paratum ad officium conjugale explendum ſi poſtuletur, nec uxor adſtringere valet Maritum ad debitum petendum. Fateor quidem hujuſmodi votum oneroſum eſſe uxori, ideo & Maritos ab eo emittendo revocandos, immo & ut imprudens, & illicitum quandoque habendum, præſertim ſi ob thori conſociationem incontinentiæ periculum Marito, & etiam uxori immineret. Hinc optime docet D. Thom. in 4. diſt. 32. quæſt. 1. „ a. 4. ad 3. „ Si alter ex voto numquam pete„ ret debitum, ex hoc alteri Matrimonium one„ roſum redderetur, dum oporteret unum ſemper „ confuſionem petendi debiti ſubire; ideo alii „ probabilius dicunt, quod neutrum poteſt unus „ abſque conſenſu alterius vovere “.

Conſectarium Septimum.

VII. Cum facultas vota irritandi ex poteſtate dominativa in perſonas, vel res voventium profluat; hinc vota Religioſorum in irritum revocare poſſunt omnes illi Superiores, qui ordinaria pollent poteſtate, ut ſunt Generales, Provinciales, Priores, Abbates, intra tamen ſuæ poteſtatis limites. Cæteri vero Superiores ſecundarii, nimirum Superiores, Vicarii, & apud Monachos Priores hac facultate non pollent præſentibus primariis Superioribus; ſi vero abſint, & abſentiæ tempore juxta legum ſtatuta in omnibus Superioris loco ſint, poterunt vota irritare. Abſentes autem non cenſentur Superiores, quando domo egreſſi ſunt, eodem die reverſuri, cum vero biduo vel triduo extra Cœnobium manent, abſentes ſunt habendi, & eorum Vicarii, vel Superiores eorum locum obtinentes, vota ſubditorum poterunt irritare. Ita Suarez, aliique.

Conſectarium Octavum.

VIII. Prioriſſæ, & Abbatiſſæ Monialium vota non ſolum quæ domeſticæ gubernationi, & regimini adverſantur, & obſunt, ſed etiam quæ regularem obſervantiam, & monaſticam diſciplinam præpediunt, vel perturbant, valent in irritum revocare. Primam partem admittunt omnes Theologi, & omnino certa habenda eſt, cum Abbatiſſæ, & Prioriſſæ politicam ſaltem & domeſticam habeant poteſtatem relate ad temporale bonum, & ma-

& matris ac tutricis officio fungantur; poſſunt proinde ſaltem vota, quæ huic adverſantur poteſtati, infringere. Verum & illa major etiam eſt concedenda poteſtas, quæ in altera adſtruitur parte, nam ipſis obedientiam promittunt Moniales, & revera illis ſubduntur in regulari obſervantia, & in monaſtica diſciplina, & etiam in iis, quæ ad ſpiritualem illorum ſalutem, atque profectum pertinent, quæ igitur hiſce adverſantur vota in irritum revocare poterunt, præſertim cum ſemper hanc conditionem involvant eorum vota, ſcilicet niſi Superior contradixerit. Propterea ea videtur Abbatiſſis concedenda in vota monialium irritativa poteſtas, quam Superioribus, Religioſorum, & Monachorum tribuimus ſuperius. Quod ſi hac poteſtate pollent Prioriſſæ, multo magis eadem frui & potiri Epiſcopos, vel Prælatos regulares, quibus ſubduntur, nullus erit qui ambigat.

Conſectarium Nonum.

IX. Summus Pontifex non valet irritare vota omnium fidelium, bene quidem Religioſorum, & etiam vota Eccleſiaſticorum de rebus ad bona & beneficia Eccleſiaſtica pertinentibus. Et quidem non poſſe omnium fidelium vota irritare, patet manifeſte, quia licet in illis juriſdictionis obtineat poteſtatem, tamen dominativam non obtinet; hinc ratione prioris poteſtatis poteſt diſpenſare vel commutare vota fidelium, ut ſuo loco dicemus, at defectu poſterioris dominantis poteſtatis nequit irritare. Cum vero ſit Regularium omnium Supremus Præſul & Paſtor, vota Religioſorum omnium & Monialium multo magis quam ipſi immediati Superiores irritare poteſt, quia, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 186. a. 5. *Religioſi .... obligantur ad obediendum ſummo Pontifici non ſolum in iis, quæ ſunt communia aliis, ſed etiam in iis, quæ ſpecialiter pertinent ad diſciplinam Religionis.* Similiter cum de Eccleſiaſticis bonis & beneficiis agitur, poteſt Summus Pontifex irritare vota circa ipſa emiſſa de augendis, minuendis, reſignandis commutandis beneficiis, de rebus eccleſiaſticis alienandis, cum in his ſemper tacita conditio ſubintelligatur, niſi Pontificis auctoritas aliter decernat.

Conſectarium Decimum.

X. Facultate non pollent Prælati Regulares irritandi vota etiam ſimplicia, ſi hæc Religioſum ſtatum conſtituant, quia hæc vota fiunt vi profeſſionis, & ipſam ingrediuntur religioſam profeſſionem, nec habent annexam ex ſtatuto Sedis Apoſtolicæ conditionem conſenſus Prælati, ſed abſolute pronuntiantur. Hujuſmodi vota ſunt, quæ a Minimis fiunt de cibis quadrageſimalibus, a Miniſtris infirmorum de inſerviendo lue infectis, a Miſſionariis de Miſſionibus habendis, a PP. Redemptionis Captivorum ſe in pignus tradendi, ſi opus ſit, ad captivi alicujus liberationem, & apud Societatem Jeſu de paupertate non relaxanda, & ſi quæ ſint alia apud alios Ordines. Similiter nec votum tranſeundi ad arctiorem Religionem infringere poſſunt Prælati ob ſpecialem juris diſpoſitionem in cap. *Licet* de Regularibus. Nec Prælati inferiores valent irritare vota ſuorum ſubditorum emiſſa de licentia ſuperioris Prælati, quia per conceſſionem vovendi factam a Superiore quoad hoc ſubductus eſt ſubditus a poteſtate dominativa Prælati inferioris, qui proinde irritandi poteſtate caret.

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

De Diſpenſatione votorum.

DOCTRINA.

I. *Eccleſia facultatem habet diſpenſandi.*
II. *Definitio diſpenſationis.*
III. *Quonam pacto valeat Eccleſia diſpenſare in votis, quæ ſunt juris divini.*
IV. *Ut legitima ſit diſpenſatio, fieri debet ab habente ſpiritualem poteſtatem.*
V. *Legitima & rationabilis cauſa requiritur nedum ad licitam, ſed & ad validam diſpenſationem ex D. Thom.*
VI. *Idem ſentit S. Antoninus cauſam aſſignans diſcriminis inter diſpenſationem & irritationem.*
VII. *Cauſæ juſtæ legitimæque diſpenſationis aſſignantur a S. Thom. & S. Antonino.*
VIII. *Regula* 1.
IX. *Regula* 2.
X. *Regula* 3.
XI. *Regula* 4.
XII. *Regula* 5.
XIII. *Quinam poteſtate ordinaria in votis diſpenſandi polleant?*
XIV. *Nonnulla vota reſervata Summo Pontifici.*
XV. *Hujuſmodi reſervatio ſtricte intelligenda eſt.*
XVI. *Regulares nullam habent poteſtatem diſpenſandi vota a viris, vel Clericis ſæcularibus, vel etiam alterius Religionis emiſſa.*
XVII. *Regulares Ordinum præſertim Mendicantium poteſtatem habent commutandi omnia vota, exceptis quinque Sedi Apoſtolicæ reſervatis.*

I. Eccleſiam facultate pollere diſpenſandi a votorum obligatione aperte docet S. Thomas 2. 2. 2. q. 88. a. 10. „ Qui vovet, quodammodo „ ſibi ſtatuit legem, obligans ſe ad aliquid, „ quod eſt ſecundum ſe, & ut in pluribus bo- „ num. Poteſt tamen contingere, quod in a- „ liquo caſu ſit vel ſimpliciter malum, vel inu- „ tile, vel majoris boni impeditivum; quod eſt „ contra rationem ejus quod cadit ſub voto: & „ ideo neceſſe eſt quod determinetur, in tali caſu „ votum non eſſe ſervandum. Et ſi quidem ab- „ ſolute determinetur, aliquod votum non eſſe „ ſervandum, dicitur eſſe diſpenſatio voti; ſi au- „ tem pro hoc, quod ſervandum erat, aliquid aliud „ imponantur, dicitur commutatio voti. Unde mi- „ nus eſt votum commutare, quam in voto diſpen- „ ſare; utrumque tamen in poteſtate Eccleſiæ conſi- „ ſtit". Et revera ſemper Eccleſia hac poteſtate uſa eſt, & in votis fidelium diſpenſationem largita eſt, adeoque ipſam vel prævaricationis, vel abuſus inculpare impium foret, cum ſit columna, & firmamentum veritatis. Denique hæc poteſtas neceſſaria eſt ad Eccleſiæ gubernium, & bonum, ut idem Ange-

Angelicus optime animadvertit loc. cit. ſcribens: „ Diſpenſatio voti intelligenda eſt ad modum diſ- „ penſationis, quæ fit in obſervantia alicujus le- „ gis: quia lex ponitur reſpiciendo ad id, quod „ eſt ut in pluribus bonum. Sed quia contingit, „ hujuſmodi in aliquo caſu non eſſe bonum, o- „ portuit per aliquem determinari, in illo parti- „ culari caſu legem non eſſe ſervandam. Et hoc „ proprie eſt diſpenſare in lege.

II. Diſpenſatio itaque juxta S. Thomam definiri poteſt

Ablatio, ſive remiſſio obligationis voti ob juſtam & rationabilem cauſam, facta nomine Dei ab habente ſpiritualem juriſdictionem.

Quod ſi hæc ablatio obligationis ſit omnimoda, & totalis, diſpenſatio dicitur; ſi autem non ſit omnimoda, ſed aliquam adhuc inducat obligationem, erit commutatio. Nec tamen putes cum Sanchezio diſpenſationem, & commutationem eſſe res plane diverſi generis, cum ambo concurrant in eadem obligationis, & vinculi relaxatione, hoc ſolum diſcrimine, quod diſpenſatio amplior ſit, & plus tollat quam commutatio, quæ minus de obligatione aufert, & minus dilatatur, ut ex S. Th. mox diximus. Proinde qui poteſtate ordinaria pollet diſpenſandi, pollet & commutandi; & idem dicendum eſt de illis, quibus delegata facta eſt poteſtas diſpenſandi, qui & facultate donati cenſentur commutandi, licet non e contrario qui commutandi poteſtate donantur, habeant & diſpenſandi, nam cum delegata poteſtas tota a Superioris voluntate pendeat, poteſt hic prout ſibi libuerit, & arctiorem, & ampliorem tribuere facultatem, ita tamen ut ampliorem concedendo, minorem negare non cenſeatur.

III. Quonam vero pacto valeat Eccleſia in votis, quæ ſunt juris divini, diſpenſare, cum & nos tract. 1. de Legibus Diſſert. 4. Cap. 9. tanquam certum ſtatuerimus, nec Eccleſiæ, nec Summo Pontifici conceſſam poteſtatem in iis, quæ ſunt juris divini, diſpenſandi, præclare docet S. Thom. hic quæſt. 88. art. 10. ad 2. ſcribens: „ Sicut ex jure naturali, & præcepto divino tenetur homo implere votum; ita etiam tenetur „ ex eiſdem obedire Superiorum legi, vel manda- „ to. Et tamen cum diſpenſatur in aliqua lege „ humana, non fit, ut legi humanæ non obedia- „ tur, quod eſt contra legem naturæ, & manda- „ tum divinum; ſed fit ut hoc quod erat lex, „ non ſit lex in hoc caſu. Ita etiam auctoritate „ Superioris diſpenſantis fit, ut hoc quod contine- „ batur ſub voto, non contineatur, inquantum de- „ terminatur in hoc caſu, hoc non eſſe congruam „ materiam voti. Et ideo cum Prælatus Eccleſiæ „ diſpenſat in voto, non diſpenſat in præcepto „ juris naturalis, vel divini; ſed determinat id, „ quod cadebat ſub obligatione deliberationis „ humanæ, quæ non potuit omnia circumſpi- „ cere.

IV. Diſpenſatio, ut legitima ſit, fieri debet ab habente ſpiritualem poteſtatem, cum actus ſit ſpiritualis juriſdictionis, ut docet Angelicus hic q. 88. a. 12. ſcribens: „ Votum eſt promiſſio facta „ Deo de aliquo, quod ſit Deo acceptum. Quid „ ſit autem in aliqua promiſſione acceptum ei cui „ promittitur, ex ejus pendet arbitrio. Prælatus „ autem in Eccleſia gerit vicem Dei. Et ideo in „ commutatione, vel diſpenſatione votorum re- „ quiritur Prælati auctoritas, qui in perſona Dei „ determinat, quid ſit Deo acceptum, ſecundum „ illud 2. Cor. 11. 10. " Nam, & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti, *&* *ſignanter dicit*, propter vos, *quia omnis diſpenſatio petita a Prælato debet fieri ad honorem Chriſti, in cujus perſona diſpenſat, vel ad utilitatem Eccleſiæ, quæ eſt ejus corpus.*

V. Ex qua Angelica Doctrina ſponte conſequitur, nedum ad licitam, ſed & ad validam diſpenſationem, vel commutationem concedendam legitimam requiri, & rationabilem cauſam, cum in ædificationem data ſit, non in deſtructionem, & diſpenſatio, vel commutatio in Dei honorem, & Eccleſiæ utilitatem redundare debeat. Quod & preſſius explicat, & oſtendit S. Th. l. c. in reſp. ad 2. ubi eos refellens, qui diſpenſationes, & commutationes votorum in Prælatorum voluntatem, & arbitrium refundebant, ſcribit: „ Quidam dixerunt, quod ideo Prælati poſ- „ ſunt in votis pro libito diſpenſare, quia in quo- „ libet voto includitur conditionaliter voluntas „ Prælati Superioris, quod in votis ſubditorum „ (puta ſervi, vel filii) intelligitur conditio, " ſi placuerit patri, *vel* domino, *vel* ſi non renitantur. „ Et ſic ſubditus abſque omni remorſu con- „ ſcientiæ poſſet votum prætermittere, quandocum- „ que ſibi a Prælato diceretur. Sed prædicta po- „ ſitio falſo innititur; quia cum poteſtas Præla- „ ti ſpiritualis, qui non eſt dominus, ſed diſpen- „ ſator, in ædificationem ſit data, & non in deſtru- „ ctionem, ut patet 2. ad Cor. 10. ſicut Prælatus „ non poteſt imperare ea, quæ ſecundum ſe Deo „ diſplicent, ſcilicet peccata; ita non poteſt prohi- „ bere ea, quæ ſecundum ſe Deo placent, ſcilicet „ virtutis opera. Et ideo abſolute poteſt homo „ vovere ea. Ad Prælatum tamen pertinet dijudica- „ re, quid ſit magis virtuoſum, & Deo magis „ acceptum. Et ideo in manifeſtis diſpenſatio Præ- „ lati non excuſaret a culpa; puta ſi Prælatus diſ- „ penſaret cum aliquo ſuper voto de ingreſſu Re- „ ligionis, nulla apparenti cauſa obſtante.

VI. Idem ſentit & docet S. Antoninus dum cauſam aſſignat diſcriminis inter diſpenſationem, & irritationem dicens 2. p. tit. 11. cap. 2. §. 6. „ Nota, quod eſt differentia inter irritationem, & „ diſpenſationem. Nam irritatio poteſt fieri ſine „ cauſa, & ad libitum irritantis, ſicut cum vir „ ad libitum irritat votum conjugis, ita quod „ nec ipſe peccet irritando, quia nemini facit „ injuriam qui utitur jure ſuo, nec illa votum „ omittendo cum fuerit inefficax a principio. Sed „ diſpenſatio non fit propter inefficaciam voti, „ ſed propter aliam cauſam. Unde requiritur „ non ſolum auctoritas in diſpenſante, ſed etiam „ cauſa ex parte diſpenſati, ſcilicet vel utilitas, „ vel neceſſitas ejus, vel Reipublicæ, in omni „ genere diſpenſationis, & in omni diſpenſante, „ etiam in Papa: quia nec Petro, nec alteri eſt

„ com-

„ commiſſa auctoritas, ſeu poteſtas in deſtructio- „ nem, ſed in ædificationem, quod eſt verum in „ propoſito, quia voti obligatio juri naturali, & „ divino innititur “.

VII. Cauſæ autem juſtæ legitimæque diſpenſationis aſſignantur a S. Th. & S. Antonino, nimirum 1. quod cedat in honorem Dei, 2. vel in utilitatem Reipublicæ, 3. ex neceſſitate procedat ipſius voventis, 4. vel ſaltem in ejus utilitatem redundet, non quidem temporalem, quæ ſiſtat in liberatione ab onere voti, ſed ſpiritualem, quæ nimirum ad ſalutem animæ conferat. Has cauſas breviter complexus eſt Alex. III. tit. de Voto, & voti redemptione cap. de peregrinat. dicens: Reſpondemus *quod ab ejus qui præſidet pendet arbitrio, ut conſideret diligentius qualitatem perſonæ, & cauſam commutationis, ſcilicet an ex infirmitate, ſeu affluentia divitiarum, aut ex alia cauſa probabili peregrinatio, an recompenſatio melior fuerit, & Deo magis accepta, & ſecundum hoc habet exinde diſpenſare*. Hinc ſequentes ſtatuuntur Regulæ.

VIII. Regula 1. Raro admodum concedendæ ſunt diſpenſationes omnimodæ, ſed ſemper aliqua eſt adjicienda commutatio. Hanc ſtatuimus regulam, non quia arbitremur vel non eſſe in Eccleſia poteſtatem abſolute diſpenſandi a votis; hanc enim libentiſſime admittimus tum in ſupremo Capite, tum in inferioribus Prælatis; nec quia unquam legitima poſſit occurrere cauſa elargiendæ diſpenſationis, nam & hanc poſſe contingere, & tunc eſſe concedendam diſpenſationem ultro fatemur. Sed quia, ut diximus, raro admodum occurrit cauſa in votis pleno, ſerio, & deliberato animo emiſſis ampliſſimam elargiendi diſpenſationem; quod confirmatur ex praxi Sacræ Pœnitentiariæ, & ipſius Summi Pontificis, qui nunquam abſolutam impartiri ſolent diſpenſationem, ſed ſemper vel ipſi aliquam adjunxere, vel adjungendam præcepere Confeſſario commutationem, ut ipſe pluries coactus vel ad Sacram Pœnitentiariam confugere, vel ad ipſum Summum Pontificem ſemper expertus ſum.

IX. Regula 2. Quo gravius, & nobilius eſt votum, eo major, & gravior requiritur diſpenſandi cauſa. Nam in hujuſmodi votis res Deo oblata in magnum ipſius cultum cedere ſupponitur, qui proinde eo cultu non eſt privandus abſque gravi, & urgente cauſa, ut patet præcipue in votis Religionis, & Caſtitatis, in quibus homo meliora quæ obtinet bona, Deo offert, & maximum illi exhibet cultum, proinde etiam Summo Pontifici, ut mox dicemus, ſunt reſervata. Quoad minora vero vota, & quæ frequentius emittuntur, puta jejunandi ſtatutis aliquibus diebus, deferendi habitum alicujus Religionis, inviſendi aliquod Sanctuarium, & ſimilia, minor & levior eſſe poteſt cauſa legitimæ diſpenſationis.

X. Regula 3. Diſpenſandi in votis alicujus peccati vitandi, puta non fornicandi, non blaſphemandi, non pejerandi, non ſe inebriandi nullam unquam arbitror ſubeſſe poſſe legitimam cauſam. Quandoquidem jam homo iſta vitare tenetur, & deſiderio abſtinendi votum emiſit. Quænam igitur poteſt eſſe legitima cauſa auferendi votum, quod inſtar fræni ipſum a peccato removere valet, & eſt ad hoc ab ipſo vovente ordinatum? Nec dicas inutilitatem voti, & damnum ſpirituale ipſius voventis, qui nolens ſe continere nullam habet rationem voti, & duplici peccato ſe aggravat, vel ex nimia fragilitate frequentius labens majori labitur ſpirituali ruina. Nam hæc in malo pertinacia, vel in peccatum labilitas tota vel ex voventis malitia, vel ſaltem ex pigritia, accidia, negligentia oritur; ſi enim ſerio ſe emendare vellet, efficaciora adhiberet remedia, ad Deum aſſiduis precibus confugeret, nihil intentatum relinqueret, ut a cœno emergat, ut ſub diſcrimine æternæ ſalutis tenetur; non erit igitur hæc ſive in malo pertinacia, ſive fragilitas legitima diſpenſandi cauſa. Eo vel maxime quod locum habere poterit commutatio, qua & peccatorum impediatur duplicatio, & ſimul remedium adhibeatur labilitati vel fragilitati voventis per pium opus voto ſubrogatum, ut inferius dicemus. Verum hæc prudentum, & ſapientum Miniſtrorum judicio libens ſubmitto; fieri enim quandoque poteſt, ut in Monialibus præſertim, & fœminis, puelliſque caſus contingat, ob nimiam fortaſſis mentis imbecillitatem, phantaſiæ violentiam, quod expediens ſit Dei honori, & eorum ſaluti ab hujuſmodi votis etiam diſpenſationem abſolute largiri, vel impetrare. At regulæ non ſunt ponendæ pro rarioribus eventibus, ſed pro frequentioribus, & uſitatioribus.

XI. Regula 4. Inſpicienda etiam in votorum diſpenſatione, ut docet Alex. III. qualitas perſonæ voventis, nimirum ejus ætas, ſexus, mens vel tarda vel experrecta, infirmitas corporis, & ſimilia: hinc facilius concedenda diſpenſatio mulieribus puellis, quam viris, juvenibus, & pueris, quam ætate provectis, ingenio infirmis, quam mente pollentibus, ægris & debilibus, quam ſanis & bene valentibus.

XII. Regula 5. Eſt & materia voti inſpicienda in diſpenſationibus concedendis; puta ſi res voto promiſſa conveniat vel non conveniat voventi, an ipſius ſaluti utilior ſit ſolutio a voto, an proximis & Eccleſiæ melius inſerviat ſolutus a voto, quam eo ligatus; ut ſi peritus Miniſter vel in Confeſſionibus audiendis, vel in ſacris Miſſionibus habendis diuturnas voviſſet orationes, vel longam peregrinationem, profecto major proximi utilitas juſtæ eſſe poſſet diſpenſationis cauſa, ut utilius tempus in ea pietatis opera inſumere poſſit.

XIII. Facultate & poteſtate ordinaria diſpenſandi in votis pollent 1. Summus Pontifex Supremus Eccleſiæ Paſtor & Chriſti viceſgerens, de quo ſcribit S. Thom. hic q. 88. art. 12. *Quia Summus Pontifex gerit plenarie vicem Chriſti in tota Eccleſia, ipſe habet plenitudinem poteſtatis diſpenſandi in omnibus diſpenſabilibus votis*. 2. Summus Pontificis Pœnitentiarius. 3. Legati a latere, & Nuntii Apoſtolici diſpenſare poſſunt in votis cum ſubditis Provinciæ ſibi commiſſæ, in qua eccleſiaſticam obtinent juriſdictionem. 4. Archiepiſcopi, Epiſcopi, Vicarii Capituli ſede vacante, quoad ſibi ſpiritualiter ſubjectos,

ctos, de quibus ſcribit D. Th. loc. cit. ad 3. *Aliis inferioribus Prælatis committitur diſpenſatio in votis, quæ communiter fiunt, & indigent frequenti diſpenſatione, ut habeant de facili homines ad quem recurrant*. 5. Abbates jurisdictionem quaſi Epiſcopalem obtinentes. 6. Denique Prælati omnes Regulares ſibi ſubditorum vota tam perſonalia, quam realia diſpenſare poſſunt, etiam Novitiorum in anno probationis, vel ante ingreſſum in Religionem, vel ipſo Novitiatu emiſſa, cum & in ipſos plenam habeant juriſdictionem.

XIV. Sunt tamen nonnulla vota Summo Pontifici reſervata, a quibus diſpenſare non poſſunt inferiores Prælati: hæc quinque enumerantur, ſcilicet votum caſtitatis perpetuæ, Religionis, & trium peregrinationum, videlicet Romanæ ad Sacrorum limina Apoſtolorum inviſenda, Hieroſolymitanæ ad loca ſacra Chriſti præſentia conſecrata adoranda, & Compoſtellanæ ad Sancti Jacobi venerandas exuvias. Nec obſtat D. Thom. qui ea minuere videtur, dum hic quæſt. 88. art. 12. ad 3. duo tantum enumerat vota Summo Pontifici reſervata, ſcribens: „ Vota majora, puta continentiæ, & peregrinationis terræ ſanctæ, reſervantur Summo Pontifici “: vel etiam ulterius extendere, dum in IV. diſt. 38. q. 1. art. 4. quæſtiuncula 2. docere videtur, omnia vota perpetua eſſe Summo Pontifici reſervata, ſcribens: „ In votis illis, quæ non de facili diſpenſationem excipiunt, nec frequenter, ſed raro, ſicut votum Religionis, & alia hujuſmodi vota perpetua ſolus Papa diſpenſare poteſt “. Non obſtat inquam, nam in primo teſtimonio non omnia recenſuit vota ſummo Pontifici reſervata, ſed duo enumeravit ſolum cauſa exempli; in 2. vero teſtimonio, de illis perpetuis votis eſt locutus, quæ de ſe perpetuitatem ferunt, ut ſunt vota caſtitatis & religionis, non vero de illis, quæ perpetuitatem habent ex ſola voventis voluntate, uti ſunt vota jejunandi perpetuo omnibus Sabbatis, recitandi perpetuo quotidie officium vel Roſarium Virginis, & ſimilia. Vota vero reſervata Summo Pontifici poteſt major Pœnitentiarius diſpenſando commutare facultate illi tributa a ſapientiſſimo Pontifice Bened, XIV. in Bulla *Paſtor bonus* §. 29.

XV. Hujuſmodi autem reſervationem eſſe ſtricte intelligendam docent communiter Doctores, cum ſit odioſa, & ordinariæ Paſtorum poteſtatis imminutiva. Poſtulant igitur, ut ea vota ſint certa, abſoluta, perfecta, & expreſſa, proinde ſi qua deſit ex his conditionibus, non amplius ſub reſervatione comprehendantur; immo licet ſint reſervata quoad ſubſtantiam, non intelliguntur tamen reſervatæ qualitates, & circumſtantiæ illis adjectæ. Sed de his cap. 17. in Corollariis, ubi de votorum commutatione ſermonem habebimus.

XVI. Regulares nullam habent poteſtatem diſpenſandi vota a viris vel Clericis ſæcularibus, vel etiam alterius Religionis emiſſa. Obſiſtunt huic noſtræ aſſertioni innumeri pene Theologi, qui plura quidem laudant privilegia Innoc. VIII. Eugenii IV. Martini V. Pauli III. Gregorii XIII., nec non compendia privilegiorum Dominicanorum, Minorum, Auguſtinianorum, Carmelitarum, Societatis Jeſu, & aliorum Ordinum; at nullum recitant ex his privilegiis, non verba afferunt, quibus dicatur conceſſa Regularibus facultas diſpenſandi in hujuſmodi votis. Verum hæc privilegia jam dudum in ſuſpicionem falſitatis revocata ſunt a Lezana, Martinez de Prado, & Poſſevino, & denique a Cl. viro P. Daniele Concina diligenter diſcuſſis omnibus Privilegiis ab Auctoribus recenſitis vel citatis, in laboris ſocietatem vocatis etiam aliquibus ex ſuis Concellitis, in quorum numero & ipſe fuit, & compertum eſt vel nullam in illis facultatem concedi diſpenſandi, ſed ſolum commutandi, vel ſi qua diſpenſandi poteſtas data eſt, hæc non per Bullam, nec Breve, ſed per ſimplicem ſupplicis libelli, ut vocant, ſignaturam conceſſa eſt, & quidem uni Benedictinorum Valliſoletano Cœnobio, nec omnibus quidem Religioſis, ſed ſolum Confeſſariis deputatis, ſive deputandis a Priore ſive Præſidente ejuſdem Monaſterii. Nullo proinde innititur fundamento hæc univerſalis poteſtas, quam jactant Auctores Regularibus conceſſam diſpenſandi in omnibus votis. Fidenter itaque provoco Theologos ad hæc producenda privilegia, quod eo libentius præſto, quia video non deeſſe Scriptores, qui etiam poſt præfatum examen a Concina inſtitutum, adhuc hanc poteſtatem jactant in Regularibus, ut faciunt P. Didacus ab Aragonia in ſua Elucidatione Privilegiorum Ordinum Regularium tract. 6. cap. 6. num. 8. P. Boranga in tract. de Virt. Relig. cap. 4. §. 12. & P. Ferrari in ſua Bibliotheca V. Votum n. 77. quin ullum afferant Breve, vel Bullam hocce privilegium concedentia. Dum e contra R. P. Gabriel Angelus a Vicetia in ſuo de Privilegiis Regularium Opere Venetiis anno 1768. edito, qui rem ſerio perpendit, ſententiæ Concinianæ ſubſcripſit, nullamque Regularibus diſpenſandi factam poteſtatem agnoſcit, in cujus confirmationem etiam duo non contemnenda proponit argumenta parte 1. cap. 19. n. 7. nimirum 1. nec ipſo Jubilæi tempore conſueviſſe Romanos Pontifices Confeſſariis hanc concedere diſpenſandi in votis poteſtatem, ut videre eſt in Bullis Benedicti XIII. & XIV. Clementis XII. XIII., & XIV. 2. Nec ipſi Majori Pœnitentiario concedi diſpenſandi in votis facultatem, ut videre eſt in Bulla ſuperius laudata Bened. XIV. *Bonus Paſtor*, ſed ſolum ut valeat reſervata vota in alia pietatis opera commutando diſpenſare. Porro quis dicat ampliorem Regularibus omnibus conceſſam, quam Majori Pœnitentiario? Qui etiam docte ſapienterque monet, ſi quibus in privilegiis commutandi additur & *relaxandi*, hocce verbum non tanta vi pollere, quantam illi tribuunt Theologi, & Caſuiſtæ, quandoquidem nec rigoroſam, & proprie dictam diſpenſandi facultatem ſignificat, ſed eam dumtaxat vinculi ſolvendi poteſtatem, quæ etiam in ſimplici commutatione reperitur. Caveant igitur Confeſſarii Regulares, ne juriſdictionem ſibi uſurpent, quam illis a Summis Pontificibus conceſſam neſciunt, immo ſin-

ſin certo, & evidenter, probabiliſſime tamen, & morali certitudine ſe carere ex dictis hactenus dignoſcere valent.

XVII. Poteſtatem habent Regulares Ordinum præſertim Mendicantium commutandi omnia vota, exceptis quinque Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & hoc vi ſuorum privilegiorum, quæ profecto certa ſunt, nullique dubitationi obnoxia, & in ſuo robore permanentia, ut videre eſt in Conſt. Eugenii IV. Pauli III. Gregorii XIII. Clement. VII. nec non Benedicti XIII. in ſua Bulla *Pretioſus*, & licet eam Clemens XII. revocaverit quoad ſpecialia ab ipſo conceſſa privilegia, firma tamen manent alia privilegia a Summis Pontificibus conceſſa, & in ea Bulla confirmata. Et revera nullus eſt, qui de hac poteſtate vota commutandi Regularibus conceſſa dubitet, vel eam inficietur.

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Quid agendum in dubio, num legitima adſit concedendæ diſpenſationis cauſa?*
II. *Quid ſi cauſa, quæ putabatur legitima, deprehendatur inſufficiens?*
III. *Num imperfecta deliberatio, & difficultas ſint legitimæ diſpenſationis cauſæ?*
IV. *Num dubium de valore voti?*
V. *Num commune bonum, vel etiam privatum alicujus familiæ?*
VI. *Diſpenſans ſine juſta cauſa peccat.*
VII. *Prælatus Regularis inferior diſpenſare valet in voto emiſſo etiam de licentia Prælati Superioris.*
VIII. *Nequeunt Prælati Regulares ſuos ſubditos ab iis votis diſpenſare, quæ ad propriæ Religionis ſtatum pertinent.*
IX. *Epiſcopi poſſunt ſuos ſubditos ab omnibus votis diſpenſare, exceptis reſervatis Summo Pontifici.*
X. *Qui ordinaria pollent poteſtate diſpenſandi in votis, ea etiam in ſui favorem uti poſſunt.*
XI. *Quando Epiſcopi valeant diſpenſare in votis reſervatis Summo Pontifici.*

Conſectarium Primum.

I. IN dubio, num legitima adſit diſpenſationis concedendæ cauſa, cum dupliciter dubium occurrere poſſit, duplici quoque animadverſione opus eſt. Nam ſi dubium ſit, num aliqua adſit cauſa diſpenſationis, non eſt concedenda; cum ob incertam cauſam a certo onere, & voto juſte, & licite nemo liberari valeat. Si vero adſit quidem aliqua cauſa, ſed hæc num ſufficiens ſit ambigatur, locum habere poſſe diſpenſationem cenſent nobiliores Theologi, nec diſſentit D. Ang. dum ſcribit hic q. 88. a. 12. ad 2. „ Si eſſet cauſa apparens, per quam ſaltem in „ dubium verteretur, poſſet ſtare judicio Prælati „ diſpenſantis, vel commutantis. Animadvertas tamen velim in laudatis verbis D. Tho. non definire, num in hujuſmodi dubio queat Prælatus vel diſpenſare, vel commutare, ſed ſolum voventem poſſe aquieſcere judicio Prælati, ad quem tamen pertinet perpendere, num loco diſpenſationis melius ſit uti commutatione, ſi hæc enim ſufficiat ad levamen voventis, diſpenſatio non erit concedenda ex cauſa, de qua ambigitur, num ſit ſufficiens.

Conſectarium Secundum.

II. Conceſſa vero diſpenſatione ex cauſa, quæ ſufficiens putabatur, & juſta, ſi poſtea nec juſta dignoſcatur, nec ſufficiens, diſpenſatio nulla eſt omnino habenda. Contrarium quidem cenſent benigniores Theologi, arbitrantes doctrinam hanc ſcrupulis viam ſternere, Superiorum diſpenſationes ſemper incertas reddere, & nunquam firmas. Verum prior ſententia omnino vera eſt, quam docent Paſſerinus, immo & ipſe Lacroixius lib. 3. part. 2. dub. 8. n. 540. Quandoquidem in confeſſo eſt apud omnes, ad validam licitamque diſpenſationem juſtam requiri cauſam, & Superiorem ſine juſta cauſa diſpenſationem concedentem peccare etiam lethaliter, ſi tanta ſit materiæ gravitas; hac igitur deficiente nulla ſit oportet diſpenſatio, cum fundamentum plene corruat, cui illa ſuperſtruitur. Vide quæ dicta ſunt Tract. 1. de Legib. Diſſ. 4. cap. 10. Conſect. 14. Bona vero fides, qua & petita, & conceſſa fuit diſpenſatio, a culpa quidem excuſat, at non validam efficit diſpenſationem. Nec locus eſt ſcrupulis, dum quis diſpenſatione utitur, donec bona durat fides de juſta & legitima cauſa conceſſionis, ceſſante vero bona fide, & comperta vel nullitate vel inſufficientia cauſæ ab uſu diſpenſationis abſtineat, & votum ſuum ſervet. Quis enim dicat ſcrupulorum fodinam aperire Theologos dum docent, poſſeſſorem bonæ fidei poſſe ſibi rem retinere, ad quam domino reſtituendam adſtringitur, cum ceſſante bona fide reperit rem eſſe alienam? Num per hanc doctrinam infirmi redduntur & ſemper nutantes tituli poſſeſſorum? Nullus erit qui dicat. Pari igitur pacto & de diſpenſationibus eſt dicendum. Hinc ſuæ conſulant conſcientiæ, qui voti caſtitatis diſpenſationem a S. Sede impetrant ſub hac clauſula, *Quod Orator vel Oratrix ita ſtimulis carnis incitetur, ut continentiam ſervare poſſe non ſperet, ac propterea matrimonium contrahere deſideret.* Hæc enim moralis ſervandæ caſtitatis impoſſibilitas vix reperiri poteſt in iis, qui ſerio tum exteriores, tum interiores peccandi occaſiones vitare ſtudent, qui piis lectionibus, & orationibus vacare volunt, qui ſacramenta frequentare, & carnem ſubigere non omittunt; quapropter ipſi in cauſa ſunt, & quidem ex malitia, ſi caſtitatem voto promiſſam non ſervant.

Conſectarium Tertium.

III. Nec imperfectio deliberationis in vovente, nec difficultates in voti executione vincendæ ſunt ſemper ſufficientes & legitimæ concedendæ diſpenſationis

ſationis cauſæ. Et quoad primam partem non de ea loquimur indeliberati animi repentina actione, quæ libertate ſublata nullum reddit votum, de hac enim nulla eſt controverſia, ſed de illa, quæ vel ex nimia oritur vovendi facilitate, vel ex repentino timore mortis, naufragii, alteriuſve gravioris periculi, & hanc dicimus non eſſe ſe ſola ſufficientem ad diſpenſationem impetrandam, cum adhuc ea revera conſiſtat libertas, quæ ad valorem voti ſufficit. Nonne plerumque vota emittuntur vel gravi timore alicujus mali vitandi, vel ex vehementi deſiderio alicujus conſequendi boni? Porro iſtæ affectiones animi mentem certe aliquantulum perturbant, non ita tamen ut ſufficienter non advertat vovens ad onus quod ſibi aſſumit, immo efficiunt ut libentius aſſumat; quod ſi hæc qualiſcumque imperfectio ſufficiens eſſet ad diſpenſandum cauſa, omnia ferme vota forent per hoc diſpenſanda. Neceſſe eſt igitur ut huic imperfectæ deliberationi aliqua alia addatur cauſa. Sponte tamen concedo, tantam poſſe occurrere ex phantaſiæ vehementi commotione animi perturbationem, ut imprudenter multiplicentur vota, & ex quocumque timore mali, vel deſiderio boni etiam ſpiritualis ſtatim ad votum confugiatur, ut contingit præſertim in fœminis devotis, & Monialibus; & tunc ſin abſoluta diſpenſatio, ſaltem commutatio in materia leviſſima eſt concedenda, & ſerio monendæ, ne amplius vota emittant non petita a Superiore, vel Confeſſario licentia. At cum hoc non adeo frequenter occurrat, ideo generalem, quam plures ſtatuunt Theologi regulam, ſcilicet ſolam indeliberationem eſſe ſufficientem & juſtam concedendæ diſpenſationis cauſam, omnino adprobare non poſſum cum Suarezio, Valentia, & Paſſerino. Quoad difficultatem vero in voto implendo hæc de ſe non videtur ſufficiens cauſa diſpenſationis, nam cum votum ſit de aliquo onere aſſumendo, profecto illud quodcumque ſit, in ſui executione gravat; & quis difficultatem non experitur in jejunando, in privatione pecuniæ in eleemoſynam erogandæ, in longiori oratione perſolvenda? Si ergo hæc forent cauſa juſtæ diſpenſationis, nullum jam eſſet votum, quod per diſpenſationem tolli non poſſet. Illa igitur ſola difficultas eſſe valet legitima diſpenſationis cauſa, quæ poſt emiſſum votum emergit, & contra voventis ſpem illum gravat, quia nimirum in voti obſervantia gravibus agitur ſcrupulis, quia in gravi verſatur periculo violandi voti, quod vitare non poteſt, ut contingit in viro, qui non petendi debitum votum emiſit, & ſimul a maritali thoro disjungi non poteſt; vel quia urgente ſenecta, gravante infirmitate difficilior, & oneroſa nimis redditur impletio voti. In his enim caſibus locum eſſe juſtæ diſpenſationi, præcipue ſi aliqua temperetur commutatione, libenter aſſentior cum Soto, Cajetano, Navarro, aliiſque.

Conſectarium Quartum.

IV. Dubium de valore voti, vel de ſufficienti, & requiſita intentione vovendi, ſeu ſe obligandi, eſſe poteſt concedendæ diſpenſationis legitima cauſa, cum ipſum votum incertum ſit, & de ejus obligatione prudenter dubitetur; quod pariter ſentiendum eſt, ſi dubium ſuboriatur, num votum in facto ſit majoris boni impedimentum, & voventi vel inutile, vel pernicioſum, & divino cultui parum, vel nihil conferre videatur: tunc enim eſſet votum per diſpenſationem tollendum, ne quod inſtitutum eſt ad caritatis augmentum, & majorem perfectionem, in illius perniciem, & imminutionem vergat.

Conſectarium Quintum.

V. Bonum commune ſive reipublicæ, ſive etiam alicujus familiæ eſſe poteſt cauſa juſtæ concedendæ diſpenſationis. Ut jejunii votum in animarum Paſtore, in publico Profeſſore, Miſſionario, quotieſcumque per illud ab animarum ſolerti cura, a publico Magiſterio, ab habendis concionibus præpediretur; ſicut & votum ſive continentiæ, ſive Religionis in nobili cive ad conſervandam familiam publico bono, vel ad graves tollendas inimicitias, & pacem in familiis inducendam; & votum peregrinationis in patre familias, qui cogeretur familiam deſerere non ſine illius & temporali, & ſpirituali detrimento. In hiſce tamen concedendis diſpenſationibus optime monent Sotus, & Cajetanus animadvertendum, bonum illud, quod ex voti diſpenſatione ſperatur, melius eſſe debere, & magis ad Dei cultum, & gloriam conducens, quam voti vinculum, & materia voto Deo oblata.

Conſectarium Sextum.

VI. Diſpenſans ſine juſta cauſa, nec non petens & acceptans hujuſmodi diſpenſationem (præter diſpenſationis nullitatem) peccat etiam lethaliter pro ratione materiæ, nam in re gravi jus ſibi uſurpat, quo non potitur, & ſpirituali poteſtate abutitur, quæ non in deſtructionem data eſt, ſed in ædificationem, & hujuſcemodi diſpenſationes potius diſſipationes dicendæ ſunt. Qui vero tali utuntur diſpenſatione, cum non ſint a vinculo voti legitime ſoluti, palam eſt eos peccare vota ſua non implendo, immo & quod illicitum eſt, & illegitimum petendo, & acceptando. Vide dicta Tract. 1. de Legib. cap. 9. n. 9. reg. 6.

Conſectarium Septimum.

VII. Prælatus regularis inferior diſpenſare valet cum ſuis ſubditis in votis etiam de licentia vel ſua, vel Prælati ſuperioris emiſſis. Ratio primæ partis eſt manifeſta; dum enim Prælatus ſubdito facultatem vovendi conceſſit, licet dominativa ſe expoliaverit poteſtate, unde votum conceſſum irritare non amplius poſſit, non tamen ſpiritualem exuit juriſdictionem in ipſum, quam ſemper ſervat, nec per conceſſam vovendi veniam fuit imminuta; poterit igitur legitima urgente cauſa, ea uti, & diſpenſationem elargiri. Quæ ratio locum habet in ſecunda parte confirmanda, licet nonnulli obluctentur Theologi; quan-

quandoquidem ſuperior Prælatus veniam concedendo ſubdito vovendi, illum quidem a dominativa inferioris Prælati poteſtate ſubduxit, quamobrem ea vota irritandi poteſtate non amplius pollet, ut diximus ſuperius cap. 13. Corol. ult. at ab ejus juriſdictione non ſubducit, quæ adhuc integra in inferiore Prælato, & non imminuta perſeverat, illum propterea poterit diſpenſare.

Conſectarium Octavum.

VIII. Nequeunt Prælati Regulares ſuos ſubditos ab iis votis diſpenſare, quæ ad propriæ Religionis ſtatum pertinent, licet fortaſſe ſolemnia non ſint, cujuſmodi ſunt vota de victu quadrageſimali in Minimis, de dignitatibus, & officiis in Religione, vel extra non ambiendis, vel acceptandis, ut apud PP. Societatis Jeſu, votum manendi in pignus ob liberationem captivi, ut apud PP. Ordinis S. Mariæ de Mercede, inſerviendi infirmis lue infectis, quod emittitur a PP. Infirmorum Miniſtris. Quia hujuſmodi vota vel ſtatum ipſum Religioſum conſtituunt, vel ſaltem ſunt talis Ordinis ſpecialia decora, & ornamenta, de quibus diſponere nequeant Superiores, ſed ſarta tecta cuſtodire tenentur, & nunquam vel diſpenſatione, vel irritatione, vel commutatione auferre. Poſſunt tamen diſpenſare, vel commutare votum tranſeundi ad arctiorem Religionem, quotieſcumque Prælatus compertum habeat, ſubditum melius ad evangelicam perfectionem poſſe tendere in ea qua vivit Religione, quam in arctiore quam vovit, cum nullibi hocce votum reſervatum habeatur. Quod ſi in Religione voventis diſciplina regularis ſit graviter collapſa, & vota præſertim paupertatis, & vitæ communis vix ſerventur, adhuc poterit a voto tranſeundi ad arctiorem diſpenſare, at non ab onere, & debito ſe transferendi, ubi & vigeat regularis obſervantia, & vota fideliter cuſtodiantur, cum ad hoc ex vi ſui ſtatus, & emiſſæ profeſſionis teneatur.

Conſectarium Nonum.

IX. Epiſcopi poſſunt omnia ſuorum ſubditorum vota diſpenſare, exceptis ſummo Pontifici reſervatis, cum plena gaudeant in eos juriſdictione, in qua cum ſuccedat & Vicarius Capituli Sede Vacante, eadem quoque pollet facultate. Archiepiſcopi vero, & Metropolitani poſſunt quidem in votis ſuorum Suffraganeorum diſpenſare, non vero cum ſubditis præfatorum Suffraganeorum, niſi quando per appellationem ad eos recurſus habeatur, ſi forte Epiſcopi petitam diſpenſationem injuſte denegarent, cum immediatam in ipſos juriſdictionem non habeant; ideo nec tempore viſitationis tali pollent facultate, quia licet in Jure Canonico eis concedatur, ut dum viſitant, poſſint confeſſiones audire, & abſolutionem impartiri, de votorum tamen diſpenſatione nihil decernit. Monialium vero Abbatiſſæ, & Prioriſſæ cum careant ſpirituali juriſdictione, licet poſſint per dominativam poteſtatem vota irritare, diſpenſare tamen omnino non poſſunt.

Conſectarium Decimum.

X. Qui ordinaria pollent diſpenſandi in votis facultate, ea etiam in ſui favorem uti poſſunt eligendo Confeſſorem, a quo diſpenſentur. Id ex D. Th. colligitur, qui 2. 2. q. 185. a. 8. docet, poſſe Prælatum ſecum diſpenſare in legibus, in quibus valet & ſubditis diſpenſationem indulgere. Et revera non debet Superior eſſe deterioris conditionis, quam ſubditi. Nec obſtat, neminem eſſe poſſe judicem in propria cauſa, aut in ſeipſum juriſdictionem exercere; ſicut enim cum Epiſcopus in propria Diœceſi ſibi eligit Confeſſarium a quo audiatur, & abſolvatur, nec Judex eſt in propria cauſa, nec juriſdictionem in ſeipſum exercet, ita pari pacto nec cum Confeſſario ſuo poteſtatem tribuit ſecum diſpenſandi in votis, vel judex eſt in propria cauſa, vel juriſdictionem in ſemetipſum exercere cenſebitur. Recolantur quæ dicta ſunt Tract. 1. de Legibus Diſſ. 4. cap. 9. n. 9. reg. 7.

Conſectarium Undecimum.

XI. Epiſcopi ceterique Prælati, qui ordinaria donantur juriſdictione, poſſunt quandoque etiam in votis Summo Pontifici reſervatis diſpenſare, nimirum quando gravis urget neceſſitas, & admodum difficilis ad Summum Pontificem, vel ejus Legatum patet acceſſus, nam hoc poſtulat & æquitas, bonum commune, & ſpiritualis utilitas animarum, ob quam inducta eſt horum votorum reſervatio, quæ ſi in fidelium perniciem, & detrimentum vergat, caritas poſtulat, ut ſublata intelligatur. Sic poterit Epiſcopus puellam a voto vel caſtitatis, vel religionis diſpenſare, ſi a Matrimonio mox celebrando ſine gravi ſcandalo, & familiarum perturbatione non valeat reſilire; vel ſi Matrimonium ſit ad reparandum Virginis honorem neceſſarium, & ſi differatur, periculum immineat, ne injuſte ejus celebratio impediatur. Verum in hiſce urgentibus caſibus ſolum ea eſt concedenda diſpenſatio, quæ neceſſitati occurrat, quippe quia ob ſolam conceditur neceſſitatem. Quamobrem ſi ſufficiat concedere voti ſuſpenſionem, non eſt relaxanda abſoluta diſpenſatio. Si votum caſtitatis eſt diſpenſandum ut quis Matrimonium poſſit inire, ad hoc ſolum eſt coarctanda diſpenſatio, nec concedendum, ut contra votum non peccet fornicando, vel ſe polluendo, ſive diſſoluto Matrimonio cum alia Matrimonium contrahendo. Legantur quæ habentur loc. ſup. laud. n. 8. Reg. 5.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

De votorum commutatione.

DOCTRINA.

I. *Quid ſit voti commutatio.*
II. *Triplici modo fieri poteſt.*
III. *Commutatio in melius quando fieri poſſit propria auctoritate.*

IV. *An aliquando Eccleſiæ poſtulet auctoritatem.*
V. *Quid doceat S. Thomas.*
VI. *In commutatione æqualitas eſt ſervanda.*
VII. *Non mathematica, ſed moralis.*
VIII. *Ad legitimam commutationem cauſa requiritur.*
IX. *Non eſt neceſſe, ut fiat in Sacramentali Confeſſione.*
X. *Servanda æqualitas etiam quando fit commutatio ex conceſſione Jubilæi.*
XI. *Regulæ ſervandæ in votorum commutatione. Regula* 1.
XII. *Regula* 2.
XIII. *Regula* 3.
XIV. *Regula* 4.
XV. *Regula* 5.
XVI. *Regula* 6.
XVII. *Regula* 7.
XVIII. *Facta commutatione num teneatur vovens ad priorem materiam redire.*
XIX. *Num poſſit propria libertate.*
XX. *Suarezii ſententia probabilior videtur.*

I. COMMUTATIO voti, quæ & a Regularibus vi privilegiorum, & ab aliis facultatem jure ordinario diſpenſandi obtinentibus fieri poteſt, ex S. Tho. definitur, *translatio obligationis a materia voti antea eliciti in aliam materiam eidem priori ſubrogandum.* Ad veram, & ſtricte ſumptam commutationem eccleſiaſtica requiritur juriſdictio, ut docet S. Tho. in 4. diſt. 38. q. 1. a. 4. quæſtiuncula 4. ſcribens: „ In commutatione eſt quidam contractus, qui „ non poteſt perfici ſine conſenſu utriuſque par„ tis, unde non poteſt fieri commutatio voti, ni„ ſi interveniat conſenſus ejus, qui vicem Dei ge„ rit in terris, ſcilicet Prælati, niſi forte unum „ votum ab alio includatur. Num etiam aliqua requiratur commutationis cauſa, mox dicemus.

II. Tripliciter fieri poteſt voti commutatio, ſcilicet vel in aliquid evidenter melius, vel in æquale, vel in minus bonum. Rurſus illud, quod evidenter melius apparet, ex duplici capite ſuam deſumere valet excellentiam, nimirum quia in ſuo exceſſu continet rem promiſſam, ut ſi quis voveat calicem argenteum, & donet aureum, polliceatur jejunium eccleſiaſticum, & jejunet in pane & aqua; vel quia opus præſtitum licet ſpecie vel genere morali diverſum, ſuperat tamen in bonitate rem voto promiſſam; ſic qui vovit audire Miſſam, & loco auditionis celebrandam curat, vovet jejunium, & largam ejus loco erogat eleemoſynam, vel tenuem vovit eleemoſynam, & loco ejus duplicatum ſubſtituit jejunium. His prænotatis quærunt Theologi, num quilibet vovens valeat propria auctoritate votum ſuum in melius commutare?

III. Et primum mutationem in melius, quod rem promiſſam in ſe contineat, nullus eſt qui ambigat, omnibus voventibus licere, quia re penitius inſpecta non eſt vera commutatio, ſed amplior, & ſuperabundans ſolutio. Quis enim non perſpicit voventem calicem argenteum largius ſolvere votum, ſi det aureum, cum in hoc argenti pretium contineatur; & ſimiliter voventem jejunium eccleſiaſticum abundantius ſolvere per jejunium in pane & aqua, cum hoc complectatur non ſolum abſtinentiam a carnibus & a duplici comeſtione, ſed & a quocumque cibo præter panem? Quod etiam confirmatur S. Th. doctrina hic q. 88. a. 12. ſcribentis: „ Dicendum, quod omnia alia vota ſunt quorum„ dam particularium operum: ſed per religionem „ homo totam vitam ſuam Dei obſequio deputat. „ Particulare autem in univerſali includitur: & „ ideo Decretalis dicit “ (cap. *Scripturæ* de voto &c.) *quod* reus voti fracti non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam religionis obſervantiam commutat.

IV. At quando vera intervenit commutatio operis voto promiſſi in aliud plene diſtinctum licet excellentius, puta jejunium in copioſam eleemoſynam, num fieri hæc poſſit privata auctoritate ambigunt Theologi: & quidem omnes pene recentiores, nulla facta diſtinctione abſolute docent, quamcumque commutationem in evidenter melius fieri poſſe ad libitum voventis, nam, inquiunt, quis ambigat, quod melius eſt, Deo gratius eſſe & acceptius? Porro ſi gratius Deo, ergo licitum & honeſtum, ergo non violati voti reus erit, qui quod magis acceptum eſt Deo, quod licitum & honeſtum eſt, perſolvit. Ita ſentiunt Salmanticenſes, pluresque alii ab ipſis citati. At ex oppoſito antiquiores Theologi & Canoniſtæ D. Bonaventura in 4. ſuppl. diſt. 28. quæſt. 1. a. 1. Sylveſter v. *Votum*; Innocent. cap. *Pervenit*, unico de jure jurand. Hoſtienſis ibid. n. 1. Abbas ibid. n. 2. aliique docent, hujuſmodi commutationem privata non poſſe peragi auctoritate voventis. Et hæc opinio mihi probabilior apparet. Quandoquidem Theologi adverſæ ſententiæ, quod ſolum materiale eſt in voto reſpiciunt, nimirum rem voto promiſſam, at ad fidelitatem promiſſionis, quæ ſpiritus eſt & anima voti, non attendunt, Quod enim gratum eſt Deo in voto, non tam eſt res ipſa voto oblata, quam fidelitas in voto implendo; quotieſcumque ergo rem Deo oblatam commutas, jam fidem oppignoratam non ſolvis, & cum unum promiſeris, alterum præſtas: hinc dicitur Eccleſ. 5. v. 3. *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere, diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio.* Quod igitur Deo diſplicet, non eſt privatio rei oblatæ, cum bonorum noſtrorum ipſe non egeat, ſed infidelitas in promiſſione non impleta; ergo ex oppoſito quod Deo placet, non tam eſt ipſa res oblata, ſed fidelitas in voto implendo; unde concludit Scriptura, *ſed quodcumque voveris, Deo redde.* Juſtitiam quidem non violas, nam amplius quam promiſiſti præſtas, at fidem violas, quia rem promiſſam omnino non præſtas. Hinc jubebat Deus Levit. 27. v. 9. *Animal, quod immolari poteſt Domino, ſi quis voverit, ſanctum erit, & mutari non poterit, ideſt nec melius malo, nec pejus bono*, ſcilicet nec melius in malum, nec pejus in bonum.

V. Confirmatur doctrina S. Thom. ſuperius laudata: *Commutatio* (inquit) *eſt quidam contractus, qui perfici nequit abſque conſenſu utriuſque partis,*

tis , *& ideo nequit fieri abſque conſenſu ejus* , *qui vicem Dei gerit in terris* . Porro qui eleemoſynam vovit , & loco ejus jejunium præſtat , qui auditionem Miſſæ promiſit, & loco ejus Sacerdotis celebrationem ſubſtituit , revera unum pro alio commutat; ergo hoc præſtare nequit ſine conſenſu illius, qui Dei vicem gerit; non ergo propria libertate & poteſtate. Et cum D. A. docet , poſſe quemlibet mutare vota ſua in religioſum ſtatum , non eam affert rationem , quia ſtatus religioſus quocumque pio opere ſit excellentior , ſed quia (ſcribit) *votum religionis includit omnia alia vota tum ratione perpetuitatis* , *tum ratione obedientiæ*, *qua homo voluntatem ſuam tradit* , *per quam & ſui* , *& omnium dominus eſſe poteſt* : *ideo ille* , *qui votum temporale fecit* , *poteſt*, *non requiſita alicujus Prælati diſpenſatione*, *religionem intrare*. Dum e contra qui benigniorem profeſſus religionem ad ſeveriorem tranſire cupit , licentiam a Superiore petere debet . Diſcriminis ratio, quia nimirum in priore nulla habetur commutatio , ſed abundantior ſolutio , in poſteriore vero aliqua apparet commutationis umbra. Sed diutius in his immorari non vacat : qui plura volet , legat Danielem Concina lib. 4. in Decal. cap. 14.

VI. In commutatione æqualitas eſt ſervanda , nec licet habenti ſolam poteſtatem vota commutandi ea in minorem materiam commutare . Ita contra nonnullos benigniores Theologos Bonacinam , Dianam , Leſſium, & alios docent graviores Theologi Cajetanus, Sylveſter, Sotus, Suarezius, & Salmanticenſes, aliique ab ipſis citati . Et ratio luculenter oſtendit, nam cum juxta D. Thom. ſæpius repetitam doctrinam commutatio ſit quidam contractus inter voventem , & Superiorem , qui Dei vicem gerit , in omni contractu , qui non ſit liberalis donationis , ſed veræ commutationis, æqualitas intercedat oportet , alioquin qui ſolum commutandi poteſtatem habet, & in æquale non commutat , ſua abutitur poteſtate, & Domino, cujus vices gerit, non ſervat fidelitatem.

VII. Fatendum tamen, æqualitatem non requiri omnino mathematicam , & ſitam in puncto , ut ita dicam , indiviſibili , ſed ſufficere moralem , ſervatis prudentiæ regulis , & bona fide , procul omni fraude. Hinc non audiendi benigniores Theologi , qui docent, commutationem fieri poſſe etiam in minorem & inæqualem materiam, dummodo diſparitas & inæqualitas tanta non ſit , ut diſpenſationi æquipollere videatur ; quandoquidem ſi in minorem materiam fiat commutatio, etiam tollitur æqualitas, qua ſublata tota perit natura veræ commutationis, & in diſpenſationem ſaltem ex parte tranſit : ſicut qui rem vendit pretio infimo minore , donare cenſetur, ſi dominus ſit , ſi vero dominium non habeat , fur erit , vel infidelis miniſter. Quod ſi dubium ſuboriatur , num hæc habeatur æqualitas, cenſerem valere commutationem , & licere, quia tali poſito dubio certum eſt , non apparere manifeſtam inæqualitatem ; proinde depoſito dubio , & nimia poſita anxietate commutationi acquieſcendum.

VIII. Cauſam quoque ad legitimam commutationem requiri docet aperte S. Thom. hic q. 88. art. 12. in corp. ſcribens: *Prælatus in Eccleſia gerit vicem Dei*, *& ideo in commutatione* , *vel diſpenſatione votorum requiritur Prælati auctoritas* , *qui in perſona Dei determinat* , *quid ſit Deo acceptum*. Et quidem ſi mutatio fiat in melius ac perfectius, ipſa operis ſubrogati excellentia , legitima eſt commutationis cauſa. Ut vero in æquale fiat, non ſufficit ipſa voventis petitio , ut quidam putant Theologi , cum hæc petitio adhuc rationabilis eſſe debeat, ut ipſi prudenter Superior annuat; temerariæ enim petitioni annuere imprudentis eſt, & incauti: hinc præter voventis petitionem aliqua eſt aſſignanda cauſa , quæ tamen neceſſe non eſt , ut ſit urgens & gravis , ſed & levis ſufficere poteſt, qualis foret difficultas aliqua in ipſius operis impletione occurrens. At ſi talis commutatio in æqualem materiam ſine cauſa fiat , erit quidem illicita , non vero invalida; quia licet abuteretur commutans ſua poteſtate temere & irrationabiliter commutando , ſervando tamen æqualitatem nec Dei cultum minueret , nec voventi damnum inferret ſpirituale. Hinc etiam lethalis peccati damnare non auderem eum, qui etiam ſine cauſa in æquale votum permutaret. At ſi fiat in materiam minorem , jam cum commutationi admiſceatur diſpenſatio , & Dei cultus minuatur, urgentior requiritur cauſa . Quæ ſi deſit , non ſolum illicita erit commutatio , ſed & invalida ; licet hoc inficientur nonnulli Theologi, qui putant valere, cum onere tamen ſupplendi ſubrogatæ materiæ tenuitatem . Nam invalidam eſſe oſtendit ratio S. Th. hic q. 88. art. 12. ad 2. dicentis : *Cum poteſtas Prælati ſpiritualis*, *qui non eſt dominus* , *ſed diſpenſator*, *in ædificationem ſit data*, *& non in deſtructionem* , *ut patet* 2. *ad Cor.* 10. *ſicut Prælatus non poteſt imperare ea* , *quæ ſecundum ſe Deo diſplicent* , *ſcilicet peccata*; *ita non poteſt prohibere ea*, *quæ ſecundum ſe Deo placent*, *ſcilicet virtutis opera* . Si igitur ſine cauſa commutando , in rem minorem diſpenſaret, Miniſter ſua abuteretur poteſtate, & talis commutatio cederet non in ædificationem , ſed in deſtructionem , quippe qui impediret , ſive tolleret virtutis opera , quæ Deo placent , illique ſunt voto debita , ergo invalida foret habenda. Hunc vero ita ſua poteſtate abutentem a gravi peccato non excuſarem, ſi notabilis inde ſequeretur divini cultus imminutio, ſecus vero ſi hæc admodum foret exigua ; cum & ipſe ſpiritualis abuſus poteſtatis latitudinem patiatur, nec in indiviſibili conſiſtat, unde peccati gravitas a diminutione majore vel minore divini cultus eſt dimetienda. Aliter tamen dicendum eſt de vovente , qui privata auctoritate votum ſuum in æquale, multoque magis in minorem materiam commutare auderet; nam poteſtatem ſibi uſurpare tentaret in re ſpirituali , quæ ſibi minime convenit: præterquam quod invalida hæc commutatio a voti impletione eum minime liberat ; quamobrem reus eſt & violati voti , rem voto promiſſam non implendo.

IX. Votorum commutatio neceſſe non eſt ut fiat in actu Sacramentalis confeſſionis, cum hanc limitationem non afferant Bullæ, quæ privilegium com-

commutandorum votorum impertiuntur; excipiuntur tamen facultates hujuſmodi, quæ per litteras Sacræ Pœnitentiariæ conceduntur; in illis enim ſemper præcipitur, ut audita pœnitentis Sacramentali Confeſſione, & in actu Sacramentalis Confeſſionis, diſpenſationis, vel commutationis beneficium Confeſſarius impertiatur. Optime tamen in Sacramentali Confeſſione fiet, cum ad ſolum conſcientiæ forum pertineat, & pro eo tantum poteſtas fuerit conceſſa.

X. Quando vi Jubilæi vota commutantur, adhuc ſervanda eſt æqualitas, nec licet in minorem materiam mutare, ut nonnulli docent Theologi, ea præſertim ratione, quia putant, licere cuique voventi propria auctoritate in æquale votum ſuum commutare, quam tamen minime probabilem oſtendimus; nam conceſſa poteſtas non eſt ultra legitimos terminos dilatanda. Cum itaque in Jubilæi Bullis ſola concedatur Confeſſariis poteſtas commutandi, moralis æqualitatis menſura in commutatione non eſt tranſilienda. Poſſunt tamen commutari tunc omnia vota (præter ea quæ in Bullis excipiuntur) ſive emiſſa fuerint ante Jubilæi promulgationem, ſive poſt, ſive etiam ſpe obtinendæ per Jubilæum commutationis. Immo valet commutatio etiam poſtquam quis lucratus eſt Jubilæum, licet tunc vel oblivione, vel oſcitantia commutationem non petierit. Et ſi quis bona fide, & animo lucrandi Jubilæum voti commutationem obtineat, poſtea vero vel negligentia, vel oblivione, vel aliquo impedimento opera per Jubilæum injuncta non præſtet, ideoque illud non lucretur, valet adhuc votorum commutatio, cum qui eam petiit obtinuitque, jam de Jubilæo lucrando mentem animumque habuerit. Ita declaravit Bened. XIV. in ſua Conſtit. *Convocatis* n. 54. qui tamen in eam propendet ſententiam, reum eſſe lethalis peccati, qui mentem ſuam de Jubilæo recipiendo mutat; cenſet enim tacitum ineſſe pactum, nimirum ut Confeſſarius illum participem reddat gratiarum Jubilæi, & pœnitens viciſſim ſe obſtringat ad injuncta opera præſtanda. Non valeret vero commutatio in illo, qui animum lucrandi Jubilæum non habuiſſet, vel qui ſciens & data opera omiſiſſet, vel noluiſſet Jubilæi tempore votorum petere commutationem; nam prudenter eſt præſumendum, Pontificem Summum beneficium Jubilæi illis minime concedere, qui Jubilæum lucrari contemnunt; & beneficium, quod definito tempore conceſſum eſt, non amplius conſequi meretur qui tunc temporis petere & obtinere voluntarie omiſit, & recuſavit.

XI. In votorum commutatione hæ ſunt regulæ obſervandæ. Regula I. Neceſſe non eſt ut votum perſonale in aliud opus perſonale, vel reale votum in realem materiam commutetur, ſed realia vota in opera perſonalia, & perſonalia vota in realia poſſunt optime commutari; ſic eleemoſyna juſte in ſervitium infirmo præſtandum commutatur, & peregrinatio in eleemoſynæ largitionem. Nam cum in votis hæc duo ſpectanda ſint & Dei honor ac cultus, & voventis utilitas, hæc æque reperiri poſſunt tum in perſonalibus, tum in realibus operibus, hæc proinde in illa recte & juſte commutantur, ratione tamen ſemper habita ad moralem proportionem, & æqualitatem.

XII. Regula II. In votorum commutatione ut plurimum optime rei promiſſæ ſubrogatur Sacramentorum frequentia, præſertim ſi commutanda ſint vota perſonalia. Nam hoc opus eſt & maxime Deo gratum, & utile voventi, ſive ſint arcenda peccata, ſive a Deo impetranda beneficia, ſive pro acceptis gratiæ agendæ, licet alias ſoleret vovens ea frequentare, quia ſicut poterat illa vovere, ita loco voti conſtitui poſſunt, & ſunt Deo gratiora opera ex voto facta, quam ex libera electione.

XIII. Regula III. Si votum ſit de aliquo peccato vitando, & voti impletio admodum conferat ad coercendum voventem a crimine, putarem denegandam commutationem, & efficacioribus verbis hortandum voventem ad perſeverandum in voto, ex quo tanta ſibi redundat ſpiritualis utilitas. Quod ſi forte prudens Miniſter putet concedendam commutationem ex urgenti cauſa, tunc gravis eſt ſubroganda materia, a qua eumdem liceat effectum prudenter ſperare. Si vero parum aut nihil conferat ad impedienda peccata, ſed vel ex fragilitate, vel negligentia voventis potius multiplicentur, tunc etiam levior materia pro commutatione poterit aſſignari. Adoleſcens votum emiſit de non nubendo, & poſtea creſcente ætate, urgentibus ſtimulis concupiſcentiæ, allicientibus peccandi occaſionibus, in plura labitur peccata vel cum complice, vel ſine complice, commutari ejus votum poterit in Sacramentalem confeſſionem, & communionem ter vel quater in anno peragendam, vel in Roſarium Virginis ſemel in hebdomada recitandum, & quidem perpetuo, cum votum perpetuum ſit.

XIV. Regula IV. Non tam materiæ voto promiſſæ dignitas, vel excellentia conſpicienda eſt, quam finis, in quem collineavit voventis voluntas. Vovit quis eleemoſynam ad ebrietatem fugiendam, non recte loco eleemoſynæ ſubſtitueretur oratio, vel Eccleſiæ viſitatio, licet hi actus ſint religionis miſericordia excellentioris, ſed ejus loco ſubſtitui poſſet jejunium, vel infirmorum in Xenodochiis viſitatio. Similiter ſi quis jejunium voveat ad refrenandum nimium lucri & pecuniarum amorem, non recte ſubſtitueretur Miſſæ auditio, vel alia corporalis afflictio, ſed eleemoſyna eſſet ſubſtituenda, vel ſervitium infirmis gratis præſtandum. Si vero vota ſint vel ad beneficia a Deo impetranda, puta liberationem ab infirmitate, naufragio, periculo, vel in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, tunc cum votorum finis ſit cultus Dei, opera voto promiſſa in alia commutari poterunt, quæ pariter Dei cultum ſpectent, ut in jejunia, in Miſſæ vel auditionem, vel celebrationem in Sacerdote, in Eccleſiæ viſitationem, in aſſiſtentiam divinis officiis, & ſimilibus, ſemper tamen præ oculis habitis circumſtantiis perſonæ. Vota abſtinentiæ & jejuniorum in Dei cultum emiſſa libenter commuto in eleemoſynam, quæ in diurnum pauperis alimentum ſufficiat juxta conditionem voventis, ut dum ipſe jejunii onere voluntarie aſſumpto levatur, pauper quoque neceſſitate jejunandi per voventis largitionem liberetur.

XV.

XV. Regula V. Onerum etiam multiplicitas in voto aſſumpta, & difficultates vincendæ, ſunt præ oculis in commutatione habendæ, hæ enim augent meritum promiſſi operis. Exemplum habes in voto peregrinationis, in quo Pontifex in Jure Canonico ſtatuit habendam rationem non ſolum difficultatis in itinere, ſed & expenſarum in itu, mora, & reditu faciendarum, quibus & adjungenda lucra domi ex peregrinatione ceſſantia. Itaque 1. In commutando peregrinationis voto moroſus non ſit Pœnitentiæ Miniſter, quælibet enim ratio, etſi non admodum urgens eſſet ſufficiens cauſa licitæ commutationis, cum in peregrinatione multa occurrere poſſint etiam ſpiritualia animæ nocumenta, præcipue temporis jactura, & otioſitatis, & vagationis habitus, mores etiam addiſcuntur in regionibus peragrandis parum honeſti, præter damna familiæ peregrini. 2. Supputandus labor itineris, quod in paupere cum pedeſtre foret, in aliquod jejunium, vel aliud pœnale opus commutari poſſet. 3. Perpendendæ expenſæ in itinere faciendæ, quas in eleemoſynas erogandas juberem juxta voventis conditionem, & ſi dives foret, & longa peregrinatio, expenſas commutarem in dotem vel ex integro, vel ex parte tradendam honeſtæ puellæ pauperi vel in Matrimonium, vel in Monaſterium collocandæ. 4. In his ſupputandis omnis eliminetur moroſitas; & res ad prudentiæ leges eſt revocanda. Si vero peregrinatio in votum fuiſſet aſſumpta ad abrumpendam occaſionem proximam peccandi, commutationem concedendam non cenſerem niſi omnino remota peccandi occaſione.

XVI. Regula VI. Si votorum conditionalium petatur commutatio ante conditionis impletionem, probabilitas eventus eſt in commutatione penſanda, ſi in abſolutum commutetur: voviſti jejunium ſemel in hebdomada per annum ſi filius ex infirmitate convaleſcat, ſpectandum periculum infirmi; ſi periculum grave admodum ſit, & tenuis ſpes ſalutis, in eleemoſynam, quæ pauperis victui diurno ſufficiat, bis in menſe per annum certo tribuendam commutarem. Si res in dubio ſit, eleemoſynam pari modo diſtribuendam indicerem, ſed ſemel tantum in menſe; ſi ex nimio amore erga filium, qui ſoliciti eſt cauſa timoris, & pericula fingit vel exaggerat, ita commutarem, ut donec filius infirmus manet, quotidie illum Deo offerat, ut divina in eo fiat voluntas; poſtea, ſanato filio, vel eleemoſynam pauperibus diſtribuat, vel aliquot Miſſas in gratiarum actionem jubeat celebrari, vel ſemel confiteatur, & de licentia Confeſſarii ad ſacram Menſam accedat.

XVII. Regula VII. In commutatione voti caſtitatis vel religionis vix æqualitas moralis inveniri poteſt, ſed ſemper aliqua intercedat diſpenſatio neceſſe eſt, proinde ad Superiorem qui diſpenſare poſſit confugiendum: quare jure merito hæc vota ſunt Summo Pontifici reſervata. Quod ſi Confeſſario facultas commutandi diſpenſando concedatur, hæc eſſent opera injungenda in commutatione voti caſtitatis; confeſſio & communio ſemel in menſe, jejunium ſemel in hebdomada, & eleemoſyna copioſa vel ſemel alicui puellæ pauperi Monaſterium ingredi cupienti, vel tenuior quidem ſingulis annis aliquo pauperi Virginum Cœnobio juxta voventis facultatem elargienda. In voto vero religionis perpenderem illius Ordinis, quem ingredi vovit, rigorem, pœnalia opera, & miniſteria. Et primo quidem occurrunt tria vota; pro quibus caſtitatem indicerem in ſeculo ſervandam, quam ſi acceptare renueret, ſemel concederem matrimonium, & vidualem continentiam indicerem, & loco caſtitatis eleemoſynam juxta vires & facultatem voventis, vel ſemel, ut ſupra, erogandam puellæ pauperi monialem fieri cupienti, vel pauperi Virginum Monaſterio. Pro paupertate, modeſtiam in veſtibus ſubſtituerem, & præcipue auri ornamenta prohiberem, niſi tantæ eſſet dignitatis, ut ab eis abſtinere ſine admiratione non valeret, quod in mulieribus contingere poteſt; eleemoſynas ſaltem tenues vel ſingulis hebdomadibus, vel menſibus diſtribuendas. 2. Occurrit quotidiana Breviarii recitatio vel in choro, vel extra, & pro hac ſtatuerem quotidianam recitationem vel Officii parvi B. V. vel pſalmorum Pœnitentialium, vel tertiæ partis Roſarii B. V. cum ejuſdem Litaniis. 3. Sacramentorum frequentia, & pro hac bis in menſe Confeſſionem & Communionem. 4. Jejunia, in quorum loco jejunium feriæ ſextæ ſubſtituerem, & ſi foret indicta in Ordine abſtinentia a carnibus, hocce jejunium feria quarta ponerem. Cætera vero Religionis exercitia commutarem in pia opera diebus præſertim feſtis exercenda, nimirum ut in ſolemnioribus Feſtivitatibus divinis interſit officiis, in aliis feſtis diebus, modo vel pueros in doctrina chriſtiana inſtruat, modo infirmos in xenodochiis, vel carceribus detentos viſitet, modo conciones audiat, modo lectioni ſpirituali per dimidiam ſaltem horam vacet, modo ad Euchariſtiæ Sacramentum vel publice expoſitum adorandum accedat, vel in Proceſſione ſive ad infirmos delatum reverenter conſociet. Si vero Clericalem in ſeculo ſtatum voviſſet uſque ad Presbyteratum, aliqua forent fortaſſis ex poſitis operibus minuenda, ſed quotidiana certe oratio injungenda, frequentia quoque Sacramentorum ſaltem bis in menſe, caſtitas in ſeculo vel continentia vidualis, & loco caſtitatis & tempore matrimonii, jejunium feriis ſextis, vel ſabbatis ſervandum, ſicut & præſentia divinis Officiis in ſolemnioribus feſtivitatibus. Hæ ſunt Regulæ ex auctoribus præſertim Suarezio, Sanchezio, Boranga, Concina, aliiſque collectæ, quas tamen ſapientum judicio libens ſubmitto.

XVIII. Facta commutatione ſi materia ſubſtituta reddatur impoſſibilis, non tenetur ad priorem materiam voti reverti, quia jam onus illius præſtandæ extinctum omnino eſt, ſi tamen commutatio Prælati auctoritate facta ſit, ſecus vero ſi arbitrio ipſius voventis, tunc enim ad priorem materiam reverti tenetur, cum non fuerit translatum vinculum ad rem ſubrogatam, ſed ſolum ſuperabundans ſolutio exhibita, qua proinde ex quocumque capite deficiente ſemper urget voti obligatio. Ita ſi quis emiſſo voto jejunandi omnibus ſabbatis, vel dotandi puellam, & hoc commutet in votum religionis, ſi redeat ad ſeculum,

pri-

primum votum implere tenetur; per ingreſſum enim in religionem prius quidem votum ſuſpenſum fuit, non commutatum, ſola enim profeſſione cætera extinguuntur vota.

XIX. Num liceat voventi facta & acceptata commutatione ad priorem materiam propria auctoritate reverti, digladiantur Theologi. Primo tamen pro certo ſtatuunt, facta commutatione in minus per adjectam diſpenſationem licere voventi ad priorem redire materiam, cum licitum ſit diſpenſatione & favore non uti, ſed quod melius eſt, & Deo gratius exequi. Si vero facta ſit vel in æquale, vel in quid melius, adhuc ſentiunt liberum eſſe voventi vel votum primum implere, vel uti commutatione, cum commutatio ſemper ſit in favorem & beneficium voventis, cui renunciare illi liberum ſit, & ea conditione facta ſemper intelligatur, ut vel primum perſolvat votum, vel id, in quod commutatum fuit: ſic docent Leſſius, Sanchez, Tamburinus, Leander, aliique a Salmanticenſibus citati, quibus ipſi adhærent.

XX. Oppoſita tamen ſententia Suarezii mihi probabilior videtur. Nam 1. cum commutatio, juxta D. Thom. doctrinam, ſit contractus inter voventem, & Superiorem, qui vicem Dei gerit, peractus utriuſque partis conſenſu, ab eo commutationis pacto non licet parti reſilire, ut contingit in omnibus conventionibus. 2. Commutatio non fit ſolum in favorem voventis, ſed in majorem Dei cultum, quod maxime verum eſt, quotieſcumque commutatio in melius fit; nequit igitur vovens ad priorem materiam reverti, quin Dei cultum minuat. 3. Si vero commutatio facta ſit in æquale, adhuc ad priorem materiam reverti nequit, cum enim non liceat, ut ſuperius docuimus, privata auctoritate votum in æquale commutare, qui ad priorem rediret materiam, jam privatam hanc commutationem efficeret; prius ſiquidem onus ita extinguitur, ut non amplius reviviſcat, ſi forte ſubrogatum opus fiat impoſſibile, ut & ipſi adverſæ ſententiæ Theologi ultro concedunt; igitur ſi ad priorem revertatur materiam, jam votum ſuum privata auctoritate commutaret, nam in commutatione non tollitur votum, ſed mutatur onus ſive materia; dum igitur unum onus, unam materiam in alteram mutat, votum mutat, & quidem privata auctoritate, quod certe omnino non licere docuimus. Nec oppoſita adverſariorum ratio urget, fieri nimirum commutationem in favorem voventis, nam præterquamquod & fit in honorem Dei, nec utilitas voventis Dei cultui præferri debet; totum beneficium & favor in eo ſiſtit, ut levetur onere ſibi gravi, & aliud ſubſtituatur levius, quod ipſe libens ſubeat, & hoc obtinet per commutationem, non vero quod ipſi liberum ſit a voto ad commutationem tranſire, vel ab hac in illud reverti. Libens tamen concedo, poſſe vices Dei gerentem ita votum commutare, ut liberum relinquat voventi ipſum votum ſervare, cum & hoc in Dei gloriam, & ipſius voventis ſpirituale bonum redundare poſſit, ut mihi contigit cum Mercatoribus pluries in anno ad nundinas pergentibus, qui cum voto tenerentur jejunare feria tertia in honorem S. Antonii, & in itinere ac diverſoriis eſuriales cibos non reperirent, & cum aliis ſociis iter haberent, qui tali voto minime obſtricti carnibus veſcebantur, dum ipſi ſolo pane & cerviſia vel vino uti poſſent non ſine incommodo, illis conceſſi intacto voto ut hujuſmodi urgentibus circumſtantiis carnibus veſci poſſent, ſervata unica comeſtione, vel etiam ſine hoc onere, & loco jejunii eleemoſynam ſubſtitui erogandam pauperi ad diurnum victum ſufficientem, quam ad duas libellas venetas, vel ad dimidium circiter floreni germanici taxavi.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Num poſſint commutari vota in alterius favorem emiſſa & acceptata.*
II. *Quomodo commutanda vota ex facultate Bullæ Cruciatæ.*
III. *Vota reſervata Romano Pontifici ſi dubia ſint commutari poſſunt.*
IV. *Et ſi ex parte materiæ plena non ſint & perfecta.*
V. *Num quando ſunt disjunctiva, commutari poſſint.*
VI. *Num ſi conditionalia ſint vel pœnalia.*
VII. *Circumſtantiæ & qualitates adjectæ votis reſervatis non ſubſunt reſervationi,*
VIII. *Materia ſubſtituta voto reſervato non ſubeſt reſervationi,*
IX. *Facultas commutandi vel diſpenſandi in votis reſervatis debet eſſe ſpecialis, nec ſufficit generalis.*
X. *Regulares non poſſunt commutare vota reſervata nec in urgenti neceſſitate.*
XI. *Sunt & juramenta quædam Sedi Apoſtolicæ reſervata.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. QUi commutandorum votorum poteſtate donati ſunt ſive vi privilegiorum, ſive ex Bulla Cruciatæ, vel Jubilæi, vota commutare non valent facta in favorem alterius, & ab eo acceptata. Promiſiſti dotem puellæ pauperi, quam promiſſionem voto, vel jurejurando firmaſti, poteris quidem per commutationem ab hoc onere liberari, ſi promiſſio non fuerit puellæ nota, & ab ea acceptata; at ſecuta acceptatione commutare votum nequibit Confeſſarius, quippe qui juſtitiam ſua commutatione violaret, & jus tertii acquiſitum læderet.

Conſectarium Secundum.

II. Quando vota commutantur ex facultate conceſſa per Bullas Cruciatæ, non niſi in eleemoſynam commutari poſſunt dandam Quæſtoribus Cruciatæ in ſubſidium Regis, & expeditionem contra Infideles, ut communiter docent Theologi, & in ipſa Bulla ſtatuitur per hæc verba: *Vota omnia* (ultramarino, Caſtitatis & Religionis dumtaxat ex-

exceptis) *in aliquod ſubſidium hujus expeditionis per Confeſſarium commutari poſſunt*. Si vero commutatio fit vi privilegiorum, vel Jubilæi, etiam alia pietatis opera ſubrogari poſſunt.

Conſectarium Tertium.

III. Cum, ut capite ſuperiore diximus, quinque vota Summo Pontifici reſervata revera non ſubſint reſervationi, niſi quando ſint abſoluta & perfecta; hinc non raro ab Epiſcopis diſpenſari poſſunt, & a Regularibus vi privilegiorum commutari, nimirum quotieſcumque ex aliquo capite vel voventis, vel materiæ, a perfectione deficiunt. Hinc votum caſtitatis, & religionis, ac trium peregrinationum commutare poſſunt primo ſi dubia ſint, ſive dubium ſit juris, ſive facti; nimirum ſive dubites num votum emiſſum ſit, vel num ſit reſervatum, reſervationi non ſubeſſe docent communiter Theologi, cum reſervata non ſint niſi vota certa, & firma. Similiter ſi emiſſa ſint etiam ex metu non ſolum gravi, ſed & levi, ab extrinſeco tamen incuſſo ad ea extorquenda, commutari poterunt, cum non ex perfecta prodeant libertate; pari pacto qui talia vota ederet animo ſe obligandi tantum ſub veniali, etiam eorum non admiſſa nullitate, quam ſuperius adſtruimus, reſervata adhuc non forent perfectionis defectu.

Conſectarium Quartum.

IV. Ex parte materiæ non ſunt reſervata præfata vota, niſi plena pariter, integra & perfecta ſint. Hinc non reſervatur niſi votum caſtitatis abſolutæ, integræ & perfectæ; quamobrem commutari poſſunt vota non contrahendi matrimonium, non fornicandi, non petendi debitum, caſtitatis non perpetuæ, ſed ad tempus, virginitatis, ſi ſolum reſpiciat actum quo deperditur, item nec votum caſtitatis conjugalis, cum per illud matrimonium non impediatur, niſi forte ex Pontificis ſtatuto adnexum ſit ſtatui alicui religioſo, ut contingit in aliquibus militaribus Ordinibus. Si conjuges mutuo conſenſu caſtitatem voveant, vel alteruter de alterius conſenſu, & voluntate, renuntiantis ſuo juri, reſervatum eſſe votum merito docent nobiliores Theologi, cum nihil deſit ad voti perfectionem, proinde deberent conjuges ſeſe ſeparare, niſi forte ob longævitatem nullum ſit incontinentiæ periculum, vel ſcandalum ex tali ſeparatione oriatur, a quo præcavere non poſſint; ſi vero ob cohabitationem periculum ſit incontinentiæ, & gravis urgeat neceſſitas, a tali voto diſpenſare poſſe Epiſcopum non immerito adſtruunt nonnulli Theologi, qui etiam conſuetudinem obtinere affirmant, ut in hujuſmodi votis Epiſcopi diſpenſent. Non eſt pariter reſervatum votum de ſacris Ordinibus ſuſcipiendis, cum non ſit nec caſtitatis, nec religionis proprie dictæ. Idem dicendum de voto Religionis, quod reſervatum non eſt, ſi ſit Religionis nondum a S. Sede adprobatæ. In votis autem trium peregrinationum, cum eorum objectum ſit devotio, pietas, & religio erga ſacra loca, reſervata non erunt, ſi alio motivo, vel cauſa emittantur, puta accipiendi benedictionem a Pontifice, impetrandi ab illo aliquam diſpenſationem, vel gratiam, ſeu etiam ob devotionem, ſed abſolute, non vero ob peculiarem erga illa ſacra loca.

Conſectarium Quintum.

V. Vota disjunctiva, quorum altera pars ſit reſervata, cauſa exempli voviſti caſtitatem vel jejunium, vel peregrinationem romanam, vel dotem dare pauperi puellæ, re adhuc integra, reſervata non ſunt, cum omnimodam non habeant perfectionem; liberum eſt enim voventi alterutram partem eligere, proinde commutari poſſunt: at poſita voventis determinatione ad partem reſervatam, num commutari poſſint ambigunt Theologi; nonnulli cenſent reſervatum eſſe votum, cum ad illam partem, quæ reſervationi ſubeſt, voluntarie ſe determinaverit vovens: alii adhuc putant non eſſe reſervatum, quia in ipſo voto imperfectionem reperiunt. Verum priori ſententiæ utpote procul dubio probabiliori adhæreo; nam ex electione partis reſervatæ votum ſuam perfectionem & plenitudinem obtinuit; nec vera eſt ratio a Salmanticenſibus allata pro altera ſententia, nimirum electa una parte voti, puta caſtitate, adhuc poſſe voventem voluntatem mutare, nam facta electione, jam propriam libertatem in actum determinatum reduxit, qui cum ſubſit legibus Eccleſiæ, non eſt illi amplius liberum reſilire; laudant quidem S. Thom., ſed nullo deſignato loco. Arbitror tamen adhuc poſt determinationem votum non ſubeſſe reſervationi, ſi determinatio non a voventis proficiſcatur voluntate, ſed a cauſa extrinſeca, ut cum quis vovit disjunctive vel caſtitatem, vel dotare puellam pauperem, ſi hoc ſecundum implere non poſſit, quia pauper effectus eſt, tunc enim cogitur primam partem amplecti, nimirum caſtitatem, & ita votum perfectum non eſt, cum non ex plena voventis proficiſcatur voluntate, ſed a neceſſitate cogente; proinde commutari poterit ceu reſervationi non obnoxium.

Conſectarium Sextum.

VI. Vota ſive conditionalia, ſive pœnalia ante impletam conditionem, vel patratam culpam reſervata non ſunt, ſecus vero impleta conditione, vel commiſſo peccato. De iis votis conditionalibus loquimur, quæ vere talia ſunt, nimirum quæ pendent a conditione fortuita, & accidentali, ut ſi ab infirmitate convaluero, ſi beneficium impetravero, ſi Pater conſenſerit, & ſimilia, non vero a neceſſaria, ut ſi quis voveat Religionem, ſi Pater obierit, ſi curſum ſtudiorum compleverit; hæ ſiquidem conditiones, ut patet, non ſuſpendunt voti obligationem, ſed ſolum implendi tempus definiunt. Priorem itaque poſiti corollarii partem omnes Theologi ſponte admittunt, quia non impleta conditione, non patrata culpa votum non eſt abſolutum & perfectum, ſed adhuc incertum, proinde imperfectum; quamobrem reſer-

reſervationi non ſubeſt, & diſpenſari vel commutari poteſt. Alteri vero parti adverſantur plures Theologi, qui etiam impleta conditione vel commiſſa culpa, per quam pœnæ ſibi impoſitæ factus eſt obnoxius vovens, adhuc imperfectionem in ipſo voto agnoſcunt, ajunt ſiquidem non emiſſum amore boni in ipſa re promiſſa relucentis, ſed amore alterius boni plane diverſi, ut cum quis vovet caſtitatem, ſi beneficium obtinuerit, vel ſi a periculo naufragii vel mortis liber evaſerit, non amore inquiunt, caſtitatis, ſed deſiderio beneficii obtinendi, & timore mali ſubeundi movetur, non caſtitatem amat, ſed beneficium, ſed vitam; imperfectm eſt igitur ejus votum, proinde reſervationi non obnoxium. Quod (ſubdunt) magis apparet in voto pœnali, ut cum quis dicit, voveo caſtitatem ſi luſero, ſi fornicabor, ſi me inebriavero; manifeſte enim apparet, voventem non moveri amore virtutis, nec caſtitatis promiſſæ, nec deſiderio obſequii præſtandi Deo, ſed potius animi repugnantiam oſtendere, cum timore obligationis & oneris ſubeundi velit a vitio ebrietatis, luxuriæ, & ludi ſe revocare, & arcere: imperfecta igitur ſunt hujuſmodi vota, proinde reſervatis non accenſenda. Verum hæc argumenta probabilioritatem non adimunt ſententiæ quam ſtatui. Quandoquidem impleta conditione ſive contingente, ſive pœnali, votum integrum, plenum, & undequaque perfectum evadit; tota enim imperfectio, quæ in hiſce votis reperitur, unice ex incerto conditionis pendet eventu, qua impleta omnis ſublata imperfectio intelligitur, ut manifeſte patet in omnibus aliis contractibus, actionibus, & obligationibus, quæ impleta conditione abſolutæ & perfectæ ab omnibus habentur, & omnes parere effectus cenſentur, qui ex abſolutis pactis ac conventionibus oriuntur. Nec ulla eſt imperfectio in conſenſu, nam appoſita conditio non conſenſum reſpicit, afficitque, ſed rei impletionem tantum, quæ revera non urget nec adſtringit, niſi conditione impleta, poſt quam nullus novus requiritur conſenſus perfectus & abſolutus, ſed ſufficit ille, qui primitus præſtitus fuit. Verum quoque non eſt, voventem non moveri amore virtutis in re promiſſa relucentis; ſi enim nullo illius amore tangeretur, non illam potius materiam, quam aliam eligeret, non magis caſtitatem, quam jejunium, Religionis ingreſſum, quam eleemoſynam. Sicut falſum eſt non moveri ſtudio & amore obſequium præſtandi Deo, ut dicit P. Ferrari V. Votum n. 88., immo tale ſtudium in re prmiſſa relucet; cum enim ſummopere deſideret a Deo, vel boni, quod concupiſcit, aſſecutionem, vel a malo, quod timet, liberationem, ideo quod illi putat magis gratum, magis in ejus gloriam redundans, illi offert & vovet: ſic dum puella metu naufragii vel mortis, Deo ſuam offert virginitatem, ſi a periculo liberetur, excitatur quidem ad vovendum timore mortis, at ad eligendam potius Virginitatem, quam aliud pium opus, movetur amore virginitatis, & deſiderio placendi Deo, cui gratam eſſe & acceptam ſcit virginitatem, & in magnum illius honorem redundare. Similiter qui in voto pœnali ſibi caſtitatem indicit, ſi in peccatum incurrat, jam & amore erga Deum movetur, cujus offenſam tanto ſtudio vitare cupit, & ardenti deſiderio obtinendi a tanto malo liberationem, cujus gratia quid ſummopere Deo gratiſſimum, nimirum caſtitatem offerendam præeligit: impleta igitur conditione ab hujuſmodi votis omnis exulat imperfectio, & perfecta & integra undequaque evadunt; quamobrem reſervata cenſenda ſunt. Ita ſentiunt Soto, Petrus Paſſerinus, Azorius, aliique bene multi.

Conſectarium Septimum.

VII. Circumſtantiæ & qualitates a vovente votis reſervatis adjectæ non ſubſunt reſervationi, ſed ab habentibus poteſtatem per diſpenſationem, vel commutationem poterunt relaxari. Qui itaque vovit peregrinationem Romanam pedeſtrem, vel mendicando, poterit juſta urgente cauſa a circumſtantia pedeſtris itineris, vel mendicationis, vel per diſpenſationem, vel commutationem relevari, cum integra remaneat ſubſtantia voti, quæ reſervationis materiam conſtituit. Poterit propterea Epiſcopus voventi ingredi Religionem rigidiorem, concedere ut aliam benigniorem ingrediatur, in qua tamen vota exacte ſerventur, & regularis vigeat diſciplina. Addunt nonnulli Theologi votum perſeverandi in Religione non eſſe reſervatum, cum non ſit de Religione in ſe, ſed de circumſtantia perſeverantiæ; quamobrem qui tale emiſit votum, ſi in probatione experiatur ſtatum illum ſibi non convenire, poterit ejus votum diſpenſari, vel commutari. Verum hanc doctrinam eſſe limitatione coarctandam arbitror, & ſolum veram eſſe, cum firmum manet & ratum votum Religionis. Ut ſi quis emiſſo voto amplectendi ſtatum Religioſum, poſtea eligat Religionem Carthuſianorum, in qua voveat perſeverare, non abnuo hunc poſſe diſpenſari, cum adhuc firmum ſit Religionis votum, & teneatur aliam ingredi Religionem. Secus vero ſi ex diſpenſatione perſeverantiæ corruat & ipſum Religionis votum, ut contingeret in illo, qui ex voto Religionem ingrederetur Carthuſianorum, in qua poſtea votum emitteret perſeverantiæ, nam hoc ſecundo ſublato voto corruit & primum, cum relicta Religionem Carthuſianorum ex conceſſa diſpenſatione a voto perſeverandi, jam non aliam ingredi Religionem tenetur, quippe qui de ſola Religione Carthuſiana amplectenda voverat; proinde tunc ad Pontificem recurrendum pro diſpenſatione. Quod & verum puto etiam quando quis ſine voto, ſed ex pietate Religionem ingreſſus, poſtea in ea perſeverandi votum emittat, tunc enim hoc votum reſervatum eſſe non ambigo, cum & votum Religionis includat; immo ſit ipſum votum Religionis nobiliori modo conceptum, & emiſſum; proinde a ſolo Pontifice diſpenſatio impetranda & concedenda.

Conſectarium Octavum.

VIII. Conceſſa a Summo Pontifice, vel ab habente ab eo facultatem commutatione voti reſervati, materia voto ſubſtituta non ſubeſt amplius reſer-

reſervationi. Ita communiter Doctores, cum præfata vota reſervata non ſint ratione voti, ſed ratione materiæ voto promiſſæ; hac igitur mutata non urget amplius reſervatio. Sic ſi Pontifex votum Religionis, vel caſtitatis in perpetuam commutet abſtinentiam a carnibus, vel in hebdomadale jejunium, juſta urgente cauſa poterunt in eo diſpenſare qui poteſtate pollent diſpenſandorum vel commutandorum votorum; tenetur tamen vovens diſpenſantem monere de ſubrogatione per Pontificem facta, ut & vinculi pondus agnoſcat, & ne nimis facilis temere diſpenſationem vel commutationem concedat.

Conſectarium Nonum.

IX. Facultas commutandi vel diſpenſandi in votis Pontifici reſervatis non cenſetur conceſſa per Bullam, vel privilegium generale diſpenſandi & commutandi vota, ſed requiritur ſpecialis facultas, cum ita in jure ſtatutum ſit. In Extrav. unica *Etſi dominici* 2. de pœnit. & remiſſione, decernit Summus Pontifex, quinque præfata vota relaxari ab alio non poſſe præterquam a Romano Pontifice, *niſi ex ſpeciali licentia, & certa ſcientia noſtra.* Et in cap. *Si Epiſcopus* eodem titulo, negat Pontifex loquens de caſibus reſervatis, *eos in generali conceſſione comprehendi, qui ſpeciali indigent conceſſione*, & hanc rationem reddit, quia *in generali conceſſione non veniunt ea, quæ non eſſet quis veroſimiliter conceſſurus*, juxta Regulam *in generali* 8. de Regul. juris in 6. Quæ ratio etiam valet in votis reſervatis, & ita docent Doctores communiter. Si vero alicui concedatur facultas commutandi etiam vota reſervata, hæc omnia complecteretur, cum non ſit major ratio, quare ad unum dilatetur, non vero ad aliud: quod ſi in tali conceſſione aliquod excipiatur, puta Religionis, cætera omnia reſervata, conceſſa intelliguntur, cum ipſa exceptio firmet de aliis conceſſionem.

Conſectarium Decimum.

X. Qui ex privilegio poteſtate donantur commutandi vota, non poſſunt a reſervatis Summo Pontifici, nec urgenti gravi neceſſitate, quando Epiſcopi ea valerent diſpenſare, beneficium commutationis concedere. Id inficiantur nonnulli benigniores Theologi, qui cenſent Regulares poſſe per ſua privilegia in iis omnibus votis diſpenſare, in quibus jure ordinario diſpenſare valent Epiſcopi: hinc inferunt, quemadmodum Epiſcopis, urgente neceſſitate, jus ordinarium competit diſpenſandi, ergo ita hoc jure gaudent Regulares per ſua privilegia. Verum falluntur in hac ſua ratiocinatione, quia ita ſua Epiſcopali poteſtate valent Epiſcopi in omnibus votis diſpenſare, ut tamen valeat Pontifex aliqua ſibi reſervare, ita poſtulante bono communi Eccleſiæ, & fidelium ſpirituali utilitate; facta autem reſervatione non amplius jure ordinario competit Epiſcopis poteſtas ea commutandi, ſed ſolum jure extraordinario, urgente ſcilicet neceſſitate, quæ poteſtas baſim ſuam & radicem habet in ipſa Epiſcopali juriſdictione, qua cum omnino careant Regulares, & ſolum ex gratia & conceſſione poſſint vota commutare, in reſervata nullam obtinent poteſtatem, proinde nec urgente neceſſitate ea commutare valent. Ita docent antiquiores & nobiliores Theologi, & Canoniſtæ Barboſa, Layman, Suarez, Paſſerinus, aliique bene multi. In ceteris vero votis Pontifici non reſervatis nequeunt Regulares aliis commutandi facultatem concedere, quod tamen præſtare valent Epiſcopi, qui non ex privilegio, ſed ex Epiſcopali poteſtate queunt vota commutare, vel in iis diſpenſare.

Conſectarium Undecimum.

XI. Non ſolum Vota, ſed & juramenta Caſtitatis, Religionis, & trinæ peregrinationis ſunt ſummo Pontifici reſervata. Negant hoc nonnulli Caſuiſtæ, quia, inquiunt, votum fortius eſt vinculum, quam juramentum, proinde ex eo quod reſervata ſint ea vota, non ſequitur etiam de iiſdem materiis juramenta eſſe reſervata, præſertim cum reſervatio odioſa ſit, non eſt ergo amplianda, & in jure nullum habetur juramentum reſervatum. At ſententia, quam ſtatuimus, longe probabilior eſt, quippe quia juramentum promiſſorium Deo factum idem omnino eſt ac votum, cum illius indolem & naturam habeat; importat enim promiſſionem non homini tantum, ſed Deo, & quidem de meliori bono; quid ergo illi deeſt ut ſit verum votum? Erunt igitur Summo Pontifici reſervata. Ita docent Cajetanus, Sotus, Salmanticenſes, aliique plures.

REFLEXIO.

Votis chriſtianam imminui libertatem, & ad neceſſitatem traduci, quæ coacta pretium amittunt, ore infrunito blaterant Eccleſiæ Catholicæ perduelles. Verum jam dudum ora loquentium iniqua obſtruit ipſa Eccleſia, quæ vota non puераſcentis ſub Moſaica diſciplina religionis crepundia, ſed ſolida pietatis opera. Religionis munia, ferventioris in Deum caritatis officia ex Sacrarum Scripturarum oraculis, ex perpetua Patrum traditione, & Conciliorum canonibus agnovit, docuit, confirmavit. In his tamen concipiendis, eliciendis, implendiſque non uno modo a rectitudine declinant fideles. Sunt enim qui a quibuſcumque emittendis votis abhorrent, tanquam vel a vinculis, queis eorum alligetur conſcientia, vel ab oneribus ſummopere gravantibus & intolerandis; quod profecto non niſi vel ab ignorantia veritatis, vel a tepeſentis caritatis tenuitate proficiſci poteſt; divino enim mancipari ſervitio, ejus addici obſequio per opera ex voto implenda, eſt profecto præſtantius, nobilius, Deoque longe gratiſſimum, quam quidquid ſine voto offertur, ut ex S. Th. docuimus. Præterea dum vota Deo nuncupamus, pium, & humilem affectum erga Deum oſtendimus; humilem quidem ex conſcientia infirmitatis propriæ; pium vero ex conſideratione divinæ clementiæ ad vota noſtra excipienda paratiſſimæ. Fovent etiam vota prudenter emiſſa chriſtianam devotionem, qua vovens ſe Deo colendo

lendo totum tradens & dedicans a terrenis elongatur perturbationibus, & Deo, qui totius eſt fons conſolationis, fit propinquior, divinorum operum & donorum contemplatione erigitur, defenſionis & opitulationis a Deo ſibi præbendæ ſpe lætatur, & nobilitate quoque, ac præſtantia ſuorum officiorum gaudet & exultat; denique reipſa experitur quam ſuavis eſt Dominus; licet autem dum ſuas miſerias, defectus, imbecillitatem recogitat, etiam aliquo triſtitiæ ſenſu percelli contingat, attamen dum hinc ad bonitatem Dei ejuſque auxilia oculos convertere compellitur, omnis hæç nebula diſſipetur oportet, & gaudio locum cedat. Sic itaque in vovendo, puſillanimes corroborat & inſtruit Auguſtinus Enarr. in Pſal. 122. n. 2. „ Vovetur aliquid Deo, & dictum eſt: *Vovete & reddite Domino Deo veſtro*. Melius eſt „ non vovere, quam vovere, & non reddere. „ Sed debet eſſe impiger animus ut & voveat & „ reddat, ne cum ſe minus idoneum putat ad „ reddendum, piger ſit ad vovendum. Plane nunquam reddet, ſi de ſuo ſe putaverit redditurum. Quiſque igitur, *ſubdit Enarr. in Pſal.* 75. quiſque quod poteſt & voveat & reddat. „ Nec voveatis, & non reddatis. Non ſitis pigri od vovendum, non enim viribus veſtris „ implebitis. Deficietis ſi de vobis præſumitis, „ ſi autem de illo cui vovetis, vovete, ſecuri „ eritis.

Sunt e contra vero, præſertim ex infirmiori ſexu, qui nimium in vovendo faciles inceſſanter ſe votis onerant, & ſtatim ac filius infirmatur, maritus ægrotat, imminet aliquod malum, deſiderium ſubit alicujus boni, ad vota, ad promiſſiones confugiunt, vel etiam perfectionis ſtudium non in fervore caritatis, ſed in operum multitudine collocantes, orationibus, vigiliis, jejuniis ita ſe onerant, ut & familiaribus & contubernalibus moleſti ſint, & ipſi ſub onere labantur, dum vota vel negligenter implent, vel fortaſſis omnino non implent; & dum ad magnam juſtitiam progredi volunt, in magnam præcipites ruunt iniquitatem. Hujuſmodi itaque commonendi ſunt, ut nonniſi ex prudentum Miniſtrorum judicio, & voluntate, vota emittant, & illis inceſſanter regerendum quod docet Auguſtinus, vel Auctor Serm. 117. in Natale Domini: „ Sunt „ multi qui vovent, alius pallam, alius oleum, „ vel ceram ad luminaria noctis, alius ut vinum „ non bibat per aliquot annos, alius ut jejunia „ certo tempore faciat, alius ut carnes non comedat. Non eſt iſtud votum optimum, nec „ perfectum, adhuc melius volo. Non eget Deus „ nec ſpecie tua, nec oleo tuo, nec jejunio tuo, „ ſed hoc quod in te redemit offer, hoc eſt animam tuam. Et ſi interrogas me, quomodo offeram animam meam, quam ipſe habet in poteſtate? Ego tibi reſpondeo quomodo: moribus „ ſanctis, cogitationibus caſtis, operibus fructuoſis, divertendo a malo, convertendo ad bonum, damnando vitium, diligendo Deum, diligendo proximum, impendendo miſericordiam „ miſeris .... dimittendo illis, qui in nos peccant, ſuperbiam calcando, quia per ſuperbiam „ primus homo deceptus eſt; abjiciendo invidiam, quia per invidiam decepit Diabolus genus humanum. Et cum hæc feceritis, offertis „ votum placitum. Iſta non ideo loquimur (*ſubdit Auguſtinus Enarr. in Pſal. 76. n. 16.*) ut „ non voveatis, ſed reddatis. Vovete & reddite „ Domino Deo veſtro, & revera quiſquis bene „ cogitet, quid voveat Domino, & quæ vota „ reddat, ſeipſum voveat, ſe ipſum reddat. Hoc „ exigitur, hoc debetur ". Enarr. in Pſal. 116. n. 8.

Sunt denique qui in ſummo diſcrimine conſtituti, vel deſperatione perciti, quia vel magnam ſubjere in ludo pecuniarum jacturam, vel quia in aliquo facinore comprehendi externum ſibi pertimeſcentes malum, Deum ob liberationem votis fatigant, & perpetuam a ludo abſtinentiam, & plurima alia ſpondent, quæ poſtea ſub obtentu difficultatis, vel animi perturbationis in vovendo, implere recuſant, & diſpenſationem, vel commutationem nulla, vel leviſſima ſolum de cauſa depoſcunt & flagitant. Hos terret Auguſtinus exemplo Ananiæ & Zaphiræ, qui bonorum ſuorum, quæ Deo voverunt, partem ſibi retinere auſi ſunt, ſcribens Serm. 148. de Verb. Act. 10. „ Continuo correpti expiraverunt ambo vir „ & uxor ejus. Nonnullis videtur nimis ſevera „ iſta fuiſſe correptio, ut propter pecuniam de „ re ſua ſubtractam, homines morerentur. Non „ hoc Spiritus S. avaritia fecit, ſed Spiritus S. „ mendacium ſic punivit. Nam verba audiſtis „ Beatiſſimi Petri ſic dicentis: *Nonne manens tibi manebat, & venditum erat in tua poteſtate?* „ Si nolles vendere quis te cogeret? Si velles offerre dimidium quis exigeret totum? Si enim „ dimidium offerendum erat, dimidium dicendum „ erat. Pro toto dimidium, hoc eſt puniendum „ mendacium. Non tamen videatur, Fratres, ſevera correptio mors temporalis. Atque utinam „ huc uſque vindicta proceſſiſſet. Quid enim magnum mortalibus contigit quandocumque morituris? Sed per illorum temporalem pœnam „ Deus ſcire voluit diſciplinam ... Cuicumque „ ergo voventi, & reddere recuſanti dici poteſt, „ quod ait Petrus de pecunia: *Res tua nunquid non manens tibi manebat, & antequam eam voveres, in tua fuerat poteſtate?* Quæcumque ergo „ voverint aliqua, & non reddiderint, non ſe putent temporalibus mortibus corripi, ſed æterno „ igne damnari ". Hos itaque Sacer Miniſter ſic cum Auguſtino epiſt. 127. n. 8. & hortetur & doceat: „ Priuſquam eſſes voti reus, liberum „ fuit, quamvis non ſit gratulanda libertas, qua „ fit ut non debeatur, quod cum lucro redditur. „ Nunc vero quia tenetur apud Deum ſponſio „ tua, non te ad magnam juſtitiam invito, ſed „ a magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris ſi non feceris quod voviſti, qualis manſiſſes „ ſi nihil tale voviſſes. Minor enim tunc eſſes, „ non pejor. Modo tamen tanto, quod abſit, „ miſerior, quanto beatior ſi perſolveris. Nec „ ideo te voviſſe pœniteat, immo gaude jam tibi „ non licere, quod cum tuo detrimento licuiſſet. „ Aggredere itaque intrepidus, & dicta imple factis, ipſe adjuvabit, qui vota tua expetit. Felix eſt neceſſitas, quæ in meliora compellit.

DIS-

DISSERTATIO III.

DE BLASPHEMIÆ CRIMINE.

CAPUT PRIMUM.

Blaſphemiæ definitio, & diviſio, ac gravitas.

DOCTRINA.

I. *Blaſphemiæ definitio.*
II. *Quot modis Deum blaſphemare quis poſſit?*
III. *Blaſphemia alia hæretica, alia ſimplex.*
IV. *Simplex multiplici modo committitur.*
V. *Blaſphemia etiam factis & nutibus habetur.*
VI. *Etiam in Sanctos perpetratur.*
VII. *Quæ tamen ſpecie differt a blaſphemia in Deum.*
VIII. *Eſt ex genere ſuo lethale peccatum.*
IX. *Immo omnium graviſſimum.*
X. *Parvitatem materiæ non admittit.*
XI. *Num aliquando a lethali peccato poſſit excuſari.*

I. GRaviſſimum Blaſphemiæ crimen quamvis, ut docet S. Tho. 2. 2. q. 13. a. 1. directe fidei confeſſioni opponatur, tamen poteſt & ipſi fidei, qua in Deum credimus, & Religioni, qua ipſum colere debemus, adverſari. Blaſphemia ſiquidem ab Auguſtino definitur lib. 2. de moribus Manichæorum cap. 11. *mala verba de Deo dicere*, & a S. Th. l. c. in cor. *derogatio divinæ bonitatis*, & communiter a Theologis

Contumelioſa in Deum locutio.

Quod quidem duplici pacto efficitur, ut docet A. P. nimirum vel Deo tribuendo quod illi non convenit, vel quod convenit denegando: „ Quidquid Deo convenit (*ſcribit D. Th. l. c.*) pertinet ad bonitatem ipſius, & quidquid ad ipſum non pertinet, longe eſt a ratione perfectæ bonitatis, quæ eſt ejus eſſentia. Quicumque ergo vel negat aliquid de Deo quod ei convenit vel aſſerit de eo quod ei non convenit, derogat divinæ bonitati. “ Qui tamen ſubdit, non per hoc blaſphemias in ſpecies dividi: „ Attribuere enim Deo (*ſubdit in reſp. ad* 1.) quod ei non convenit, vel removere ab eo quod ei convenit, non differunt niſi ſecundum affirmationem, & negationem, quæ quidem diverſitas habitus ſpeciem non diſtinguit. “ Qui ſimiliter docet, blaſphemiam quidem eſſe creaturæ tribuere quod ſoli Deo convenit, & hoc pariter ad genus blaſphemiæ pertinere, ac peculiarem ſpeciem non conſtituere, ſubdit enim: „ Quod autem ea quæ ſunt Dei propria, creaturis attribuantur, ad hoc pertinere videtur quod aliquid ei attribuatur quod ei non conveniat: quidquid enim eſt Deo proprium, eſt ipſe Deus. Attribuere autem id, quod eſt Dei proprium, alicui creaturæ, eſt ipſum Deum dicere idem creaturæ.

II. Rurſus Deo quod illi convenit denegare, vel quod non convenit tribuere poſſumus dupliciter, nimirum vel ſolum mente & corde, ut dum putamus Deum non eſſe juſtum, vel omnipotentem, vel credimus eſſe crudelem; & tum eſt blaſphemia cordis, quæ ſi ex errore procedat, confeſſioni fidei informis opponitur, ſi vero ſit etiam conjuncta cum improba cordis affectione, & odio in Deum, fidei caritate formatæ directe adverſatur. Secundo etiam exterius nutu vel verbis pravum internum animum exprimentibus, & erit blaſphemia oris. Ex quo patet triplici modo Deum homines blaſphemare, nimirum vel ſolo intellectu falſa de Deo opinando, puta negando realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia, ſine ulla tamen prava in ipſum voluntate: ſecundo addendo perverſæ opinioni etiam cordis deteſtationem, ut cum ex ira dicimus Deum imbellem vel injuſtum, quia nobis nocentes non punit; & de his loquitur D. Tho. hic a. 1. dum ſcribit, quod derogare divinæ bonitati „ poteſt contingere dupliciter: uno quidem modo ſecundum ſolam opinionem intellectus; alio modo conjuncta quadam affectus deteſtatione: ſicut e contrario fides Dei per dilectionem perficitur ipſius “. Tertio vero ſola cordis deteſtatione abſque ullo mentis errore, ut cum Deo maledicimus, vel contumeliam facimus; quamobrem etiam cum vera fide poteſt conſiſtere blaſphemia, ut communiter contingit in chriſtianis.

III. Quapropter in duas ſpecies dividitur blaſphemia, nimirum in hæreticam, & ſimplicem. Prior, cum errorem & opinionem fidei contrariam exprimit, ut cum quis Deum pronunciat injuſtum vel crudelem; quod ſi non ſolis verbis dicat, ſed & corde teneat, verum hæreticum conſtituit; ſi vero hæreticales haſce blaſphemias ore proferat, ſed corde non teneat, hæreticus quidem non eſt coram Deo, at in facie Eccleſiæ hæreticus apparet, & ut talis denunciandus & habendus. Sed in hoc non eſt cur diutius immoremur; nam ſatis abunde diximus in Tract. de Vir. Theol. diſſert. 1. cap. 9. & 10.

IV. Simplex vero blaſphemia, quæ in contumelioſo verbo divinæ bonitati derogante conſiſtit abſque ullo contra fidem errore ſive in mente, ſive in ipſis verbis, pluribus modis fieri poteſt, nimirum 1. Deum maledicendo, vel illi malum imprecando, 2. dehoneſtative de ipſo loquendo, uti ſunt omnia verba injurioſe uſurpanti Chriſti vulnera, membra, corpus & ſanguinem; 3. contemptive verbis Dei contemptum præferentibus, ut cum quis dicit in Dei contemptum (al diſpetto di Dio) hoc volo facere, vel exclamando oh miſerum Deum! 4. irriſorie, aliquid divinum irridendo, ut cum quis Euchariſtiæ Sacramentum frixum panem appellet; 5. juratorie, ut ſi quis dicat Pereat, Deus niſi res ita eſt, niſi ulciſcar.

V. Licet blaſphemiæ peccatum proprie in verbis ſiſtat, tamen & factis committi poteſt; ut ſi quis in cœlum ſpuat, telum intendat, in Chriſti Imaginem lapidem jaciat. Immo & aliqua verba, quæ licet in ſe ſpectata non exprimant Dei contemptum vel contumeliam, ſi tamen vel animo in Deum irato, vel actibus aliquibus puta digitum mordendo, vel in cœlum oculos intendendo, vel pedibus terram pulſando Dei deteſtationem oſtendant, blaſphemiæ ſunt, ut ſi quis dentibus frendens Corpus Dei & ſanguinem ejus proferat, vel poteſtatem vel præſentiam Dei.

VI. Blaſphemiæ peccatum non ſolum in Deum committitur, ſed & in Sanctos, quotieſcumque eorum nomen aut geſta contumelioſe tractantur; nam ut optime docet S. Th. l. l. ad 2. *Sicut Deus in Sanctis laudatur, inquantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis efficit; ita & blaſphemia quæ fit in ſanctos, ex conſequenti in Deum redundat.*

VII. Haſce in Sanctos blaſphemias ſpecie differre a blaſphemiis in Deum docent nobiliores Theologi, & jure merito, ſiquidem ſicut cultus & honor, qui rependitur Sanctis licet in Deum redundet, tamen a virtute proficiſcitur plane a Religione diſtincta, quæ Dulia dicitur, ita & blaſphemia, quæ Sanctos inhonorat, licet in Deum refundatur, Duliæ adverſatur, & ſpecie diverſa erit. Præterea ſi blaſphemia, ut docet D. Tho. eſt derogatio divinæ bonitatis, quemadmodum bonitas eſſentialis, quæ Deo convenit, eſt infinite diſtans a bonitate per participationem, quæ relucet in Creaturis; ita derogatio, quæ fit divinæ bonitati in ſe, Deum blaſphemando, quam longiſſime diſtabit a derogatione bonitatis participatæ, quæ habetur per blaſphemias in Sanctos.

VIII. Graviſſimum eſſe blaſphemiæ ſcelus unum ad omnes docent Patres & Theologi, qui etiam animadvertunt in Scripturis non exprimi niſi per antiphraſim, unde Reg. 3. cap. 11. dicitur: *Benedixit* (ideſt blaſphemavit) *Naboth Deum, & Regem*, & Iob. 1. *Si non in faciem benedixerit tibi*, ideſt nomen tuum blaſphemaverit. Et 1. quidem eſſe ex genere ſuo peccatum lethale docet S. Tho. hic a. 2. ſcribens: „ Quæcumque caritati repugnant ex ſuo genere ſunt peccata mortalia. Blaſphemia autem ſecundum genus ſuum repugnat caritati divinæ, quia derogat divinæ bonitati, quæ eſt objectum caritatis: & ideo blaſphemia eſt peccatum mortale ex genere ſuo: " quam veritatem teſtimonio Scripturæ comprobaverat in argumento *ſed contra*, dicens: *Dicitur Levit.* 24. 16. Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur. *Sed pœna mortis non infertur niſi pro peccato mortali. Ergo blaſphemia eſt peccatum mortale.*

IX. Immo omnium eſſe graviſſimum docet S. Th. 1. quia ſi ſit cum errore & infidelitate, opponitur fidei, & ſi affert divinæ bonitatis deteſtationem, Caritati & divino adverſatur amori; ſi vero & exterius in verba vel actus contumelioſos prorumpat, opponitur & confeſſioni fidei, & laudi Dei. Ita S. Tho. hic ar. 3. „ Blaſphemia habet in ſe gravitatem infidelitatis; & aggravatur peccatum, ſi ſuperveniat deteſtatio voluntatis; & adhuc magis, ſi prorumpat in verba; ſicut & laus fidei augetur per dilectionem, & confeſſionem. Unde cum infidelitas ſit maximum peccatum ſecundum ſuum genus, conſequens eſt quod etiam blaſphemia ſit peccatum maximum ad idem genus pertinens, & ipſam aggravans. 2. Si ſit ſine errore, ſed ex deteſtatione & odio Dei progrediatur, adhuc malitia & gravitate infidelitatem vincit, & hæreſim, cum ſit peccatum damnatorum proprium, & Caritati directe adverſetur, quæ de ſe nobilior eſt fide. 3. Si vero nec cum errore jungatur, nec ex actuali deteſtatione Dei, ſed ex ira & furore contra proximum procedat, adhuc graviſſimum peccatum eſt, nam ſaltem virtualiter, & implicite ratione ſui ſemper affert deteſtationem Dei, & derogationem ſuæ bonitatis, & ſemper malitia & gravitate vincit omnia peccata, quæ ſunt in proximum, ut docet S. Tho. hic a. 3. ad 1. dicens: „ Homicidium, & blaſphemia ſi comparentur ſecundum objecta in quæ peccatur, manifeſtum eſt quod blaſphemia, quæ eſt directe peccatum in Deum, præponderat homicidio, quod eſt peccatum in proximum. Si autem comparentur ſecundum effectum nocendi, ſic homicidium præponderat: plus enim homicidium nocet proximo, quam blaſphemia Deo. Sed quia in gravitate culpæ magis attenditur intentio voluntatis perverſæ, quam effectus operis; ideo cum blaſphemus intendat nocumentum inferre honori divino, ſimpliciter loquendo, gravius peccat quam homicida ". Immo & ipſum perjurium ſuperat, quod eſt peccatum in Deum, ut ſubdit idem Angelicus in reſp. ad 2. „ Pejus eſt blaſphemare, quam pejerare. Qui enim pejerat, non dicit, aut ſentit aliquid falſum de Deo, ſicut blaſphemus; ſed Deum adhibet teſtem falſitatis, non tamquam æſtimans Deum eſſe falſum teſtem, ſed tamquam ſperans quod Deus ſuper hoc non teſtificetur per aliquod evidens ſignum.

X. Parvitatem materiæ non admittit; ſi enim vera blaſphemia ſit, ſemper gravem affert injuriam Creatori, ponit os ſuum in cœlum, & Deum contumelia afficit & convicio. Hinc etiam ſi per jocum proferatur, peccatum eſt mortale, cum jocandum non ſit, nugandumque cum injuria Creatoris. Sunt tamen Theologi, qui blaſphemias excuſant ex joco prolatas, ſi per jocum tollatur a blaſphemia omnis convicii & contumeliæ ratio. At quomodo jocus & nugatio tantam vim habere poſſit, ut blaſphemiam omni exuat malitia, non capio, cum potius majorem addere malitiam videatur illa, quæ redundat, cum ex ira vel indignatione verba blaſphemiæ proferuntur. Quid enim ſceleſtius, quam divinam Majeſtatem ludibrio habere, & iniquos imitari milites, qui dum Chriſtum ceu Regem ſalutabant, poſtea colaphis, ſputis, arundine, percuſſione dehoneſtabant, & affligebant? Niſi forte intelligendi ſint de quibuſdam phraſibus, quæ ſi ad litteram accipiantur, blaſphemiam redolere videntur, ut cum quis dicit; *id erat in fatis*, *fortuna ſemper mihi eſt adverſa*; vel pulchritudinem alicujus feminæ admirantes, eam *Deam* vocant, ut ſolent ſuas amaſias appellare proci. Verum hi loquendi modi ſano ab omnibus ſenſu accipiuntur, nimirum

vel

vel inſpecto infelici rerum eventu in ſe, præſcindendo a cauſa, ex qua profluunt, vel hyperbolice, & ad exaggerationem adhibiti; unde immerito inter blaſphemias connumerantur.

XI. Licet quis ex ſubita ſubreptione poſſit in verba blaſphemiæ prorumpere, quin lethaliter peccet, neceſſe tamen eſt ut tanta ſit inadvertentia, ut ad verborum ſenſum non advertat, nec oriatur ex aliqua prava blaſphemandi conſuetudine & habitu. Primam partem docet S. Th. hic a. 2. ad 3. ſcribens: „ Blaſphemia poteſt abſque deliberatione ex ſubreptione procedere dupliciter, uno modo quod aliquis non advertat, hoc, quod dicit, eſſe blaſphemiam: quod poteſt contingere cum aliquis ſubito ex aliqua paſſione in verba imaginata prorumpit, quorum ſignificationem non conſiderat; & tunc eſt peccatum veniale, & non habet proprie rationem blaſphemiæ. Alio modo quando advertit, hoc eſſe blaſphemiam, conſiderans ſignificata verborum; & tunc non excuſatur a peccato mortali, ſicut nec ille qui ex ſubito motu iræ aliquem occidit juxta ſe ſedentem ". Altera vero pars nimiam rejicit quorumdam Caſuiſtarum laxitatem docentium blaſphemias prolatas abſque advertentia, orta ex prava conſuetudine blaſphemias nequaquam eſſe, ſicut nec lethaliter peccare blaſphemantem ex inadvertentia, licet ſit habitu diſpoſitus, ut etiam ſi adverteret, blaſphemaret. Nam conſuetudo non tollit, ſed auget malitiam peccati; licet enim directe non ſit volita blaſphemia, eſt tamen indirecte volita in ſua cauſa, ſcilicet in prava conſuetudine, & habitu: ad peccandum autem non eſt ſemper neceſſarium voluntarium directum, ſed ſufficit voluntarium indirectum, ut docuimus Tract. 3. de volunt. cap. 4. Confect. 15. ubi & eorum refutavimus opinionem docentium, pravum effectum *indirecte* ſive in *cauſa* dumtaxat voluntarium, ſolum eſſe culpabilem in cauſa, nec majorem culpam contrahere, quam quæ convenit cauſæ. Si vero ex conſuetudine & habitu blaſphemans omnem adhibeat diligentiam ut pravam exuat conſuetudinem, & nihilominus ex linguæ repentino lapſu blaſphemet, a lethali peccato excuſari poterit.

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quænam ſint loquendi phraſes pro blaſphemis habendæ?*

II. *Aliæ locutiones eodem crimine culpandæ.*

III. *Deum negare, vel ejus omnipotentiam, vel aliud attributum, blaſphemia eſt.*

IV. *Quando ex S. Thoma creaturis maledicere blaſphemia ſit.*

V. *Nec blaſphemia in Sanctos parvitatem materiæ admittit.*

VI. *Blaſphemans in ebrietate non ſemper excuſatur a culpa lethali.*

VII. *Quando blaſphemiæ uno impetu prolatæ plura peccata conſtituant.*

Conſectarium Primum.

I. TAmetſi poſtquam Deus factus eſt homo, & verum aſſumpſit corpus, verumque ſanguinem, hæreticum non ſit dicere per corpus Dei, per ſanguinem Dei, ac proinde nec per ſe blaſphemum, nihilo tamen ſecius, cum hæc effata horrorem ingerant Chriſtianorum animis, & aures offendant, ſunt veluti blaſphemi redarguendi qui iſta pronunciant, multo magis ſi ira & furore perciti ad eructandam bilem vel exclamando vel jurando ingeminant per Corpus Dei, per Sanguinem Dei pœnas dabis, *Corpo di Dio*, *Sangue di Dio me la pagherai*, vel o Corpus Dei, o Sanguis Dei ita ne loqueris? *o Corpo di Dio*, *o Sangue di Dio così parli?* licet ira non ſit in Deum (tunc enim aperta eſſet blaſphemia) ſed in proximum. Quod eſt dicendum & de illis, qui Dei conſpectum vel potentiam ore infrunito vel ad minitandum, vel ad terrendum uſurpant exclamando *Coſpetto di Dio*, qui jure ſunt increpandi, & tanquam blaſphemi habendi. Veram autem blaſphemiam proferent, ſi corpus & ſanguinem Dei, vel ejus conſpectum dehoneſtative inflectunt dicendo *Corpaccio*, *Sanguenaccio di Dio*, vel Chriſti & Sanctorum pudenda membra nominarent.

Conſectarium Secundum.

II. Blaſphemia eſt Deum, ejus fidem, vel fidei dogmata renegare dicendo, Renego Deum, Baptiſmum, Sacramenta: quibus verbis ſi & mens conſentiat, hæreſis & apoſtaſia a fide conſequentur. Blaſphemia quoque eſt Omnipotentiam Dei deſpicere dicendo: invito Deo hoc erit, *al diſpetto di Dio la voglio così*, vel: nec Deus efficere poteſt ut in ludo vincam, adeo mihi ſors eſt inimica; ſicut & Deiparam appellare Scortum Dei, in qua blaſphemia duplex habetur malitia, & in Deum ipſum, & in Virginem. Blaſphemia quoque eſt Diabolo vel omnipotentiam, vel ſanctitatem tribuere, exclamando: o potentem Diabolum, o ſanctum Diabolum. Blaſphemiam tamen non proferunt qui admirando exclamant, o potentia Dei! *o poter di Dio*, *o po far Dio*, licet fortaſſis cum aliqua in proximum indignatione; qui tamen dicendi modi ſunt in chriſtianorum labiis extirpandi, nec de facili a mortali peccato excuſandi.

Conſectarium Tertium.

III. Blaſphemum eſt etiam ſub conditione Deum negare, vel fidem, ut qui juraret: nego Deum, ſi ita non eſt, quia conditio non cadit ſupra præſentem negationem, ſed ſuper futurum eventum, & Deum negare ſub quacumque conditione ſemper blaſphemia eſt. Sicut & blaſphematoriæ ſunt illæ formulæ: hoc ita verum eſt, ut Deus eſt verus, *come è vero Dio*, cum veritatem creatam Dei veritati adæquent; ſicut & qui dicunt: ſum innocens ſicut Chriſtus, ſicut Deipara, *ſono innocente come Gesù Criſto*, *come Maria*, cum iniqua ſit & blaſphema comparatio,

nec admittenda excuſatio ex proferentium intentione, qui ſolum vel rei veritatem adſtruere, vel innocentiam ſuam tueri volunt; nam non de mente proferentis, ſed de ipſis verbis judicandum eſt, quæ veram continent & produnt blaſphemiam; nec intentio non mala, vel etiam bona valet verbis, vel factis in ſe perverſis, peſſimiſque malitiæ præſentiſſimum virus adimere. Similiter & in hoc juramento: pereat Deus ſi ita non eſt, continetur blaſphemia, quæ tamen exulat ab eo, qui per vitam Dei juraret, dicendo: vivit Deus, ita eſt, *Viva Dio è così*, ſolum enim eſt juramentum, & quidem aſſertorium, non execratorium.

Conſectarium Quartum.

IV. „ Maledicere rebus irrationabilibus (*inquit* „ *S. Tho.* 2. 2. *q.* 76.) in quantum ſunt creaturæ „ Dei, eſt peccatum blaſphemiæ; maledicere autem eis ſecundum ſe conſideratis eſt otioſum „ & vanum, & per conſequens illicitum. " Corripiendi igitur ſunt qui creaturis maledicunt ex ira, quia ſibi noxiæ ſunt ex divina diſpoſitione, ut qui maledicuut Mari furenti, diuturnæ ſiccitati, grandini, exundationibus fluminum in amaritudine animæ, videtur ſiquidem iſta maledictio in ipſum Deum redundare, qui hæc mala immittit vel in criminum punitionem, vel in patientiæ exercitium. Qui per falſos Deos jurant, ſi ſerio, non joco jurent, profecto blaſphemi ſunt, & idololatræ. At communiter vel ad illis illudendum adhibentur falſorum Deorum nomina in jurejurando, vel ad linguæ genium ſe accommodando, quin ullum honorem illis præſtent, ut qui latine ſcribentes uſurpant *hercle*, *mehercle*, *Pol*, *Edæpol*, *medius fidius* & ſimilia, quæ tamen phraſes eſſent a Chriſtianis ſcriptoribus evitandæ.

Conſectarium Quintum.

V. Non deſunt benigniores Theologi, qui parvitatem materiæ non admittunt quando blaſphemia eſt in Deum, at admittere non refugiunt ſi ſit in Sanctos, præſertim ut homines fuerunt in ſeculo; ſic Sanctos appellare ſutores, Eunuchos, miſellos homines, ſpurios, veniale peccatum eſſe arbitrantur. At iſti profecto a veritate aberrant, ita enim compellare Sanctos ad eorum, dum in vivis degerent, conditiones, officia, natalem explicandum, nec blaſphemia, nec peccatum veniale eſt. At iſta uſurpare in eorum contumeliam, vel deriſionem vera blaſphemia eſt, & in Deum redundans, ut docet S. Th. loco ſuperius laudato, proinde parvitatem materiæ non admittit, ſed lethale peccatum eſt ſemper habendum.

Conſectarium Sextum.

VI. Superius diximus, blaſphemias in Sanctos ſpecie differre a blaſphemiis in Deum, proinde in Confeſſione aperiendum eſt, num in Deum vel Sanctum blaſphemia prolata fuerit. Quæ doctrina adeo vera eſt, ut qui contrarium ſentiunt, & putant ſpecie non differre, ut Salmanticenſes, tamen expreſſe dicant eſſe in confeſſione diſtinguendas, & concorditer ceu laxam nimis, & certe falſam rejiciant Tamburini doctrinam dicentis: „ Satis eſſe ſi in confeſſione aperiatur numerus „ blaſphemiarum, nec explicare opus erit.... „ fuiſſe contra Deum, vel Beatiſſimam Virgi„ nem, vel contra Sanctos.

Conſectarium Septimum.

VII. Qui in ebrietate blaſphemant, a peccato non excuſantur, ſi ſciant ſe ebrios blaſphemare conſueviſſe, quia tunc blaſphemiæ ſunt voluntariæ indirecte in ipſa ebrietate libere & advertenter volitæ. Secus vero ſi nunquam experti ſint in ebrietate blaſphemare. Qui vero blaſphemandi conſuetudine tenetur, licet ſemel tantum ebrius blaſphemet, non excuſatur a lethali culpa, quippe quia adhuc a voluntaria blaſphemandi conſuetudine voluntarie inducta & retenta verba blaſphemiæ progrediuntur. Falſa quoque habenda eſt Leandri doctrina ſcribentis: „ ſi blaſphemet ali„ quantulum judicium rationis ſequendo, non ta„ men plenum & omnino deliberatum, tunc pec„ cabit, ſed ſolum venialiter, etiam in caſu, „ quo indeliberatio orta fuerit ex cauſa injuſta & „ illicita ". Nam 1. qui aliquo modo advertit ſe in blaſphemias prorumpere, jam tenetur linguam cohibere, quod ſi non præſtet, jam illi imputantur ad culpam, & quidem gravem, cum ipſa advertentia de culpæ gravitate admoneat. 2. Cum teneatur auferre cauſam inconſiderationis, quippe quæ injuſta eſt & illicita, jam voluntarie eam retinet, ac proinde in ipſa negligentia auferendi hujuſmodi inconſiderationem voluntariæ evadunt blaſphemiæ, & nihil de ſua malitia minuunt. Nec, ut docet S. Tho. neceſſe eſt ut advertat ad blaſphemiæ malitiam, ſed ſatis eſt ut advertat ad verborum ſignificationem, quæ blaſphemiam continent, ſic enim ſcribit A. P. „ Quando advertit „ hoc eſſe blaſphemiam conſiderans ſignificata ver„ borum, tunc non excuſatur a peccato mortali.

Conſectarium Octavum.

VIII. Licet aliquando contingere poſſit ut quis uno iræ & furoris impetu plures evomens blaſphemias, nonniſi unum lethale peccatum committat; ſpectanda nihilominus ſemper ſunt 1. diuturnitas temporis, quo furor & ira perduravit, quæ ſi tanta ſit ut poſſit advertere ad blaſphemiarum multitudinem, & furorem comprimere, jam non unum, ſed plura erunt peccata blaſphemiæ. 2. Si blaſphemet ex conſuetudine, tunc enim blaſphemiæ non tam ab immediato furore & ira proficiſcuntur, quam a pravo habitu, in quo voluntariæ ſunt, non ſolum quoad ſpeciem, ſed etiam quoad numerum. 3. Denique ſemper blaſphemans aperire debet in confeſſione & temporis moram & furoris ac iræ impetum, ipſamque blaſphemandi conſuetudinem.

CAPUT TERTIUM.

Quibus pœnis ſubjaceant blaſphemi, & quomodo corrigendi?

DOCTRINA.

I. *In Veteri Teſtamento pœna capitis in blaſphemos lata.*
II. *Quæ & in jure civili decernitur.*
III. *Pœnæ in jure Canonico ſtatutæ recenſentur.*
IV. *Aliæ a conciliis & Pontificibus ſtatutæ.*
V. *Audientes blaſphemos eos corrigere & denunciare debent.*
VI. *Abſolutionem a crimine blaſphemiæ quis valeat impertiri.*
VII. *Qui ex conſuetudine blaſphemant quando ſint abſolvendi.*
VIII. *Severa pęnitentia imponenda blaſphemis vere pęnitentibus.*

I. IN veteri Lege pęna mortis in blaſphemos ex Dei ordinatione ſtatuta erat. Levitici 24. v. 16. ſancitum legitur: *Qui blasphemaverit nomen Domini, moriatur, lapidibus opprimat eum omnis multitudo, ſive ille civis, ſive peregrinus fuerit.* Quæ pęna revera inflicta fuit, ac in eodem capite legitur executioni demandata in virum ex homine Ægyptio natum, de quo juſſit Moyſi Dominus: *Edhuc blaſphemum extra caſtra, & ponent omnes qui audierunt manus ſuas ſuper caput ejus, & lapidet eum populus univerſus.*

II. Immo & in ipſo jure civili ultimum ſupplicium decernitur in blaſphemos. Quod & confirmavit Carolus V. ſaltem pro blaſphemia gravi in ipſum Deum; pro leviori vero, quæ non ſit in Deum, ſed in B. V. vel Sanctos, ſtatuit linguæ præciſionem, fuſtigationem, carcerem, aliaſque pęnas arbitrarias pro circumſtantiarum diverſitate. Rigor iſte æquiſſimus deſuetudine evanuiſſe videtur, & ſolus uſus invaluit, ut blaſphemis pęna imponatur arbitrio judicis, ſpectata qualitate perſonæ ac delicti, adeo ut ſi ad exceſſum blaſphemia pertingat, & ſit quammaxime execrabilis & enormis, etiam mortis pęnam infligere judex & poſſit & debeat. Omnes tamen Principes & Reges ſeveras intorquent in blaſphemos pęnas, nimirum præter publicam infamiam etiam linguæ præciſionem, labiorum aduſtionem, diuturnum carcerem, & ſimilia.

III. In jure vero canonico in Clericos blaſphemantes pęna ſtatuitur depoſitionis ab officio & ſtatu clericali, in laicos vero excommunicationis pęna ferenda, ut habetur cap. „ Si quis 10. *cauſ.* „ 22. *quæſt.* 1. *In cap. vero* ſtatuimus 2. *de Maledicis hæ indicuntur infligendæ pęnæ*: Septem „ diebus Dominicis præ foribus Eccleſiæ in mani„ feſto, dum aguntur Miſſarum ſolemnia, blaſ„ phemus exiſtens, ultimo illorum die Dominico „ pallium & calceamenta non habeat, ligatus cor„ rigia circa collum, ſeptemque præcedentibus „ ſextis feriis in pane & aqua jejunet. Quæ ſi „ præſtare neglexerint, vel recuſaverint blaſphe„ mi, ingreſſu in Templum, & eccleſiaſtica ſe„ pultura priventur".

IV. Concilia & Pontifices alias addidere pęnas. Leo X. in Concilio Lateran. contra Clericos ſtatuit, ut pro prima vice mulctentur fructibus unius anni quorumcumque Beneficiorum, quæ habuerunt, pro ſecunda vice ſi unicum habuerint beneficium, illo priventur, ſi plura, uno ad Epiſcopi arbitrium ſpolientur. Pro tertia vice dignitatibus ac beneficiis omnibus priventur, & ad ulterius retinenda inhabiles reddantur. Laicos vero nobiles nobilitate ſpoliandos ſtatuit, plebejos ac ignobiles vero infamia, carcere, & ad triremes damnatione plectendos.

V. Qui vero blaſphemos audiunt, ex Concilii Lateranenſis præcepto tenentur eos ad judices denunciare; ſic enim ſtatuit Concilium: „ Quicum„ que blaſphemantem audierint, eum verbis acri„ ter objurgare tenentur, ſi citra periculum ſu„ um id fieri poſſe contingat, eumque deferre & „ notificare apud judicem Eccleſiaſticum vel ſe„ cularem intra triduum debeant: quod ſi plu„ res dictum blaſphemantem ſimul audierint, ſin„ guli eum accuſare teneantur, niſi forte omnes „ convenerint, ut unus pro cunctis tali officio „ fungatur". In Sereniſſimo Veneto Dominio ex S. Inquiſitionis Decreto tenentur omnes, qui hæreticaliter blaſphemantes audiunt, eos Sacro Tribunali deferre.

VI. Blaſphemiæ in Deum & B. V., & Sanctos fere in omnibus Diœceſibus abſolutio Epiſcopis reſervata eſt, a quo proinde ſcelere, niſi ſpecialem obtinuerint facultatem, nequeunt Confeſſarii abſolvere. Si vero tali poteſtate donentur, poterunt quidem abſolvere ſi blaſphemiæ ſimplices ſint, vel etiam hæreticales, dummodo tamen nullus fuerit contra fidem error in mente blaſphemantis; ſi vero formaliter hæreticæ ſint, cum hæreticorum pęnis ſubjaceant, nequeunt ob excommunicationem in hæreticos a pluribus Conciliis latam abſolvi, ſed ad Summum Pontificem, vel ad Tribunal Inquiſitionis remittendi hujuſmodi blaſphemi.

VII. Conſuetudinem habentes blaſphemandi nunquam ſunt abſolutione donandi, niſi pravum habitum depoſuerint, ac proinde diutius probandi, cum labilis lingua ægre comprimatur. Meminerint propterea Confeſſarii damnatæ propoſitionis ab Innocent. XI. dicentis: „ Pęnitenti habenti con„ ſuetudinem peccandi contra legem Dei, natu„ ræ, aut Eccleſiæ, licet emendationis ſpes nulla „ appareat, nec eſt deneganda, nec differenda abſo„ lutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & pro„ ponere emendationem.

VIII. Severa quoque, & repetita eſt blaſphemis pęnitentibus imponenda ſatisfactio, ſic enim jubet Lateranenſe Concilium ſuperius laudatum ſeſſ. 9. §. *ad abolendam*: „ In foro pęnitentiæ „ nemo blaſphemiæ reus abſque graviſſima ſeve„ ri confeſſarii arbitrio injuncta pęnitentia poſ„ ſit abſolvi". Sunt itaque blaſphemantes 1. Severe corripiendi, & objurgandi. 2. Si ex habitu & conſuetudine blaſphement, differenda abſolutio, donec diutina experientia ſerio ſe emendare velle oſtenderint. Interim ut ad emendatio-

nem perveniant, injungendum, ut mane ſtatim ac a lecto ſurgunt, & ſero cum cubitum pergunt, genibus flexis proſtratis, & vultu in terram demiſſo de prolatis blaſphemiis a Deo veniam petant, & emendationem polliceantur, orantes ut in tam difficili vincendæ pravæ conſuetudinis certamine ipſos adjuvare dignetur, & denique lingua cruces plures in terra ſignent. 3. Si in blaſphemias quis prorumpat in ludo, vel in rixa, ludum omnino abjicere debet, & ab omni rixa ſtudeat præcavere. 4. Si ex pravo habitu aliquando etiam quodammodo invitus blaſphemias proferat, ſtatim ac ſentit ſe peccaſſe, pectus tundat, vel lingua crucem ſignet in terra, ab audientibus veniam petat, & ſi dives eſt, vel poteſt, toties largiatur eleemoſynam, quoties blaſphemaverit. 5. Devicta tandem prava conſuetudine, danda illi abſolutio eſt, & pro pęnitentia injungantur aliqua jejunia, plures Cruces lingua in terra ſignandæ, quotidie mane & veſpere poſt aliquas preces, puta Roſarium, vel ſeptem Pſalmos Pęnitentiales, recitatas, & hoc per duos, tres menſes, vel etiam per annum juxta conſuetudinis pravæ diuturnitatem. Ad ſatisfaciendum divino honori læſo jubendum, ut Sanctiſſimum Sacramentum dum infirmis defertur comitetur, vel publicæ adorationi expoſitum inviſat, ſæpius in die laudes Deo reddat ingeminando, *Sit nomen Domini benedictum. Laudate nomen Domini. Sanctum & terribile nomen Domini*, *vel Gloria Patri &c.* a familiaribus aliiſque, coram quibus blaſphemavit, de dato ſcandalo veniam petat. Idem proportione ſervata tenendum cum illis, qui non ex conſuetudine, ſed ſolum raro & in aliquo eventu blaſphemant, pro numero enim & qualitate blaſphemiarum injungendæ proſtrationes & crucis ſigna in terra facienda, jejunia, eleemoſynæ, viſitatio, vel aſſociatio Euchariſtiæ Sacramenti. Si ita ſe gerent Confeſſarii, blaſphemias cohibebunt, & blaſphemantes emendabunt: quod ſi hiſce pęnis ſe ſubjicere renuant, cum ſignum pęnitentiæ non oſtendant, ſaltem obtinebunt ne Sacramenta prophanent, & ore ſacrilego ſacrum Chriſti Corpus inhonorent. Si vero, quod abſit, qui blaſphemaverint ſint Sacerdotes, ab Altari removeantur, & tot diebus a celebratione abſtinere jubeantur, quot protulerint blaſphemias.

CAPUT QUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Graviter peccant Judices, qui blaſphemos juxta Leges non plectunt.*

II. *Qui blaſphemantes audiunt, eos corripere tenentur.*

III. *In Diœceſibus, in quibus abſolutio criminis blaſphemiæ reſervata eſt Epiſcopis, etiam blaſphemiæ ex conſuetudine licet inadvertenter prolatæ reſervationi ſubſunt.*

Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. JUDICES tam Laici quam Eccleſiaſtici, qui blaſphemos ſecundum Leges non puniunt, graviter peccant. Ita docet Clarus §. *Blaſphemia* n. 3. & jure merito; ſi enim judex gravis peccati reus evadit, ſi privatas hominum injurias non cohibeat, ſi honorem proximi lædentes non plectat, quanto magis peccabit, ſi injurias Deo illatas, & honorem illius conculcatum non vindicet quam ſeveriſſime? Quare in Concilio Lateranenſi declaravit Leo X. ſeculares judices, qui contra blaſphemos non animadverterint, eoſque juſtis pęnis minime affecerint, quaſi ejuſdem ſceleris obnoxios, vel participes habendos. De judicibus vero Eccleſiaſticis ſic ſtatuitur in jure canonico cauſa 22. quæſt. 1. *Si Epiſcopus blaſphemos emendare neglexerit, acerrime corripiatur.*

Conſectarium Secundum.

II. Qui blaſphemantes audiunt, eos corrigere tenentur. Si enim correctionis fraternæ præceptum non urget, quando ſunt cohibendæ blaſphemiæ, vel corrigendi blaſphemantes, dici poteſt nunquam urgere. Quis enim filius ferat patienter & indolenti animo proprii parentis nomen, famam, honorem ab alio coram ſe injuriis, contumeliis, calumniis proſcindi, quin ſtatim zelo percitus calumniatorem non redarguat, & cohibeat? Quod ſi non præſtet, certe impius audiet. Qui ergo impietatis non accuſandus, ſi ſupremum omnium Parentem Deum blaſphemiis dehoneſtari audiens, non ſtatim zelo divini honoris ductus blaſphemantem non redarguat, & cohibeat? Scio quidem prudentia opus eſſe in hiſce impiis hominibus corripiendis, ne in alias prorumpant blaſphemias; at etiam ſcio, plerumque vel ob nimiam profectus deſperationem, vel ob carnalem prudentiam, correctionem omitti. Quid enim timendum, ſi audiens blaſphemias clara voce exclamet, *Sit nomen Domini benedictum: Sit nomen Dei benedictum in ſecula*, vel ſimilia, quæ & in blaſphemantis correctionem prolata quiſque ſtatim, immo & ipſe blaſphemus dignoſcere poterit? Saltem ſi ex ira blaſphemantem quis audiat, ſedato iræ impetu commonere cum ſpe profectus poterit. Statutum Leonis X. in Concilio Lateranenſi ſuperius protulimus, correctionem blaſphemantium cuilibet Chriſtiano præcipientis.

Conſectarium Tertium.

III. In Diœceſibus, ubi criminis blaſphemiæ abſolutio Epiſcopis reſervata eſt, blaſphemiæ quoque ex prava conſuetudine etiam ſine actuali advertentia prolatæ reſervationi ſubſunt. Hujuſmodi enim blaſphemiæ vera peccata ſunt, & quidem lethalia, tum in ſe, tum in cauſa; in ſe quidem, quia conſuetudo blaſphemandi actualem inadvertentiam non excuſat, cum teneatur & poſſit advertere; quod non advertat, ipſe blaſphemus in cauſa eſt; eſt autem voluntaria etiam in ſua

in ſua cauſa, quia voluntarie ipſa conſuetudo retinetur. Præterea blaſphemia ex conſuetudine prolata ex certa malitia profluit: *quicumque enim ex habitu peccat, ex certa malitia peccat*, ut docet S. Thom. 1. 2. q. 78. a. 2. Si ergo hæc blaſphemia & eſt peccatum mortale, & eſt directe volita, & eſt voluntaria in ſua cauſa & certa oritur ex malitia, reſervationi ſubeſt, cum Epiſcopi peccata mortalia, certa, voluntaria, & malitioſa ſibi reſervent. Non ſunt igitur audiendi, qui oppoſitum docent, cum & fuerint Apoſtolico judicio ad retractationem coacti.

REFLEXIO.

Optandum eſſet Dei Miniſtris linguæ in blaſphemos redarguendos donari linguæ Leonis ſimili, qui dicitur vel ſolum lingendo & lambendo ſanguinem elicere. Hic enim locum habet Apoſtoli monitum 1. ad Tit. 13. *Increpa eos dure, ut ſani ſint*. Quis enim patienter ferat, ſanctum & terribile nomen Domini, quod ob reverentiam olim in veteri Teſtamento ſoli Summo Sacerdoti Sancta Sanctorum ingreſſuro aurea inſculptum lamina in fronte geſtare concedebatur, modo in Novo Teſtamento a Chriſtianis per vicos, per compita, in plateis, diverſoriis, tabernis ore infrunito dehoneſtari, blaſphemiis proſcindi, conculcari? Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte? Quis non perhorreſcat audiens Divinum illud Corpus pro noſtra ſalute dilaniatum, pretioſiſſimum Sanguinem in noſtrorum remiſſionem peccatorum tam miſericorditer effuſum, velut lutum platearum conculcari? Exprobret igitur ſtudioſus Dei Miniſter blaſphemis iniquitatem ſuam, & cum S. Bernardino Senenſi ſer. 41. exclamet: „ O rabidi canes, o Diabolici homi„ nes, o incarnati dæmones, o animæ maledictæ, „ o proditores & occiſores Majeſtatis Divinæ! “ & tanti ſceleris illis pandat magnitudinem, turpitudinem, & difficilem veniam.

Magnitudinem pandat, oſtendens, blaſphemiam in Scripturis vocari *loquelam contrariam morti*, id eſt quammaxime mortiferam, & quam Deus jubet *non inveniri in hæreditate Jacob*; ſemper per antiphraſim deſignari, & Dei maledictionem ſeu blaſphemiam per nomen benedictionis exprimi & denotari, ut ſic, inquit D. Jo. Chryſoſtom. hom. 4. *benedictis maledicta velaret*. *Nihil horribilius* (ſubdit Hieronymus in Iſaia 6. 18. *blaſphemia, omne quippe peccatum comparatione blaſphemiæ levius eſt*, eſt enim crimen læſæ Majeſtatis Divinæ, non quidem in ſuis operibus & creaturis, ſed in ipſum Deum, cui conviciatur, quem inhonorat, in quem ſua probra jacit & maledicta. Crimen ex diabolica prodiens malitia, qua contra Omnipotentem roborantur blaſphemi, eique inſultant. „ In blaſphemia intendit homo „ (ſcribit S. Bernardinus Senenſis ſer. 41. ar. 1. „ directe offenſam Dei, & de ipſo ſe vindica„ re, qui nullam committit aut committere pot„ eſt culpam. Blaſphemator proprie deſignatur „ per coccineam beſtiam, de qua Apocal. 17. *vi„ di mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam „ plenam nominibus blaſphemiæ* “. Qui & paulo poſt ſubdit: „ Grave eſt blaſphemare Deum, „ cum in illum blaſphemando lingua blaſpheman„ tis efficitur quaſi gladius cor dei penetrans, & „ enſis undique Deum ſcindens.

Turpitudinem vero exponat, oſtendens & ſublimem Dei Majeſtatem, & ſuam vilitatem. „ Ne„ ſcitis (ſcribit D. Chryſoſtomus hom. 16. ad „ Populum Antioch.) quis ſit Deus, & quali „ debet ore vocari? Quod ſi de ſtudioſo quodam „ viro male quis loquatur, dicimus, os tuum „ ablue, & ita commemorare; nunc vero no„ men venerandum, quod audientes dæmones „ horrent, temerarie circumferimus? “ Et Conc. 3. In Lazarum ſubdit. „ Quid facis o homo „ in beneficum, in Salvatorem, in proviſorem, „ in tui curam agentem convicia jaciens? Non „ te ſentis in præcipitium abripi, teque ipſum „ in extremi exitii barathrum dejicere? Sic au„ des (ſcribit S. Ephrem paræneſi 2. n. 43.) „ os aperire adverſus Omnipotentem, in quem „ Angeli, Archangeli, Cherubin, & Seraphin „ non audent oculos conjicere? Cras Tribunali „ ipſius præſentandus audes talia eloqui? Et „ non metuis ne forte ignis de cęlo deſcendat, „ qui ſic os adverſus Omnipotentem aperis? Ne„ que times ne forte terra ſub te diſrumpatur, „ & te abſorbeat? Ne decipiaris, o homo, im„ poſſibile enim eſt manus effugere Creatoris; au„ di eum qui dicit, blaſphemantes rationem red„ dent Deo, qui paratus eſt judicare vivos & „ mortuos “. Oſtendat blaſphemos hoſtes eſſe & inimicos patriæ & civitatis, ſupra quam Dei iram provocant, & flagella multiplicant, ab omnibus proinde odio habendos, puniendos, exterminandos. Sic enim Antiochenos malis & ærumnis oppreſſos alloquitur Chryſoſtomus hom. 2. n. 3. „ A„ liam a vobis mercedem exigi forte noſtis, & „ meminiſtis. Quæ vero merces erat? Civitatis „ blaſphematores punire & caſtigare Deum con„ tumelia afficientes, & furioſos cohibere... Si „ prævaricantes ipſos ex urbe expuliſſemus & „ correxiſſemus, & ægrotum curaſſemus mem„ brum, non præſenti teneremur pavore “. Et quidem Chryſoſtomus hom. 1. n. 12. cunctis juſſerat, immo pro mercede & retributione ab eis efflagitaverat: „ Si quemquam in foro, „ in bivio Deum blaſphemantem audieris, acce„ de, increpa, & ſi verba infligere oportet, ne „ recuſes, ipſius faciem alapa percute, contere os „ ipſius, percuſſione manum tuam ſanctifica... Si „ enim Reges terræ blaſphemantes puniri oportet, „ multo magis Deum contumelia afficientes. Com„ mune crimen eſt, publica injuria, cuique ac„ cuſare volenti liceat “.

Quam difficile autem ſit & emendationem & veniam de tanto flagitio obtinere, teſtatur Scriptura, & in Veteri Teſtamento: *Maledicti erunt*, dicitur Tob. 2. *qui contempſerint te, & condemnati erunt omnes qui blaſphemaverint te*. Et in Novo Chriſtus Dominus teſtatur Matth. 12. *Spiritus blaſphemiæ non remittetur*. Et revera ſe ex patre diabolo eſſe clare oſtendunt, dum ejus ſuperbiam imitantur, qui ore blaſphemo auſus eſt dicere: *Similis ero Altiſſimo*. Se jam damnatorum & reprobo-

rum ſocios oſtendunt, & ad regionem illam pertinere, ubi incolæ inceſſanter Omnipotentem Judicem de illis vindictam ſumentem blaſphemant. Hinc optime ſcribit S. Bernard. Senenſis ſer. 41. ar. 3. „ Solet homo ex qua patria ſit per loquelam agnoſci. Tres autem regiones poſſidet Deus, cœleſtem ſcilicet, mundialem, & infernalem, quælibet autem earum habet loquelam ſuam, unde cognoſci poſſit. Regio cœleſtialis habet pro loquela ſua Deum ſemper benedicere, & laudare, *Beati qui habitant in domo tua in ſecula ſeculorum laudabunt te* . . . Mundialis autem regio ſuos cives habet ex ſermonibus cognoſcendos, ſuperbi enim loquuntur de honoribus, luxurioſi de vanitatibus, & laſciviis, avari de lucris & theſauris. Infernalis autem patria etiam nunc in mundo multos concives habet; ſermo infernalis non alius eſt, quam blaſphemiæ & maledictiones Dei, Virginis, ac Sanctorum, qui jam ſcripti ſunt in libro æternæ perditionis, ideo jam aſſueſcunt loquelæ officio, quod facturi ſunt in inferno. Cognoſcuntur Galli ex loquela ſua, Alemani ex ſermone ſuo, Itali ex idiomate ſuo, ſic & reprobi homines ex blaſphemiis ſuis. O homines infernales! O tartarei cives! O conſocii inferorum! Cuilibet veſtrum dici poteſt quod Matth. 26. dictum eſt Petro: *Vere tu ex illis es, nam & loquela tua manifeſtum te facit* “.

TRACTATUS V.

DE DECALOGI PRÆCEPTIS

PARS TERTIA

QUÆ EST DE TERTIO DECALOGI PRÆCEPTO

Memento ut diem Sabbati ſanctifices, non facies omne opus in eo.

REMOTIS impedimentis (*inquit D. Thom.* 2. 2. *q.* 122. *art.* 4.) veræ Religionis per primum & ſecundum præceptum Decalogi, ut ſupra dictum eſt (*art.* 2. & 3.) conſequens fuit, ut tertium præceptum poneretur, per quod homines in vera Religione fundarentur, *Docuerat ſiquidem S. P. in ſuperioribus articulis per primum Decalogi præceptum, ſublato cultu falſorum Numinum, conſtitutum fuiſſe veri Dei cultum, qui præſertim interioribus actibus præſtatur, fide nimirum, ſpe, & caritate. Sicut & per ſecundum mandatum, ſublato impedimento irreligioſitatis (quo, ut idem ſcribit S. D.* impeditur, ne Deus, poſtquam ſuſceptus eſt, honoretur), *vetatur, ne in vanum nomen Dei aſſumatur, & præcipitur, ut ore laudetur & celebretur*; Merito, *ſubdit*, in tertio præcepto mandatur Feſtorum ſanctificatio, *qua exteriori cultu per opera & ſenſibilia ſigna Deus colatur, & ſic in vera fundentur homines Religione, quæ Deo cultum rependat, & animo & verbis & opere, atque ita totus homo, & ſecundum interiora, & ſecundum exteriora Deo ſerviat. De hoc itaque Præcepto tractandum ſumimus in hac tertia parte, quæ una complebitur Diſſertatione.*

DISSERTATIO UNICA

DE FESTORUM SANCTIFICATIONE.

CAPUT PRIMUM.

De Feſtorum Inſtitutione.

DOCTRINA.

I. *Feſtorum dierum inſtitutio ab ipſa naturali religione profluit.*
II. *Præceptum ſanctificationis Sabbati partim naturale, partim cæremoniale.*
III. *Qua cæremoniale, aboleri potuit, & mutari.*
IV. *Ab Apoſtolorum tempore mutata dies Sabbati in Dominicum diem.*
V. *Hujus mutationis rationes, & congruentiæ ex S. Leone M.*
VI. *Sunt & alii feſti dies, partim ab Apoſtolica traditione, partim ab Eccleſia inſtituti.*
VII. *Quinam poteſtate polleant feſta inſtituendi?*
VIII. *Convenit etiam Epiſcopis, conſentientibus Clero & populo.*
IX. *Qua tamen uti non convenit in præſenti diſciplina ſine Summi Pontificis licentia.*
X. *Feſta toto orbe celebranda enumerantur.*

I. FEſtorum dierum inſtitutio ab ipſa profluit naturali religione. Nulla enim invenitur gens, vel natio rudis adeo, impolita, & barbara, quæ in ſuorum Numinum cultum feſtos dies aliquos non inſtituerit, eorumque cultui & honori non deſtinaverit. Ut enim optime obſervat D. Thom. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 1. „ Ineſt homini „ naturalis inclinatio ad hoc, quod cuilibet rei „ neceſſariæ deputetur aliquod tempus, ſicut cor„ porali refectioni, ſomno, & aliis hujuſmodi. „ Unde etiam ſpirituali refectioni, qua mens ho„ minis in Deo reficitur, ſecundum dictamen na„ turalis rationis, aliquod tempus deputat homo. „ Et ſic habere aliquod tempus deputatum ad va„ candum divinis, cadit ſub præcepto morali.

II. Naturale hocce præceptum Deus Hebræorum populo in Decalogo ſervandum indixit; nam licet ſpecialiter in eo indicta videatur Sabbati ſanctificatio, diei tamen indictio ad meras cæremoniales Judæorum leges pertinebat, poſtea & ſucceſſu temporis recedentibus umbris & figuris, & adveniente luce abolendas. Quod egregie explicat S. Thom. l. c. ſcribens: „ Præceptum de ſancti„ ficatione Sabbati literaliter intellectum, eſt partim „ morale, partim autem cæremoniale. Morale qui„ dem eſt quantum ad hoc quod homo deputet ali„ quod tempus vitæ ſuæ ad vacandum divinis ... ſed „ inquantum in hoc præcepto determinatur ſpe„ ciale tempus in ſignum creationis mundi, ſic „ eſt præceptum cæremoniale. Similiter etiam „ cære-

„ cæremoniale eſt ſecundum allegoricam ſignificationem, prout fuit ſignum quietis Chriſti in ſepulcro, quæ fuit ſeptima die ... Unde præceptum de ſanctificatione ſabbati ponitur inter præcepta Decalogi, inquantum eſt præceptum morale, non inquantum eſt cæremoniale.

III. Potuit igitur hocce præceptum, qua cæremoniale eſt, aboleri, & loco Sabbati alia dies ſanctificanda, & divino cultui dedicanda ſubſtitui, quod ab Eccleſia præſtitum eſt, & ſabbato ſubſtitutus dies hebdomadæ primus, qui & Dominicus dictus eſt. Cum vero hujus mutationis nec tempus deſignari, nec decretum ullum ſive Pontificum, ſive Conciliorum illam immutationem indicentium poſſit afferri, ab Apoſtolica Traditione proficiſci non eſt ambigendum juxta S. Auguſtini regulam in Epiſt. ad Januar. ſcribentis: „ Illa quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto orbe ſervantur, datur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel a plenariis Conciliis commenta atque ſtatuta retineri “.

IV. Et revera hujuſce mutationis jam Apoſtolorum tempore invectæ meminit & ipſa Novi Teſtamenti Scriptura. Nam S. Jo. Evangeliſta diem Dominicum commemorat Apocal. 1. ſcribens; *Fui in ſpiritu in Dominica die*. Et Apoſtolus Paulus dum ſcribit 1. ad Corinth. cap. 16. *Per unam Sabbati unuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat*, *recondens*, *quod ei bene placuerit*, *ut cum venero*, *collectæ* (eleemoſynarum) *fiant*: ſicut & S. Lucas, dum Act. c. 5. narrat: *una ſabbati conveniſſe fideles ad frangendum panem*, non alium deſignarunt diem, niſi Dominicum, ut egregie interpretatur, & probat D. Auguſt. in ſua ad Caſulanum epiſt. ſcribens: „ Una ſabbati appellatur dies, qui nunc Dominicus appellatur, quod in Evangeliis apertius invenitur. Nam dies Reſurrectionis Domini prima ſabbati a Matthæo, a ceteris autem tribus una ſabbati dicitur “. Jure igitur meritoque in ſerm. 151. de tempore abſolute pronunciare potuit: „ Dominicum diem Apoſtoli, & Apoſtolici viri religioſa ſolemnitate habendum ſanxerunt “.

V. Cur autem loco ultimæ hebdomadis diei a Judæis in Dei honorem dicatæ, fuerit ſubſtituta ab Apoſtolis prima dies, plures afferunt Patres rationes & congruentias, quas omnes amplexus eſt S. Leo in ſua ad Dioſcorum Epiſtola ſcribens: „ Dominica dies, quæ tantis divinarum diſpenſationum Myſteriis eſt conſecrata, & quidquid eſt a Domino inſignius conſtitutum, in hujus diei dignitate ſit geſtum. In hoc Mundus ſumpſit exordium; in hoc per reſurrectionem Chriſti, & mors interitum, & vita accepit initium. In hoc Apoſtoli a Domino prædicandi omnibus gentibus Evangelii tubam ſumunt, & inferendum univerſo mundo Sacramentum regenerationis accipiunt. In hoc, ſicut B. Joannes teſtatur, congregatis in unum diſcipulis, januis clauſis, cum ad eos Dominus intraſſet, inſufflavit & dixit: *accipite Spiritum Sanctum*, *quorum remiſeritis peccata remittentur eis*, *& quorum retinueritis retenta ſunt*. In hoc denique promiſſus a Domino Apoſtolis Spiritus S. advenit, ut cæleſti quadam regula inſinuatum, & traditum noverimus, in illa die celebranda nobis eſſe myſteria Sacerdotalium Benedictionum, in quo collata ſunt omnia dona gratiarum “.

VI. Sunt & alia Feſta, quorum exordia non reperimus, & ab Apoſtolica traditione deſcendere pro certo tenendum eſt. Hujuſmodi vero ſunt, quæ S. Auguſtinus in ſua ad Januar. Epiſt. commemorat: *Domini Paſſio*, *& Reſurrectio*, *& Aſcenſio in cælum*, *Adventus de cælo Spiritus Sancti anniverſaria ſolemnitate celebrantur*. His poſtea communi Eccleſiæ conſenſu & Sanctorum Martyrum Feſta adjecta ſunt, adeo ut ſecundi ſeculi initio morem hunc obtinuiſſe epiſtola teſtetur Eccleſiæ Smyrnenſis, in qua S. Polycarpi Diſcipuli S. Joannis Apoſtoli glorioſum recitat martyrii triumphum ſcribens, ut habetur apud Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 14. cap. 4. n. 8. „ Quo in loco nobis, ſi fieri poterit, convenientibus, concedat Deus natalem ipſius Martyris diem cum hilaritate & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui glorioſo certamine perfuncti ſunt, tum ad poſteros hujuſmodi exemplo inſtruendos & confirmandos “. Poſtea vero, licet ſerius & Confeſſorum feſtivitates adjectæ ſunt, non tamen ante quintum ſeculum.

VII. Feſta inſtituendi poteſtatem obtinent Concilia Generalia, Summus Pontifex, immo & ipſi Epiſcopi, ut ex Jure Canonico conſtat, nam diſt. 3. de Conſecr. can. 1. connumeratis nonnullis feſtivitatibus dicitur: *Et illæ feſtivitates* (celebrentur) *quas ſinguli Epiſcopi in ſuis Epiſcopatibus cum populo collaudaverint*. Et Gregorius IX. cap. Conqueſt. ext. de Feriis, connumeratis diebus feſtis, in quibus a forenſibus actibus eſt abſtinendum ex communi jure, addit: *Ac certis ſolemnitatibus*, *quas ſinguli Epiſcopi in ſuis Diœceſibus cum Clero & populo duxerint ſolemniter venerandas*. Immo & ipſum Tridentinum Concilium hanc poteſtatem in Epiſcopis agnovit, dum ſeſſ. 25. cap. 12. de Regularibus indixit: *Dies etiam feſti*, *quos in ſua Diœceſi ſervandos idem Epiſcopus præceperit*, *ab exemptis omnibus*, *etiam regularibus*, *ſerventur*.

VIII. Hac tamen poteſtate feſta inſtituendi uti non valent Epiſcopi, niſi conſenſus accedat & Cleri & populi. Et jure meritoque, quippe quia feſtorum celebratione publica populorum officia, negotia, actiones impediuntur, & nova veluti facies in urbe inducitur. Et revera ita docent nobiliores Theologi & Canoniſtæ, Barboſa, Covarruvias, Sylveſter, Suarez, & ita ſenſerat S. Antoninus 2. par. tit. 9. cap. 7. ubi hæc habet: *Epiſcopus ſolus non poteſt indicere feſta celebranda*, *niſi populus acceptet*. Quod & declaratum fuit in pluribus Sacrorum Rituum Congregationibus, ut in Brunduſina 2. Martii 1602. & in Hiſpalenſi 2. Auguſti 1604.

IX. Porro licet hac poteſtate & modo gaudeant Epiſcopi, a novorum Feſtorum tamen indictione abſtinere debent, ut eos & hortatur & monet Urbanus VIII. Conſtitut. incipiente *Univerſa* 52. ubi ſic habet: „ Ne autem dies Feſti a locorum Ordinariis nimia aliquorum facilitate, aut populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, iidem Ordinarii in Domino

„ mo-

„ monentur, ut ad eccleſiaſticam ſervandam ubi- „ que æqualitatem de cetero perpetuis futuris „ temporibus ab indictione ſub præcepto novo- „ rum Feſtorum ſtudeant abſtinere “. Et jure merito; nam in præſenti Eccleſiæ diſciplina, quando jam Feſta, toto Chriſtiano orbe celebranda, ſunt a Summo Pontifice Urbano VIII. conſtituta, non videtur conveniens, ut Epiſcopi ſine Sedis Apoſtolicæ conſenſu ad ea minuenda, vel augenda ſe ingerant, ut optime advertit Pontif. Benedictus XIV. in quodam ſcripto italico de *imminutione Feſtorum*.

X. Feſta autem in tota Eccleſia ſervanda ex prælaudato Urbani Decreto hæc enumerantur: Totius anni dies Dominici, Nativitas D. N. J. C., Circumciſio, Epiphania, Reſurrectio cum duobus ſequentibus diebus, Aſcenſio, Pentecoſtes cum duobus ſequentibus diebus, Sanctiſſima Trinitas, ſolemnitas Corporis Chriſti, Inventio S. Crucis. Feſtivitates vero B. V. hæ præſcribuntur, Purificationis, Annunciationis, Aſſumptionis, Nativitatis, & Conceptionis. Apoſtolorum vero SS. Petri & Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Philippi & Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Judæ, & Mathiæ, quibus adduntur Dedicatio S. Michaelis Archangeli, Nativitas S. Jo. Baptiſtæ. Item feſta S. Stephani Protomartyris, SS. Innocentium, S. Sylveſtri Papæ, S. Joſeph, S. Annæ, S. Laurentii, & omnium Sanctorum, nec non unus ex principalioribus Patronis in quocumque Regno ſeu Provincia, & alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi contigerit, & venerari.

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Dies Feſti ſunt habendi tanquam ſacri, & divino cultui addicti.*
II. *Ex præcepto Naturali, Divino, & Eccleſiaſtico ſanctificandi.*
III. *Judæorum ſabbata, & feſta celebrare Chriſtianis illicitum.*
IV. *Diei Dominicæ feſtum non eſt juris divini, ſed Eccleſiaſtici.*
V. *In præcepto ſanctificationis feſtorum exterior Dei cultus præcipitur.*
VI. *Hocce præceptum & poſitivum eſt, & ex parte negativum.*
VII. *Quænam feſtivitates abolitæ.*
VIII. *Regulares tenentur feſta ab Epiſcopis legitime inſtituta ſervare.*
IX. *Feſta indicere ad ſolam Eccleſiaſticam pertinet poteſtatem.*

Conſectarium Primum.

I. Dies Feſti ſunt a Chriſtianis celebrandi, tanquam ſacri, & Divino cultui conſecrati. Obſiſtunt huic veritati heterodoxi Lutherani, & Calviniſtæ, quippe qui docent, feſta, & præſertim Dominicum diem *non ut cæremoniam arctiſſimæ religionis* (ut ſcribit Calvinus Inſtit. lib. 2. cap. 8. §. 32.) *celebrari, qua putetur myſterium ſpirituale celebrari, ſed ſolum ut remedium retinendo in Eccleſia ordini neceſſarium.* Sed falluntur, & fallunt; nam dies iſti præcipua fidei noſtræ Myſteria nobis exhibent, & ad memoriam revocant, unde ad Deum mentes noſtræ erigantur, atque laudes & gratiarum actiones pro collatis beneficiis agantur. Dies enim Dominicus Reſurrectionem Chriſti nobis exhibet, & æternam in regno Cælorum requiem præfigurat. Feſta quoque celebrantur Paſchatis, & Pentecoſtes, Aſcenſionis Domini, ut vidimus, uſque ab Apoſtolorum tempore ad ea ſacra Myſteria recolenda. Præterea ſicut non ad politiæ ordinem, ſed ad religionem pertinet Templa, & loca, & altaria divino cultui inſtituta habere & erigere, cur non & dies, in quibus idem cultus Deo præſtetur? Hinc merito & in Scriptura, & a Patribus dies Feſti ſancti, ſacratiſſimi, ſanctiſſimi, & religione perpetua ſanctificandi appellantur.

Conſectarium Secundum.

II. Feſta ex Eccleſiæ præſcripto ſtatuta ſanctificanda ſunt, nec etiam quocumque ſemoto contemptu vel ſcandalo licet ea violare. Cum enim, ut diximus, feſtorum obſervantia & naturali & divino præcepto mandetur, nulli autem ſint dies tali præcepto deſignati, ad Eccleſiam pertinebat illos deſignare, & præſtituere, alioquin jam nullum foret & inane naturale præceptum, ſi eos dies cuilibet violare liceret. Sub præcepto igitur tenentur Chriſtifideles feſtos dies ab Eccleſia inſtitutos colere & venerari. Quamobrem Concilia & Patres hocce præceptum agnoverunt, & prædicarunt, eorumque violatores reos lethalis peccati declararunt. Audiatur S. Carolus Borromæus in ſuo Mediolanenſi Concilio I. part. tit. *de feſtorum dierum cultu*, ubi hæc habet: „ Ab omni humana & divina lege alienum, „ ut Deo dicati dies, ſanctiſque rerum officiis „ conſecrati, ac Spiritus S. doctrina inſtituti tum „ ad recolenda divina beneficia, tum ad hono- „ res debitos Sanctis tribuendos ... non modo „ ut oportet non colantur, ſed, quod graviſſi- „ mum eſt, nefarie violentur operibus, officiis, „ rerumque actionibus ab eorum cultu & pieta- „ tis chriſtianæ ſtudio alienis “. Jure igitur meritoque tamquam falſam & erroneam damnavit Innocent. XI. propoſitionem n. 52. aſſerentem: *Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.*

Conſectarium Tertium.

III. Judæorum Sabbatum, & Feſta celebrare Chriſtianis omnino vetitum eſt. Licet enim, ut obſervant Eruditi, non ſtatim ab exordio Eccleſiæ, præſertim in Oriente, ea fuerint abolita feſta, ne Hebræi turbarentur, & cum honore Synagoga ſepeliretur; promulgato tamen Evangelio Judæorum feſta omnino deſiere, & eorum vetita obſervantia. In conſtitutionibus enim, quæ Apoſtolicæ dicuntur (non quia omnes in iis contenti Canones ſint ab ipſis Apoſtolis conſtituti,

ti, ſed certe quia plures ad Apoſtolorum tempus merito poſſunt revocari) canone ſeptuageſimo indicitur, *ne quis jejunet cum Judæis, vel cum ipſis dies feſtos agat*. Et in Synodo Laodicena ſub anathematis pœna vetatur Sabbatum, & Feſta Judæorum celebrare; ſic enim jubet can. 29. *Non oportet Chriſtianos judaizare, & in ſabbato otiari, ſed in eo die operari ... quod ſi inventi fuerint ut judaizantes, anathema ſint apud Chriſtum*. Et jure meritoque: Judæorum enim feſta, ſicut & cetera cæremonialia præcepta, figuræ erant & imagines novam legem, & Chriſti adventum adumbrantes: adveniente igitur veritate, & evangelica luce fulgurante umbræ ceſſare debent, & figuræ. Recolantur ea quæ diximus Tract. 1. de Legib. Diſſ. 2. cap. 3. n. 9. & ſeq.

Conſectarium Quartum.

IV. Diei Dominicæ feſtum non eſt juris Divini, ſed Eccleſiaſtici. Quamquam enim naturale & divinum præceptum ſit, ut aliqui dies divino cultui deſtinentur, & in Veteri Teſtamento etiam pro Judæis ex divino mandato huic officio deſignatum fuerit ſabbatum; in nova tamen lege a Chriſto Domino nulla eſt præfinita dies, ſed Eccleſiæ poteſtati relictum deſignare: non enim alia invenimus nova inſtituta a Chriſto præcepta, niſi quæ fidem & Sacramenta reſpiciunt, ad quæ profecto hujus, vel illius diei feſtiva celebratio non pertinet. Eccleſia igitur, immo, ſi lubet, & ipſi Apoſtoli, non ex ſpeciali mandato Dei, ſed Spiritus Sancti afflatu diem Dominicum loco ſabbati celebrandum indixere: quamobrem non ad jus Divinum, ſed Eccleſiaſticum mandatum celebratio diei Dominicæ eſt revocanda. Audiatur D. Thom. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 4. *Dicendum, quod obſervantia diei Dominicæ in nova lege ſuccedit obſervantiæ ſabbati, non ex vi præcepti legis, ſed ex conſtitutione Eccleſiæ, & conſuetudine populi chriſtiani*. Et confirmat Eccleſia Romana in ſuo Catechiſmo Romano 3. par. in 3. Decal. præcept. n. 19. *Placuit autem Eccleſiæ Dei, ut diei Sabbati cultus & celebritas in Dominicum transferatur diem*.

Conſectarium Quintum.

V. In hoc tertio mandato non directe præcipitur interior animi cultus, qui ad primum pertinet mandatum, ſed exterius Religionis officium in Deo colendo. Ita docet Romanus Catechiſmus lo. ſup. laud. n. 1. „ Hoc legis præcepto externus „ ille cultus, qui Deo a nobis debetur, recte, „ atque ordine præſcribitur. Eſt enim hic veluti „ quidem prioris præcepti fructus; quoniam quem „ intimis ſenſibus pie colimus, fide, & ſpe ad„ ducti, quam in eo poſitam habemus, non poſ„ ſumus eum non externo cultu venerari, eique „ gratias agere “. Idem docuerat & Ang. Præc. laud. q. a. 4. ubi hæc habet: „ In tertio præce„ pto Decalogi præcipitur exterior Dei cultus ſub „ ſigno communis beneficii, quod pertinet ad „ omnes, ſcilicet ad repræſentandum opus crea„ tionis mundi, a quo requieviſſe dicitur Deus „ ſeptima die: in cujus ſignum dies ſeptima man„ datur ſanctificanda, ideſt deputanda ad vacan„ dum Deo. Et ideo Exod. 20. 11. præmiſſo præ„ cepto de ſanctificatione ſabbati, aſſignatur ra„ tio: quia ſex diebus fecit Deus cælum, & ter„ ram, & in ſeptima die requievit “. Porro licet exterior cultus directe præcipiatur, ab eo tamen interior disjungi non debet: ſimulatus enim, non verus eſſet, & cortex Deo exhiberetur, non fructus, & exangue cadaver ſine anima. Hinc rejicienda eſt ut falſa, & omnino improbabilis opinio Leandri a SS. Sacramento docentis: „ Tanquam certum reſpondeo, non teneri „ fideles ex vi præcepti colendi Deum in feſtis „ ad exercendum intra illum diem aliquem actum „ internum divini cultus “.

Conſectarium Sextum.

VI. Præceptum ſanctificationis feſtorum poſitivum eſt, non negativum. Patet manifeſte, cum enim in eo exterior cultus Deo exhibendus præcipiatur, & dies ſanctificanda, hoc profecto nudo otio, & mera ab operibus ſervilibus ceſſatione non impletur, ſed poſitivis actibus Religionis eſt Deus colendus. Ceſſatio enim a ſervilibus operibus non indicitur, niſi ut homo divinis vacare poſſit officiis, & divino cultui ſtudere. Audiatur D. Thom. hic a. 4. ad 3. „ In obſervantia Sab„ bati duo ſunt conſideranda; quorum unum eſt „ ſicut finis; & hoc eſt ut homo vacet rebus di„ vinis: quod ſignificatur in hoc quod dicit, „ *Memento, ut diem Sabbati ſanctifices*: illa e„ nim dicuntur ſanctificari in lege quæ divino „ cultui applicantur. Aliud autem eſt ceſſatio „ operum; quæ ſignificatur cum ſubditur “: Septima die Domini Dei tui non facies omne opus. Negativum tamen eſt & dici poteſt ea parte, qua ſervilia exercere opera vetat & interdicit.

Conſectarium Septimum.

VII. Feſta omnia, quæ ante Urbani VIII. Conſtit. de præcepto celebrabantur, per eam abolita ſunt, nec amplius fideles obligant. Id patet manifeſte ex ipſa Bulla ad hoc data, ut in univerſa Eccleſia iidem haberentur feſti dies, & populus nimiis feſtivitatibus non gravaretur. Abolitum proinde inter alia Feſtum S. Franciſci, licet & a Sixto IV. & pluribus Sacræ Rituum Congregationis decretis indictum fuiſſet tamquam de præcepto in toto orbe ſervandum. Hinc vota & promiſſiones, quæ ab aliquibus Univerſitatibus fiunt de feſto aliquo celebrando, non obligant populum, qui poterit tamen, ſi ipſi libuerit, obſervare, nullo tamen modo cogendus. Pari pacto ubi ex conceſſione Benedict. XIV. facta eſt diſtinctio Feſtorum chori, & de præcepto, adeout in prioribus teneatur quidem populus Miſſæ ſacrificio intereſſe, & ſimul ſervilibus operibus vacare poſſit, in poſterioribus vero ad utrumque teneatur; debent fideles ſe Epiſcoporum voluntati conformare, nec qui adhuc ex pietate volunt & in feſtivitatibus chori ab operibus ſervilibus abſtineret,

re, eos, qui iiſdem vacant operibus, vel redarguere vel damnare præſumant.

Conſectarium Octavum.

VII. Regulares tenentur Feſta de præcepto ab Epiſcopis inſtituta pro ſua Diœceſi ſervare. Ita ſtatuit & decrevit Tridentina Synodus ſeſſ. 25. de Regular. verbis cap. præced. recitatis. Et hoc proculdubio verum eſt non ſolum de feſtivitatibus ab ipſis ante Urbani Conſtitutionem inſtitutis, ſed etiam quæ poſtea juſta de cauſa, inſtante populo & Clero inſtituiſſent, cum non fuerit illis hæc poteſtas ablata per eamdem Urbani Conſtitutionem, ſed moniti ne nova feſta multiplicarent. Immo ſi forte alicubi ea vigeret conſuetudo, ut ſoli Epiſcopi, etiam non expectato Cleri populique conſenſu, poſſent feſta indicere, forent ab omnibus, etiam exemptis, & Regularibus ſervanda.

Conſectarium Nonum.

IX. Feſta ad Dei cultum indicere ad ſolam Eccleſiaſticam pertinet poteſtatem. Conceſſum eſt quidem Principibus, ut ratione lætitiæ & exultationis, vel ob partam victoriam, vel ob adventum magni alicujus Principis, vel alio nomine indicere poſſint ſubditis a ſervilibus abſtinere operibus, & communi gaudio perfrui; at hoc jubere ad Dei cultum & honorem ad ipſos omnino non pertinet, cum hoc juriſdictionis ſpiritualis munus ſit & officium. Ita docent cum S. Antonino communiter Theologi, & Juris Canonici periti. Hæc ſunt S. Antonini verba 2. Par. tit. 9. cap. 7. §. 1. „ Si Civitas, vel Dominus „ indicit, ſeu mandat aliquod feſtum ſub certa „ pœna celebrari, pœnam quidem poteſt exigere „ a violatoribus, ſed culpam non incurrunt, quia „ non pertinet ad eos feſta præcipere “. Ita etiam declaravit Innoc. X. in ſua Bulla *Cum nuper* data die 6. Octobris 1653. Quamobrem Chriſtiani Principes, ſi quando aliqua gravi urgente neceſſitate feſtum aliquod celebrari vel congruum arbitrentur, vel neceſſarium, ab Eccleſiæ Prælatis poſtulent, ut illa indicere velint.

CAPUT TERTIUM.

De operibus pietatis in die feſto ex præcepto naturali divino præſtandis.

DOCTRINA.

I. *Feſta ſunt per poſitivas actiones ſanctificanda.*
II. *Etiam ex præcepto Eccleſiæ.*
III. *Qui Miſſam audire impediuntur, alia pietatis exteriora opera præſtare tenentur.*
IV. *Sola auditione Miſſæ dies feſtos non, ut decet, ſanctificari docent Pontifices.*
V. *Confirmant Concilia.*
VI. *Quid doceat S. Carolus Borromæus.*
VII. *Et Concilii Tridentini Catechiſmus.*
VIII. *Et nobiliores Theologi.*
IX. *Probant luculenta argumenta.*

I. PRæceptum de die feſto colendo non mere negativum eſſe, immo de ſe primo & principaliter poſitivum, & ſuperius diximus, & ipſa divinæ legis verba aperte indicant: *Memento, ut diem Sabbati ſanctifices*. „ Illa autem (ſubdit S. „ Th. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3.) dicuntur ſanctifi- „ cari in lege, quæ divino cultui applicantur “; & in corp. art. dixerat: „ Dies ſeptima manda- „ tur ſanctificanda, ideſt deputanda ad vacandum „ Deo “. Non igitur mera ceſſatione a ſervilibus operibus feſta ſanctificantur, ſed neceſſario ſunt ponendæ exteriores actiones, quibus Deo debitus reddatur cultus, exhibeatur honor & reverentia. Audiatur D. Jo. Chryſoſtomus hom. 1. de Lazaro ſic docens: „ Judæi putabant ſibi ſabba- „ tum otii gratia fuiſſe datum. Verum non iſta „ eſt cauſa, ſed potius ut abducti a curis rerum „ temporalium, otium omne conſumerent in ſpi- „ ritualibus. Quod enim Sabbatum non otii, „ ſed ſpiritualis actionis materia ſit, dilucidum „ apparet ex ipſis rebus. Nam Sacerdos eo die „ duplum facit operis. Qui quotidie non niſi u- „ nicam hoſtiam offerre ſolitus, Sabbato jubetur „ offerre geminam. Quod ſi prorſus eſſet otii „ dies, oportebat Sacerdotem omnium maxime „ otium agere. Quoniam igitur Judæi non va- „ cabant ſpiritualibus, ut puta ſobrietati, mode- „ ſtiæ, & audiendis divinis ſermonibus, ſed e „ contra ſervientes ventri, indulgentes ebrietati, „ diſtenti cibis deliciantes, ideo eos reprehendit „ Propheta “.

II. Hanc autem eſſe & Eccleſiæ doctrinam patet ex ipſius præcepto, quo jubet omnes fideles ad Miſſam integre & devote audiendam in diebus feſtis teneri, quod quidem præceptum non naturale eſt, nec divinum, ſed eccleſiaſticum, cum Deus nullibi in ſcripturis ſpeciale opus in Dei honorem de neceſſitate exhibendum ſtatuerit; exceptis tamen cæremonialibus de Sacrificiis duplicatis, & aliis, non perpetuo duraturis, ſed quæ aliquando ceſſare debebant. Verum quidem eſt, Eccleſiam hoc ſuo mandato partem divini cultus ex divina Lege indictum ſtatuere; quapropter merito dici poteſt, auditionem Miſſæ, prout pium ſanctumque opus eſt, ad divinum, naturaleque præceptum pertinere; at qua tale opus, ab Eccleſia præſcribi. Verum de Miſſæ auditione diſputationem reſervamus, ubi ſermo erit de Eccleſiæ præceptis. Hic enim ſolum de officiis ex divino & naturali præcepto præſtandis in die feſto verba facere ſtatuimus.

III. Qui itaque a Miſſæ auditione ex aliquo capite præpediuntur, debent alio pio opere, & quidem exteriori, diem feſtum ſanctificare. Hinc navigantes, infirmi, in carcere detenti, vel quoquo modo impediti, debent diem feſtum in aliis operibus pietatis inſumere, adeo ut verum ſit ipſos diem feſtum ſanctificare, ideſt in Dei cultum inſumere; hoc enim indicit præceptum divinum, dum dicit, *Memento ut diem ſabbati ſanctifices*, ideſt non partem, ſed totum diem integrum debes divino cultui deputare, quod tamen intelli-

gendum

gendum eſt de integritate non phyſica, ſed morali. Quamobrem S. Auguſtinus ſerm. 25. de temp. ſic fideles monet: „ Qui vero ad Eccleſiam „ venire non poteſt, ſaltem in domo ſua oret, „ & non negligat Deo .... reddere penſum ſer- „ vitutis.

IV. Itaque hoc præceptum non implent, nec ſuæ conſulunt ſaluti fideles, qui unica contenti Miſſa totum diem in rebus inutilibus, & profanis, in ludis, curſibus terunt & inſumunt. Contrariam opinionem, quam tamen plures defendunt Theologi, ab Eccleſiæ mente alienam merito appellat Van-Eſpenius de jure Eccleſ. part. 2. tit. 17. cap. 2. ſcribens: „ Facile apparet omnino a „ mente Canonum & Eccleſiæ eſſe alienam quo- „ rumdam opinionem, qui arbitrantur præcepto „ de ſanctificando die Dominico aut feſtivo ſatis- „ fieri per unius Miſſæ privatæ, quæ ſemihoræ „ ſpatio abſolvitur, auditionem, tametſi reliquam „ partem actionibus profanis & inutilibus im- „ pendant “. Et revera Summi Pontifices & Concilia ea omnino docent & prædicant, quæ toto cælo ab hac doctrina diſtant. Nicolaus Pontifex in reſp. ad conſulta Bulgarorum cap. 10. docet: „ Dominico die a labore terreno ceſſandum, at- „ que omni modo orationibus inſiſtendum, ut „ quod negligenter per ſex dies agitur, per diem „ Reſurrectionis precibus expietur ... ut liberius „ ad Eccleſiam ire, pſalmis, & hymnis, & can- „ ticis ſpiritualibus inſiſtere, orationi vacare, „ oblationes offerre, memorias Sanctorum com- „ municare, ad imitationem eorum aſſurgere, „ eloquiis divinis intendere, eleemoſynam indi- „ gentibus miniſtrare valeat Chriſtianus “. Et in Canone *Jejunia* diſtinct. 3. de conſecr. hæc jubentur: „ Die Dominico nihil aliud agendum eſt, „ niſi Deo vacandum. Nulla operatio in illa ſan- „ cta die agatur, niſi tantum hymnis, & pſal- „ mis, & canticis ſpiritualibus illa dies tranſi- gatur “.

V. Accedunt Conciliorum innumera pene decreta, quæ Eccleſiæ mentem, & doctrinam exponunt. Concilium Turonenſe anni 813. can. 42. ſtatuit: „ Die Dominica oportet omnes Chriſtia- „ nos in laude Dei, & gratiarum actione uſque „ ad Veſperam perſeverare “. Concilium Bituricenſe anni 1584. tit. 6. can. 4. „ Dominico die „ fit quies animi & corporis ſancta, & ad Deum „ levata mens, & a terrenis abſtracta: ſatis ſint „ Chriſtiano opera caritatis, orationes piæ, hy- „ mni, & cantica “. Concilium Aquilejenſe anni 1596. cap. 14. „ Tempus diei feſti in au- „ diendis concionibus, Miſſæ ſacro, & divinis „ officiis ponendum eſt, non in comeſſationibus, „ multo minus peracto prandio ad ſaltationes, & „ luſus declinandum, cum ſit in Eccleſiam ad „ horas veſpertinas divertendum, & nomen Dei „ concorditer devote, vel ſilentii meditatione, „ vel vocis exultatione laudandum. Quod cura- „ bunt Epiſcopi, Curatorum diligentia populis „ inculcare “. Concilium Remenſe anni 1583. „ Diebus Dominicis & feſtivis Parochus populum „ conveniat, ut Miſſæ, Concioni ac Veſperis in- „ terſit “.

VI. Idem docet & inculcat S. Carolus Borromæus in ſuo Conc. III. Mediolan. tit. de feſt. dier. cultu, ubi hæc habet: „ Ut vero ii dies „ omni pietate & religione colantur, hoc crebro „ populum Parochi & Concionatores admoneant „ atque hortentur, ut illorum dierum tempus, „ quod Deo, ejuſque cultui debetur, in iis a- „ ctionibus totum conſumant, in quibus ſancte „ conſumendum ſit, ut concionem in mane, ſa- „ cram lectionem a prandio, ubi explicari ſolet, „ audiant. Ut divinis veſperarum præſertim of- „ ficiis præſentes pie religioſeque adſint. Ut in „ chriſtianæ doctrinæ rudimentis ac præceptis vel „ percipiendis, vel recolendis verſentur. Ut in „ operibus etiam, officiiſque pietatis ſe exerceant, „ ægros homines viſitando, mærentes pie conſo- „ lando, & alia hujuſmodi præſtando “. Denique ut plura alia innumera, quæ afferri poſſent, ſtatuta omittam, addam Concilii Cameracenſis anni 1604. tit. 4. cap. 1. doctrinam & decretum: „ Ut abuſus ille (verba ſunt S. Synodi) divino „ & eccleſiaſtico præcepto contrarius ſemel tan- „ dem penitus aboleatur, quo ſe plerique exiſti- „ mant, probe ſuo functos officio, ſi Miſſa etiam „ privata tantummodo diebus Dominicis & feſtis „ audita, reliquum diem profanationi, negotia- „ tioni, luſibus, choreis, potationibus, & aliis „ ſecularibus, vel etiam illicitis actionibus im- „ pendant, Parochi ſuis ſubditis frequenter incul- „ cent ea, quæ in Catechiſmo Romano ad 3. „ præceptum Decalogi, & aliis auctoribus de re- „ cta dierum feſtorum obſervatione traduntur “.

VII. Et revera Catechiſmus Romanus doctrinam Eccleſiæ exponens de Feſtorum ſanctificatione hæc habet Par. 3. §. 25. „ Neque vero Paro- „ chus prætermittere debet, ut diligenter doceat, „ quibus operibus, atque actionibus Chriſtiani „ homines diebus feſtis exercere ſe debeant. Illæ „ vero ejuſmodi ſunt, ut ad Templum acceda- „ mus, eoque loco ſincere piaque animi atten- „ tione ſacroſancto Miſſæ Sacrificio interſimus, „ Divina Eccleſiæ Sacramenta, quæ ad ſalutem „ noſtram inſtituta ſunt, ad animæ vulnerum cu- „ rationem crebro adhibeamus ... Attente præ- „ terea, diligenterque ſacra Concio a fidelibus „ audienda eſt. Nihil enim minus ferendum eſt, „ neque tam profecto indignum, quam Chriſti „ verba contemnere, aut negligenter audire. „ Exercitatio item Fidelium, ſtudiumque in pre- „ cibus, diviniſque laudibus frequens eſſe debet. „ Præcipuaque eorumdem cura, ut quæ ad chri- „ ſtianæ vitæ inſtitutionem pertinent, ea diligen- „ ter addiſcant, ſeduloque ſe exerceant in eis of- „ ficiis, quæ pietatem continent, pauperibus, & „ egenis eleemoſynam tribuendo, ægros viſitan- „ do, mærentes, quique dolore afflicti jacent, „ pie conſolando “.

VIII. Eamdem veritatem confirmant etiam nobiliores Theologi. S. Antoninus 2. Par. tit. 9. cap. 7. §. 4. ſcribit: „ Sed quæri poteſt, utrum „ quis abſtinendo ſe a criminalibus, & operibus „ manualibus, per hoc ſolum quod non vacet „ divinis niſi audiendo Miſſam, vel non audien- „ do, quia non poteſt; ſed per totum feſtum ſo- „ latiatur, & ratiocinatur de otioſis, peccet mor- „ taliter? Et videtur quod ſic, quia maxime ca- „ dit

„ dit ſub præcepto, quod eſt de intentione Le-
„ giſlatoris. Sed ad hoc intentio Legiſlatoris
„ hujus præcepti de ſanctificatione Sabbati eſt,
„ ut vacetur Deo. Talis autem non vacat Deo,
„ quia etſi audiat Miſſam, illud valde modicum
„ eſt reſpectu totius diei, & modicum pro nihi-
„ lo reputatur ... Quod ſi verum eſſet, durus
„ eſſet hic ſermo, & multi præter ſuum credere,
„ & commune credere damnarentur. Poſſet ergo
„ ad argumenta reſponderi per quamdam diſtin-
„ ctionem, quam ponit D. Tho. 1. 2. q. 100. a.
„ 9. dicit enim in reſp. ad 2. intentio Legiſlato-
„ ris eſt de duobus: de uno quidem, ad quod
„ intendit per præcepta legis inducere; & hoc
„ eſt virtus: aliud autem eſt, de quo intendit
„ præceptum ferre, & hoc eſt quod ducit, vel
„ diſponit ad virtutem, ſcilicet actus virtutis.
„ Non enim idem eſt finis præcepti, & id de quo
„ præceptum datur, ſicut neque in aliis rebus i-
„ dem eſt finis, & quod eſt ad finem. Hæc Tho-
„ mas. Et hoc videtur poſſe dici, quod quam-
„ vis intendat Legiſlator finem præcepti, ut quid
„ perfectius, non tamen intendat id ponere ſub
„ præcepto; quia multitudo, cui datur lex, non
„ eſt ſubito capax perfectionis, ſed paulatim:
„ ſed intendat ponere ſub præcepto id quod diſ-
„ ponit ad illud, quod facilius eſt ad obſervan-
„ dum; & ſic abſtinere ab operibus ſervilibus eſt
„ de præcepto. Non vacare Deo pro majori parte
„ diei tamen peccatum eſt ".

IX. Conſentiunt & Cajetanus in ſummula V. *Feſtum*, ubi hæc docet. „ Licet cum abſtinentia
„ a ſervilibus ſolius Miſſæ cultus ſufficiat in fe-
„ ſto ad evitandum peccatum mortale, tenentur
„ tamen fideles diem expendere in divinis laudi-
„ bus, ſaltem eundo ad prædicationem, & ad
„ Veſperas. Unde qui poſt Miſſam feſtos dies
„ vane conſumunt ludendo, jocando, otioſe va-
„ gando, aut venando, ſpectaculis intendendo,
„ licet ex ipſis operibus, utpote non ſervilibus,
„ mortale non incurrant, ex omiſſione tamen di-
„ vini cultus, ad quem feſta inſtituta ſunt, gra-
„ viter peccant, quia non reddunt quæ ſunt Dei
„ Deo; & quia, quantum in ſe eſt, ridiculo ex-
„ ponunt chriſtiana Feſta, juxta illud, *viderunt*
„ *eam hoſtes*, & *deriſerunt ſabbata ejus*. Et hoc
„ præſertim tangit viros graves & majores, &
„ dominos, ceteri namque eos imitantur ". Et Auctor Operis Theoriæ & praxis de Sacramentis in ſua Morali Theologia T. 4. de Virt. Relig. toto cap. 5. hanc veritatem pluribus argumentis confirmat. Et Petrus Ballarinus in notis ad S. Antoninum par. 2. tit. 9. cap. 7. §. 4. Nec non Turnelius de 3. Decal. præcepto cap. 3. art. 1. Concl. 2. Nec deſunt argumenta ex ipſo naturali lumine petita, & a laudatis Theologis expoſita, vel indigitata. Nam, ut ajebat S. Antoninus, præceptum ſanctificandi dies feſtos obligat ad vacandum Deo per illum diem. Porro quis unquam dicet, illum per diem feſtum vacare Divino cultui, qui per ſolum dimidium horæ, quod vix quadrageſimam octavam partem diei conſtituit, Deo vacaret audiendo Miſſam? Quis dominus ſervum, quis opifex mercenarium ſibi per totum diem inſerviſſe cenſeret, qui per ſolam dimidiam horam vel operi vel miniſterio ſuo vacaſſet, licet per reliquum tempus nec aliis dominis ſerviſſet, nec pro alio, vel pro ſe aliquid operis feciſſet? 2. Qui in die feſto per horam, vel etiam, ut nonnulli docent Theologi, per duas horas ſervilibus incumbit operibus, ſaltem lethaliter, diem feſtum non violare cenſetur, quia modicum quid eſt ad totam diem. Quomodo ergo ſatis eſſe poterit ad totum diem ſanctificandum ſpatium dimidiæ horæ? & non modicum, immo minimum reputandum ad totius diei ſanctificationem? Nonne locum hic habet, quod dicitur Proverb. 20. v. 10. *Pondus & pondus, menſura & menſura, utrumque abominabile eſt apud Deum?* Ex tota itaque hactenus tradita doctrina hæc elicio conſectaria.

CAPUT QUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Diſtinguendum præceptum ſanctificationis Feſti a præcepto de tali die ſanctificando, & de Miſſa audienda.*
II. *Ex præcepto Eccleſiæ non tenentur fideles niſi ad Miſſæ auditionem.*
III. *Eccleſia præcipiendo Miſſæ auditionem, divinum præceptum nec coarctavit, nec immutavit.*
IV. *Non ſemper qui aliquo feſto ſolam audit Miſſam, eſt lethalis peccati reus habendus.*
V. *Quomodo Confeſſarii pœnitentes monere debeant & inſtruere.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. NOn eſt confundendum divinum & naturale præceptum ſanctificationis Feſtorum, cum præcepto de tali die ſanctificando, & de Miſſa in illo audienda. Primum præceptum obtinuiſſet, licet nec Eccleſia aliquam deſignaſſet diem, nec ullum præcepiſſet homini pium opus tali die implendum. Oportuiſſet enim, ut homines & diem ſibi præſtituerent, in quo unice divino vacarent cultui, & opera religionis exercerent & pietatis, quæ in Dei honorem cederent. Fingamus ergo nullum impoſitum ab Eccleſia mandatum de Miſſa audienda, porro in ea hypotheſi quis diceret ſatis eſſe ad impletionem præcepti Deo per dimidiam horam vacare, reliquum vero temporis in otioſis & inutilibus terere? Nullus profecto, niſi inſipiens. Non ſufficit ergo ad divini præcepti impletionem per breve dimidiæ horæ ſpatium Deo vacare.

Conſectarium Secundum.

II. Ex præcepto Eccleſiæ non tenentur fideles, niſi ad unius Miſſæ piam & devotam auditionem. Hoc quoque certum exploratumque eſt; tum quia nullum inter præcepta Eccleſiæ de ſanctificatione feſtorum reperitur præceptum, præter præfatam Miſſæ adſiſtentiam. Canones vero, Pontifices & Concilia, quorum ſtatuta, decreta & ordinationes attulimus, plura quidem indicant,

con-

conſulunt & inſinuant pia officia, & religioſa opera, de nullo autem peculiare indicunt præceptum, & legem ferunt. Immo plura indicando, conſulendo, ſuggerendo, oſtendunt manifeſte liberum eſſe fidelibus quæ maluerint eligere. Quod ſi alicubi invecta ſit conſuetudo, ut veſpertinis horis fidelis populus interſit, ad hoc pium opus tenentur quidem, non tam præcepto Eccleſiæ, quam ipſa conſuetudine, quæ tractu temporis fortaſſis vim legis obtinuit. Illud tamen adnotatum cupio: Quando Eccleſia præceptum tulit de unica Miſſæ auditione, una tantum, & quidem ſolemnis Miſſa in qualibet habebatur Eccleſia, quam vel comitabantur, vel conſtituebant longiores preces, repetita Pſalmorum & Canticorum recitatio, vel cantus, Sacramentorum frequens miniſtratio, Evangelii explanatio, vel catechiſtica inſtructio; ideoque non breve unius dimidiæ horæ ſpatium, ſed totum pene matutinum tempus implebat.

Conſectarium Tertium.

III. Eccleſia Miſſæ auditionem præcipiendo nec divinum præceptum immutavit, aut coarctavit, nec eam ſatis eſſe ad integrum diem ſanctificandum declaravit. Primum omnino certum eſt, cum non ſit in Eccleſiæ poteſtate divina & naturalia præcepta coarctare, vel immutare. Secunda pars eſt pariter evidens; nullum extat enim decretum, nullus canon, nulla Pontificum, vel Epiſcoporum definitio, quæ declaret ſola Miſſæ auditione diem integrum ſanctificari, & debitum Deo cultum integre rependi. Immo Eccleſia oppoſitum ſemper docuit & in jure canonico, & in Conciliis, & Synodalibus ſtatutis, & in catechiſmis ejus juſſu & auctoritate editis ad fidelium inſtructionem. Id unum itaque ſuo de Miſſa audienda præcepto indicare voluit, nimirum inter cætera pietatis opera ad Dei cultum in die feſto peragenda, Miſſæ auditionem nullo modo eſſe omittendam. Cætera vero pietatis opera ideo non præcepit, non quia cenſeat prætermitti poſſe abſque culpa, hoc enim pacto divinum coarctaſſet præceptum, ſed quia voluit fidelibus liberum eſſe inter multiplicia pietatis, & religionis officia, ea præeligere, quæ ſibi magis congrua, opportuna, ſalutaria proſpexiſſent, non vero ut omnino omitterentur. Quod adhuc meo videri ineluctabili confirmo argumento. Fidelis populus tenetur ex divino præcepto in die feſto, a ſervilibus operibus vacare, ex præcepto vero Eccleſiæ ſatis eſt ſi Miſſam audiat, ergo per reliquum diei ſpatium ex mente & voluntate Eccleſiæ poterit impune vacare, ludis, comeſſationibus, vel ſaltem otio indulgere, quin diei ſanctitatem violet. Porro quis ſuſpicari poterit eam fuiſſe Eccleſiæ mentem in præcipienda auditione Miſſæ, nimirum tantum temporis ſpatium liberum Chriſtianis relinquere in turpi otio inſumendum, quod profecto melius inſumpſiſſent in ſervilibus operibus, & manibus operando? Mens igitur & voluntas Eccleſiæ eſt, ut Miſſam quidem audiant ex ſuo ſpeciali præcepto, ex divino vero mandato ea addant pietatis opera, quæ quiſque maluerit, non vero ut omittant.

Conſectarium Quartum.

IV. Non ſemper qui in aliquo feſto ſolam Miſſam audit, eſt ſtatim lethalis peccati reus habendus. Contingere enim poteſt, ut quis in loco verſetur, ubi præter Miſſam nulla alia habeantur divina officia, vel publica pietatis opera, vel juſta de cauſa, vel etiam urgente neceſſitate ab aliis operibus præſtandis præpediatur. Quod quilibet debet in interiori conſcientiæ ſuæ ſecreto, & coram Deo perpendere. Ideo puto S. Antoninum, & Cajetanum abſolute a qualitate & gravitate peccati definienda abſtinuiſſe, contentos aſſerere, *non vacare Deo pro majori parte diei eſſe peccatum, & fideles ex omiſſione divini cultus, ad quem feſta inſtituta ſunt, graviter peccare.* At ſecus dicendum puto de illis, qui ex mera negligentia, atque accidia, & unice ut ludis, venationibus, choreis, comeſſationibus, vel etiam inerti otio indulgeant, & non quidem uno vel altero die feſto, ſed per totum annum, & fortaſſe toto vitæ tempore ex habitu & conſuetudine, una brevi audita Miſſa per totum diem de Deo, ejuſque honore & cultu ne minimum quidem cogitant. Nec audiendi ſunt benigniores illi Theologi, qui libenter quidem concedunt iſtos peccare contra alia vel præcepta, vel virtutes, minime vero adverſus diei feſti præceptam ſanctificationem; cum hoc, quam falſum ſit, oſtendant omnia, quæ in ſuperiori capite retulimus argumenta.

Conſectarium Quintum.

V. Confeſſarii ſuo muneri non ſatisfaciunt, ſi pœnitentes non interrogent de obſervantia ſanctificationis feſtorum, ſi fideles non moneant & inſtruant de præcepto naturali & divino, pia & religioſa opera exercendi: & ſi illos, qui ex negligentia & accidia, & ex prava conſuetudine integros dies feſtos otioſe inſumunt, vel in profanis operibus terunt, a Sacramentis non arcent. Et quidem interrogare debent, quia plerumque vel ex ignorantia, vel ex prava opinione nullius criminis reos ſe eſſe putant, ſi a ſervilibus operibus feriantes unam Miſſam audierint, & reliquum diem otioſe tranſegerint; quod præcipue contingit iis, qui parum pie vivunt, & in lethalibus criminibus diutius ſordeſcunt. 2. Monere debent diem feſtum eſſe ſanctificandum, ideſt in divino cultu inſumendum, & ſecus faciendo diſcrimini ſe committere tranſgrediendi hocce præceptum, & de æterna ſalute periclitari, cum a Deo judicandi ſimus non juxta opiniones noſtras, vel magiſtrorum, ſed ſecundum veritatem, & legem ſuam. 3. Debent illos, quos ex negligentia & accidia comperient dies feſtos in inutilibus & otioſis inſumere, præſertim ſi hoc in more habeant, nec emendationem polliceri velint, a ſacramentis arcere, & abſolutionem denegare; nam licet ſola auditio Miſſæ, & abſtinentia ab operibus ferialibus pro aliquo feſto, vel tempore

a gravi

a gravi culpa excuſare fortaſſis poſſit; id tamen in more habere, & diutius ex mera negligentia & accidia in eo perſeverare a gravi culpa excuſare nemo ſapiens & prudens audebit.

REFLEXIO.

I. Quis non miretur & obſtupeſcat, dum in Sacra Scriptura legit quæ adverſus Judæorum Feſtivitates per ſuos Prophetas Deus indignatus intonuit, & ſtomachatus comminatus eſt? Iſaiæ cap. 1. clamat: *Neomeniam, & ſabbatum, & feſtivitates alias non feram. Iniqui ſunt cœtus veſtri: Calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odivit anima mea: facta ſunt mihi moleſta, laboravi ſuſtinens*. Malach. c. 2. v. 3. *Diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtrarum*. Et rurſum Oſeæ 2. v. 11. *Ceſſare faciam ſolemnitatem ejus, neomeniam ejus, ſabbatum ejus, & omnia feſta tempora ejus*. Unde amabo tantum odii, abominationis, furoris, & indignationis? Numquid quia umbræ tantum erant, & figuræ futurorum aliquando ceſſaturæ? Minimæ gentium. Licet enim chriſtianis ſolemnitatibus, quæ non umbram & figuras reſpiciunt, ſed veritatis lucem intuentur, & Chriſto juſtitiæ Sole colluſtratæ ſplendeſcunt, illæ concedant, a Deo tamen ipſo fuerunt inſtitutæ, & ſanctiſſimæ appellatæ: *Septimus dies* (dicitur Exo. 55. v. 2.) *dies erit vobis ſanctus*. Et Levit. 23. *Hæ ſunt feriæ Domini ſanctæ*. Et de die primo azymorum dicitur: *dies primus erit vobis celeberrimus, ſanctuſque*. Et de die primitiarum ſubditur: *Vocabitis hunc diem celeberrimum, atque ſanctiſſimum*. Quod & repetitur de feſtis Hebdomadarum Meſſis, Expiationis, & Tabernaculorum. Numquid quia Judæi ſanctos illos dies ſervilibus profanarent operibus? At quis neſcit, quanta nedum religione, ſed & ſuperſtitione ea ſemper coluerint Judæi, qui nequidem, ut cædem effugerent, hoſtibus reſiſtere auſi ſunt, nec contra illos pugnare? Unde igitur tanta abominatio? Profecto non alia de cauſa, niſi quia feſtivitates illas Judæi & turpi, & deſidioſo otio, & innumeris polluebant criminibus, & peccatis.

II. Porro quis non doleat idem omnino contingere & in Chriſtianorum feſtivitatibus? Peccata ſiquidem hiſce diebus adeo multiplicantur, ut merito & in illos regerere poſſit Chriſtus: *Solemnitates veſtras odivit anima mea, facta ſunt mihi moleſta*; & ſicut optimi corruptio peſſima, ita quanto nobiliores ſunt Novi Teſtamenti feſtivitates, tantum eorum profanatio peſſima, abominabilis, Deo odibilis & exoſa. „ Accepiſti „ ſabbatum (ſic eis exprobrat Chryſoſt. hom. 1. „ de Lazaro) ut animam tuam liberares a vi„ tiis, dic cur magis illa committis? Audi, „ quid dicat Propheta, *Væ vobis qui appropin„ quatis & tangitis ſabbata mendacia*. Quomo„ do autem ea Judæi mendacia reddebant? dum „ operabantur iniquitatem, deliciis & ebrietati „ vacantes, & ſexcenta alia fœdiſſima perpe„ trantes “. Et revera nonne ad diem feſtum a Chriſtianis reſervantur comeſſationes, convivia, choreæ, ſpectacula? Si ludendum, in diem feſtum ludus transfertur. Si cum amicis epulandum, dies feſtus expectatur. Si voluptatibus indulgendum, ſi pompæ celebrandæ, ſi bacchanaliorum tempore debacchandum, ſi laxanda ſcurrilitatibus, & impudicitiis habenas, dies feſti eliguntur. In his frequentior otioſorum hominum conventus, diſſolutiores choreæ, referta populo theatra, aleatoriæ officinæ patentes, tabernæ vili popello redundantes. Hinc diſſolutiones, rixæ, impudicitiæ, blaſphemiæ, ſcandala veluti data porta ruunt, & erumpunt, & omni excuſſo pudore palam prodeunt & triumphant, & dum religioni ducunt ſervilibus vacare operibus, nulla tanguntur religione, ſi innumeris ſceleribus, criminibus, iniquitatibus ſacros illos dies polluant, violent, profanent. Sed proh dolor! Hæc eadem feſtorum adeo potens profanatio in cauſa eſt, quamobrem nonnulli benigniores Theologi peccatis præceptum ſanctificationis non violari docent, quia alioquin, inquiunt, nimium multiplicarentur peccata, cum hæc licentius & frequentius in feſtivitatibus perpetrentur, quaſi ipſa peccandi effrænis licentia, quæ ſcelerum gravitatem auget & turpitudinem, poſſit eſſe crimina excuſandi juſtiſſima cauſa. At non ita profecto ſentiebant Patres, qui perpetuo non tam indictam tertio præcepto ceſſationem a corporali labore, & ſervili opere, quam a peccatis abſtinentiam prædicarunt. Audiatur S. Auguſtinus ſerm. 33. al. 18. de diverſis. „ Nos ſabbatum ſpiritualiter obſervamus „ ſi non faciamus opera ſervilia. Ab his enim „ etiam carnali intellectu Judæi ſabbato prohiben„ tur. Qui autem ſpiritualia vult intelligere o„ pera ſervilia, audiat Dominum dicentem: *O„ mnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*. Pec„ catum autem non ſolum illud eſt, quod in tur„ pi, aut iniquo facto apparet hominibus, ſed „ etiam ſi habeat ſpeciem boni operis, & tamen „ propter mercedem temporalem fiat, non propter „ requiem ſempiternam. Quodlibet enim quiſque „ facit, ſi hoc animo facit, ut terrenum emolu„ mentum conſequatur, ſerviliter facit, & ideo „ ſabbatum non obſervat. Gratis enim amandus „ eſt Deus, nec anima poteſt, niſi in eo, quem „ diligit, requieſcere “.

III. Damnabis ne, & violati diei feſti accuſabis illos, qui ſacris diebus vel cultiores vel ornatiores prodeunt, vel lautius convivantur, vel cum amicis, & conſanguineis in hilaritate & gaudio converſantur? Non damno utique, ſi corporali ornatui ad honeſtatem, non ad faſtum & ſuperbiam, multoque minus ad luxuriam conquiſito, ſpiritualia addant ornamenta, & præcipuas ſordes animæ abſtergant. Audiamus Chryſoſt. hom. de S. Philogonio ſic iſtos commonentem. „ An non enim abſurdum tantam habere „ curam rerum temporalium, ut appetente feſto „ multis ante diebus veſtem e ſcriniis pulcherri„ mam diligenter appares, emas calceos, men„ ſa largior, ſplendidiorque paretur, denique „ variam undique rerum copiam excogites, o„ mnibuſque modis teipſum ornes, nitidumque „ reddas, animæ vero neglectæ, ſordentis, ſqual„ lidæ, fame contabeſcentis, nullum habeas „ reſpe-

„ reſpectum, cum ſola maneat impura, ac corpus quidem nitidum ad templum adducas, animam vero nudam incultamque“? Nec lautiores epulas in die feſto reprobare auſim, dummodo tamen tales ſint, ut Chriſtianos deceant, & non ab iis diſſonantes, quos Tertullianus laudat Apolog. cap. 39. ſcribens: „ Cœna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit, id vocatur quod dilectio penes Græcos. Quantiſcumque ſumptibus conſtet, lucrum eſt, pietatis nomine, facere ſumptum. Siquidem inopes quoſque refrigerio iſto juvamus. Si honeſta eſt cauſa convivii, reliquum ordinem diſciplinæ exſtimate quid ſit, de religionis officio, nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit; non prius diſcumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur; editur, quantum eſurientes cupiunt; bibitur, quantum pudicis eſt utile; ita ſaturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe, ita fabulantur, ut qui ſciunt Dominum audire; poſt aquam manualem & lumina, ut quiſque de ſcripturis ſanctis vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere, hinc probatur quomodo biberit; æque oratio convivium dirimit, inde diſceditur non in catervas cæſionum, neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſciviarum, ſed ad eandem curam modeſtiæ, & pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint, quam diſciplinam „. Nec amicorum coitiones & conventus in die feſto reprehendo, dummodo tamen quod monet Auguſtinus ſerm. 215. de Temp. præ oculis habeatur. „ Ante omnia, ubicumque fueritis, ſive in domo, ſive in itinere, ſive in convivio, ſive in conſeſſu verba turpia & luxurioſa nolite ex ore veſtro proferre, ſed magis vicinos & proximos veſtros jugiter admonete, ut ſemper quod bonum eſt & honeſtum, loqui ſtudeant, ne forte detrahendo, male loquendo in ſanctis feſtivitatibus choros ducendo, cantica luxurioſa, & turpia proferendo de lingua ſua, unde debuerant Deum laudare, inde vulnera ſibi videantur infligere“. Ab his, ſi diligenter caverint fideles, nihil erit in eorum feſtiva lætitia, quod Deum offendat, & animæ perniciem afferat, ſed lætabuntur coram Domino Deo ſuo.

CAPUT QUINTUM.

De operibus, a quibus abſtinere debent fideles in die Feſto, & primo quidem de peccatis.

DOCTRINA.

I. *Quid vetitum fuerit Judæis in die ſabbati.*
II. *Servilia opera triplicis generis.*
III. *Servilia opera ad Dei cultum ordinata non vetantur die feſto.*
IV. *Feſtum violant qui eo die lethaliter peccant.*
V. *Doctrina S. Thomæ explicatur.*
VI. & VII. *ab objectis vindicatur.*
VIII. *Quid doceant antiquiores Theologi.*
IX. *Quid Synodalia decreta ſtatuant.*
X. *Solvitur objectio a ratione petita.*
XI. *Non tamen per omne lethale peccatum feſta violantur.*
XII. *Choreæ, ſaltationes, theatra, ſpectacula in diebus feſtis vetita.*
XIII. *SS. PP. doctrina.*
XIV. *Cui ſubſcribunt & nobiliores Theologi.*

I. POſtquam Dominus dixit Exo. 20. *Memento, ut diem ſabbati ſanctifices*, addidit: *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die ſabbatum Domini Dei tui eſt, non facies omne opus in eo*, ſeu ut dicitur cap. 23. *Omne opus ſervile non facietis in eo.* Et quidem palam eſt, Judæis non ſola in die ſabbati vetita fuiſſe ſervilia opera, ſed plurima etiam mere corporalia, ut ignem accendere, cibos præpatare, & coquere, quæ anteverti debebant, & in præcedenti die, quæ ideo paraſceves, ideſt præparatio dicebatur, ordinari. Rigor iſte, utpote ad cæremonialia pertinens mandata, evangelica fulgente luce ceſſavit, ut egregie docet & animadvertit D. Tho. hic q. 122. a. 4. ad 4. ubi hæc habet: „ Obſervantia diei dominicæ in nova lege ſuccedit obſervantiæ ſabbati, non ex vi præcepti Legis, ſed ex conſtitutione Eccleſiæ, & conſuetudine populi chriſtiani. Nec hujuſmodi obſervatio eſt figuralis, ſicut fuit obſervatio ſabbati in veteri lege. Et ideo non eſt ita arcta prohibitio operandi in die dominica, ſicut in die ſabbati; ſed quædam opera conceduntur in die dominica, quæ in die ſabbati prohibebantur, ſicut decoctio ciborum, & alia hujuſmodi; & etiam in quibuſdam operibus prohibitis facilius propter neceſſitatem diſpenſatur in nova, quam in veteri lege: quia figura pertinet ad proteſtationem veritatis, quam nec in modico præterire oportet; opera autem ſecundum ſe conſiderata immutari poſſunt pro loco, & tempore.

II. Adhuc tamen fidelibus interdicta ſunt ſervilia opera, nimirum ea, *in quibus unus homo alteri ſervit*, ut inquit S. Thom. Triplici autem domino poteſt homo ſervire, nimirum Deo, alteri homini, & peccato: hinc triplex ſervitutis genus diſtinguit S. D. nimirum divinum, humanum, diabolicum. „ Eſt autem triplex ſervitus (*verba ſunt S. D.*) una quidem, qua homo ſervit peccato, ſecundum illud, *qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*: & ſecundum hoc omne opus peccati dicitur ſervile. Alia vero ſervitus, qua homo ſervit homini. Eſt autem homo ſervus, non ſecundum mentem, ſed ſecundum corpus: & ideo opera ſervilia ſecundum hoc dicuntur opera corporalia, in quibus homo alteri ſervit. Tertia autem eſt ſervitus Dei: & ſecundum hoc opus ſervile poſſet dici opus latriæ, quod pertinet ad Dei ſervitium.

III. Palam eſt, hoc tertium operis ſervilis genus in ſabbato non prohiberi, *quia*, ut ſubdit S. Thom. *hoc eſſet contrarium fini obſervationis ſabbati. Homo enim ad hoc ab aliis operibus abſtinet in die ſabbati, ut vacet operibus ad Dei ſervitium pertinentibus.* Quæſtio eſt itaque de primo, & altero ſervilium operum genere, nimirum de peccato,

cato, & operibus corporalibus ad alterius hominis ſervitium ordinatis. De primo itaque in hoc capite, de altero in ſequentibus.

IV. Num per peccatum violetur dies feſtus, diſquirunt Theologi: & primo quidem in eo omnes conveniunt, etiam qui negantem amplectuntur ſententiam, peccata in die feſto perpetrata graviora eſſe, &, ut verbis utar recentioris Theologi, circumſtantiam diei ſacræ addere *deformitatem peccato*, *non ex hoc præcepto*, *ſed ex majori importunitate temporis*; quam deformitatem revocat *ad ſpeciem ingratitudinis erga divina beneficia*, *non ad violationem feſti*, *& culpam* putat non *excedere venialem magis*, *vel minus gravem*. Verum alii in peccatis in die feſto perpetratis non hanc ſolam ingratitudinis deformitatem, ſed veram violationem præcepti de diebus feſtis ſanctificandis, quæ novam inducit malitiam, & quidem gravem, in confeſſione aperiendam agnoſcunt. Et hanc tenent omnes antiquiores ſcholaſtici Theologi, adeo ut Suarezius, qui tamen contrariæ adhæret opinioni, ſincere fateatur, ſuam ſententiam *non habere Auctores multum antiquos*, proinde recenter invectam eſſe, & plane novam; licet ad invidiam ex novitate minuendam addat *habere tamen plures*, *& graves*. Nos a veteri ſententia non recedimus; nam in doctrina fidei & morum ipſa novitas in ſuſpicionem inducit erroris, & eam propugnamus auctoritate nixi S. Tho. quem eam tenuiſſe ſententiam, ejus doctrinam & verba ſincere perpendenti luculentiſſime apparebit. Ab eo itaque incipiamus.

V. S. Thomas tribus in locis dicit aperte, per peccatum mortale diem feſtum violari, & peccantem lethaliter agere contra præceptum ſanctificationis feſtorum. Primum teſtimonium habetur hic q. 122. a. 4. ubi triplici diſtincta ſervitute, altera per quam homo ſervit peccato, altera per quam alteri homini ſervit, tertia qua Deo ſervit: duplici priori ſervitute docet violari hoc præceptum. En ejus verba: „ Eſt autem triplex ſervitus. Una qua homo ſervit peccato... „ & ſecundum hoc omne opus peccati dicitur „ ſervile. Alia vero ſervitus qua homo ſervit „ homini. Tertia autem ſervitus Dei... opera „ quæ dicuntur ſervilia primo vel ſecundo modo contrariantur obſervantiæ ſabbati, inquantum impediunt applicationem hominis ad divina. Et quia magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus „ licitum, quamvis ſit corporale: ideo magis CONTRA HOC PRÆCEPTUM agit, qui peccat in die feſto, quam qui aliud opus licitum „ facit". Alterum teſtimonium licet uno verborum tenore priori conjunctum, diſtinctum tamen profero, quia magis datam doctrinam exceptione confirmat. Subdit itaque: „ Non autem „ qui peccat venialiter in ſabbato, CONTRA „ HOC PRÆCEPTUM facit, quia peccatum „ veniale non excludit ſanctitatem". Tertium teſtimonium eſt deſumptum ex Opuſculo in ed. Pariſ. 4. de Præceptis Caritatis, & Decalogi in 3. præcepto, ubi recitato præcepto *Memento*, *diem ſabbati ſanctifices*, & memoratis ſervilibus operibus in die feſto omittendis, ſubdit: *Quinto cavere debemus culpam* Hier. 17. Cuſtodite animas veſtras, & nolite portare pondera in die ſabbati: *onus autem animæ vel pondus malum*, *eſt peccatum*.... *Peccatum autem opus eſt ſervile*, *quia*, *ut dicitur Jo.* 8. Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. *Unde cum dicitur* omne opus ſervile non facietis in eo, *poteſt intelligi de peccato*. *Et ideo* CONTRA PRÆCEPTUM HOC FACIT *quis*, *quando in ſabbato peccat*, *quia peccando & operando Deus offenditur*. En ter repetitum a S. Doctore, peccantem in die feſto facere contra præceptum ſanctificationis Feſtorum, & æque peccare contra hoc præceptum qui ſervit peccato, ac qui ſervit homini per opera corporalia; immo magis peccare contra hoc præceptum peccando, quam terram fodiendo. Quid amabo clarius, quid luculentius deſiderari poteſt? Quis amabo, dum S. Thomas dicit ex. c. adulterantem in die feſto peccare contra hoc præceptum, intelligat illum quidem peccare contra juſtitiam, contra caſtitatem, & ſi lubet etiam contra gratitudinem, at contra præceptum ſanctificationis feſtorum omnino non peccare? Quapropter cum hæc teſtimonia clara ſint, luculentiſſima, & prolata, ubi ex profeſſo de hoc tertio præcepto tractat, ſi qua eſſent alia S. D. teſtimonia dubia & obſcuriora, forent juxta hæc emollienda & explicanda; non vero e contra textibus & verbis ambiguis hæc, quæ clariſſima ſunt, detorquenda, & obſcuranda.

VI. Sed videamus, quænam ſint teſtimonia S. Th. quæ proferunt adverſæ ſententiæ Theologi, ut oppoſitum docuiſſe evincant. 1. Opponunt verba S. Tho. in 3. Sent. diſt. 37. quæſtiunc. 2. ar. 5. ad 3. „ Dicendum quod opera ſervilia myſtice intelli„ guntur peccata, ſed ad litteram opera ſervilia di„ cuntur, ad quorum exercitium ſervos deputatos „ habemus, in quibus debent artes mechanicæ di„ rigere, quæ a liberalibus diſtinguuntur". Sed quid eſt in his verbis quod oſtendat, aliam eſſe mentem D. Th. aliam doctrinam ab ea, quam mox expoſuimus? Numquid poſt laudata addit, ergo qui peccat in die feſto, NON FACIT CONTRA HOC PRÆCEPTUM, quod neceſſarium fuiſſet, ut quod prius dixerat, elideret? Sed duplicem, inquiunt, diſtinguit ſervitutem, alteram myſticam ſeu ſpiritualem, alteram corporalem ſeu proprie talem. Fateor. At nonne & hanc diſtinctionem luculentiſſime attulit in q. 122. dicens, ſervitus una quidem qua ſervit peccato.... alia ſervitus qua homo ſervit homini? nonne unam ab alia toto genere plane diſtinctam agnoſcit, & ſi lubet etiam unam myſticam, alteram proprie talem? & tamen clariſſimis verbis intulit, docuit, declaravit utriuſque ſervitutis opera contrariari obſervantiæ ſabbati, immo facientem opera myſticæ ſervitutis magis FACERE CONTRA HOC PRÆCEPTUM. Et rationem reddit invictiſſimam, quia nimirum ſicut opera corporalis ſervitutis *impediunt applicationem hominis ad divina*, ideo ea exercendo violatur hoc præceptum; ita & multo magis opera myſticæ ſervitutis impediunt applica-

tionem hominis ad divina, æque igitur, & multo magis ea exercendo hoc præceptum violat. Sed urgent, S. D. dicit, *litteraliter per opera in hoc præcepto vetita intelligi opera corporalia vere talia*. Utique & hoc confirmat in teſtimonio ex Opuſc. 4. recitato, ubi ſcribit, quod cum dicitur *omne opus ſervile non facietis in eo*, poteſt intelligi de peccato. Sed quid intulit D. A.? Num peccantem in die feſto non violare præceptum Decalogi tertium? Immo oppoſitum omnino. Unde ſtatim ſubdit: Et ideo CONTRA HOC PRÆCEPTUM FACIT *quis quando in ſabbato peccat*. Patet igitur evidenter, D. Th. tertio præcepto Decalogi æque prohiberi & opera ſervilia corporalia, & opera ſervilia myſtica cenſuiſſe. Sed quid cavillatur in verbis, ubi de ipſa re tractatur, & quidem admodum gravi, in qua de animarum agitur ſalute? Nonne opera criminoſa ſunt opera phyſica, vera, & realia, & quidem ſervitutis veræ & realis, licet ſpiritualis, non corporalis? Inde Chriſtus Dominus eſt verus, realis non myſticus, non metaphoricus Redemptor & Salvator, quippe qui nos a vera & reali ſervitute peccati redemit. Sunt igitur peccata opera vere & proprie ſervilia, licet ſpiritualia. Bene, optime inquies; ſed adhuc probandum ſupereſt, num Deus tertio ſuo præcepto vetuerit opera ſpiritualis ſervitutis, an vero ſolum corporalis. At hoc jam ex D. Th. mente, de qua ſola hic agitur, definitum eſt, quippe qui docet, inculcat, urget utriuſque ſervitutis operibus violari hoc præceptum, æque, immo magis *facere contra hoc præceptum*, qui opera ſpiritualis ſervitutis elicit, quam qui corporalis; utraque igitur hoc præcepto vetita docuit.

VII. Opponunt ſecundo loco quod docet 4. ſent. diſt. 32. ar. 4. ad 3. *Petere debitum in die feſto non eſt circumſtantia trahens ad aliam ſpeciem peccati, unde non poteſt aggravare in infinitum*. Vix video quid hoc ad rem noſtram faciat, nam petere debitum non eſt peccatum; docet quidem S. Thom. in ſuppl. queſt. 64. art. 5. *in diebus, in quibus ſpiritualibus præcipue eſt vacandum, non licere petere debitum*: at in ar. 6. docet, *non peccare mortaliter uxorem vel virum, ſi in die feſto debitum petat*. Hoc ſolum hic docet S. Th. reſp. ad 1. argumentum quod dicebat, *videtur quod petens in tempore ſacro mortaliter peccet*, verbis laudatis ſcilicet, *dicendum, quod petere debitum in die feſto &c.* Et qui in D. Thom. lectione hoſpes non eſt, novit phraſim illam ſuam, ſive modum dicendi, circumſtantiam aliquam *non trahere ad aliam ſpeciem peccati, vel non aggravare in infinitum*, ſignificare non eſſe lethale peccatum, vel negativa dempta particula oppoſitum denotare. Docet igitur unice, petitionem debiti in die feſto, licet peccatum ſit veniale ob circumſtantiam temporis, ab ea tamen non reddi, nec effici mortale, vel opponi ſanctificationi feſti, quippe quia, ut docuit in ſumma, *peccatum veniale non excludit ſanctitatem*. Patet igitur meo videri luculentiſſime, doctrinam S. Th. eſſe, peccatum opponi ſanctificationi feſtorum, & peccantem in die feſto facere contra tertium præceptum. Quamobrem qui ejus ſe diſcipulos eſſe gloriantur, & qui *nullius auctoris habita ratione illum pro decem millibus reputare* ſcribunt, nequeunt ab ejus doctrina recedere obtentu ambiguitatis, vel obſcuritatis.

VIII. Cum S. Thoma ſentiunt Scotus 3. ſent. diſt. 27. & 57. Alexander Alenſis in ſua Summa quæſt. 32. memb. 5. ar. 2. ſcribens: „ Qui fornicatur die dominico, peccat duobus peccatis, „ ſecundum quod peccatum numeratur ratione reatus “. S. Bonaventura in ſuo Opere, quod confeſſionale inſcripſit dicens: „ interrogandus eſt pœnitens de tempore, quo peccatum perpetravit, „ utrum in tempore feſtivo, vel non feſtivo: „ Et in 3. d. 37. §. 6. & 7. „ A fortiori opera carnalia, „ & ebrietas, lites & jurgia, quæ maxime repugnant ſpiritus libertati, ut homo Deo vacet, dicuntur, ſuntque opera ſervilia, & in hoc præcepto ſunt prohibita, potius quam opera mecanica, & quam negotia terrena, quæ animam „ diſtrahunt, ne homo divinis intendat, ſecundum Auguſtinum de decem chordis “.

IX. Idem confirmant S. Antoninus 2. P. tit. 9. c. 7. §. 2. ſcribens: „ Peccatum mortale commiſſum die feſto eſt multo gravius, quam alia die, cum ultra propriam deformitatem, „ puta furti vel fornicationis, habeat ſpecialem „ deformitatem ex illa circumſtantia temporis ſacri, qua feſtum violatur. Unde talis, ut „ dicit Nicolaus de Lira ſuper Exod. cap. 20. „ non ſolum agit contra unum præceptum, ſcilicet non mœchaberis, aut illud, non furtum „ facies, ſed etiam contra illud de ſanctificatione ſabbati “. Alphonſus Toſtatus in caput 20. Exo. qq. 11. & 12. „ Magis feſtivitatem feſti infringimus in peccando, ut fornicando & occidendo, quam alios labores agriculturos ſuis „ manibus exercendo ... Ex hoc ſequitur quod „ qui die Dominico adulteratur, aut occidit, „ aut inebriatur, magis peccat, quam ſi aliis diebus idem ageret; quia ſic transgreſſor eſt duplicis præcepti, ſcilicet non occides, aut cujuslibet alterius, & hujus ſcilicet, quia non obſervat diem dominicam “.

X. His accedunt definitiones etiam nonnullorum Conciliorum, Epiſcopalium quidem, ſed quorum auctoritatem magni ponderis eſſe nemo inficiabitur. Lingonenſis antiqua Synodus hæc ſtatuit: „ Homines utriuſque ſexus in feſtis debent eſſe plurimum intenti divinis... „ & ut his rebus melius poſſint intendere, debent abſtinere ab omni opere ſervili, & potiſſime a peccato, quia gravius peccat qui peccat in „ Feſto, puta furatur, fornicatur, quam qui „ in aliis diebus hoc facit. Eboracenſis anni „ 1576. Ceſſare vero oportet Chriſtianum in die „ feſto maxime a vitiis & peccatis, quoniam „ ſervire debet Deo, cui diſplicet omne peccatum “. Quid quod & Catechiſmus Romanus, qui profecto doctrinam Eccleſiæ continet, & explicat, nec certe quid vel erroneum, vel falſum Paſtoribus Eccleſiæ proponendum ſuggerit in explicatione 3. præcepti n. 21. ubi hæc habet: „ Facile perſpici poteſt, omne ſervilis operis „ genus prohiberi, non quidem ea re, quod ſua „ natura aut turpe, aut malum ſit, ſed quoniam

„ men-

„ mentem noſtram a divino cultu, qui finis eſt „ præcepti, abſtrahit. Quo magis peccata a fidelibus vitanda ſunt, quæ non ſolum animum „ a divinarum rerum ſtudio avocant, ſed nos a „ Dei amore prorſus ſejungunt “.

XI. A rationibus afferendis abſtineo, ne moroſus ſim, cum jam in relatis Doctorum teſtimoniis allatæ ſint. Solum achilleum, quod putant, argumentum, quo ſuam fulcire doctrinam conantur adverſæ opinionis Theologi, diſſolvam. Finis, inquiunt, præcepti non cadit ſub præcepto, ſed conjunctio cum Deo eſt quidem finis præcepti, at non materia & objectum ipſius; hoc conſiſtit in auditione Miſſæ, & abſtinentia ab operibus ſervilibus, quæ quidem ordinantur ad conjunctionem cum Deo, quam licet fidelis non conſequatur, quia peccat lethaliter, adhuc tamen quod præceptum eſt, obſervat, proinde præceptum non transgreditur. At iſti fallunt, & falluntur. Nam objectum & materia præcepti eſt cultus reddendus Deo in illo die, qui eſt ſanctificandus, ut per talem cultum Deum ſuum creatorem honoret in illo die. Audiatur D. Th. hic ar. 4. ad 3. „ In obſervantia ſabbati duo ſunt „ conſideranda, quorum unum eſt ſicut finis “ (intrinſecus ſcilicet ab ipſo Deo volitus & in præcepto poſitus) „ & hoc eſt, ut homo vacet „ rebus divinis, quod ſignificatur in hoc quod „ dicitur, *Memento, diem ſabbati ſanctifices*, „ illa enim dicuntur ſanctificari in lege, quæ di„ vino cultui applicantur “. Quomodo autem diem feſtum ſanctificat, illum divino cultui applicando, qui peccando illum profanat? Quomodo cultum Deo præſtat in illo die, quo eum colere præcipitur, ſi illo die Deum inhonorat, offendit, proculcat? Ergo finem proximum intrinſecum, & ipſum mandati objectum violat, nimirum ſanctificationem diei, quam non divino cultui applicat, ſed operibus malis. Audit Miſſam; at per Miſſæ auditionem majorem ne cultum Deo præbet, quam per peccatum exhibeat contumeliam, injuriam, dehoneſtationem, & quidem eo die, quo ipſius cultus ipſi præcipitur? „ Sed quid dices (inquit Theologus Probabilioriſta „ adverſæ ſententiæ Patronus) de Chriſtiano, qui „ in peccato mortali exiſtens, in die feſto ſummo „ mane audita devote & attente Miſſa, totum re„ liquum diem in peccatis venialibus inſumeret, “ non præpeditus ab operibus ſervilibus, a quibus religioſe abſtinet? „ hunc profecto reum nemo „ habebit violati hujus mandati. En igitur quo„ modo conjungi Deo eſt finis præcepti extrinſe„ cus, & habetur præcepti adimpletio per abſti„ nentiam a ſervilibus corporalibus, exhibendo „ Deo cultum per hujuſmodi abſtinentiam, & ſa„ crum pie audiendo “. Bone Jeſu. Quid aliud docere poterat magiſter in Synagoga, Judæus carnalis carnalibus Judæis auditoribus? Per abſtinentiam materialem otioſam ab operibus ſervilibus, conſociatam innumeris peccatis venialibus exhibetur cultus Deo? Per hujuſmodi abſtinentiam ſanctificatur, ideſt, ut explicat D. Thom. *divino cultui applicatur dies feſtus*, & impletur præceptum? Et hoc adeo certum, adeo eſt exploratum, ut loco principii aſſumatur ad evincendum, peccantem lethaliter non violare diei feſti ſanctificationem? Hoc eſt ad inſtar carnalis Judæi durum & aſperum præcepti corticem rodere, dulcem vero & ſalubrem nucleum nec delibare. *Ab his enim carnali intellectu* (ſcribit Auguſt. ſerm. 33. de diverſis) *Judæi ſabbato prohibentur. Qui autem ſpiritualiter vult intelligere opera ſervilia, audiat Dominum dicentem*: omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. At ſit, ut lubet. Nonne adhuc latiſſimum apparet diſcrimen inter hunc pſeudoſanctificatorem diei feſti & peccantem lethaliter? Ille niſi Deo conjungitur, ut vult laudatus Auctor, nec habitualiter, quia eſt in peccato lethali, nec actualiter, quia inceſſanter peccatis venialibus incumbit, ſaltem novum non ponit obicem huic conjunctioni per lethale crimen; porro licet quis non teneatur finem præcepti attingere, tenetur tamen ſaltem illius aſſecutioni directe non obſiſtere, & eum de induſtria impedire. Feſtum ergo violat, & præceptum non implet, qui lethaliter peccat.

XII. Num autem per omne lethale peccatum etiam breve & momentaneum violetur præceptum? Non putat P. Concina, cui & ipſe lubens adhæreo; non enim omnia peccata cultum Dei impediunt, & diem profanant. Fieri enim poteſt, ut quis ex vehementi aliqua paſſione, vel gravi tentatione, verbo, vel interna cogitatione, ac voluntatis aſſenſu lethaliter peccet, qui tamen in ſe reverſus facti aliquo modo pœnitens, diem feſtum in piis inſumat operationibus, ſacro devote interſit, catechiſmum audiat, Eccleſiæ officiis aſſiſtat; hunc cenſerem præceptum lethaliter non violaſſe. Ea peccata hoc præſtant, quæ mentem a divino cultu avocant, quæ opera bona in die feſto exercenda impediunt, uti ſunt omnes impudicitiæ, fornicationes, adulteria, quæ licet momento peragantur, intellectum tamen obnubilant, voluntatem corrumpunt, totum hominem, terrenum & brutalem efficiunt. Similiter ebrietates, crapulæ, rixæ, odia, iniqui contractus, licet ſolis verbis initi, blaſphemiæ, & ſimilia, quæ totum hominem a Deo adeo avocant, ut ne de illo quidem toto die feſto, excepto brevi Miſſæ tempore, cogitet. Nec urget adverſus hanc doctrinam D. Thomæ auctoritas, qui nulla facta peccatorum diſtinctione abſolute pronuntiat, *omne opus peccati dicitur ſervile*, nam idem Angelicus eodem modo de operibus ſervilibus loquitur, & de peccatis, quæ in tantum vetita dicit in die feſto, *in quantum impediunt applicationem hominis ad divina*. Porro ſicut feſtum non violatur per opera ſervilia, quæ hanc applicationem non impediunt, uti ſunt opera, quæ in Dei cultum cedunt: unde & Chriſtus dicit: *Sacerdotes in templo ſabbatum violant, & ſine crimine ſunt*, nec per ea quæ brevi tempore durant, vel ad neceſſaria corporis ordinantur; ita non omnia peccata hominis mentem a divinis avocant, ut applicationem impediant ad divina; propterea non omnia diei feſti inferunt violationem. Quamobrem plures Theologi, qui ceteroquin docent peccatis feſtum non violari, docent tamen eſſe quædam peccata, quæ diei feſti ſanctificationi adver-

adverſantur, ut ſunt ſeditiones movere in urbe, rixas inter cives vel excitare, vel promovere.

XIII. Hinc infertur & choreas, theatrica ſpectacula, ſcenicos ludos diei ſanctificationi adverſari, & eſſe Chriſtianis vetita. Non de choreis loquimur, quæ in privata domo a puellis recreationis gratia habentur, vel inter conſanguineos cauſa nuptiarum; hæ enim ſi modeſtæ ſint, excuſantur: ſed de illis loquimur, quæ publice inſtituuntur in plateis, in agris, in aulis, ubi promiſcue confluunt adoleſcentes & puellæ, & ferme toto die peraguntur, etiam divinorum officiorum tempore. Quis enim inficiabitur has eſſe proximas peccandi occaſiones, immo ad peccata illis incumbentes protrahere, & provocare? Nam omiſſis impudicitiæ peccatis, ex illis plerumque rixæ, contentiones, æmulationes, ſcandala exoriuntur. A divino cultu omnino avocant, & mentem in terrenis voluptatibus ita defigunt, ut de Deo, & divinis nec cogitent, nec cogitare valeant. *An*, inquit Tertul. de Spect. *de Deo cogitare poſſunt illic, ubi nihil eſt de Deo?* Merito proinde a Patribus & Conciliis improbatæ, & vetitæ inveniuntur diebus Feſtis. In Jure Can. diſt. 1. de Conſecr. can. 67. dicitur: „ Qui die ſolemni, prætermiſſo ſolemni Eccleſiæ conventu, ad ſpectacula vadit, „ excommunicetur “. Et diſt. 3. de Conſecr. can. 2. habetur: “ Irreligioſa conſuetudo eſt, „ quam vulgus per Sanctorum ſolemnitates agere conſuevit. Populi, qui debent officia divina attendere, ſaltationibus, & turpibus invigilant canticis, non ſolum ſibi nocentes, ſed „ & Religioſorum officiis perſtrepentes: hoc etenim ut ab omnibus Provinciis depellatur, „ Sacerdotum, & Judicum a Concilio Sancto curæ committitur “. Et Synodus Patavina anni 1624. aperte declarat, & docet par. 1. cap. 9. „ Publicum, & grave peccatum eſſe, feſtos dies „ ludis, comeſſationibus, choreis ... conterere & „ traducere “.

XIV. Idem docent Sancti Patres. S. Cyrillus lib. 8. cap. 5. in Joan. ſcribit: „ Diebus ad exercenda ſervilia opera conceſſis, unuſquiſque ſuo „ intentus eſt operi, & abſtinet a crapula, ludis, & vanitatibus; diebus autem feſtis paſſim concurritur ad cauponem, ad ludos, ad „ ſpectacula, & choreas in deriſionem divini nominis, & diei prævaricationem “. S. Auguſtinus ſerm. 215. „ Vicinos, ait, & proximos „ veſtros jugiter admonete, ut ſemper quod bonum eſt & honeſtum loqui ſtudeant, ne forte „ detrahendo, male loquendo, & in ſanctis Feſtivitatibus choreas ducendo, cantica luxurioſa & turpia proferendo, de lingua ſua, unde debuerant Deum laudare, inde ſibi vulnera „ videantur infligere: Iſti enim infelices & miſeri homines, qui ballationes & ſaltationes „ ante Baſilicas ipſas Sanctorum exercere nec „ metuunt, nec erubeſcunt, etſi Chriſtiani ad „ Eccleſiam venerint, Pagani de Eccleſia revertuntur, quia iſta conſuetudo ballandi de paganorum obſervatione remanſit “. S. Cyprianus „ in lib. de Spect. & in epiſtolis graviſſime conqueritur de chriſtianorum miſeria, aut inſania, qui ejuſmodi Dæmonum inventa ſectantur, moreſque imitantur gentilium, & quod gravius ducit, Sacrarum Scripturarum auctoritate ea defendere conantur, affirmantes David ante Arcam ſaltaſſe, & in ſacris litteris nabla, tympana, citharas, chorosque legi, quaſi ad rem pertineant, & ad turpia tuenda ea, quæ ad Dei cultum facta ſunt, proferre. S. Jo. Chryſoſt. in omnibus fere homiliis choreas & ſaltationes nunc peſtilentiæ cathedram, nunc incontinentiæ gymnaſium, nunc luxuriæ officinam, nunc babylonicam fornacem appellat.

XV. Nec aliter docent nobiliores Theologi. Alexander Alenſis in Summa par. 4. quæſt. 1. memb. 2. ar. 1. docet, choreas ducentes in die feſto præceptum violare ſanctificationis feſtorum, *melius eſt enim*, ſcribit, *die dominico fodere, aut arare, quam choreas ducere*, a quo non diſſentit D. Thom. qui pariter 2. 2. q. 122. a. 4. Auguſtini dictum refert & adprobat in Jo. Evang. Tract. 4. cap. 1. n. 19. *Melius faceret Judæus in agro ſuo aliquid utile, quam ſi in theatro ſeditioſus exiſteret; & melius feminæ eorum die ſabbati lanam facerent, quam tota die in menianis ſuis ſaltarent.* S. Antoninus vero pluribus in locis, ſed præſertim tit. de choreis, multa ex ſacra Scriptura adducit ad choreas reprobandas dicens: „ In choreis reperiri pompam, laxiviam, ſuperbiam, inanem gloriam, & ideo per eas homines effici inimicos Dei “; omnino autem choreas damnat, & per eas omnia mandata Dei violari & contra omnia Sacramenta fieri late probare conatur. Petrus de Palude in 4. ſent. diſt. 16. ſimpliciter improbat choreas tamquam malas, cum inquit ille, *viros cum mulieribus ludentes maledixerit Barnabas*. Joannes Gerſon in 4. par. Ser. Dominicæ 3. Adv. ſcribit: „ *Choreas ob fragilitatem hominum difficile ſine diverſis peccatis haberi, & omnia peccata choreizare in choreis*. S. Bernardinus ſer. 10. de obſervantia Sabbati clamat. „ Execrabile „ eſt feſtis diebus vacare choreis, ubi viſu, auditu, guſtu, tactu mentes adſtantium illaqueantur, & contaminantur “; & citat caput *Irreligioſa* ſuperius recitatum, addens: „ Væ iis qui „ ſunt in cauſa efficaci tantorum malorum per „ ſuos laſcivos ſonos: reddent de omnibus malis, quæ occaſione pulſationis contingunt, apud juſtum judicem rationem “. Hinc peccant Magiſtri, qui in die feſto puellas & matronas domi docent artem choreas ducendi, cum nullum ſit tempus importunum magis ad hocce ſtudium, quam dies feſtus.

CAPUT SEXTUM.

De cæteris ſervilibus operibus in die feſto vetitis.

DOCTRINA.

I. *Quænam ſint ſervilia opera.*
II. *Præcepto divino in die feſto interdicuntur.*
III. *Non ſemper lethaliter peccant qui opera ſervilia in die feſto exercent.*

IV.

IV. *Nonnulla opera ſervilia in diebus feſtis conceſſa ex D. Th.*
V. *Sicut & quæ ad Dei cultum pertinent .*
VI. *Nonnulla ex neceſſitate , & pietate conceſſa .*
VII. & VIII. *Aliqua etiam non ſervilia opera vetita diebus feſtis .*

I. JUxta S. Thom. hic ea dicuntur opera ſervilia, *quæ proprie pertinent ad ſervientes*, & ut ſubdit in 3. ſent. diſt. 37. quæſtiunc. 2. a. 1. ad 2. „ in quorum exercitium ſervos deputatos habe- „ mus, in quibus debent artes mechanicæ dirige- „ re quæ a liberalibus diſtinguuntur, quæ vero „ ſunt communia ſervis & liberis , ſervilia non „ dicuntur . „ Opera itaque artis mechanicæ ſunt per ſe vetita diebus feſtis , ſive gratis fiant , ſive pretio, ſive a dominis, ſive a ſervis . Artes mechanicæ continentur hoc verſiculo .

Rus, *nemus*, *Arma*, *Rates*, *Vulnera*, *Lana*, *Faber* .

II. Abſtinentiam ab operibus ſervilibus eſſe de jure divino, & in Decalogi præcepto mandatam, docet S. Thom. hic , dum ſcribit , duo eſſe in obſervantia ſabbati conſideranda , quorum *unum eſt ſicut finis , & hoc eſt , ut homo vacet rebus divinis , quod ſignificatur in hoc quod dicit* , Memento diem Sabbati ſanctifices . . . . *aliud autem eſt ceſſatio operum , quæ ſignificatur cum dicitur* , Septima die Domini non facies opus : & confirmat S. Auguſt. epiſt. 66. al. 8. dicens : „ Ceſſatio a ſervilibus operibus imperatur, unde „ illud eſt , quod lapidare Deus hominem juſſit, „ qui ligna colligeret “: & S. Greg. lib. XI. ep. 3. aperte dicit , *Dominico die a labore terreno ceſſandum eſt .* Immo Catechiſmus Tridentini Concilii hunc eſſe hujus præcepti ſenſum declarat par. 3. de 3. præcepto n. 11. *ut homo & animo & corpore in eam curam incumbat , ut ſtatuto aliquo tempore a negotiis , corporiſque laboribus feriatus, Deum pie colat, ac veneretur*. Sunt tamen qui putant non improbabile , eam abſtinentiam fuiſſe quidem indictam Judæis a Domino , ſed tamquam cæremoniale præceptum , quod in Chriſtiana lege ceſſare debebat , proinde ſolo præcepto Eccleſiaſtico apud Chriſtianos indictam . Quod ex eo confirmant , quia tribus prioribus Eccleſiæ ſeculis noctu collectas habebant fideles , & quidem in cryptis , cœmeteriis, privatis domibus, quibus oriente ſole expletis , unuſquiſque ad propria munia & officia revertebatur . Nullus vero ambigit , inter Chriſtianos plures fuiſſe agricolas, ruſticos, ſervos, artifices, milites, & cujuſque artis profeſſores, qui ſervilia exercebant opera , a quibus certo non vacabant diebus feſtis, tum ne agnoſcerentur a Gentilibus , tum ne propriis , quibus pretio conducebantur , officiis deeſſent . Verum hæc id ſolum meo videri conficiunt & probant , quod & D. Thom. hic in reſp. ad 4. animadvertit , ſcilicet abſtinentiam a ſervilibus operibus non adeo ſtricte eſſe cuſtodiendam , ut in veteri lege jubebatur, ſed ex Eccleſiæ lege eſſe quoad modum definiendam & ſtatuendam, a qua etiam diſpenſare poſſit juſtis urgentibus cauſis . Nam ſcribit S. Thom . „ Ob- „ ſervantia diei Dominicæ non eſt figuralis, ſicut „ fuit obſervantia ſabbati in veteri lege . Et ideo „ non eſt ita arcta prohibitio operandi in die „ Dominica , ſicut in die ſabbati ; ſed quædam „ opera conceduntur in die Dominica, quæ in die „ ſabbati prohibebantur, ſicut decoctio ciborum , „ & alia hujuſmodi ; & etiam in quibuſdam operibus prohibitis facilius propter neceſſitatem „ diſpenſatur in nova, quam in veteri lege : quia „ figura pertinet ad proteſtationem veritatis, quam „ nec in modico præterire oportet ; opera autem „ ſecundum ſe conſiderata immutari poſſunt pro „ loco, & tempore .

III. Quare non videntur ſtatim peccati mortalis , & violationis præcepti redarguendi artifices, qui ſervilibus operibus diebus feſtis vacant , quotieſcumque præſumi poſſit ſaltem tacita Eccleſiæ tolerantia , vel permiſſio , diuturna conſuetudine confirmata , non obſtantibus , nec reclamantibus Eccleſiæ Præſulibus . Quod ſi reclament, inolita conſuetudo a peccato minime excuſat , ut optime obſervat Gerſonius in Regulis Moralibus ſcribens : „ Obſervatio ſabbati quoad cir- „ cumſtantias temporis, & modi, & loci, pro „ maxima parte relicta eſt determinationi Præla- „ torum, quæ cognoſcitur tum ex eorum inſtitu- „ tis, tum ex conſuetudinibus per eos legitime „ toleratis . De operibus autem ſervilibus non e- „ xercendis diebus Dominicis, & Feſtivis plus & „ frequenter determinat conſuetudo loci, & per- „ ſonarum, a Prælatis tolerata, quam alia lex „ ſcripta “.

IV. Immo, ut optime animadvertit D. Th. non omnia etiam corporalia & ſervilia opera ſunt in diebus feſtis Chriſtianis vetita, ſed quædam conceſſa, ut ſunt illa, quæ ipſe enumerat , nimirum 1. quæ ad ſalutem corporis pertinent, 2. ad rerum damna vitanda , nam ſcribit : „ Non eſt enim con- „ tra obſervantiam ſabbati, quod aliquis comedat, „ & alia hujuſmodi faciat , quibus ſalus cor- „ poris conſervatur . Et propter hoc Machabæi „ non polluerunt ſabbatum pugnantes ad ſui de- „ fenſionem die ſabbati , ut legitur 1. Machab. „ 11. ſimiliter nec etiam Elias fugiens a facie „ Jezabel in die ſabbati . Et propter hoc etiam „ Dominus Matth. 12. excuſat diſcipulos ſuos , „ qui colligebant ſpicas in die ſabbati propter ne- „ ceſſitatem quam patiebantur . 3. *Addit :* Etiam „ opus corporale , quod ordinatur ad ſalutem cor- „ poralem alterius , non eſt contra obſervantiam „ ſabbati: unde dicitur Joan. 7. 23. “ Mihi indignamini , quia totum hominem ſalvum feci in ſabbato ? 4. Denique concludit : *Etiam opus corporale , quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum , non violat ſabbatum : unde dicit Dominus Matth.* 12. 11. Quis erit ex vobis homo , qui habet unam ovem, & ſi ceciderit ſabbato in foveam , nonne tenebit, & levabit eam ?

V. His etiam addenda ſunt ſervilia opera, quæ ad Dei cultum & religionem proxime pertinent, ut docet Catechiſmus Concilii Tridentini de 3. præcepto n. 22. docens „ Non tamen eæ actio- „ nes , neque ea opera vetantur , quæ ad divi- „ num cultum attinent, etiamſi ſervilia ſint , ut „ altare inſtruere , templa alicujus diei feſti cauſa ornare , & reliqua hujus generis “ . Et do-

docuit etiam S. Thom. l. 9. ſcribens: „ Opus „ ſervile poteſt dici opus latriæ, quod pertinet „ ad Dei ſervitium. Si autem ſic intelligatur opus „ ſervile, non prohibetur die ſabbati: quia hoc „ eſſet contrarium fini obſervationis ſabbati. Ho„ mo enim ad hoc ab aliis operibus abſtinet in die „ ſabbati, ut vacet operibus ad Dei ſervitutem „ pertinentibus.

VI. Ex pietate quoque, & neceſſitate plura permittuntur die feſto ſervilia opera, ut docet idem Catechiſmus ſubdens n. 23. „ Sed neque eo„ rum rerum opera hac lege prohiberi exiſtiman„ dum eſt, quarum jactura facienda ſit, ſi die fe„ ſto prætermittantur “. Idem etiam antea docuerat D. Thom. tum ſæpius laud. q. 122. tum 2. 2. q. 40. a. 4. ſcribens: „ Obſervantia feſtorum „ non impedit ea, quæ ordinantur ad hominis „ ſalutem etiam corporalem... Et inde eſt quod „ Medici licite poſſunt medicari homines in die „ feſto. Multo autem magis eſt conſervanda ſalus „ reipublicæ, per quam impediuntur occiſiones „ plurimorum, & innumera mala & temporalia, „ & ſpiritualia, quam ſalus corporalis unius ho„ minis. Et ideo pro tuitione reipublicæ fidelium „ licitum eſt juſta bella exercere diebus feſtis “. Quænam autem ſint opera ſervilia concedenda diebus feſtis vel neceſſitatis, vel pietatis cauſa, dicemus in Conſectariis.

VII. Sunt alia opera licet non ſervilia, quæ tamen diebus feſtis ex Eccleſiæ præcepto vetita ſunt, & hæc habentur cap. *Omnes* tit. 9. de feriis: „ Omnes dies Dominicos... omni veneratio„ ne decrevimus obſervari, & ab omni opere illi„ cito abſtinere, ut in eis mercatus minime fiant, „ neque placitum, neque aliquis ad mortem, „ vel pœnam judicetur, nec ſacramenta niſi pro „ pace, vel alia neceſſitate præſtentur “: Et Gregor. IX. cap. *Conqueſtus* de feriis, idem ſtatutum confirmat dicens: „ Quamvis non proro„ gari, ſed expediri deceat quæſtiones, debet ta„ men judicialis ſtrepitus diebus conquieſcere fe„ ſtivis, qui ob reverentiam Dei noſcuntur eſſe „ ſtatuti “. Quæ ſtatuta etiam Juris civilis decretis ſunt confirmata. Duo itaque ſunt quæ prohibentur, videlicet negotiationes, & placita, ſive forenſia judicia. Et quidem ex primo capite prohibentur non ſolum nundinæ, quæ bis, vel ter in anno habentur, ſed & mercatus hebdomadales, nec non contractus emptionum, venditionum, locationum, permutationum. Hinc S. Carolus Borromæus in 3. Concil. Mediol. jubet, ne diebus feſtis nundinæ, emporia, mercatuſque agantur. Et in 1. par. 1. de Feſt. decreverat, „ ne quid ematur, nec vendatur præter id, quod „ ad victum illius diei, vel ad ægrorum cura„ tionem neceſſarium ſit “. Concilium quoque Rothomagenſe anni 1581. ad antiquorum Canonum normam decernit, „ nundinas omnes, ac negotia„ tiones a quibuſcumque feſtis in alios dies rejici; “ & rationem reddens ſubdit, „ in quibus non ſo„ lum avertitur populus ab Eccleſiis frequentan„ dis, & officio divino, & ſacris concionibus au„ diendis, ſed ad negotia ſecularia diligentius quam „ aliis diebus exercenda provocatur contra feſto„ rum inſtitutionem.

VIII. Nomine vero placiti intelliguntur forenſia judicia, unde nec proceſſus poſſunt inſtitui, teſtes examinari, reus torqueri, ſententia ſive civilis ſive criminalis pronuntiari in diebus feſtis, ita ut ſi tali tempore peragantur, ſint ipſo facto nulla & irrita. Nec excipitur judicium Arbitrorum, qui a litigantibus electi ſententia ſua juridice controverſiam dirimant, cum revera forenſe exerceant judicium, & ſententiam definitivam pronuncient. Secus vero ſi meri ſint Arbitratores, qui ad pacem conciliandam, & lites dirimendas ſine judiciali ſtrepitu ſententiam dicant, cum hoc opus ſit caritatis, amicitiæ, & pacis. Poſſunt etiam in die feſto confici Teſtamenta, & matrimoniales contractus, quia inter neceſſaria computantur, quæ dilationem non patiuntur, ut declaravit Concilium Bituricenſe anni 1583. ſtatuens: *Ceſſent Notariorum inſtrumenta, niſi quæ ex neceſſitate teſtamentorum, aut Matrimoniorum cauſa differri non poſſunt.* Et S. Antoninus P.2. tit.9. c. 7. confirmat ſcribens: *Conficere teſtamenta infirmorum, vel contractus matrimonii, ubi eſt de more, videtur fieri poſſe.*

IX. De iis vero, qui tenentur dies feſtos ſanctificare, & præcipue de viatoribus, peregrinis, advenis, & vagis dicemus ubi de præcepto audiendæ Miſſæ diſputabimus.

CAPUT SEPTIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Opera ſervilia & mechanica die feſto vetita.*
II. *Non vero liberalia.*
III. *Nec ſervilia opera, quæ ad quotidianam corporis curam pertinent.*
IV. *Sicut nec quæ ad ejus ſalutem procurandam ſunt neceſſaria.*
V. *Num liceat barbam radere.*
VI. *Pingere, tranſcribere num liceat diebus feſtis.*
VII. *Iter habere quomodo vetitum ſit in die feſto.*
VIII. *Piſcatio, aucupium, & venatio quomodo vetita diebus feſtis.*
IX. *Quid conceſſum Laniis, Pincernis, Œnopolis in die feſto.*
X. *Opera ſervilia ad Dei cultum pertinentia quomodo licita diebus feſtis.*
XI. *Titulo neceſſitatis nonnulla opera ſervilia conceſſa diebus feſtis.*
XII. *Pietas, miſericordia, & bonum publicum licita reddunt ſervilia opera.*
XIII. *Mercatus, & nundinæ num conceſſæ ſacris diebus.*
XIV. *Quid Placiti nomine vetitum ſit, quid conceſſum.*
XV. *Brevitas laboris ſervilis a peccato lethali excuſat.*
XVI. *Diſpenſatio Superioris a peccato excuſat.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. Vetita ſunt die feſto omnia opera, quæ ſervilia ſunt, & ad mechanicas pertinent artes, vel ad eas proxime accedunt, uti ſunt ſeminare,

nare, metere, fœnum cædere, vel ſiccare vertendo, cædere arbores vel ligna, interlucare, ſepem aptare, vineam colere, artes ſive ferrariam, ſive lignariam, textoriam, ſartoriam, nec non fabrilia opera, cujuſcumque generis ſint, exercere, etiam nobiliora, ut in auro celare, mathematica inſtrumenta elaborare, horologia conſtruere, & ſimilia, quin immo & ea efficere, quæ etiam elaborare nobiliores fœminæ non refugiunt, cujuſmodi ſunt nere, fuſum vertere, acu pingere; licet enim non ex mercede, nec ad alteri inſerviendum fiant, ſunt tamen opera vere ſervilia. Quamobrem in Concilio Aquiſgranenſi anni 789. ſtatuitur: *Feminæ opera textilia non faciant, nec copulent veſtitus, vel acu pictile faciant.* Optime tamen animadvertit D. Antoninus p. 2. tit. 9. c. 7. „ Quia modicus receſſus a medio non tollit bo- „ num virtutis, ideo quod aliquis in horto ali- „ quid faciat parvum, ut obturando ſepem, vel „ evellendo malas herbas, vel ſuendo aliqua pun- „ cta veſtis diſſutæ, vel caligæ, & hujuſmodi, „ non judicatur violatio feſti “.

Conſectarium Secundum.

II. Licitum eſt & conceſſum diebus feſtis ea opera exercere, quæ liberalia ſunt, & mente ac ſpiritu principalius peraguntur. Ita docet S. Thom. hic q. 122. a. 4. ſcribens: *Nullius ſpiritualis actus exercitium eſt contra obſervantiam ſabbati; puta ſi quis doceat verbo, vel ſcripto. Unde Num. 28. dicit Gloſſa* . . . „ quod fabri, & hujuſ- „ modi artifices otiantur in die ſabbati: lector „ autem divinæ legis, vel doctor ab opere ſuo „ non deſinit; nec tamen contaminatur ſabba- „ tum “. Hinc licet diebus feſtis legere, docere, concionari, ſtudere, ſcripto etiam conciones, vel lectiones ſcientificas conficere, nec non conſilia dare etiam in ſcriptis, ignorantes inſtruere, errantes corrigere, infirmos etiam curationis gratia inviſere, & opportuna remedia ſuggerere, & alia hujuſmodi.

Conſectarium Tertium.

III. Opera ſervilia, quæ ad quotidianam corporis curam pertinent, minime ſunt die feſto vetita. Jugum enim judaicæ ſervitutis Chriſtus Dominus omnino abſtulit, proinde cæremoniale præceptum de abſtinendo a quocumque opere omnino abrogatum eſt: Nam ut optime animadvertit D. Thom. hic: „ obſervantia feſtorum in „ nova lege non eſt figuralis, ſicut fuit obſervan- „ tia ſabbati in veteri lege. Et ideo non eſt ita „ arcta prohibitio operandi in die Dominica, ſic- „ ut in die ſabbati; ſed quædam opera concedun- „ tur in die Dominica quæ in die ſabbati prohi- „ bebantur, ſicut decoctio ciborum, & alia hu- „ juſmodi “. Quamobrem licet diebus feſtis cibos „ parare, coquere, fructus & herbas menſæ apponendas colligere, minutiora animalia, uti pullos, gallinas, anſeres, & lepores occidere, & mundare, ut apta ſint coctioni, & eſui. Non vero majora animalia, uti vitulos, boves, hircos, agnos, oves interficere, decorticare, & emundare, niſi forte æſtus gratia ante parari non potuiſſent. Ea etiam conceduntur, quæ ad decentiam, & nitorem domus pertinent, ut lectos & cubilia ſternere, vaſa ad uſum menſæ lavare, ſcilicet paropſides, cochlearia, catinos, & ſimilia. Ne quis tamen arbitretur culinariam artem eſſe de ſe licitam in die feſto, nam inter mechanicas jure recenſetur; eapropter feſtum violant tum Coqui, tum Domini, qui cibos ſpectatis ſui ſtatus & perſonarum conditionibus minime neceſſarios & convenientes parant, vel parari jubent, uti ſunt omnia gulæ irritamenta, cupediæ, placentæ, bellaria, tragemata, & ſimilia, quæ die non feſtivo parari quidem poſſunt, at confici die ſacro omnino non poſſunt, niſi forte infirmitas, vel alia neceſſitas excuſet; quamobrem nec panem conflare, nec coquere eo ſolo nomine, ut recens habeatur, non licere puto. Legantur quæ ex S. Antonino recitavimus tract. de offic. hom. cap. 5. §. 2. n. 6. Hinc rei ſunt violati diei feſti cupedinarii, piſtores, qui laborant in cruſtulis, bellariiſque elaborandis, niſi forte conſuetudine, & tacita Eccleſiæ conceſſione excuſentur.

Conſectarium Quartum.

IV. Licita ſunt, & conceſſa feſtis diebus ſervilia opera, quæ ad corporis ſanitatem vel conſervandam, vel reparandam neceſſaria ſunt, vel opportuna: licet proinde Pharmacopolis medicamina conficere eo die ab infirmo ſumenda, non vero communia quædam & univerſalia remedia elaborare, ut ſerventur ad uſum, ſicut nec herbas, flores, roſas ad ignem diſtillare, cum mechanicum opus ſit, licet fortaſſis experientiæ vel peritiæ cauſa exerceatur. Item Chirurgis licitum eſt ſanguinem minuere, & venas incidere, vulnera curare, pharmaca opportuna ægris membris applicare, fracta vel luxata oſſa componere, & ſimilia, quæ corporis valetudini vel omnino neceſſaria ſunt, vel adeo opportuna, ut diutius ſine detrimento nequeant differri.

Conſectarium Quintum.

V. Licet, quæ ad cultum & decentem corporis ornatum pertinent, vetita diebus feſtis non ſint, unde licet viris & mulieribus ſe, & filios ſuos lavare, capillos pectere & diſcriminare; abſolute tamen non licet barbam ſibi, vel aliis radere. Nam 1. ſervile hoc opus eſſe nullus eſt, qui ambigat, nec talis & tantæ neceſſitatis, quod vel anteverti, vel poſtponi non poſſit. 2. Id vetitum eſt plurium Pontificum & Synodorum ſtatutis; nam Joan. XXII. in Epiſt. ad Philippum II. Galliarum Regem data anno 1317. aperte indicit: „ Illud ſane, quod inoleviſſe in aliis partibus di- „ citur, ut videlicet in quandam divinam irre- „ verentiam. . . die Dominica radendis & tonden- „ dis barbis atque capitibus intendatur, te diſſi- „ mulare non decet, cum dies illa divino cultui „ ſpecialiter dedicata talibus profanari non de- „ beat “. Et Synodus Andegavenſis anni 1282. ſtatuit: „ Omnibus & ſingulis Rectoribus, & „ Capellanis in virtute obedientiæ præcipimus, „ &

„ & mandamus, quod ipſi Parochianis inhibeant „ ſub obteſtatione divini Judicii, & pœna excom„ municationis, ne ipſi diebus Dominicis barbam „ radant, vel alias barbitonſorium officium exer„ ceant “. Et S. Antoninus ſcribit: „ Barbiton„ ſores non in radendo, ſed in minuendo ſangui„ ne excuſantur “. Nihilominus hic locum habere puto regulam Gerſonii ſuperius relatam, ſcilicet: „ De operibus ſervilibus exercendis diebus „ Dominicis, & feſtivis plus, & frequenter de„ terminat conſuetudo loci, & perſonarum a „ Prælatis tolerata, quam alia lex ſcripta “. Quamobrem cenſeo hæc pro certo habenda: 1. ubi vel Synodalibus decretis, vel Epiſcoporum mandatis vetitum eſt barbam radere diebus feſtis, illicitum eſt & lethale peccatum huic miniſterio vacare: nec excuſari poſſunt conſuetudine, cum adverſus illam reclament Paſtores. 2. Id multo magis verum eſt, ſi forte alicubi pro ſtatuto artis habeant de non operando diebus feſtis, ut de Barbitonſoribus Romanis refert Concina. 3. Si vero alicubi invecta ſit conſuetudo, tacentibus, & non reclamantibus Præſulibus, ut in feſtivitatibus barbitonſores miniſterium ſuum exerceant ad commodum ruſticorum, artificum, operariorum, mercenariorum, qui diebus profeſtis nequeunt ſine gravi incommodo illos adire, a profanatione feſti excuſari poſſunt, dummodo tamen & Miſſæ interſint, & cætera pietatis officia non negligant. 4. Pari pacto excuſandi ſunt, ſi neceſſitate cogente ad ſui, familiæque ſuſtentationem, & ne clientes amittant, & lucri jacturam ſubeant, ſuam operam locant. 5. Ubi tolerantia Prælatorum conceditur his artificibus, ut laborare poſſint, caute ſe gerant ne ſcandalum pariant, & tolerantiæ limites dilatare non debent; quamobrem ſi a Prælatis vel Synodis ſtatutus ſit, ut certis ſolemnioribus diebus, vel certis ſtatutis horis non operentur, obtemperare debent, & ab exercitio artis ſuæ omnino ceſſare. Eapropter S. Carolus in ſuo III. Mediol. Conc. abſolute Tonſorum officium damnare opportunum non cenſuit; at ſtatuit, ut *illis Epiſcopi certas regulas præſcribant*. Peccant vero, qui nullo officio, vel munere in diebus profeſtis impediti diem feſtum expectant, in quibus ſibi barbam tonderi volunt, ut ornatiores & comptiores appareant, cum in cauſa ſint violationis feſtorum, & ſcandali & abuſus occaſionem pariant; qui vero ſe ipſos radunt, excuſari poſſunt cauſa parvitatis materiæ. Nullo tamen modo excuſandæ ſunt matronæ, & feminæ, quæ diebus feſtis per plures horas artifices, vel famulas detinent in mechanico opere, & laborioſo ſtudio pectendi, diſcriminandi, intorquendi, & comendi capillos, cum hujuſmodi ornatus omnino ſupervacaneus ſit, immo vanus, ad luxum tantum & pompam inductus, & quem reprobat Apoſtolus, dum concedit quidem feminis, ut ſe ornent, ſed *cum ſobrietate*, & *non intortis crinibus*. Quamobrem feſti profanatores habendi ſunt artifices, & famuli famulæque, qui hujuſmodi ornatui deſerviunt, & plures in eo perficiendo horas inſumunt, & niſi ceſſent, deneganda abſolutio. Pari pacto barbitonſores feſtum violant, qui fictitios capillos in diebus feſtis pectunt, diſcriminant, & componunt, cum hoc opus in profeſtis diebus reſervari poſſit, & debeat.

Conſectarium Sextum.

VI. Pingere, & materialiter ac mechanice tranſcribere, nec non characteres typographicos componere non licet diebus feſtis. Sunt qui inter picturam & picturam diſtinguunt, & *quando*, inquit P. Boranga de præcept. Eccl. §. 7. *pictura eſt magni ſtudii, & indiget perpetua inventione, intenſione, attentione, non pertinet ad opera ſervilia, proinde licite exerceri poteſt in die feſto; ſi vero ſit nullius ferme ſtudii ſine magna intenſione, & attentione, pro pretio, vel ad vendendum, referenda eſt ad opera ſervilia, & vetita ac illicita eſt die feſto*. Verum gratuita omnino mihi videtur hæc diſtinctio: agnoſco enim diſcrimen pictorem inter & pictorem, quippe quia unus alio peritior eſſe poteſt, immo & peritiſſimus, & ſingularis; ſicut & in aliis mechanicis artibus, ut in ſtatuariis, cælatoribus, acu pingentibus, horologiorum artificibus, ſimilibuſque, quorum alter altero longe excellentior eſſe poteſt, & tamen quis dicet, licere in die feſto in marmore ſculpere, in auro cælare, acu pingere, vel hujuſmodi artes non eſſe inter mechanicas recenſendas? Pictura itaque ſive a perito fiat, ſive ab imperito, opus ſemper mechanicum eſt, & ſervile. Hinc Concilium Meldenſe anni 845. can. 77. habet: *feriatos eſſe decernimus ab omni opere rurali, fabrili, carpentario, gynacæo*, & *pictorio*. Quamobrem non licet in die feſto ſive ex pretio, ſive recreationis, ſive addiſcendi gratia pingere. Ita docent plures Theologi Cajetanus, Suarezius, Henricus a S. Ignatio, Salmanticenſes, aliique. Licet vero conceſſum ſit diebus feſtis ſcribere, immo ex libris ad propriam doctrinam plura compilare, excerpere, colligere ad inſtructionem aliorum, vel conciones, vel tractatus exarare; cum enim hæc, tametſi exteriora opera, internis tamen mentis actibus deſerviant, inter ſervilia non ſunt recenſenda: attamen mechanice de libro in librum, & de pagella in chartam, ſtatuta mercede, tranſcribere opus cenſendum eſt ſervile, cum quandoque & ea tranſcribantur, quæ a ſcribente vel parum, vel omnino nihil intelliguntur, proinde in die feſto illicitum. Ita docent Dominicus Soto de juſt. & jure q. 4. ſcribens: „ Et quidem ſi ſcribere ad „ id dumtaxat reducatur, quod eſt cum abſenti„ bus loqui, ut ſcribere epiſtolas, aut orationes „ habendas ad populum, aut prælegendas lectio„ nes, liquet eſſe licitum. Si autem ad opus ſer„ vile vergat, ut ſtata mercede tranſcribere, aut „ alia ratione calamo mereri, id minime fas eſt “. Et Sylvius 2. 2. q. 122. art. 4. ſcribit: „ Quan„ tum vero ad tranſcriptionem, quæ fit ab iis, „ qui mercede ſunt conducti, Auctores variant. „ Et quidem quamvis opus quod de ſe non eſt „ ſervile, non ex eo tranſeat in ſervile quod fiat „ ob lucrum vel mercedem, non videtur tamen „ admittendum, quod nulla tranſcriptio ſit ali„ quid ſervile. Qui enim officium tranſcribendi „ exercent velut artem aliquam, merito videri „ poſſunt facere opus ſervile, non quia tranſcri-

„ bunt

„ bunt propter lucrum, ſed quia ſervorum videtur tale officium exercere, cum non ſint Domini, ſed Amanuenſes, & famuli, qui ad officium tranſcriptionis deputantur “. Idem docet & S. Antonin. p. 2. tit. 9. §. 5. „ Item pertinet ad opus ſervile prohibitum ſcribere pro pretio de quaterno in quaternum “. Huic doctrinæ ſuffragantur alii nobiliores Theologi, Cajetanus, Navarrus, Azorius, & Bellarminus. Eapropter nimis fidenter, meo videri, ſcribit P. Boranga loc. cit. „ Tranſcribere diebus feſtis lucri, ſeu mercedis gratia non eſt opus ſervile ..... Si quis autem vellet eſſe contentioſus, reſpondeo hunc laborem ex ſenſu omnium Doctorum, qui ſcripſerunt ſeculo præterito, ac noſtro, non æſtimari ſervilem “. Pari ratione non licet diebus feſtis lineas pro notis muſicis ducere, vel muſicales notas tranſcribere, niſi forte fieret ad Dei cultum eodem die per concentus muſicos reddendum, tunc enim proxime ad Dei cultum dirigeretur. Typographicos vero characteres componere & ordinare nimis laxe nonnulli benigniores Theologi licere putant, & ad liberalem artem revocant, cum nemo non videat opus eſſe omnino ſervile.

Conſectarium Septimum.

VII. Iter habere in die feſto vetitum non eſt, ſive quia opus ſervile non eſt, utpote commune ſervis & liberis, ſive quia ex conſuetudine invecta permiſſum ſit. Recte tamen monet S. Antoninus: *Abſtinendum ab itinere dietario niſi neceſſitas cogat, aut aliud pium opus inducat*. Et ſane labor pedeſtris itineris per integrum diem ſervile opus videtur. Servile certe opus eſt, equum ducere, currum, navigium mercibus onuſtum, ſicut & onera imponere, tollere, transferre. Eapropter non licet vectoribus iter die feſto inchoare, niſi neceſſitas excuſet, ex. g. qui per mare vel flumina iter peragunt, ſi faventem ventum habeant, quo carerent, ſi diſceſſum differrent, vel qui victualia ad urbem deferunt, & ſimilia, ut docet S. Antoninus ſcribens: *Ad opus ſervile ſpectat, cum quis aſinis, vel bobus defert blada, vel ligna, niſi neceſſitas urgeat*. Qui vero alias merces vehunt communi uſui non neceſſarias, nec iter arripere debent die feſto, vel ante ipſum inceptum abrumpere, & die feſto quieſcere. Quod ſi abſque gravi damno ſubſiſtere non valent, poterunt audita Miſſa iter proſequi, ut ſubdit idem S. Archipræſul. *Item vectores mercium, alimentorum, aut perſonarum ad loca remota, cum alias non poſſent niſi gravi incommodo vitam tranſigere, creduntur excuſari, ſi differre non poſſint*.

Conſectarium Octavum.

VIII. Piſcatio, aucupium, & venatio, quatenus a plebejis fiunt, ſunt opera ſervilia diebus feſtis vetita. Et quidem de piſcatione certum eſt, & declaravit Alex. III. cap. licet de feriis, qui eam tantum permittit, ingruente neceſſitate, ob quam excuſantur etiam piſcatores, qui toto quadrageſimali tempore in mari piſcantur, ut de eſurialibus cibis maritimas urbes provideant, ſine quibus nec ali poſſunt cives, nec quadrageſimalis abſtinentia cuſtodiri; cui accedit & tacitus conſenſus Prælatorum, qui hanc conſuetudinem bono publico neceſſariam tolerant. Venatio pariter, præſertim clamoroſa, etiam recreationis cauſa, vetita eſt diebus feſtis, tum quia plurium operam requirit, tum quia a divino cultu multum abſtrahit, & ſcandalo eſt populo rebus divinis intento, ut optime obſervat Cardinalis Toletus, quod de aucupio pariter dicendum eſt. Si vero piſcatio, venatio, vel aucupium fiant recreationis cauſa ſine labore & Miniſtrorum opera, per breve tempus, non omiſſis pietatis officiis, lethalis peccati damnare non auſim; circumſtantiæ tamen ſunt expendendæ, & juxta illas ferendum judicium.

Conſectarium Nonum.

IX. Conceſſum eſt Laniis, Pincernis, Œnopolis, aliiſque neceſſaria ad victum illius diei parare, & vendere, præſertim ſi vel antea parari non poterant, vel parata conſervari. Ita docet ſæpe laudatus S. Antoninus ſcribens: *Item carnifices* (ideſt lanii) *& pincernæ præparantes victualia in feſtis, ut ſequenti die vendant, ſi non poterint prius præparari, vel præparata conſervari, videntur excuſari a mortali*. Piſtoribus tamen panem coquere die feſto non licet, cum prævenire poſſint diem ſacrum, niſi forte plures occurrant feſti dies, pro quibus panem populo neceſſarium ante præparare non potuerint; ipſis enim conceditur ut minus ſolemni die neceſſarium panem componere, & coquere poſſint. Quod & dicendum de Molitoribus, ut optime docet S. Antoninus: *Item in molendinis ad aquam, vel ad ventum, quæ ſine magna opera hominis exercentur, poteſt ſervari conſuetudo patriæ, non prohibita a Prælatis. Secus de molendinis cum jumentis, & hoc niſi neceſſitas urgeat propter victualia neceſſaria, quia tunc liceret.*

Conſectarium Decimum.

X. Inter opera ſervilia quæ ad Dei cultum pertinent, alia ſunt quæ proxime ipſum Dei cultum reſpiciunt, ut Altaria ornare, cereos diſponere, campanas pulſare, & ſimilia; alia quæ remote tantum inſerviunt, ut aulæis templum ornare, tabulata pro Muſicis & Cantoribus conſtruere, hoſtias conficere, & ſimilia, quibus adjungenda & illa, quæ remotius adhuc ad Dei cultum pertinent, ut parietes Eccleſiæ ſarcire, vel dealbare, ligna ad ejus conſtructionem deferre, agros Eccleſiæ colere. Primi generis opera omnino licita ſunt diebus feſtis, ut docet S. Th. hic q. 122. a. 4. & confirmat Catechiſmus Concilii Trid. p. 3. de 3. præcep. Decal. n. 22. docens: *Neque tamen eæ actiones, vel opera vetantur, quæ ad divinum cultum attinent, etiamſi ſervilia ſunt, ut Altare inſtruere, templa alicujus feſti diei cauſa ornare, & reliqua hujus generis*. De Operibus vero

vero ſecundi generis optime ſcribit Cajetanus 2. 2. q. 122. a. 5. *Quædam vero ſunt præparatoria, quæ poſſunt præcedenti die fieri, ut ornare Templum, mundare illud, conficere hoſtias pro Miſſis celebrandis, & hæc ſine rationabili cauſa non debent in die feſto fieri .... ſed debent congruo tempore, hoc eſt ante feſtum fieri, & non in die feſto*; non puto tamen lethalis peccati reos habendos, qui iſta etiam eo die præſtarent. Tertii vero generis opera, cum remote nimis ad Dei cultum pertineant, conceſſa non ſunt in diebus feſtis, ac proinde qui ea adhiberent, a violatione feſti non forent excuſandi, niſi forte neceſſitatis gratia excuſentur, ſicut de aliis operibus ſervilibus dictum eſt, & inferius dicemus. Hinc non licet Monialibus cereas Sanctorum imagines fingere, neque Roſaria, Scapularia, Cordulas conficere, cum hæc non niſi remote divinum cultum promoveant, ſicut qui mappas, corporalia, pallas ablueret: ſerta tamen ex floribus recentibus conficere concederem in die feſto, cum ſi hoc opus præveniatur, flores facile marceſcant & corrumpantur.

Conſectarium Undecimum.

XI. Titulo neceſſitatis conceduntur quædam opera ſervilia in die feſto, ut docet S. Antoninus ſcribens: „ Pro conſervando perſonas, vel res „ ſuas, puta faciendo foveas, vel machinas, vel „ hujuſmodi, vel portando res ad loca ſecura im„ minente bello, vel portando neceſſaria ad de„ fenſionem. Item ſi jacentibus ſegetibus in a„ gro, vel fœnis in prato, vel uvis in vineis, „ immineat tempeſtas, vel aliud periculum amiſ„ ſionis aliarum rerum, licet talia colligere. I„ dem de alia re, quæ deſtruitur ſi in die feſto „ circa eam manualiter non operetur, ut exten„ ſio lanæ (*vel lineorum jam ante ablutorum*) „ ad radios Solis cum hyeme appareat, vel pro„ ſecutio ſuccenſionis fornacis ad lateres coquen„ dos, vel ad vitrea vaſa conflanda. Item qui „ compelluntur a Dominis juſto metu ad labo„ randum in diebus feſtivis in agris ſuis, vel „ ad deferendum ligna, vel lapides, quæ ſi non „ facerent, notabiliter damnificarentur in perſo„ na, vel rebus, videntur excuſari propter neceſ„ ſitatem. Melius tamen facerent non obedire, „ quando opus illud non eſt neceſſarium “. Immo ſi frequentius ad hoc cogantur, tenentur ab illis dominis recedere, ut optime docet Suarezius. Hujus neceſſitatis titulo excuſandos putarem famulos, & ancillas, quæ in diebus ferialibus pro dominis ſuis operari debent, ſi in die feſto ſuas veſtes ſarciant, vel aliquid operis ſibi neceſſarii efficiant, præſertim ſi nonniſi tenui mereant ſtipendio. Item titulo neceſſitatis excuſantur Sartores, qui funereas veſtes ipſo die neceſſarias, vel militum eo die profecturorum abſolvunt; ſimiliter ſutores, qui in diebus feſtis calceos vendunt, præcipue ruſticis & agricolis, qui non niſi in die feſto urbem petunt. Immo hanc generalem regulam ſtatuit S. Antoninus: „ Qui „ in feſtis exercent artem ſuam principaliter pro„ pter neceſſitatem eorum, quibus ſerviunt, non „ propter cupiditatem lucri, excuſantur, & ſi„ militer qui eos requirunt de arte ſua, ſi alias „ non poterant ſibi commode providere, excuſan„ tur “. Abſit tamen, ut titulo neceſſitatis excuſetur opus ſervile in die feſto ob magnum lucrum ex eo proveniens, ut nonnulli docent benigniores Theologi Diana, Tamburinus, Sporerius, aliique, quippe quia, inquiunt, *qui tale lucrum amittit, grave damnum patitur*; nam damnum pati ille dicitur, qui bona, & res in quas jus habet, vel poſſidet, amittit: non vero qui non lucratur id, ad quod non jus, ſed meram aptitudinem obtinet, & habilitatem: quod confirmat & D. Thom. qui cauſam acquirendi lucrum, docet, non excuſare a jejunio in IV. Sent. diſt. 15. q. 3. a. 4. ad 3. ſcribens: *Ex quo patet, quod intentio majoris lucri non neceſſarii a peccato non excuſat, ſi jejunium frangant*, multo minus igitu- excuſabit a ſanctificatione feſti. Nec obſtat diſr penſatio conceſſa in cap. *de feriis*, ut liceat piſcatoribus, *ſi Haleciæ terræ ſeſe inclinaverint, neceſſitate ingruente eorum captioni intendere*, hoc enim non tam ad evitandum damnum, quod paterentur piſcatores, ſi eo privarentur lucro, quam ad publicam utilitatem, & commune bonum, quod ex tali piſcatione redundat, conceditur.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Pietas etiam & miſericordia, nec non publicum bonum opera ſervilia licita reddunt in die feſto. Et quidem de priori titulo ita docet S. Antoninus: „ In diebus feſtis, non tamen Domini„ cis, vel ſolemnioribus, licitum videtur labo„ rare pro pauperibus cum his conditionibus ad„ junctis 1. ut non dimittantur divina, ideſt au„ ditio Miſſæ. 2. Quod fiat eleemoſynaliter, non „ propter lucrum. 3. Quod illi, pro quibus la„ boratur, indigeant “. Hinc pium ſartorem, vel ſutorem violati feſti reum non haberem, ſi pauperis alicujus familiæ, vel egeni hominis veſtes vel diſſutas fueret, vel calceos reficeret, vel aliud illis neceſſarium opus impenderet, licet manuale opus præſtaret. De poſteriori vero titulo docet S. Thom. 2. 2. q. 40. a. 4. „ Obſervatio „ feſtorum non impedit ea quæ ordinantur ad ho„ minis ſalutem etiam corporalem. Unde Domi„ nus arguit Judæos, dicens Joan. 7. 33. *Mihi* „ *indignamini, quia totum hominem ſanum feci in* „ *ſabbato?* Et inde eſt quod Medici licite poſ„ ſunt medicari homines in die feſto. Multo au„ tem magis eſt conſervanda ſalus reipublicæ, „ per quam impediuntur occiſiones plurimorum, „ & innumera mala & temporalia, & ſpiritualia, „ quam ſalus corporalis unius hominis. Et ideo „ pro tuitione reipublicæ fidelium, licitum eſt „ juſta bella exercere in diebus feſtis; ſi tamen „ hoc neceſſitas expoſcat: hoc enim eſſet tenta„ re Deum, ſi quis imminente tali neceſſitate „ vellet a bello abſtinere. Sed neceſſitate ceſ„ ſante, non eſt licitum bellare in diebus feſtis „ propter rationes inductas “. Militares vero exercitationes ad tyrones in militia erudiendos non licet habere in die feſto, cum opera ſint prorſus ſervilia, niſi ingruentis belli neceſſitas excuſet.

Con-

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Mercatus & Nundinas in die feſto vetant Eccleſiæ Canones, ut ſuperius diximus; quamobrem optandum eſſet, ut in toto chriſtiano Orbe ea induceretur diſciplina, quam pro ſuo Dominio ſapientiſſime ſtatuit Benedictus XIV. in ſua Conſtit. *Ab eo tempore* Bull. T. I. n. 144. in qua mercatus a nundinis diſtinguens, illos in diebus feſtis omnino vetuit, & transferendos indixit ad dies profeſtos, has vero tolerandas cenſuit, ita tamen ut eo die apothecæ claudantur, nec contractus fiant matutinis & veſpertinis horis, quibus divina officia in Eccleſia celebrantur. Interim nundinas & mercatus, qui diuturna conſuetudine & tacita Præſulum conſenſione inducti ſunt & firmati, a culpa immunes dicunt communiter Doctores, qui tamen admonent Epiſcopos, & animarum Paſtores, ut attente vigilent, ne novi introducantur. Tenentur tamen omnes eo die Miſſam audire, & pietatis operibus vacare. Extra nundinas & mercatus vero non licet Mercatoribus in diebus feſtis nec emptiones, nec venditiones, vel permutationes ſuarum mercium celebrare, cum hæc omnia ſub mercatus nomine interdicta cenſeantur; ſicut & illi feſta violant, qui ea inſumunt ad exigenda a debitoribus, quæ ſibi debentur, ne die feriali impediantur a lucro, cum hoc quoque pars ſit negotiationis. Hinc S. Carolus Borromæus in 3. Concil. Mediol. ſtatuit, *nec contractus ulli, cujuſcumque generis ſint, neque ullæ rerum exactiones fiant, niſi cum jure nominatim permiſſum eſt.* Solum neceſſitatis gratia excuſari poſſunt qui villas, & oppida hac de cauſa petunt, quia cum ruſtici, & agricolæ in profeſtis diebus laboribus, & ſuis operibus extra domum occupentur, difficile quod ſuum eſt exigerent Mercatores, niſi illis diebus eos adirent: non omittant tamen quæ ad feſti ſanctificationem ſunt opportuna; nec neceſſitatem ſibi fingant, ubi nulla revera ſit neceſſitas, ſed ſolum non amittendi lucri in die feriali terrena ſollicitudo. Nec vetitum eſt rationes inire, & ſubducere, dummodo tamen fiat ſine menſuratione, libratione, numeratione mercium quæ extant. Cavendum tamen, ne ita in his animus abſtrahatur, ut Deo vacare impediatur congruis horis.

Conſectarium Quartumdecimum.

XIV. Placiti nomine vetitum non eſt cauſarum Patronos conſulere, nec iſtis ſua conſilia ſcriptis dare, vel pro lite tractanda ſummarium conſtruere, vel litigantium jura ſcribere. Teſtes tamen examinare (præſtito juramento etiam die antecedenti) licitum non eſt, niſi forte ſit pro ſpirituali aliqua cauſa, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 10. ſcribens: „ Pro aliqua neceſſitate, vel magna utilitate licitum eſt eis jurare, & præcipue „ pro ſpiritualibus negotiis; pro quibus etiam juramenta competit præſtare in ſolemnibus diebus, quibus eſt ſpiritualibus rebus vacandum. „ Non autem tunc ſunt juramenta præſtanda pro „ rebus temporalibus, niſi forte ex magna neceſſitate “. Juramentum tamen extra judicium dare non eſt illicitum, cum debito modo præſtitum non a Dei cultu mentem avocet, ſed immo ad ejus cultum cedat. Appellationem vero in die feſto licitam arbitrantur, & validam nobiliores Theologi, cum cuique licita ſit ſui defenſio, ſtandum tamen eſt conſuetudini & legibus. Sententias vero ferre etiam ſpirituales excommunicationis, interdicti, ſuſpenſionis, immo & reos abſolvere vetitum putat capite *Conqueſtus* Auctor Theoriæ & Praxis de Sacramentis Tom. 4. cap. 4. §. 3. quæſt. 16. at probabilius alii cenſent, non comprehendi in eo canone, cum ſint actus ſpirituales ad ſalutem animæ ordinati, & pœnæ ſolum medicinales. Et certe ab excommunicatione, vel alia cenſura abſolvere vetitum non eſſe pro certo habeo. Immo ipſum forenſe judicium neceſſitatis & pietatis cauſa conceditur etiam diebus feſtis. Nomine neceſſitatis licet judicium inſtituere, ſi res de qua agitur ſit peritura, ſi periculum ſit fugæ debitoris, ſi teſtes alio die haberi non poſſint. Hinc non ſtatim damnanda conſuetudo invecta, ut in diebus feſtis in Pagis & Oppidis judicia inſtituantur, quia ruſtici aliis diebus ſine gravi incommodo & damno Urbes adire, Tribunalibus ſe ſiſtere non valent. Titulo vero pietatis judicia poſſunt inſtitui pro divino cultu vel promovendo, vel non impediendo, pro cauſis pauperum, & in vinculis detentorum, pro concedendis tutoribus, & curatoribus, pro parentibus & patria, aliiſque relatis in Gloſſa cap. *Conqueſtus*.

Conſectarium Quintumdecimum.

XV. Brevitas etiam temporis in ſervilibus operibus inſumpti a lethali peccato excuſat. Verum quanta ſit brevitas temporis, quæ a gravi violatione excuſet, non ita facile eſt definire; ſunt enim quidam limites, inter quos ſiſtere certe non niſi veniale eſt, ut paucis minutis, vel per quadrantem horæ ſervili opere incumbere, & e contra per quatuor vel quinque horas operari certe gravem culpam eſſe nemo inficiabitur; & tamquam laxam quiſque ſententiam rejiciet Paſqualigi docentis, licet dubitanter, tertiam partem diei feſti vacare ſervilibus operibus non eſſe niſi veniale peccatum, dummodo ſolum illud temporis ſpatium ſpectetur, quod in manuali opere ſolet inſumi: quis enim non videat, trium, vel quatuor horarum tempus partem eſſe notabilem, & gravem? Immo Natalis Alexander aperte docet, lethalis peccati reos eſſe dominos, qui famulis opera ſervilia imponunt diebus feſtis, vel per horam, abſque gravi neceſſitate, ſive ſervi illi ſint chriſtiani, ſive infideles, ſive mentis compotes, ſive amentes, & tamquam improbabilem aſſerit ſententiam docentem, ſingulis feſtis per duas horas operari non eſſe mortale peccatum, quamvis animo fixum teneas id toto anno efficere velle, & de facto efficias: & revera laborem duarum horarum ſufficere ad lethale peccatum docent etiam Vigandt, & Concina. De labore autem unius horæ dubitat Suarezius, & aperte a lethali culpa excuſant plures benigniores Theologi. Verum cum res ſit admodum dubia, tutior pars eſt am-

ampleꝺenda, & Natalis Alexandri doctrinæ adhærendum; præſertim ſi qui per horam operatur, non niſi lucrum intendat, eoque ad operandum moveatur. Nullo vero modo a lethali peccato excuſantur, qui pluribus famulis laborem, & operam unius vel duarum horarum præcipiunt: licet enim quilibet fortaſſis non niſi leviter peccet; qui tamen mandat, ſuo præcepto vult omnium laborem, illudque intendit, unde labor diſpertitus in plures, totus colligitur in præcepto; vult igitur laborem & opus ſex vel duodecim horarum juxta numerum ſervorum, vel ſimul, vel ſucceſſive laborantium; infert igitur gravem tempori ſacro injuriam, ac proinde graviter peccat. Unde merito hanc propoſitionem tanquam falſam, & laxam reprobandam rejicit Natalis Alexander, „ Dominus injungens laborem „ duarum horarum viginti famulis ſimul, non „ peccat mortaliter, idemque erit, ſi ſinguli ſucceſſive per modicam horam eodem die laborent, etiamſi uno poſt alterum laborante tota „ dies occupetur “: & jure merito, quia ut ſubdit, „ præceptum de ſanctificatione feſtorum ab- „ ſurdis cavillationibus infringitur “. Et ita communiter docent nobiliores Theologi.

Conſectarium Sextumdecimum.

XVI. Diſpenſatio etiam operantes ſerviliter in die feſto a peccato excuſat, nam ut docet S. Thom. „ Prohibitio operandi non eſt ita arcta in „ die Dominico, ſicut in die ſabbati ... & ideo „ in quibuſdam operibus facilius propter neceſſi- „ tatem diſpenſatur in nova, quam in veteri le- „ ge “. Porro de cauſis juſtæ diſpenſationis abunde diximus in Tract. de Leg. Diſſert. 4. cap. 9. & 10. Hic itaque ſolum addimus, facultatem diſpenſandi in tota Eccleſia ab operibus ſervilibus ad Pontificem ſummum pertinere, in qualibet autem Diœceſi ad Epiſcopum, qui hanc diſpenſationem largiri poteſt non ſolum in feſtis a ſe, vel in ſua Synodo ſtatutis, ſed etiam in aliis toti Eccleſiæ communibus; & etiam aliquo modo ad Parochos, qui ſcilicet non niſi cum urget neceſſitas, & in aliquo particulari caſu, cum facilis non eſt ad Epiſcopum acceſſus, & ad limitatum tempus diſpenſationem concedere valent. Hinc ſi dubium ſit, num adſit juſta neceſſitas operandi in die feſto, ad Superiorem recurrendum eſt, ut ipſe de neceſſitate judicans licentiam impertiatur. Item diſpenſatio eſt petenda, ſi opus ſit publicum, & a pluribus præſtandum. At ſi vera urgeat neceſſitas, & opus ſecreto peragatur, non eſt neceſſe, ut diſpenſatio petatur, cum hæc jam conceſſa ſit, ut ſtatuit Concilium Lingonienſe, cui & cæteræ conſentiunt Synodi. „ In feſtis licite poſſunt fieri ea quæ pertinent ad provi- „ ſionem neceſſariorum vitæ ... vel ad vitandum „ periculum mortis, vel corporalis læſionis, vel „ adverſus periculum magnum, vel damnum re- „ rum occurrens .... dum tamen talia fiunt, quod „ non poteſt alio modo ſuccurri vitæ, ſanitati, „ vel aliis periculis imminentibus, propter præ- „ miſſa non omittatur Miſſa, vel divinum Offi- „ cium, quantum fieri poteſt, & non fiant præ- „ dicta principaliter propter cupiditatem, ſed pro „ ſubveniendo neceſſitati occurrenti “.

REFLEXIO.

I. Omne tempus (ajebat Chryſoſtomus hom. 15. in Epiſt. ad Corin.) „ eſt tempus diei feſti „ Chriſtianis, quippe quia ſemper & a peccato „ feriari, & in Dei cultu detineri, & per omnia „ bona opera dilatari oporteret “. Verum merito pleriſque fidelibus exprobrari poteſt, quod de Judæis ajebat Auguſtinus enarr. in Pſal. 81. „ Ecce & hodiernus dies ſabbati eſt, hunc in præ- „ ſenti tempore otio quodam corporaliter langui- „ do, & fluxo, & luxurioſo celebrant Judæi. „ Vacant enim ad nugas, & cum Deus præcepe- „ rit ſabbatum illis, in his quæ Deus prohibet, „ exercent ſabbatum. Vacatio noſtra a malis o- „ peribus, vacatio illorum a bonis operibus eſt. „ Illi ab opere bono vacant, ab opere nugatorio „ non vacant “.

II. Revera ſi una ex parte quid in die feſto fidelibus agendum doceant Patres, inſpiciamus, quid vero re ipſa præſtent, intueamur, videbimus a bonis operibus vacationem judaicam, & in operibus nugatoriis ſtudium, ſollicitudinem, aſſiduitatem. „ De- „ bet (ſcribit S. Antoninus P. 2. tit. 9. c. 7. §. „ 4.) die feſto inſiſti operibus ſpiritualibus ora- „ tionis, meditationis, auditionis divinorum, le- „ ctionis, & eleemoſynæ, & hujuſmodi .... Et „ inter cætera debent homines vacare compunctio- „ ni, & contrictioni peccatorum ſuorum, recogi- „ tantes, quæ egerunt aliis diebus, in quibus „ fuerunt occupati .... Item auditioni Miſſæ, „ & divinorum officiorum, & prædicationum ... „ Item admonitioni & correctioni proximorum, „ & præſertim familiæ ſuæ .... Item inſiſtere de- „ bent magnis eleemoſynis. In cujus figura le- „ gitur in Levitico, quod duo agni offerebantur „ die ſabbati, aliis diebus unus tantum ... Sed „ quis eſt qui ita celebret feſta vacando divinis, „ & laudabimus eum, cum invenerimus “? Ita quidem ſanctiſſimus Præſul de operibus officiiſque a Chriſtifidelibus ex divino præcepto implendis.

III. Quid vero reipſa operentur fideles, & quomodo dies feſtos profanent, ex ipſo audiamus, qui loc. laud. ſubdit. „ Nonne tota occu- „ patio hominum in feſtis eſt circa corpus? Mu- „ lieres vacant (vacatione judaica) & non pa- „ rum temporis expendunt in ſe ornando ad ca- „ piendas animas, famuli & famulæ ad parandos „ cibos accuratius ſolito: mercatores ad faciendos „ ſuos computos & ratiocinia, ad ſcribendum li- „ bros & litteras: inferioris conditionis homi- „ nes ad audiendum de Palatinis, vel ſpectacu- „ la vana, nulla cura filiorum, & familiæ, ſed „ omnes liberi dimittuntur ad faciendum mala, „ & quod multo labore per hebdomadam lu- „ crati ſunt, in tabernis & ludis, non in elee- „ moſynis expendunt. O abuſio perverſa homi- „ num, & jactura temporis irrecuperabilis, & „ negotium gratiſſimum Dæmonibus! Apte de his „ dixit Hieremias Thren. 1. *Viderunt eam hoſtes*, „ ideſt Dæmones inimici peſſimi animæ ſeu Ec-

„ cleſiæ, & *deriſerunt Sabatha ejus*, ideſt feſta, „ quia ſcilicet non Deo, ſed ſibi vacant, „ ventri & Dæmoni .... O miſeranda cæcitas „ Chriſtianorum, quia plura peccata faciunt & „ graviora in diebus feſtivis! Aliis diebus labo- „ rant, ut poſſint vivere: diebus feſtis, quando „ debent laborare pro anima, & Deo vacare, „ implicant ſe in multis vitiis “.

IV. Quis igitur putabit, ita ſe gerentes non feſtorum eſſe profanatores, ſed veneratores, non cultum ſubtrahere Deo, ſed quantum ſatis eſt ad præceptum implendum, rite perſolvere? „ Quæro a vobis (reflexionem claudam verbis „ piiſſimi Cardinalis Bellarmini Conc. 6. in Dom. „ 3. Adv.) ſi videremus aliquem incredibili au- „ dacia veſtibus ſacris uti pro veſtibus profanis, „ Templo pro Taberna, Altari pro Menſa, quis „ noſtrum non horreret? Quis non exclamaret? „ Et nunc videmus dies feſtos ſolemniſſimos, ſa- „ cratiſſimos, Deo dicatos, ſacrilegis choreis, „ ſaltationibus, conviviis, ebrietatibus, impudi- „ citiis, ſcurrilitatibus profanari, & nemo mo- „ vetur, nemo miratur? Deus immortalis! Quæ „ conventio Chriſti ad Belial? Quæ eſt hæc inſania? „ Quæ furiæ infernales nos exagitant “? Hæc meditentur Miniſtri Domini, & hoſce profanatores non excuſent, ſed a Tribunali, & ab Altari removeant, donec reſipiſcant.

TRACTATUS V.

DE DECALOGI PRÆCEPTIS

PARS QUARTA

DE QUARTO DECALOGI PRÆCEPTO

Honora Patrem tuum & Matrem tuam.

DISSERTATIO UNICA

DE HONORATIONE PARENTUM.

CUM, *ut optime animadvertit D. Thom. q.* 122. *art.* 5. præcepta Decalogi ordinentur ad dilectionem Dei & proximi; inter proximos autem maxime obligamur parentibus; ideo immediate poſt præcepta ordinantia nos in Deum, ponitur præceptum ordinans nos ad Parentes, qui ſunt peculiare principium noſtri eſſe, ſicut Deus eſt univerſale principium; & ſic eſt quædam affinitas hujus præcepti ad præceptum primæ Tabulæ. *Hoc igitur præceptum, quod primum eſt ſecundæ Tabulæ, ſumimus explicandum, quod unica hac præſtabimus Diſſertatione, quam in plura capita claritatis gratia de more partiemur.*

CAPUT PRIMUM.

Explicatur hocce Præceptum.

DOCTRINA.

I. *Honoris nomine in* 4. *præcepto Decalogi quid deſignetur.*
II. *Quænam officia præcipiantur filiis erga parentes.*
III. *Illa præſtare ad pietatem pertinet.*
IV. *Quinam parentum nomine deſignentur.*
V. *Parentum officia erga filios indicantur.*

I. TAmetſi in ſuo præcepto Deus nonniſi de honore parentibus exhibendo mentionem fecerit, jubens: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram*: plura tamen filiorum officia erga parentes complexus eſt, quæ ideo honoris nomine deſignavit, quia, ut ſcite obſervat Catechiſmus Concilii Trident. de 4. præc. n. 7. „ In Lege poſita eſt honoris vox, non „ amoris, aut metus, etiamſi valde amandi, ac „ metuendi parentes ſint. Etenim qui amat, „ non ſemper obſervat, & veneratur; qui me„ tuit, non ſemper diligit: quem vero aliquis ex „ animo honorat, item amat, & veretur “.

II. Porro hæc omnia officia ad quatuor reducuntur, nimirum ut debeant Filii parentibus amorem, venerationem, obedientiam, ſubventionem. Et quidem amore proſequi tenentur filii parentes, ſubdit Catechiſmus, *cum erga nos ſint ita affecti, ut nullum laborem, nullam contentionem, nulla pericula noſtri cauſa refugiant; nihilque illis accidere poſſit jucundius, quam ut filiis caros ſe eſſe ſentiant, quos maxime diligunt.* Quod confirmat exemplo Joſephi, qui cum in Ægypto honore & amplitudine Regi eſſet proximus, patri tamen ad ſe venienti *juncto curru ſuo aſcendit obviam, videnſque eum irruit ſuper collum ejus, & inter amplexus flevit.* Reverentia debetur, quia ut inquit S. Thom. 2. 2. q. 101. a. 2. *Cum pater ſit ſuperior, quaſi principium filii exiſtens, debetur ei a filio reverentia, & obſequium.* Hujus reverentiæ & cultus exemplum exhibet Catechiſmus Romanus in Salomone, qui *matri advenienti aſſurrexit, eamque veneratus, regio in ſolio ad dexteram collocavit.* Tertio debetur obedientia parentibus, dicente Apoſtolo ad Coloſ. 3. *Filii obedite parentibus per omnia.* Denique debent filii parentibus ſubventionem & ſuſtentationem, *non quidem*, ut docet S. Thom. l. l. *per ſe, ſed per accidens, quatenus aliquid debeatur patri, quod decet eum accipere ſecundum aliquid quod ei accidit; puta ſi ſit infirmus, quod viſitetur, & ejus curationi intendatur; ſi ſit pauper, quod ſuſtentetur.*

III. Hæc officia præſtare proprie non ad obſervantiam pertinet, ſed ad pietatem. Ita docet S. Thom. laud. quæſt. a. 1. ſcribens: „ Homo efficitur diverſimode aliis debitor, ſecundum eorum „ diverſam excellentiam, & diverſa beneficia ab

„ eis ſuſcepta . In utroque autem Deus ſummum „ obtinet locum, qui & excellentiſſimus eſt, & „ eſt nobis eſſendi, & gubernationis primum principium: ſecundario vero noſtri eſſe, & gubernationis principia ſunt parentes, & patria, a quibus, & in qua nati, & nutriti ſumus. Et ideo „ poſt Deum eſt homo maxime debitor parentibus, „ & patriæ. Unde ſicut ad religionem pertinet cultum Deo exhibere; ita ſecundario gradu ad pietatem pertinet exhibere cultum parentibus, & „ patriæ. In cultu autem parentum includitur cultus omnium conſanguineorum: quia etiam conſanguinei ex hoc dicuntur, quod ex eiſdem parentibus proceſſerunt... In cultu autem patriæ „ intelligitur cultus omnium civium, & omnium „ patriæ amicorum. Et ideo ad hos pietas principaliter ſe extendit". Quod & confirmat art. 3. oſtendens pietatem eſſe ſpecialem virtutem, ſcribens: " Aliqua virtus ſpecialis eſt ex hoc, „ quod reſpicit aliquod objectum ſecundum aliquam ſpecialem rationem. Cum autem ad rationem juſtitiæ pertineat quod debitum alii reddat, ubi invenitur ſpecialis ratio debiti alicui „ perſonæ, ibi eſt ſpecialis virtus. Debetur autem „ aliquid alicui ſpecialiter, quia eſt connaturale „ principium producens in eſſe, & gubernans: „ Hoc autem principium reſpicit pietas, inquantum parentibus, & patriæ, & his qui ad „ hæc ordinantur, officium, & cultum impendit".

IV. Nomine vero parentum non ſolos deſignari carnales genitores, ſed & eos qui nobis aliquo modo præſunt, & nos regunt, quique etiam patris nomine in Scripturis donantur, docet Catechiſmus Rom., & ratione confirmat S. Thom. hic q. 102. ſcribens: „ Sicut carnalis pater particulariter participat rationem principii, quæ univerſaliter invenitur in Deo; ita etiam perſona, quæ quantum ad aliquid providentiam circa nos gerit, particulariter participat proprietatem patris: quia pater eſt principium & generationis, & educationis, & diſciplinæ, & omnium quæ ad perfectionem humanæ vitæ pertinent; perſona autem in dignitate conſtituta, „ eſt ſicut principium gubernationis reſpectu aliquarum rerum; ſicut Princeps civitatis in rebus civilibus, dux autem exercitus in rebus bellicis, magiſter autem in diſciplinis; & ſimile „ eſt in aliis. Et inde eſt quod omnes tales perſonæ *patres* appellantur, propter ſimilitudinem „ curæ". Hujuſmodi autem ſunt, ut in laudato Catechiſmo enumerantur, 1. Præſules & Paſtores Eccleſiæ, & Sacerdotes, qui ſpirituales Patres merito ab Apoſtolo ad Corinth. 1. c. 4. appellantur. 2. Supremi Principes, & Magiſtratus, nec non ſervorum Domini, qui aliorum curam vel publicam, vel privatam gerunt. 3. Tutores, Curatores, & Magiſtri, qui locum patris obtinent, ejuſque vices tenent, & eorum ſtudio & officiis juvamur. 4. Denique ſenes, quos veneranda canities cum morum ſpectata probitate conjuncta eos honoris dignos reddit. Horum tamen cultus & obſequia non a pietate reguntur, ut optime docet S. Th., ſed vel ab obſervantia, vel ab obedientiæ virtute.

V. Sicut vero in hoc præcepto ſancitum eſt, ut filii, & ceteri ſubjecti parentibus & ſuperioribus honorem habeant, pareant, obſequentur; ita iſti officia ſua erga filios ac ſubditos explere debent, & munia. Parentes porro filiis alimenta præſtare debent, educationem, & curam, ſicut & alii Superiores, qui patris nomen participant, ea debent implere munia, quæ ſubditos ſpectant. Proinde & de officiis parentum erga filios agemus, ſicut & de Dominorum officiis erga ſervos, & fratrum erga ſorores, & uxorum erga maritos, multa in calce diſputationis addemus.

CAPUT SECUNDUM.

De honore & obedientia filiorum erga parentes.

DOCTRINA.

I. *Amorem parentibus rependere debent filii.*
II. *Nec non cultum & reverentiam;*
III. *Et obedientiam ac ſubjectionem.*
IV. *Obedire debent in his quæ familiæ regimen ſpectant.*
V. *Et vitæ diſciplinam reſpiciunt.*
VI. *Quomodo filiæ Matribus obtemperare debeant.*
VII. *Non tenentur filii obedire, ſi quæ mala ſunt, imperentur a parentibus.*
VIII. *Liberi ſunt filii in ſtatus electione.*
IX. *Peccant tamen, ſi inconſultis parentibus matrimonium celebrent.*
X. *Objecta ſolvuntur.*
XI. *Si parentibus matrimonium proponentibus non obtemperent, aliquando peccant.*

I. CUm a parentibus filii vitam, qua fruuntur, obtinuerint, illis amorem ex gratitudine rependere debent. Primum itaque officium eſt dilectionis & amoris; unde divino & naturali præcepto tenentur filii ſuos parentes ſincero corde diligere, & actibus etiam exterioribus hunc amorem patefacere, cum merito damnatæ ſint hæ propoſitiones ab Innoc. XI. aſſerentes: *Non teneri proximum diligere actu interno & formali; & præcepto diligendi proximum ſatisfieri poſſe per ſolos actus externos.* Tenentur itaque filii parentibus bonum velle, & optare tum ſpirituale, tum corporale, & orationibus a Deo impetrare illis, *ut eiſdem bene* (verba ſunt Catechiſmi Romani) *& feliciter omnia eveniant, ut in maxima gratia ſint apud Deum, & homines, & Deo, ac Sanctis commendatiſſimi ſint.* Prohibetur vero omne odium, abominatio, & deteſtatio, cum hæc caritati opponantur & pietati; & ſi vetita ſunt erga proximos, longe turpius eſt iſtos pravos animi affectus in patrem concipere. Nec ab hoc amore eximuntur filii, licet parentes pravi ſint, & perverſis moribus fœdati, cum cauſa amoris radicem habeat in præcepto tum naturali, tum divino, quod nullum diſcrimen ponit inter parentes pios, & malos, ſed omnes etiam dyſcolos honorandos mandat,

dat, & diligendos, tum in ipſa grati animi virtute, quæ vitæ beneficium acceptum amore rependendum ſtatuit. Vitia itaque parentum odiſſe poſſunt, parentes autem odiſſe omnino non poſſunt. Tenentur etiam ex hoc amoris præcepto eorum ſpiritualem ſalutem, quantum poſſunt, procurare, vel inſtruendo, ſi ignorantia peccent, vel reverenter monendo, ut reſipiſcant.

II. Nomine honoris ſecundo loco deſignatur cultus & reverentia a filiis parentibus exhibenda, & jure merito ob dignitatem quam habent, utpote Dei primi omnium parentis vicem gerentes. Audiatur D. Th. hoc officium confirmans hic q. 101. a. 1. „ Dicendum, quod homo efficitur diverſimode aliis debitor, ſecundum eorum „ diverſam excellentiam, & diverſa beneficia ab eis „ ſuſcepta. In utroque autem Deus ſummum obtinet locum, qui & excellentiſſimus eſt, & eſt „ nobis eſſendi, & gubernationis primum principium: ſecundario vero noſtri eſſe, & gubernationis principia ſunt parentes, & patria, a quibus, & in qua nati, & nutriti ſumus. Et ideo „ poſt Deum eſt homo maxime debitor parentibus & patriæ. Unde ſicut ad religionem pertinet cultum Deo exhibere, ita ſecundario gradu ad pietatem pertinet exhibere cultum parentibus, & patriæ. Hinc tenentur filii hanc reverentiam & in animo habere, & exterioribus etiam ſignificationibus patefacere. In animo quidem, quia licet parentes ignobiles ſint, infimæque ſortis, ſemper tamen reſpectu filii habent dignitatem principii, ut obſervat S. Th. q. 102. a. 2. „ Omne „ movens habet excellentiam quamdam, & virtutem ſupra id quod movetur. Unde oportet „ quod in eo qui eſt in dignitate conſtitutus, primo conſideretur excellentia ſtatus cum quadam „ poteſtate in ſubditos, ſecundo ipſum gubernationis officium. Ratione igitur excellentiæ debetur ei honor, qui eſt quædam recognitio excellentiæ ejus „. Exterius etiam debent hanc reverentiam Geniti oſtendere. Nam ut ſubdit S. Th. q. 103. a. 1. „ Honor teſtificationem quamdam importat de excellentia alicujus ... Sed aliquis non „ poteſt teſtimonium ferre, niſi per aliqua ſigna „ exteriora, vel verborum, puta cum aliquis ore „ pronuntiat excellentiam alicujus; vel factis, ſicut inclinationibus, obviationibus, & aliis hujuſmodi “. Hæc autem exteriora cultus & reverentiæ argumenta ſunt, ſi domi Patris ſit, frequens ejus ſalutatio, ſi abſens, viſitatio, vel per litteras, vel per præſentiam, blanda allocutio, modeſta interrogatio, & reſponſio, & alia hujuſmodi juxta Patriæ morem, & perſonarum conditionem.

III. Tertio loco obedire debent parentibus filii, ut inculcat Apoſtolus ad Coloſ. 3. *Filii obedite parentibus per omnia*. Et ad epheſ. 6. v. 1. *Filii obedite parentibus veſtris in Domino, hoc enim juſtum eſt*. Et jure merito, cum patria poteſtas a Deo deſcendat, docente Apoſtolo, *omnis poteſtas a Domino Deo eſt*. Et juxta S. Th. hic q. 104. a. 1. „ Oportet in rebus naturalibus, ut „ ſuperiora moveant inferiora ad ſuas actiones „ per excellentiam naturalis virtutis collatæ divinitus. Unde etiam oportet in rebus humanis, „ quod ſuperiores moveant inferiores per ſuam voluntatem ex vi auctoritatis divinitus ordinatæ. „ Movere autem per rationem, & voluntatem „ eſt præcipere. Et ideo ſicut ex ipſo ordine naturali divinitus inſtituto inferiora in rebus naturalibus neceſſe habent ſubjici motioni ſuperiorum; ita etiam in rebus humanis ex ordine juris naturalis, & divini tenentur inferiores ſuis „ ſuperioribus obedire. “ Ad quæ vero ſe extendat obedientia filiorum, explicat D. A. tum hic q. 104. a. 5. ſcribens: „ In his quæ pertinent ad „ diſpoſitionem actuum & rerum humanarum, „ tenetur ſubditus ſuo ſuperiori obedire ſecundum „ rationem ſuperioritatis; ſicut miles duci exercitus in his quæ pertinent ad bellum, ſervus domino in his quæ pertinent ad ſervilia opera exequenda, filius patri in his quæ pertinent ad „ diſciplinam vitæ, & curam domeſticam “: Tum quodlib. 3. art. 9. ſubdens: “ Ad illa ſe extendit debitum obedientiæ, ad quæ ſe extendit jus „ prælationis. Habet autem pater carnalis jus „ prælationis in filium, primo quidem quantum „ ad domeſticam converſationem. Sic enim eſt Paterfamilias in domo, ſicut Rex in regno; unde ſicut ſubditi Regis tenentur obedire Regi in „ his quæ pertinent ad gubernationem regni; ita etiam filii, & alii domeſtici tenentur obedire Patrifamilias in his quæ pertinent ad diſpenſationem domus. Secundum quantum ad morum „ diſciplinam, unde Apoſtolus dicit ad Hebræos „ 12. 9. *Patres quidem carnis noſtræ habuimus eruditores, & obtemperabamus eis*. „ Debet autem „ Pater filiis non ſolum educationem, ſed etiam „ diſciplinam. In his ergo filius tenetur obedire „ patri carnali, & non in aliis. „

IV. Tenentur itaque filii ratione paternæ prælationis in his quæ pertinent ad curam domeſticam obedire parentibus, quando jubent, ne veſtibus utantur ſupra ſui ſtatus conditionem, ne nocte extra domum morentur, ne minores fratres verberent, ne ab urbe, vel loco diſcedant ſine ſua licentia, ne de rebus domeſticis diſponant donando, vel vendendo, ut ſtata hora domi ſint, ut arti vel profeſſioni alicui incumbant, ut artem & profeſſionem, quam ſunt amplexi, diligenter exerceant, vel aliqua præſtent opera & negotia, quæ ad familiæ utilitatem conducant. Hæc enim omnia, ut patet, ad rectum familiæ gubernium pertinent. Non autem ſemper lethaliter peccare filios cum in his parentibus non obtemperant, nullus ambigit; at poſſe etiam lethaliter delinquere certum eſt. Spectandæ ſunt igitur circumſtantiæ tum rei præceptæ, tum Patris præcipientis, tum familiæ turbationis, fratrum & domeſticorum ſcandali, damnorum & nocumentorum inde obvenientium. Spectandus eſt etiam inobedientis filii animus, pervicacia; in rebus enim etiam fortaſſis levioribus ex contemptu non obedire parentibus ad gravem uſque culpam poteſt pervenire.

V. Tenentur filii parentibus obedire in his, quæ vitæ diſciplinam reſpiciunt, nimirum cum jubent, ut Sacramenta frequentent, catechesibus adſint, quotidianas recitent precationes, & cum illis vetant improborum ſocietatem, etiam aliquo ſocio in particulari deſignato, nocturnas evagatio-nes,

nes, ludos aleatorios, vel illiberales contractus iniquos, pecuniæ etiam liberaliter datæ conſumptionem in rebus noxiis, vanis, inutilibus, ſuſpectæ domus frequentationem, vel immodeſtæ & impudicæ alicujus feminæ amicitiam & familiaritatem, comœdias & theatra adire, & alia hujuſce generis; cum enim iſta ad diſciplinam, & bonos mores ordinentur, & ea imperare poſſint, immo debeant parentes, & illis obtemperare filii tenentur. In his facilius graviter peccare poſſunt filii, quippe quia & gravem reſpiciunt materiam, & non ſine gravi animæ detrimento committuntur. Quamobrem in contumaces & protervos filios mortis etiam pœnam decrevit Deus Deuter. 21. 18. jubens: „ Si genuerit homo filium contumacem & protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, & coercitus obedire contempſerit; apprehendent eum, & ducent ad ſeniores civitatis illius, & ad portam judicii, dicentque ad eos: Filius noſter iſte protervus & contumax eſt, monita noſtra audire contemnit, comeſſationibus vacat, & luxuriæ atque conviviis: lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur, ut auferatis malum de medio veſtri, & univerſus Iſrael audiens pertimeſcat “. Nihilo tamen minus in his ſuperius recenſitis circumſtantiæ ſunt a perito Miniſtro penſandæ.

VI. Multo magis obedire tenetur Filia Matri præcipienti, ne ſola domo exeat, ne ipſa abſente, in domum viros ac juvenes introducat, ne ad feneſtras vel accedat, vel inibi diutius moretur, ne amaſios alloquatur præſertim clam & noctu, ne litteras & munuſcula recipiat, ne immodeſte veſtiat, vel pectus nudet, ne fucis & calamiſtris utatur, ut manuum labori incumbat, quæ ſunt familiæ neceſſaria, vel opportuna perficiat opera, ut educationis gratia Monaſterium ingrediatur, ibique uſque ad ſtatus electionem permaneat, & alia hujuſmodi.

VII. Non tenentur vero parentibus parere filii, ſi quæ vel mala ſunt, vel periculoſa mandent, cum magis Deo ſit obediendum, quam hominibus. Hinc ſancte non obtemperarent filii parenti, eis illicitos contractus imperanti, vel falſis in vendendo uti ponderibus, vindictam de offenſore capere, ſi eos ad profana ſpectacula, tabernas, theatra, ludos invitet, & provocet: ſimiliter non tenetur obedire Filia matri ſuadenti cum juvenibus converſationem, vanos ornatus, choreas & ſaltationes, immo nec a ſancto virginitatis propoſito dehortanti, ut enim optime docet S. Th. hic q. 101. a. 4. *Ad pietatem pertinet officium, & cultum parentibus exhibere ſecundum debitum modum. Non eſt autem debitus modus, ut plus homo tendat ad colendum patrem, quam ad colendum Deum; ſed ſicut Ambroſius dicit ſuper Luc. c.* 12. . . . . Neceſſitudini generis divinæ religionis pietas antefertur. *Si ergo cultus parentum abſtrahat nos a cultu Dei, jam non eſſet pietatis, parentum inſiſtere cultui contra Deum. Unde Hieronymus dicit in epiſt. ad Heliodorum*: Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, ad vexillum crucis evola: ſummum genus pietatis eſt in hac re fuiſſe crudelem. „ Et ideo in tali caſu dimittenda ſunt officia pietatis in parentes propter divinum religionis cultum. Si vero exhibendo debita obſequia parentibus, non abſtrahamur a divino cultu, hoc jam pertinebit ad pietatem: & ſic non oportebit propter religionem pietatem deſerere “.

VIII. Licet vero filii in ſtatus electione liberi ſint, matrimonialem tamen ſtatum amplecti non poſſunt ſine conſilio, & conſenſu ſaltem petito parentum. Et quidem liberos eſſe, & ſui juris filios docent communiter Theologi omnes cum S. Th. ſcribente hic q. 104. a. 5. *Non tenentur nec ſervi dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate ſervanda*: tamen filios, qui inſciis, & inconſultis, & multo magis invitis parentibus uxores ducunt, peccare communiter etiam benigniores Theologi fatentur, licet ambigant, num gravis culpa ſit, vel levis hæc reverentiæ omiſſio. Et certe gravi peccato obſtringi filios, qui ideo nec certiores faciunt, nec conſulunt parentes de Matrimonio, quia mulierem imparis gradus, vel infamia, aut alia dedecoris nota affectam ſibi copulant, communiter docent Theologi, qui adverſam Tamburini doctrinam, ut nimis laxam, rejiciunt; liquido ſiquidem conſtat, gravem irrogari in tali negotio injuriam parentibus, & graviter contemni, quippe qui jus habent filiis præcipiendi, ne quid emittant, quod indignum ſit, & dedecus inferat familiæ. A gravi vero peccato excuſant, ſi paris conditionis uxorem ſibi accipiant, invitis, inſciis, & inconſultis parentibus, quia, inquiunt, cum ſui juris ſint in electione ſtatus, non tenentur ſaltem ſub mortali peccato vel conſilium, vel conſenſum parentum requirere. Ita ſentiunt Salmanticenſes, aliique cum ipſis.

IX. Verum oppoſita ſententia mihi probabilior apparet, & cenſeo graviter peccare filios, qui inconſultis, inſciis, invitiſque parentibus uxorem etiam ſibi parem, & alias non indecoram & indignam ſibi accipiunt, & ratio eſt. 1. Quia cum ad Patrem pertineat familiæ regimen & gubernatio, jus habet, ut nihil magni momenti in ipſa fiat ſine ſua ſcientia, & conſilio. Et quis inficiabitur non eſſe rem magni momenti filii vel filiæ matrimonium? Nam vel cum patre in eodem perſeverant contubernio, vel ſejunguntur: ſi primum, quiſque perſpicit in familia novum, & quidem momentoſum induci negotium, cujuſmodi eſt uxoris & filiorum cura; ſi ſecundum, a Patre diſcedere, atque ejus ſubtrahi poteſtati ſine ejus conſenſu & ſcientia, quis dicet grave non eſſe peccatum? Quod ſi filius jam ſit a patria poteſtate ſubductus, adhuc graviter peccat, ſi patre inſcio, inconſulto, invito Matrimonio copulatur, cum illi juſtæ indignationis, & querimoniæ in re magni momenti cauſam præbeat. Ita aperte docet S. Ambroſius in epiſt. 83. ad Siricium, in qua eum cum filio, qui ipſo inconſulto uxorem duxerat, reconciliare ſtudet, ubi aperte dicit, & Patris juſtam eſſe indignationem, & filium injuſtam patri offenſionem intuliſſe: „ Pulchre (ſcribit) geſtum eſt,

„ ut te Patrem recognoſceret ſimul, quia juſta indignatio fuit, malo enim culpam fateri, ut plus laudetur paterna indulgentia, ſed & ipſa paterna offenſio fuit, quoniam venturam in loco filiæ tuo debuiſti eligere judicio, cujus fieres pater .... Fuit ergo quod ſuccenſeres filio, qui ſibi uxorem delegit". Immo addit. *Feciſti quod boni parentis eſt, ut cito ignoſceres, ſed obſecratus; nam antequam rogareris, non erat ignoſcere, ſed factum probare.* Juſta igitur per Ambroſium fuit indignatio Patris; at ad juſtam indignationem patrem provocare lethale peccatum eſſe omnes fatentur Theologi. Culpam poterat pater, immo non debebat condonare, niſi obſecratus, gravis ergo fuit: quis enim dicat leves offenſas eſſe ſolum per alterius interceſſionem, & obſecrationem condonandas?

X. At inquiunt oppoſitæ ſententiæ Auctores, nonne ſui juris eſt filius in matrimonio contrahendo? Cur igitur ei imponitur onus, & quidem graviſſimum, ſcilicet ſub lethali peccato, conſilium & conſenſum Patris exquirendi? Fateor, liberos eſſe filios, & ſui juris, quia impediri a parentibus nequeunt, ne matrimonium, ſi velint, contrahant; at minime liberi ſunt a debito & præcepto honorandi parentes, eorum conſilium & conſenſum in re magni momenti, & ad familiæ ſtatum pertinente petendo & quærendo. Proinde ſi aliter agant, juſtitiam quidem non violant, quia Patris non lædunt poteſtatem, ſed in pietatem peccant, quia debito honore, reverentia, & cultu parentes fraudant. Rejicere conſilium patris, & etiam in aliquo caſu eo renuente adhuc matrimonium inire poſſunt, at ipſis matrimonium celare, eorum conſilium non adhibere ſine gravi patris injuria omnino non poſſunt. Hinc in Galliis conceſſa eſt parentibus poteſtas exhæredandi filios, & donationes omnes illis factas revocandi, ſi ſine conſilio, & conſenſu patris uxorem accipiant. Quas leges non profero, quaſi vim ubique obtineant, ſed ut oſtendam, gravem reputari injuriam parentibus factam iſtis clandeſtinis matrimoniis, & ea illicita eſſe, non quia pœna exhæredationis conſtituta eſt, ſed pœna conſtituta, quia illicita, injurioſa, & cultui ac reverentiæ parentibus debitæ adverſa; unde ſcribit Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. 9. *Nec in terris filii ſine conſenſu patris rite & jure nubunt.* Immo Tridentinum Concilium ſeſſ. 24. cap. 3. de Refor. licet valida, & rata definiat Matrimonia ſine conſenſu Parentum celebrata, addit tamen, *quod Sancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt.* At quamobrem deteſtata? Profecto quia gravem præſeferunt Parentum injuriam, & inhonorationem. Quod multo magis dicendum eſt de puellis, quippe quæ ratione infirmioris ſexus magis indigent conſilio, & conſenſu patris in nubendo. Ita docent Natalis Alexander, Concina, Beſombes, Franzoja, aliique ſapientiores Theologi.

XI. Peccant etiam filii, qui matrimonialem ſtatum delegerunt contra reverentiam Patris, ſi ſine juſta & rationabili cauſa eam ducere nolint in uxorem, quam ipſi parentes deſtinarunt ob magnum familiæ bonum, ad pacta & concordiam firmandam, ad lites vel vitandas, vel dirimendas; quod & de filiabus dicendum eſt. Gravitatem tamen culpæ definire abſolute non audeo, ſed penſandæ ſunt circumſtantiæ & cauſæ, ſive objectivæ, ſive ſubjectivæ hujus repugnantiæ & obſiſtentiæ, quæ culpam augere poſſunt, vel minuere. In hoc enim magna eſt habenda a parentibus filiorum ratio, quippe quia perpetuo ſubjiciuntur jugo, ad quod cum definita perſona ſubeundum hortari poſſunt parentes, cogere vero non debent.

CAPUT TERTIUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Peccant lethaliter filii, ſi parentes graviter contriſtent dictis, vel factis.*
II. *Si de illorum morte, vel malis gaudeant. Propoſitiones damnatæ.*
III. *Si maledictis dehoneſtent.*
IV. *Si ex contemptu eos recognoſcere recuſent.*
V. *Injuriæ, quæ reſpectu aliorum leves eſſent, facile grave peccatum ſunt illatæ parentibus.*
VI. *Falſa Tamburini ſententia refellitur.*
VII. *Nonnulla lethalis inobedientiæ crimina recenſentur.*
VIII. *Non tenentur filii conſilium ſequi, vel obedire parentibus a religioſo ſtatu eos avertentibus.*

Conſectarium Primum.

I. PEccant, & quidem lethaliter, filii contra debitum parentibus amorem, ſi illos dictis, vel factis graviter contriſtent; licet ea & in ſe indifferentia ſint, & illis a genitoribus non vetita; gravis enim parentum contriſtatio caritati erga illos adverſatur, præſertim ſi parentes ira & indignatione in blaſphemias & increpationes erumpant; immo etſi ſolum dubitent parentes offendendos, ac contriſtandos ex tali opere, ab eo tenentur abſtinere, ne peccandi periculo ſe exponant, niſi forte quæ dicunt, vel agunt, ſint ſibi neceſſaria ad aliquod malum vitandum, vel in ſui magnam cedant utilitatem, & parentes injuſte turbentur, contriſtentur, & conquerantur: injuſta enim turbatio non eſt tunc actioni filiorum tribuenda, ſed in parentum ruſticitatem, vel pravas animi diſpoſitiones refundenda, quos tamen filii in aliis rebus indifferentibus patienter ferre debent juxta Eccleſ. 3. monitum: *In opere & ſermone, & omni patientia honora patrem tuum.*

Conſectarium Secundum.

II. Peccant filii, & quidem lethaliter, ſi de parentum infortuniis, infirmitate, vel alio damno, licet ex eorum culpa profluente, lætentur & gaudeant, ſi illis hæc mala exprobrent, immo ſi conſolari, & confortare recuſent, ac affectato ſilentio indicent, ſe vel de parentis infortunio gaudere, vel nulla tangi ſollicitudine. Multo

magis

magis peccabunt graviter, ſi parentibus mortem deſiderent, vel de ea gaudeant, licet arbitrentur, ſe non de illorum malo gaudere, ſed de bono ſibi per hoc proveniente, quia vel copioſam adiere hæreditatem, vel ab eorum moroſa & rigidiore diſciplina ſunt erepti, cum impium hocce gaudium, vel deſiderium caritati, pietatique quammaxime adverſetur. Unde merito diris devovit Innoc. XI. has binas propoſitiones, 14. *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum Patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas*: & 15. *Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis a ſe in ebrietate patrato propter ingentes divitias ex hæreditate conſecutas*. Pari pacto peccant lethaliter, ſi de quocumque gravi parentum damno gaudeant, puta de gravi infirmitate, exilio, infortunio, bonorum jactura, & illa eis deſiderent, licet inefficaciter, cum ab his pravis affectibus pietas & caritas abhorreant, quæ vetat etiam quodcumque odium, & abominationem, immo & quæcumque odii, iræ, indignationis ſigna exteriora. Quamobrem graviter peccant filii, ſi parentes aſpere & dure tractent, torvis oculis aſpiciant, eorum fugiant conſpectum, declinent occurſum, non ſalutent, vel reſalutent, niſi forte, ut contingit in puerulis, qui a parentibus ſe abſcondunt, ſalutare non audent, non quidem ex odio, ſed ex timore, vel reverentia.

Conſectarium Tertium.

III. Peccant lethaliter contra honorem parentibus deferendum, ſi eos maledictis dehoneſtent, dicente Domino, *qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur*; niſi forte ex repentina ſubreptione in maledictionis verba prorumpant. Item ſi contumelioſis verbis eos proſcindant, vel talibus nominibus, vel titulis appellent, ob quæ ipſos indignari, contriſtari, & dolere ſciunt; licet illa nihil turpe præſeferant. Hinc a lethali excuſare non valeo filios, qui paſſim patrem ſtultum, fatuum, & Matres vetulas, ſtupidas, ſtolidas, inſanientes appellant, illis terga vertunt, illos ſe nolle audire proteſtantur, eorum monita & verba irrident, ſi vel ob ſenectutem, vel ob aliquos ſive corporis, ſive animi defectus ſubſannent, dicente Domino Proverb. 30. v. 17. *Oculum, qui ſubſannat Patrem, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ*.

Conſectarium Quartum.

IV. Gravis quoque peccati labe fœdantur filii, qui parentes ſuos recognoſcere renuunt, ſi id ex contemptu fiat, quia vel ſunt infimæ ſortis, vel pauperes & abjecti, & filii ſunt in aliquo honore & dignitate conſtituti; cum quidquid habent filii, a parentibus acceperint: nam, ut inquit D. Ambroſius lib. 8. in Lucam, filium alloquens, *illi debes quod habes, cui debes quod es*: eſſe autem baſis eſt & fundamentum omnium aliorum, quæ filio ſuperveniunt bonorum, niſi forte excuſetur in aliquo raro caſu vitandi alicujus damni, vel erubeſcentiam fugiendi, procul tamen omni ſcandalo, & debito ſervato erga illos amore & reverentia. Peccant lethaliter filii, ſi in eos manus injiciant, lædant, verberent, proſternant, immo ſi ſolum manus elevent, baculum arripiant, gladium evaginent, cum hujuſmodi actus gravem erga parentes irreverentiam præſeferant. Excuſari tamen a gravi culpa poterunt, ſi ſolum hæc in propriæ vitæ defenſionem peragant, ſervato ſemper inculpatæ tutelæ moderamine, ſolumque tantum offendant, quantum ad neceſſariam ſui defenſionem ſufficiat. Item peccant, ſi parentibus in civili foro injuſtas moveant lites, & in criminalibus ſi patrem accuſent. Excipiunt tamen communiter Theologi crimina hæreſeos, & proditionis Patriæ, cum bonum commune, & religionis privato bono præferri debeat. Ita profecto docuerunt, & Ethnici. Audiatur Tullius lib. 3. Offic. c.9. „Quid „ſi Pater fana expilet, cuniculos agat in ærarium, „indicet ne Magiſtratibus filius? Nefas id qui„dem eſt, quin etiam defendat Patrem, ſi ar„guatur. Non igitur patria præſtabit omnibus „officiis? Sed ipſi patriæ conducit pios habere „filios. Immo vero obſecrabit patrem, ne id fa„ciat. Si nihil proficiet, accuſabit, minabitur et„iam. Ad extremum ſi ad perniciem patriæ res „ſpectabit, patriæ ſalutem (multoque magis fi„dei, qua Chriſtiani ſumus, integritatem) ante„ponat ſaluti Patris". Ex qua ſapientiſſima doctrina apparet, quam manifeſte, ipſo naturæ jure ſpectato, admonitiones, correctiones immo & delationis minas eſſe accuſationi præmittendas, queis ſi nihil filius ſe proficere comperiat, tunc demum Patrem libere prodat, ac denunciet. Hinc licet filiis parentibus in Patriam armatis obſiſtere, & contra ipſos bellare & occidere, ut communiter docent Theologi ob communis boni rationem præferendam bono cuicumque privato. Non tamen licet Patrem etiam juſte morti damnatum interficere, horrendum enim eſſet carnificis officium in proprium Patrem exequi.

Conſectarium Quintum.

V. Injuriæ, contumeliæ, aliaque oris peccata, ſicut & injuriæ factis illatæ, quæ fortaſſis in alios proximos levia eſſent peccata, in parentes admiſſæ facile in lethale crimen tranſeunt, quia ſpecialis & ſingularis præcipitur filiis erga parentes honor, & reverentia; & iſti juſte quammaxime contriſtantur & dolent, ſi videant majorem a filiis non haberi ipſorum rationem, quam extraneorum. Pari ratione actiones & contumeliæ, quæ reſpectu proximi lethale peccatum conſtituunt, in patrem admiſſæ vel duplicem ſortiuntur malitiam, vel ſpeciem peccati mutant, quia ſemper præter virtutem, quam ſuo crimine violant filii, etiam pietas læditur, & hæc ſpeciem dat omnibus eorum peccatis, proinde in confeſſione aperienda. Ita ex S. Th. loco cap. præced. citato.

Conſectarium Sextum.

VI. Falſa eſt & rejicienda Tamburini ſententia ſcribentis: „ Recte docet Sanchez, Filiam adeo liberam eſſe, ut ante vigeſimumquintum „ annum nubere valeat etiam indigno, & ſine „ Patris conſenſu. Et ſi ſtatuit Evariſtus Papa, „ ut pro nupta nunquam habeatur puella, quam „ Pater ipſe non deſponſat: Si Leo Pontifex, & „ Ambroſius ajunt non eſſe virginalis pudoris maritum eligere, ſed judicium parentum eſſe expectandum: Si D. Paulus expreſſe docet, a parentibus tradendas eſſe filias nuptui: Si multa „ ſacrarum ſcripturarum exempla id manifeſte demonſtrant; reſpondeo cum eodem Sanchez, hæc „ & ſimilia probare valde honeſtum ejuſmodi conſilium a patre exquirere, diram peccati mortalis „ neceſſitatem non probare “. Profecto hoc eſt contemnere & flocci facere & ſacræ Scripturæ, & Eccleſiæ, Conciliorum, & Patrum auctoritatem, atque doctrinam, ad merum conſilium revocare, quæ tantopere inculcant & præcipiunt, & diram appellare neceſſitatem præceptum, quod conforme eſt naturali juri, Decalogi mandatis, & filiabus quammaxime neceſſarium & ſalutare.

Conſectarium Septimum.

VII. Lethalis inobedientiæ rei ſunt filii, ſi parentibus præcipientibus, ne ſe invicem percutiant, verberent, odio habeant, non obtemperent; ſi vetent, ne in multam noctem a domo abſint, unde cogunt eos diutius vigilare eorum reditum præſtolantes; ſi certas domos, ſocios, converſationes, quas ipſi reprobant & vetant, contumaciter frequentare velint; ſi ære alieno ſe gravent, ſi de rebus domeſticis ad arbitrium diſponant, ſurripiant, unde Proverb. 28. v. 24. dicitur: *Qui ſubtrahit aliquid a patre ſuo, & a matre, & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps homicidæ eſt.* Hinc & rei furti ſunt, & contra pietatem peccant, ut docet S. Antoninus P. 3. tit. 1. c. 15. §. 1. *Si filius familias abſtulit de bonis parentum contra voluntatem eorum, furtum committit, & ſi eſt quid notabile, mortale eſt.* Sunt tamen benigniores Theologi, qui eum a lethali excuſant, quia, inquiunt, hiſce occultis ſubreptionibus parentes inviti ſunt potius ratione modi, quam ſubſtantiæ, parati donare, ſi rogarentur, quæ a filiis occulte rapiuntur, niſi magno ſint detrimento familiæ; tunc enim & inviti ſunt utroque pacto, & quoad ſubſtantiam, & modum. Verum hæc doctrina furtis filiorum familias nimium favens, ut laxa rejicienda eſt; nam Parentes ſunt inviti & quoad ſubſtantiam rei ablatæ, cujus dominium, & adminiſtrationem ſibi reſervatam volunt, nec filiis concedunt; ſunt etiam inviti & quoad modum, quia quammaxime deteſtantur hæc domeſtica furta, a quibus vix cavere poſſunt, & graves pariunt in familia perturbationes, & juſte indignantur contra filios, qui ita furtis aſſueſcunt. Duplici propterea peccato coinquinantur hujuſmodi filii, nimirum & contra juſtitiam, & contra pietatem: nec eos a reſtitutionis onere liberat S. Antoninus in Sum. Confeſſ. parte 2. ſcribens: „ Si quis rem aliquam „ occultet invito Domino, non ſolum ſi abſtulit „ ab extraneo, ſed etiam filius a parentibus ... furtum eſt, & ſi eſt aliquod notabile damnum mortale, unde ad reſtitutionem tenetur; ſecus ſi quid „ minimum, ut fructus, quatrinum, & hujuſmodi “. Quam reſtitutionem debet filius vel parentibus, niſi condonent, ſive ex bonis caſtrenſibus, ſive ex iis quæ ſibi ab ipſis donantur, vel cohæredibus, niſi & ipſi æqualia ſurripuerint.

Conſectarium Octavum.

VIII. Non tenentur Filii vel conſilium ſequi, vel præcepto obedire parentis eos a Religionis ingreſſu avertentis. Ita docet S. Tho. hic q. 101. a. 4. „ Ad pietatem pertinet officium, & cultum „ parentibus exhibere ſecundum debitum modum. „ Non eſt autem debitus modus, ut plus homo „ tendat ad colendum patrem, quam ad colendum Deum; ſed, ſicut Ambroſius dicit .... „ *neceſſitudini generis divinæ religionis pietas antefertur*. Si ergo cultus parentum abſtrahat nos a „ cultu Dei, jam non eſſet pietatis, parentum inſiſtere cultui contra Deum. Unde Hieronymus „ dicit in epiſt. ad Heliodorum: *Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, ad vexillum crucis evola: ſummum genus pietatis eſt in hac re fuiſſe crudelem*. Et ideo in tali caſu dimittenda ſunt officia pietatis in parentes „ propter divinum religionis cultum, ſi vero exhibendo debita obſequia parentibus, non abſtrahamur a divino cultu, hoc jam pertinebit ad „ pietatem: & ſic non oportebit propter religionem pietatem deſerere “. Tenetur itaque Filius parentibus ſuum exponere de religioſo ſtatu amplectendo conſilium, eorum veniam & benedictionem expetere, quam ſi obtineat, proſpere rem ſibi ceſſiſſe gaudeat; ſi obſiſtant, obluctentur, & contradicant, debito filiali officio jam ſatisfeciſſe ſciat, & Religionem ingredi adhuc poterit ſine ulla pietatis læſione; niſi forte gravi & extrema neceſſitate preſſi auxilio & ope Filii indigerent, ut mox dicemus, & confirmat S. Th. hic q. 189. a. 6. ſcribens: „ Si parentes non ſint in tali neceſſitate, „ ut filiorum obſequio multum indigeant, poſſunt, prætermiſſo parentum obſequio, filii religionem intrare etiam contra præceptum parentum: quia poſt annos pubertatis quilibet ingenuus „ libertatem habet quantum ad ea, quæ pertinent „ ad diſpoſitionem ſui ſtatus, præſertim in his quæ „ ſunt divini obſequii: Et magis eſt obtemperandum Patri ſpirituum, ut vivamus, quam parentibus carnis, ut Apoſtolus dicit ad Hebr. 12. 9. “ Non tenentur vero præcepto parentum obſequi, ſi illos ad Religioſum ſtatum impellant, cum juxta mox allatam D. Th. doctrinam, poſt annos pubertatis quilibet ingenuus libertatem habeat, quantum ad ea, quæ pertinent ad diſpoſitionem ſui ſtatus, præſertim in iis quæ ſunt divini obſequii. Quod verum eſt, licet parentes voto ſe obſtrinxiſſent offerendi filium, vel filiam Deo in ſtatu religioſo, cum parentum vota filios non obſtringant, niſi conſenſerint, vel confirmaverint.

verint. At obedire debent, ſi eos parentes in Monaſterio collocare velint educationis gratia, cum in hoc filii parentibus ſubjiciantur, ut ſuperius diximus.

CAPUT QUARTUM.

De Parentum indigentia per Filios levanda.

DOCTRINA.

I. *Tenentur Filii parentibus tum in ſpiritualibus, tum in corporalibus ſubvenire.*
II. *Quomodo in ſpiritualibus parentibus auxiliari poſſint filii.*
III. *Quomodo in temporalibus.*
IV. *In extrema neceſſitate filius etiam Regularis parenti ſuccurrere debet.*
V. *Non licet filio parentes egentes deſerere, ut Religionem ingrediatur.*
VI. *Nec e Clauſtro egredi jam profeſſus, ut eis auxilietur.*

I. TEnentur Filii parentibus tum in ſpiritualibus, tum in corporalibus ſubvenire. Ita præcipit & ipſum jus naturale, & divinum mandatum Eccleſ. 7. v. 29. *Honora patrem tuum, & gemitus Matris tuæ ne obliviſcaris... & retribue illis, quomodo & ipſi tibi.* Porro parentes filiis & in ſpiritualibus, & in temporalibus auxiliantur, ergo pari officio tenentur filii erga parentes. Quod & exemplo ſuo confirmavit Chriſtus, qui in Cruce moriens Matrem diſcipulo Joanni commendavit. Unde appoſite ſcribit S. Auguſtinus Tract. 119. in Jo. „ Fecit quod „ faciendum admonet, & exemplo ſuo inſtruxit „ præceptor bonus, ut a filiis piis impendatur „ cura parentibus, tanquam lignum illud, u- „ bi fixa erant membra morientis, etiam cathe- „ dra fuerit Magiſtri docentis. Ex hac ſana „ doctrina didicerat Paulus Apoſtolus quod do- „ cebat quando dicebat: *ſi quis autem ſuis & „ maxime domeſticis non providet, fidem negavit, „ & eſt infideli deterior.* Quid autem tam cui- „ que domeſticum, quam parentes filiis, aut pa- „ rentibus filii“?

II. Vi itaque hujus præcepti in ſpiritualibus ſubvenire debent parentibus 1. Si eos blaſphemiis, impudicitiis, furtis irretitos ſciant, Sacramenta negligere, nullam ſuæ ſalutis curam habere, tenentur vel per ſe, vel per alios admonere, ſollicitare, & ad meliorem frugem revocare. 2. Si infirmi ſint, viſitare & conſolari. 3. In rebus adverſis confortare, in dubiis conſulere, ab uſuris & illicitis contractibus retrahere. 4. In periculo mortis conſtitutis auxiliari, & ut illis Sacramenta, aliaque ſpiritualia ſubſidia opportune miniſtrentur, ſollicite curare. 5. Monere, ut de rebus temporalibus diſponant, nec impedire, ne teſtamentum condant, & pia, ſi voluerint, legata pro animæ ſalute conſtituant. 6. Mortuos honorifice juxta ſtatus ſui conditionem ſepelire, æs alienum ab ipſis contractum ſolvere, legata citius implere, & ſi quid ab ipſis male partum ſciant, prompte reſtituere. 7. Monita, & mandata a morientibus ſibi relicta cuſtodire & exequi, præſertim ſi neceſſaria ſint eorum ſaluti in tuto collocandæ, & ad familiæ pacem conſervandam. In his poſſunt filii vel venialiter, vel lethaliter etiam peccare juxta materiam, circumſtantias, & alia a perito Miniſtro attente penſitanda.

III. In temporalibus quoque auxiliari parentibus tenentur filii, quamobrem debent 1. eis in infirmitate conſtitutis inſervire, vel, ſi poſſint, famulos qui hoc præſtent officium, conducere, eorum ſanitatem æque ac propriam procurare. 2. Captivos, vel in carcere detentos, ut citius liberentur, ſatagere. 3. Si injuſte opprimantur, & graventur, pro virili tueri & defendere. 4. Parentibus egenis veſtes, & alimenta pro ſui ſtatus conditione, & juxta proprias vires ſuppeditare. 5. Quæcumque acquirit filius, ex re patris, vel intuitu patris adipiſcitur, unde quæ profectitia bona dicuntur, ad ipſum Patrem pleno jure pertinent, quamobrem & ſibi uſurpare filius minime poteſt. Hæc omnia fere ex doctrina S. Th. ſunt deducta, qui hic q. 101. a. 2. docet: „ Pa- „ rentibus & concivibus aliquid debetur duplici- „ ter. Uno modo per ſe, alio modo per accidens... „ Per accidens autem aliquid debetur Patri, quod „ decet eum accipere ſecundum aliquid quod ei „ accidit; puta ſi ſit infirmus, quod viſitetur, „ & ejus curationi intendatur; ſi ſit pauper, quod „ ſuſtentetur; & ſic de aliis hujuſmodi, quæ o- „ mnia ſub debito obſequio continentur.

IV. Parentibus in extrema neceſſitate ſubvenire debent filii in quocumque ſtatu ſint, omni meliori quo poſſunt modo; & ſi Religioſi ſint, etiam clauſtro exire compelluntur. Ratio eſt manifeſta, quia ſi ex præcepto caritatis tenemur proximo in extrema neceſſitate conſtituto auxiliari, multo magis obſtringuntur ex pietate filii erga parentes. Et revera quis inficiabitur, Religioſum videntem domum ſui parentis incendio conflagrare, vel fratrem mox a rabido cane vulnerandum, petita & non obtenta, vel etiam non petita venia poſſe a Clauſtro egredi, ut vel incendium extinguat, vel fratrem ab imminenti eripiat periculo? Quanto magis igitur, ut parenti in extrema vel quaſi extrema neceſſitate conſtituto auxilietur? Et in hoc omnes conveniunt Theologi. Num vero Filius, ut parentibus, non in extrema, ſed in gravi neceſſitate conſtitutis, opem & auxilium ferat, vel ſtatum Religioſum, quem amplecti ſtatuerat, omittere, vel jam in ipſo per profeſſionem cooptatus Clauſtrum deſerere teneatur, ambigunt Theologi: at quæſtionem ſapientiſſime more ſuo dirimit S. Tho. tutiſſima doctrina.

V. Filius itaque non poteſt nec debet Religioſum ſtatum amplecti, ſi parentes ejus egeant auxilio. Ita S. D. & quidem non uno in loco. 1. Quodlib. 3. q. 4. a. 3. ſcribit: „ Qui nondum „ Religionem intravit, ſi videat patrem ſuum „ in magna neceſſitate, cui per alium ſubveni- „ ri non poſſit, non debet Religionem intrare, „ ſed tenetur miniſtrare parentibus, maxime ſi „ abſque periculo peccati poſſit in ſeculo rema- „ nere. Si vero per alium poſſit ejus parentibus „ miniſtrari, poteſt, ſi vult Religionem intra-

 re“.

„ re“. Idem repetit hic q. 101. a. 4. ad 4. „ Ille, qui eſt in ſeculo, ſi habet Parentes, qui ſine ipſo ſuſtentari non poſſunt, non debet eis relictis Religionem intrare, quia transgrederetur præceptum de honoratione parentum: quamvis quidam dicant, quod etiam in hoc caſu licite poſſet eos deſerere, eorum curam Deo committens. Sed ſi quis recte conſideret, hoc eſſet tentare Deum; cum habens ex humano conſilio quid ageret, periculo parentes exponeret ſub ſpe divini auxilii. Si vero ſine eo parentes vitam tranſigere poſſent, licitum eſſet ei deſertis parentibus Religionem intrare: quia filii non tenentur ad ſuſtentationem niſi cauſa neceſſitatis, ut dictum eſt“. Et revera præpoſtera eſſet pietas, immo impietas, præcepta transgredi divina, ut conſilia ſequamur.

VI. Quod ſi filius jam ſit per Religioſam profeſſionem divino mancipatus ſervitio, non tenetur e Clauſtro egredi, ut gravi parentum auxilietur neceſſitati. Ita pariter S. Tho. l. l. Sum. „ ſubdens: „ Ille vero, qui eſt jam in Religione profeſſus, reputatur jam quaſi mortuus mundo: unde non debet occaſione ſuſtentationis parentum exire Clauſtrum, in quo Chriſto conſepelitur, & ſe iterum ſecularibus negotiis implicare; tenetur tamen, ſalva ſui prælati obedientia, & ſuæ Religionis ſtatu pium ſtudium adhibere, qualiter ejus parentibus ſubveniatur“. Quam doctrinam D. A. ratione corroborat in lo. cit. ex Quodlib. 3. ſcribens: „ Poſtquam aliquis eſt in religione profeſſus, eſt mortuus mundo, unde per ſpiritualem mortem deobligatur a cura impendenda parentibus, ſicut etiam deobligaretur per mortem corporalem, ideo non peccat, nec contra præceptum Dei agit, ſi in Clauſtro permaneat ſub præcepto Prælati ſui, parentum miniſtratione prætermiſſa. Eſt enim factus impotens ad reddendum debitum miniſterium, abſque propria culpa. Debet tamen, quantum poteſt, ſalva Ordinis obedientia, ſatagere, ut per ſe, vel per alium ſuis parentibus ſubveniatur, ſi in neceſſitate fuerint conſtituti“.

CAPUT QUINTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Tenentur filii parentem indigentem alere.*
II. *In captivitatem redactum, vel carcere detentum redimere, & liberare.*
III. *Tenentur filii pro parentibus operari, nec operis mercedem expoſcere.*
IV. *Tamburini ſententia rejicitur.*
V. *Ad ſubveniendum parentibus licet Religioſis filiis de licentia Superiorum e Clauſtro egredi.*
VI. *Sicut qui vel proponit, vel vovit ingredi Religionem, poteſt eadem de cauſa & propoſitum mutare, & voti impletionem ſuſpendere.*
VII. *Et etiam ſi ita poſtulat fratris, vel ſororis indigentia.*
VIII. *In æquali gravis neceſſitatis gradu parentes in alimentis ſunt filiis præferendi.*
IX. *Reflexio.*

Conſectarium Primum.

I. Tenentur Filii patrem infirmum, ſenem, mente captum, ſi indigeat, alere, & de neceſſariis providere, etiam ex bonis propriis: ita enim poſtulant pietas, amor, & reverentia erga parentes in tali gravi neceſſitate conſtitutos. Quod officium præſtare debent, licet parentes ſint etiam exilio proſcripti, etiam infideles, immo & hæretici, dummodo hæreſis virus diſſeminare non tentent. Immo etſi a judice fame perire juſte condemnati forent, quantum tunc ſibi liceret, vim non inferendo, cum ſententia judicis a ſuo officio, & munere filium non ſolvat. Immo licet Pater poſſit ſibi providere de neceſſariis, artem vel laborem exercendo ſtatui ſuo minime convenientem; nam contra pietatem eſſet ad hoc adigere parentem, cui a filio neceſſaria poſſunt ſuppeditari. Quid ſi filius nobilis, ut patrem gravi conſtitutum neceſſitate ſuſtentet, alat, provideat, debeat ipſe artem ſtatui ſuo indecentem exercere, tenebitur ne hoc durum dedecus ſuſtinere? Negant benigniores Theologi, inter quos Tamburinus, qui & Navarrum citat. Verum eorum opinio mihi falſa, & improbabilis videtur. Numquid ſinet Patrem egeſtate, inopia perire, vel duram & miſeram vitam traducere, ne ipſe vilem & abjectam artem exercere cogatur? Quis dicet? Nonne & ipſe filius ſi in pari verſaretur neceſſitate, artem illam pro ſui ſuſtentatione exerceret? Numquid ſibi liceret inopia, & egeſtate perire? Cur igitur & non pro parente, a quo quidquid habet, accepit, cui totum debet quod habet, quem ut ſeipſum diligere tenetur? Præterea nullum dedecus, nulla infamia, ſi ob tam juſtam piamque cauſam a ſuo decedat ſtatu; nam, ut dicitur Eccleſ. 3. *Gloria hominis ex honore patris ſui, & quam malæ famæ eſt qui derelinquit Patrem*, & ab omnibus pietas filii laudabitur, & extolletur. Præterea ſi parentes ad filios alendos & ſuſtentandos deberent artem illam, licet nobiles aſſumere; cur non pari pacto filii pro parentibus, cum ita poſtulet jus naturale? Audiatur D. Ambroſius lib. 8. in Luc. „ O fili, quantum tibi aſſumis judicium, ſi non paſcas parentem? Illi debes quod habes, cui debes quod es... Si paveris matrem, non reddidiſti dolores, non reddidiſti cruciatus, quos pro te paſſa eſt, non reddidiſti obſequia, quibus te illa geſtavit, non reddidiſti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu“.

Conſectarium Secundum.

II. Filius tenetur ſub gravi peccato Patrem in captivitatem redactum, vel in carcere detentum redimere, & liberare, non ſolum ex bonis ſtatui ſuo, ſed etiam naturæ ſuperfluis. Et hanc quoque propoſitionem inficiati ſunt nonnulli benigniores Theologi, qui cenſent quidem teneri ex bonis ſuperfluis etiam decentiæ ſtatus, at non ex bonis ſuperfluis naturæ, proinde non teneri ad abjectiorem ſtatum deſcendere, ut Patrem vel redi-

redimat, vel liberet. Verum noſtra aſſertio non ſolum probabilior eſt, ſed & unice vera. Nam ſi ex lege univerſali caritatis tenetur quilibet ex ſuperfluis naturæ in gravi neceſſitate conſtitutis auxiliari, quid amplius profecto debetur Patri, qui præ ceteris, & ſupra ceteros eſt diligendus? In carcere vero & in captivitate conſtitutum parentem gravi urgeri neceſſitate nemo inficiabitur. Tenebitur igitur etiam quæ naturæ ſuperſunt, in ejus liberationem inſumere, & ad inferiorem, ſi opus ſit, conditionem deſcendere. At inquient, coges igitur filium Regem e Throno deſcendere, regnum integrum hoſti etiam infideli cedere, ut patrem captivum liberet, quem non alia conditione redimere poteſt? Abſit. Tunc enim non agitur de bono privato Patris, ſed de totius Regni publico bono. Præterquamquod univerſales regulæ non juxta ſingularem aliquem, rarumque eventum ſunt ſtatuendæ, ſed juxta ea, quæ frequentius ſolent contingere.

Conſectarium Tertium.

III. Tenentur filii pro patribus operari, nec operis ſui mercedem ab ipſo patre depoſcere, vel ſibi occulte ſurripere. Ratio eſt manifeſta: bona enim profectitia, cujuſmodi ſunt quæ vel ex bonis paternis proveniunt, vel patris intuitu dantur, ad patrem tum quoad dominium, tum quoad uſum pertinent; vel ſi inter adventitia bona annumerare velis, adhuc iſtorum uſus fructus penes Patrem eſt. Præterea licet jure naturæ parens ad alendam ſobolem adſtringatur, non eſt tamen illi vetitum, ſi quem poſſit ex educatione fructum percipere. Quæ veritas & ipſis Gentilibus naturali lumine comperta fuit, cum Sophocles in Ædipo dicat: *Parentum cauſa & ſi quis laborat, laborum tamen meminiſſe non debet.* Falſa propterea eſt Tamburini ſententia lib. 5. cap. 4. §. 1. n. 10. „ Poſſe filium & patri proteſtari ſe „ nolle gratis ſervire, & ſic partem lucri ſibi „ vendicare, & ſi propter reverentiam patris deſie„ rit proteſtari, poſſe deductis expenſis, quas „ Pater facit in ipſo alendo, tantumdem exige„ re pro ſuo extraordinario labore & induſtria „ (nam ordinarius debetur a filio Patri) quan„ tum daretur extraneo “. At illa proteſtatio nonne irreverentiam præſefert Patri, cui induſtriam omnem ob educationem debet? Quid ſi pater proteſtationem filii rejiciat, & arrogantiæ ac ingrati animi filium redarguat? Poterit ne adhuc lucrum ſibi retinere? Nihil ſtatuit Tamburinus, ſed colligendum relinquit ex eo quod permittit filio ob reverentiam talem proteſtationem emittendi, ut tantumdem exigere poſſit (a quo? & quomodo? profecto occulta compenſatione) quantum daretur extraneo. Si enim hoc concedit filio, qui reverentiæ cauſa proteſtari renuit Patri, ſe nolle gratis ſervire; quanto magis non licebit filio, qui omni abjecta reverentia proteſtationem indixit, & injuſtam, ut ſibi videtur, paſſus eſt repulſam? At hoc eſt, meo videri, domeſticis furtis viam ſternere, & filiorum irreverentiam erga parentes non excuſare, ſed & adprobare.

Conſectarium Quartum.

IV. Falſa eſt pariter Tamburini ſententia loc. cit. n. 7. docentis: *Filium in ludo illicito non eſſe ſubditum patri, adeoque lucrum ex illo habitum abſque controverſia ſibi acquirere.* Loquitur ſiquidem non de bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus, ſed de ipſa pecunia patris, quam ludo exponit. At quamobrem filius in ludo illicito non eſt ſubditus patri? Num ratione perſonæ? minime. Filius eſt enim qui patriæ ſubjacet poteſtati. Num ratione pecuniæ? Multo minus. Nam pecunia eſt ipſius patris. Num ratione ludi illiciti? Abſit. Immo in hoc maxime ſubjicitur patri, qui & ludum illum prohibere poteſt, & valet, qui ob ludum filium arguere, & punire poteſt, & debet; ergo abſque controverſia lucrum illud, nec ex capite independentiæ a patre, ſibi acquirit. Nec minus falſum eſt quod ſubdit, ſcilicet, *lucrum ex ludo licito adhuc ſibi retinere poſſe*, quia licet in hoc ludi genere filius patri ſubjectum agnoſcat, tamen *propter aliud caput ſibi filius poteſt retinere, nam numquam ſolent ea lucra a filiis exigere patres, etiam ſcientes proveniſſe ex ludo.* Immo pii ſapientes prudenteſque patres ſolent & debent eo lucro filios privare, ne ſpe lucri illecti ludis aſſueſcant: niſi forte ſit de exigua aliqua pecunia, quam ipſi parentes in ludis ipſis domeſticis ad aliquod animi levamen ſolent exponere. At quorſum tanta benignitas in ludis filiorum familias & licitis, & illicitis? Nonne hæc anſam præbet, & quidem fortiſſimam filiis familias, ut lucro per ludos inhient, probe ſcientes illud ſibi acquirere, & ſuum tam ſtricte & ſummo jure fieri, ut quemadmodum ſubdit laud. Auctor, *hæc ludo acquiſita*, ſive licito ſive illicito, *non teneantur adducere in diviſionem hæreditatis cum fratribus.* Sed de his alibi.

Conſectarium Quintum.

V. Licet in gravi parentum neceſſitate non teneantur filii Clauſtra deſerere, ut illis auxilientur, cum licentia Superioris tamen egredi poſſunt. Quia Religio poteſt cedere juri quod habet in Religioſum, & ob pietatem in parentes illius opem, & auxilia filii iis egenis concedere. Duo tamen ſunt præ oculis habenda, tum ex parte Religionis dimittentis, tum ex parte Religioſi dimiſſi. Nimirum ne Superiores faciles ſint ad hujuſmodi exitus concedendos, qui plerumque in dedecus vergunt Religionis; proinde ſi poſſunt de eleemoſynis, quas elargiri ſolent pauperibus, parentum egeſtatem levare, hoc medio uti debent, & ſimiliter Religioſo concedere poſſunt, ut in Clauſtro manens ſtudendo, concionando, ſcribendo parentibus auxilietur, vel eleemoſynas ſolicitet. Quæ ſi ſerventur, raro admodum continget exeundi occaſio. Ex parte vero Religioſi dimiſſi, iſte quantum poteſt in ſeculo regularem diſciplinam ſervare tenetur, religioſum deferre habitum, caute cum ſecularibus converſari, & ſublevatis a neceſſitate parentibus ad Clauſtrum ocius re-

reverti. Exitus tamen e Clauſtro, qui concedi poteſt Religioſo ad ſubveniendum gravi patris & matris neceſſitati, non eſt concedendus ad ſuccurrendum fratri, ſorori, nepti, aliiſque conſanguineis, quos divinæ poteſt committere providentiæ, & orationibus, aliiſque modis Religioſo convenientibus adjuvare.

Conſectarium Sextum.

VI. Qui vel propoſitum, vel votum emiſit ingrediendæ Religionis, ut propoſitum deſerere, & votum ſuſpendere poſſit ad ſuccurrendum parentum neceſſitati, hæ ſunt conditiones penſitandæ. Nimirum 1. quæ & a D. Th. ſtatuitur. *Si poſſit in ſeculo vivere ſine peccato mortali, vel non de facili. Nam ſi timet ſibi periculum peccati mortalis, cum magis teneatur ſaluti animæ ſuæ providere, quam corporali neceſſitati parentum, non tenetur in ſeculo remanere.* Quæ conditio licet reſpectu filiorum raro fortaſſis contingat, reſpectu tamen puellarum facilius occurrit, quippe quia earum pudicitiam exponere non verentur quandoque parentes gravi urgente neceſſitate. 2. Ut certa ſit ſpes ſubveniendi parentibus, quæ e contra in maribus frequentius contingit, in puellis vero raro admodum. 3. Ut deſint qui poſſint & velint parentibus auxiliari. 4. Denique ut Religionis ingreſſus vere ſubventioni parentibus præſtandæ impedimento ſit. Qui vero Religionem vovit, a voto implendo quidem impeditur, dum parentum egeſtati inſervit: at ea ceſſante votum implere tenetur, cum validum ſit, licet emiſſum comperta gravi parentum indigentia. Oppoſitum tamen nonnulli ſentiunt, qui putant invalidum illud votum, utpote præcepto naturali ſuccurrendi parentibus contrarium, quod certe liquidum non eſt: nam & profeſſio Religioſa invalida foret tempore paternæ indigentiæ emiſſa, cum & ipſa naturalis præcepti impediat impletionem, & tamen ad unum fatentur Theologi, illicitam quidem eſſe, at minime invalidam: quamobrem & idem dicendum de voto ſimplici Religionis, cujus impletio ſuſpenditur quidem, at non tollitur, niſi forte tandiu duret indigentia parentum, ut filius ad Religionem fiat ineptus, tunc enim ceſſabit votum non deficientia validitatis, ſed impotentia perſonæ, & ineptitudine materiæ.

Conſectarium Septimum.

VII. Qui Religionis ingreſſum vel propoſuit, vel vovit, poteſt vel propoſitum deſerere, vel voti impletionem ſuſpendere, ut ſorori & fratri in gravi neceſſitate conſtitutis auxilietur. Nam licet abſolute poſſit ſorores & fratres ſui juris effectos, & a paterna poteſtate ſolutos divinæ committere providentiæ; tamen caritas erga perſonas tam arcte conjunctas concedere videtur, ut & a propoſito recedat, & voti ſuſpendat impletionem, uſque dum eorum conſuluerit neceſſitati, præſertim ſi de ſorore juvencula & nubili agatur, quæ ob egeſtatem de ſua pudicitia maxime periclitatur. Ita communiter, & etiam nobiliores ſentiunt Theologi.

Conſectarium Octavum.

VIII. Filius, cujus parentes, & filii in æquali gravis neceſſitatis gradu ſunt conſtituti, parentes filiis ſuis præferre debet. Hujus propoſitionis veritatem oſtendimus Tract. de Caritate cap. 12. §. 2. n. 13. & auctoritate S. Thom. confirmavimus.

Conſectarium Nonum.

IX. Officia filiorum erga parentes ſunt æque præſtanda a filiis legitimis, & ab illegitimis & ſpuriis, cum utrique adſtringantur naturæ jure, & divini præcepti obligatione, & pietas utroſque urgeat. Quamobrem filii naturales tenentur parentes diligere, revereri, illis obedire, indigentibus ſubvenire, & cetera pietatis officia implere.

REFLEXIO.

Qui timet Dominum, honorat parentes, & quaſi dominis ſerviet iis, qui ſe genuerunt, dicit Scriptura Eccl. 3. v. 8. ut oſtendat Dei timorem amoremque inferre dilectionem & reverentiam parentibus exhibendam, & tam arcto fœdere copulari, ut ab invicem nequeant ſejungi. Quamobrem ſtatim poſt præcepta Dei dilectionem, cultum, religionemque ſpectantia, præceptum ponitur de paterno obſequio præſtando, amore, & reverentia exhibenda, quaſi paterna dignitas ſit quid medium inter divinum & humanum, inter mortale & æternum; de humano ſiquidem participat, quia mortalem inducit & confert vitam; de divino autem, quia repræſentat, ac in æternum divinam illam repræſentabit paternitatem, per quam Deus eſt ſuarum auctor creaturarum, & ex quo omnis Paternitas in cælo & in terra nominatur. Oh utinam ſublimem hanc dignitatem in parentibus agnoſcerent filii, quanto illos complecterentur amore, quanta reverentia colerent, quam ſummo in honore haberent! Audiant S. Ambroſium ſic illos inſtruentem: „ Bene (ſcribit lib. 8. in Lucam) lex, quæ præmiſerat, *Diliges Dominum Deum tuum, diliges proximum tuum*, ſubjecit, *Honora patrem tuum, & matrem.* Primus enim gradus iſte pietatis eſt, namque hos Auctores tibi voluit eſſe Deus. Honora obſequiis, ut abſtineas a contumeliis, quia ne vultu quidem lædenda pietas eſt parentum. Sed parum eſt non lædere, quia lex proſpicit, ne patiantur injuriam: *Qui enim maledixerit Patri vel Matri, morte moriatur*, ſic honora, ut bonus ſis. Aliud eſt legis beneficium, aliud pietatis officium. Honora tuos, quia ſuos Dei Filius honoravit. Legiſti enim: *Et erat ſubditus illis.* Si Deus ſervulis, quomodo tu parentibus? Honorabat igitur Joſeph & Mariam Chriſtus, non naturæ debito, ſed pietatis officio. Honorabat & Patrem Deum, quemadmodum nemo potuit honorare, ut eſſet obediens uſque ad mortem. Honora ergo & tu parentes “.

Accedunt ad filiorum inflammandam pietatem erga

erga parentes innumera pene quæ ab ipſis ſunt conſecuti beneficia, pro quibus nunquam ſatis, & ultra debitum queunt rependere. Audiant iterum filii Ambroſium cit. loc. ſic matris merita commemorantem: „ Honor eſt deferre pro meri- „ tis. Paſce patrem tuum, paſce matrem tuam. „ Et ſi paveris matrem, adhuc non reddidiſti do- „ lores, non reddidiſti cruciatus, quos propter „ te paſſa eſt, non reddidiſti obſequia, quibus te „ illa geſtavit, non reddidiſti lamenta, quæ tri- „ buit tenero pietatis affectu, emulgens labiis tuis „ ubera, non reddidiſti famem quam pro te illa to- „ leravit, ne quidquid tibi noxium eſſet, ede- „ ret, ne quid quod lacti noceret, hauriret. Ti- „ bi illa jejunavit, tibi illa quem voluit cibum „ non accepit, tibi vigilavit, tibi flevit; & tu „ illam egere pateris“? Et de Patribus l. 2. ſic ſcribit: „ Quid anxios Patres loquor pro filiorum „ profectu, & multiplicatos alienis uſibus cen- „ ſus, jactaque agricolæ ſemina poſterorum ætati- „ bus profutura? Nonne pro his obſequia ſaltem „ oportet rependi“? Deinde ad officia filios provocat ciconiarum exemplo, quod ingratis in parentes filiis objicit ſcribens lib. 5. Hexameron cap. 16. „ Quam vero rationabilium non excedat pie- „ tatem ac prudentiam avis hujus clementia „ conſiderandum, quam nec poſt exemplum qui- „ dem irrationabilium, quiſquam noſtrum imita- „ ri potuerit. Nam depoſiti patris artus per „ longævam ſenectutis, plumarum tegmine, ala- „ rumque remigio nudatos circumſtans ſoboles, „ pennis propriis fovet. Et quid dicam? Col- „ latitio cibo paſcit, quando etiam ipſe reparat „ naturæ diſpendia, ut hinc atque inde ſuble- „ vantes ſenem fulcro alarum ſuarum ad volan- „ dum exerceant, & in priſtinos uſus deſueta „ jam revocant pii patris membra. Quis noſtrum „ levare ægrum non faſtidiat patrem? Quis feſ- „ ſum ſenem ſuis humeris imponat, quod in i- „ pſa hiſtoria vix credibile habetur? Quis ut pe- „ jus ſit non hoc ſervulis mandat obſequium? „ At vero avibus non eſt grave, quod pietatis „ eſt plenum; non eſt onerofum, quod ſolvitur „ naturæ debito. Non recuſant aves paſcere pa- „ trem, quod etiam præſcripta neceſſitate ſub „ terrore pœnarum plerique homines recuſarunt. „ Aves non ſcripta, ſed nata lex ſtringit. Aves „ ad hoc munus nulla præcepta conveniunt, ſed „ gratiæ naturalis officia. Aves non erubeſcunt „ reverendi ſenis membra portare, eſt enim ve- „ ctura pietatis, quod eo uſque percrebuit ut „ congruæ mercedis remunerationem invenerit. „ Nam Romanorum uſu pia avis vocatur“. Diſcant igitur filii pietatis in parentes officia perſolvere, & erubeſcant ab ipſis brutis omiſſæ pietatis coargui.

Quod ſi nec paternæ dignitatis præſtantia, nec beneficiorum immenſa copia commoveri ſe ſentiunt filii, paveant ſaltem, & reformident divinam ultionem, quam ſibi theſaurizant in die iræ & furoris Domini, qui ſicut obſequentibus filiis largam promiſit retributionem, ita procacibus & ingratis acerbiſſima comminatur & infligit ſupplicia. Sic itaque illos ad ſalutem terret aurea ſua eloquentia D. Jo. Chryſoſtomus Serm. 4. de variis Geneſis locis in fine: „ Multum parentes „ a liberis honorari vult Deus, & qui hoc fece- „ rint, magnis bonis remuneratur ac donis, eos „ vero qui legem tranſgreſſi fuerint, magnis & „ gravibus malis punit, *Qui maledixerit*, inquit, „ *patri vel matri morte moriatur*, eos vero qui „ honorant illos, ſic ait: *Honora patrem tuum*, „ *& matrem tuam, ut bene ſit tibi, & eris lon-* „ *gævus ſuper terram*. Quod maximum eſſe bo- „ num cenſetur, beatam ſcilicet ſenectutem, hoc „ propoſuit præmium illis, qui ipſos honora- „ verint, & quod ſummum eſſe malum videtur, „ mortem immaturam, pœnam propoſuit iis, qui „ contumelioſi in eos fuerint .... Et non ſolum „ mori parricidam jubet, ſed quod in mediam „ civitatem ipſum deducat pater, deinde populo „ advocato accuſationem pronuntiet, qui vero „ audiunt ſinguli, arrepto lapide, parricidam il- „ lum percutiant, non enim ſpectatores tantum „ ſupplicii, ſed etiam miniſtros eos eſſe vult ... „ & cunctos ad ſupplicii conſortium vocat, quaſi „ contumelia affecti fuerint omnes, ac populum „ ſimul, & totam convocat civitatem, ut doceat „ eos, quibus nihil eſt commune cum illis, qui „ affecti ſunt injuria, in eos indignatione com- „ moveri, qui contumelioſi fuerint in parentes, „ tanquam in communem naturam cadente inju- „ ria, utque talem hominem quaſi peſtem quan- „ dam communemque morbum, non ex urbe ſo- „ lum, ſed ex ipſa quoque vita ejiciant; hoſtis „ eſt enim vir hujuſmodi, & omnium communis „ inimicus, Dei, naturæ, Legum, & omnium „ noſtrum viventium“. Honorent itaque Filii parentes, ament, opitulentur in neceſſitatibus, quippe qui, ut inquit Tridentini Concilii Catechiſmus omnia quæ hactenus expoſuimus argumenta complectens, „ ſunt immortalis Dei quaſi „ quædam ſimulacra, in iiſque ortus noſtri ima- „ ginem intuemur, ab iis vita nobis data eſt, „ iis Deus uſus eſt, uti nobis animum, men- „ temque impertiret, ab iis ad Sacramenta de- „ ducti, ad religionem, ad humanum cultum in- „ ſtituti, ad morum integritatem & ſanctitatem „ eruditi ſumus“.

CAPUT SEXTUM.

De Officiis Parentum in liberos, & primum de corporis cura.

D O C T R I N A.

I. *Doctrina Catechiſmi Tridentini de officiis parentum in filios.*
II. *Amor parentum erga filios qualis eſſe debeat.*
III. *Curare debent parentes, ut filii naſcantur ſani, & bene valentes.*
IV. *Quid ad hoc præſtare debent Matres.*
V. *Matres filios proprio lacte nutrire tenentur.*
VI. *Si lactare non valeant, de optima Nutrice providere.*
VII. *Alimenta tenentur filiis parentes ſuppeditare.*
VIII. *Quid nomine alimentorum veniat.*

IX.

IX. *Tenetur etiam pater ad expenſas pro ſtudiis & artibus addiſcendis.*

X. *Dotem filiabus ſuppeditare congruam & ſtatui conformem.*

XI. *Artes & ſcientias docere vel per ſe, vel per alios.*

XII. *Æqualitatem inter filios ſervare.*

XIII. *Ad ſtatum eligendum hortari, & non cogere.*

XIV. *Hæc officia etiam filiis ſpuriis ſunt præſtanda, ſervata proportione.*

I. IN Decalogo nihil de parentum officiis ſtatuitur, quia, ut animadvertit D. Thom. 1. 2. q. 100. a. 5. ad 4. ipſa natura parentes erga filios bene afficit; „ Filius enim eſt aliquid Patris, & „ patres amant filios, ut aliquid ipſorum; unde „ non ponuntur aliqua præcepta Decalogi pertinentia ad amorem filiorum, ſicut neque aliqua „ ordinantia hominem ad ſeipſum “: procul dubio tamen divina naturali lege ſancita ſunt parentum propria officia & munia, ut ſcilicet, inquit Catechiſmus Romanus, „ ſanctiſſimis diſciplinis ac „ moribus filios imbuant, iiſque optima dent vivendi præcepta, ut ad religionem inſtructi & „ parati Deum ſancte, inviolateque venerentur “. De his itaque officiis diſputaturi, claritatis cauſa juxta duplicem filiorum partem, corpus ſcilicet & animum, ea dividemus, & primum de iis quæ ad corpus ſpectant dicemus, poſtea de aliis, ſequentibus capitibus.

II. Primum parentum erga filios veluti generale officium, ex quo cetera profluunt & reguntur, eſt amor, quo genitos ſuos proſequi tenentur parentes omnes. Hinc optime ſcribit Salvianus lib. ad Eccl. Cat. „ Non ſolum amandos „ dicimus filios, ſed præcipue ac ſuper omnia amandos, nec quidquam his omnino anteponendum niſi Deum ſolum: nam & hoc eſt præcipue amare, illum filiis anteponere, quem non „ expediet omnino poſtponere. Quid eſt ergo, aut „ quomodo amandos dicimus filios? Quo abſque „ dubio, niſi quo Deus ipſe conſtituit. Neque „ enim eſt ullus melior filiorum amor, quam „ quem ille docuit, qui ipſos filios dedit, neque poſſunt pignora melius amari, quam ſi in „ eo ipſo, a quo data ſunt, amentur “. Porro hic amor, qui, ut diximus, per omnia ſe porrigit officia, ſe exerit ſtatim ac de filiorum generatione cogitant.

III. Primo itaque curare debent, ut filii meliori, quo poſſunt, modo ſani, & bene valentes in lucem prodeant: abſtinere proinde debent ab acceſſu ad mulierem menſtruæ purgationis tempore, cum filii tunc concepti infirmi naſcantur, imbecilles, & malæ valetudinis, ut docent Medici. Hinc in Veteri Lege vetitum erat accedere ad mulierem menſtruatam, interminata etiam pœna mortis. Quamobrem non deſunt Theologi, qui lethale peccatum dicant hujuſmodi acceſſum; quorum opinionem ex S. Thom. doctrina ſuo loco expendemus. Id unum tamen fatentur omnes, ſaltem veniale eſſe peccatum, & quidem in ſua linea grave. Item cavere debent, ne uxores prægnantes affligant, contriſtent, vel percutiant, verberent, vel alio graviori modo crucient cum gravi conceptæ prolis periculo & detrimento.

IV. Matres vero tenentur fœtum, quem in utero geſtant, cuſtodire, ne de vita & incolumitate periclitetur: eapropter abſtinere debent a gravioribus ferendis ponderibus, a laborioſis ſubeundis operibus, a ſaltationibus, choreis, ab immoderato vel noxio potu & cibo, a veſtibus ferendis nimium corpori adſtrictis, & ceteris omnibus, quæ conceptæ proli obeſſe prudenter prævidere poſſunt, & debent.

V. In lucem editæ proli alimenta ſuppeditare tenentur, & primo quidem Matres lacte ſuo nutrire debent infantes, niſi phyſico aliquo defectu, vel morbo impediantur. Quamobrem non ſunt a culpa immunes Matres, quæ ob mollitiem, & ne pulchritudinem amittant, vel ut matrimonii onera vitent & incommoda, natos filios nutrici extraneæ lactandos tradunt, reclamante in eas ipſa natura: nam Terra non eo ſolo nomine dicitur omnium parens, quod gignat tantum, ſed multo magis quod nutriat ea, quæ genuit. Quod aqua gignit, in aquis educatur. In terra nullum animantis, aut plantæ genus naſcitur, quod eadem terra ſucco ſuo non alat. Nec eſt ullum animantis genus, quod non alat ſuos fœtus. Vitulæ, Leones, & Viperæ educant partus ſuos, & ſolæ homines ſuos abjiciunt fœtus? An non ſpecies quædam expoſitionis & abdicationis eſt, infantulum tenerum adhuc a Matre rubentem, matrem ſpirantem, matris opem ea voce implorantem, quæ movere dicitur & feras; tradere mulieri fortaſſis nec corpore ſalubri, nec moribus integris, denique cui pluris ſit pecuniæ pauxillum, quam totus infans alienus? Delegitur, inquiunt, mulier ſalubri corporis temperatura. At quandonam mulieres, quæ urgente indigentia alienos filios lactandos ſumunt, ea pandunt occulta incommoda, & fortaſſis turpia, quæ a ſpe lucri arcerent? At ſit, ut lubet: nonne adhuc multum intereſt, utrum infans tenellus cognatum illum, & familiarem hauriat ſuccum, & calore jam aſſueto foveatur, an alienis cogatur aſſueſcere? Quid quod quam multi ſunt, qui graviſſimis morbis ac vitiis obnoxii fiunt, ſicut epilepſiæ, gracilitati, imbecillitati, ſurditati, fractis lumbis, diſtortis membris, infirmo cerebro, ſtupori mentis, non ob aliud, niſi quod a nutricibus indiligenter curati ſunt? Hæc ſi chriſtianæ parentes meditari velint, fortaſſis non leve arbitrabuntur crimen, quod tamen benigniores Theologi non niſi veniale dicunt. Nec excuſat ſanguinis nobilitas in matre, quam dedecere putant filios lactare. Nam nulla legitur in ſacra Scriptura ſanctarum mulierum, quæ progenie nedum nobiles, ſed & regalis ſtirpis, filios ſuos proprio lacte non nutrierint: profecto hoc non eſt nobilitatem oſtentare, ſed turpiter commaculare. Audiant Ambroſium lib. 3. de Abrahamo cap. 7. „ Provocantur (exemplo „ Saræ) feminæ meminiſſe dignitatis ſuæ, & la„ ctare filios ſuos, hæc enim Matrum gratia, „ hic honos quo ſe propriis commendant viris “. Et S. Gregor. M. lib. 11. q. 64. pravam dicit eſſe eam conſuetudinem, *per quam mulieres filios*

quos gignunt, nutrire contemnunt, eoſque aliis mulieribus ad nutriendum tradunt. Quod videlicet ex ſola cauſa incontinentiæ videtur inventum, quia dum ſe continere nolunt, deſpiciunt lactare quos gignunt. Non deſunt propterea Theologi, qui gravis culpæ accuſant matres, quæ abſque legitima cauſa onus detrectant ſibi a natura impoſitum filios lactandi quos gignunt, licet longe plures ſint qui excuſant. Suæ itaque conſulant ſaluti matres, & in re ſaltem dubia, quod natura dictat, ſequantur.

VI. Mulieres, quæ filios lacte ſuo nutrire renuunt, tenentur tamen optimam & bene valentem nutricem ſtudioſe quærere, in quo gravis negligentia ad lethale uſque peccatum pervenire poteſt, quoniam ex infirma, infecta, & mala nutrice non levia redundare poſſunt in tenerum puſionem mala, & incommoda. Expenſæ tamen nutricis non ad ipſam matrem, ſed ad patrem pertinent, cum filios lactare onus ſit perſonale, a quo ſi mulier immunis ex legitima cauſa ſit, ad patrem devolvitur.

VII. Tenentur parentes alimenta filiis præſtare, quippe cum, ut docet S. Thom. pater habeat rationem principii: ideo per ſe patri convenit, ut ſubveniat filio, & propter hoc non ſolum ad horam debet ei ſubvenire, *ſed in totam ſuam vitam, quod eſt pro filiis theſaurizare.* Hoc tamen officium non æqualiter matrem adſtringit ac patrem, ſed illa lac & alimenta debet filio uſque ad triennium, pater vero cetera, quæ ad filii ſuſtentationem ſunt neceſſaria, præſtare tenetur: ideoque ſi quid præbuerit, quod pater tribuere adſtringebatur, poſſet, niſi donare velit, repetere. At ſi pater non ſit par alendo filio, hoc onus ſubire tenetur Avus paternus, aliique aſcendentes, quibus deficientibus obligatio ad ipſam matrem devolvitur, quæ poſt patrem aliud eſt filii principium.

VIII. Alimentorum nomine intelliguntur cibus, & potus, veſtimenta, habitatio, medicinæ ad morbos depellendos, & alia hujuſmodi juxta ſtatum & conditionem tum parentum, tum filiorum. Quæ tamen ut conſequatur filius, tenetur cum parentibus vivere, in eadem domo manere, & ſub diſciplina patris: ideoque ſi ſine juſta & rationabili cauſa paternam detrectet cohabitationem, vel ſubjectionem, alimentis privari poteſt, quæ tamen adhuc præſtare tenebitur pater, ſi filius juſtis de cauſis per judicem approbandis ab ipſo cogatur recedere.

IX. Ad expenſas etiam tenetur pater, quæ ad ſtudia peragenda, vel artes addiſcendas, quæ filiorum ſtatum decent, ſunt neceſſariæ. Quamobrem parens non tenetur ad filium promovendum ad alium nobiliorem ſtatum, quod ſi præſtare velit, ut ſi plebejus homo filium in aliqua Univerſitate educare, ad nobiliorem artem addiſcendam, puta Medicinæ, Juris civilis ſive Canonici, ex ſola liberalitate præſtabit, qui eapropter majores, quas ſubit expenſas, in legitimæ portionem poterit computare; quod ſi hoc non declaret vel voce vel teſtamento, cenſetur donare voluiſſe. Si filius uxorem duxit, nec eam alere poteſt, tenetur ad alimenta pater; quod ſi filius invito patre, & cum dedecore indignam duxerit uxorem, non teneri puto probabilius cum Covarruvias, alere hujuſmodi feminam; ſed aſſignata filio legitima, eum a ſe per emancipationem abdicare poterit. Quod ſi nolit, & filius egeat, nec habeat, unde ſe & uxorem alat, licet graviter in patrem peccaverit filius, per hoc tamen non ceſſat jus ſanguinis, & naturalis pietatis ratio, cujus jura diſponunt alimenta eſſe a patre filio præſtanda; quamobrem & filium, & uxorem alere tenebitur; ſed ea tantum præſtando alimenta, quæ liberis ſuis immorigeris etiam, & ingratis naturali jure præbere tenetur.

X. Dotem etiam filiabus, quæ nubere volunt, dare debent parentes, juxta familiæ vires, & conditionem, ſicut & ſi Religioſum ſtatum velint amplecti; nam dos inter alimenta reſpectu puellarum computatur, quam, licet filia propria bona adventitia habeat, nec alimentis egeat, non poterit pater denegare. Si vero filia inſcio patre nubat, vel cum digno & ſibi pari nubit, & tunc dotem ſolvere debet genitor, quia licet gravem inferat parenti injuriam, hæc tamen non ſubſtantiam, ſed modum reſpicit matrimonii; cum cæteroquin ipſe pater & dignum dare filiæ ſuæ maritum, & juſtam dotem conſtituere teneatur. Si vero indigno nubat & moribus & genere, ſed poſt annum vigeſimum quintum, dotem nequit denegare; parentis enim culpæ vertendum eſt, ſi indigno nupſerit, qui, cum poſſet filiæ ſuæ conſulere, & de ſtatu providere, vel neglexerit, vel noluerit. At ſi ante annum vigeſimum quintum indigno, & reclamante patre nubat, dotem elargiri non tenebitur parens, ſed ſolum alimenta, ſi forte non habeat, unde vivat, & quidem naturæ ſufficientia, non ſtatui conformia.

XI. Tenentur parentes etiam filios erudire in artibus illis, ſcientiis, muneribus, & officiis, quæ eorum ſtatui, capacitati, & conditioni congruunt. A quo munere non ſunt immunes parentes divites, nobileſque, qui vel erudire debent filios, vel, ut erudiantur, ſollicite curare in illis diſciplinis, ſtudiis, & officiis, quæ ejus indoli, capacitati, ingenio magis convenire poſſe perſpiciant. Siquidem parentes omnes, cujuſvis conditionis, non ſibi ſolis filios generant, ſed ſocietati, Reipublicæ, communique bono; quamobrem eos idoneos reddere conari tenentur, ut & victum ſibi, & neceſſaria ad vitam eo in quo geniti ſunt ſtatu conſervandam idonei fiant, & communi bono utiles ſint.

XII. Debent etiam parentes filios æquales, quantum fieri poteſt, reddere in bonis familiæ, quæ ſunt æqualiter inter eos dividenda. Nam ut obſervat S. Ambroſius lib. de Joſeph Patriarcha c. 11. „ Frequenter amor patrius, niſi moderationem teneat, nocet liberis .... ſi prælatione unius ceteros ab affectu germanitatis invertat. „ Plus acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur. Hæc præclarior munificentia patrum, „ hæc dicitur hæreditas filiorum. Jungat liberos „ æqualis gratia, quos junxit æqualis natura. Lucrum pietas neſcit pecuniæ, in quo pietatis diſpendium eſt. Quid miraris ſi propter fundum, „ aut domum oriantur inter fratres jurgia, quando propter tunicam inter Jacob ſancti filios exarſit invidia "? Licet tamen patri aliquid amplius

plius concedere filio, qui ſingularis benevolentiæ ſigno, vel ſpeciali in parentes affectu, aut aſſiduo labore, quo familiæ bona auxit, id ſibi promeruerit. At contra juſtitiam, & certe contra caritatem etiam lethaliter peccant parentes, qui, ut in uno filio ſplendorem familiæ vel conſervent vel augeant, ita majorem bonorum partem illi adjudicant, ut alios a ſuo ſtatu decidere, vel cœlibem vitam ducere, vel impari Matrimonio jungi cogunt, ut dicemus in Corollariis.

XIII. Ad ſtatum aliquem eligendum filios & hortari, & urgere, ac adjuvare debent parentes, verum ad unum potius quam alium cogere non poſſunt. Et primum quidem ſatis apertum eſt, cum enim boni parentis munus ſit, ut ſua pignora vitam decore & decenter ducant, ſummo ſtudio procurare, nihil magis ad hoc confert, quam ſtatus electio, & talis præcipue, qui eorum conditioni, indoli, ac ingenio congruat: eapropter ad hoc hortari, ſuadere, & impellere poſſunt parentes filios ſuos; cogere vero non poſſunt, quia in ſtatus electione liberi ſunt filii, nec parentibus ſubjecti; maximam proinde eis irrogarent injuriam parentes, ſi illos ad determinatum vitæ genus, a quo abhorrere perſpiciunt, cogerent, & certe Deo reddenda illis eſſet ratio ſcelerum & criminum, quæ a filiis patrarentur in tali ſtatu, quem invitos amplecti compulere; quod præcipue contingit, cum filios vel filias ad cœlibem vitam vel in ſeculo, vel in ſtatu Religioſo ducendam obſtringunt.

XIV. Hæc omnia officia ſunt a parentibus exhibenda etiam filiis ſpuriis, illegitimis, & naturalibus, licet non omnimoda æqualitate cum filiis legitimis. Tenentur itaque illis alimenta ſuppeditare, nam ortus & nativitatis macula non efficit, quin filii ſint, & ex patris ſubſtantia geniti, qui ſicut illis eſſe dedit, debet naturæ jure & alimenta ſuppeditare ad vitæ conſervationem neceſſaria, licet non ea copia & ſplendore, ac ſi filii legitimi forent: debet filiam notham dotare, cum dos ſit alimentorum loco, quæ tamen danda eſt vel juxta leges & ſtatuta locorum, vel ſpectata ſtatus congruentia. In Teſtamentis condendis poſſunt & debent parentes filiis nothis alimenta legare, quæ ſi in fundo aliquo conſtituantur, fundus ille poſt mortem filii non ad ejus hæredes tranſit, ſed ad parentis hæredes revertitur: poteſt etiam, deficientibus legitimis filiis, illis omnia bona legare, quæ poſſet extraneo. At ſi filii legitimi ſuperſint, non niſi duodecimam partem legare poteſt. Attendendæ ſunt tamen, & ſervandæ Principum leges & ſtatuta, ſi quæ lata ſint circa filios nothos. Immo ſpectato jure naturæ etiam Religioſi & Clerici filios, quos ex ſacrilego concubitu obtinuerint, alere debent, & ſi feminæ ſint, dotaræ, & deficiente patrimonio etiam ex fructibus Beneficii, ut docent Abbas, Navarrus, & Pignatellus. Nec vetitum illis eſt, dum vivunt, ſi bona habeant patrimonialia, donare, unde vivere poſſint. At teſtamento legare vetitum eſſe, affirmat Soto pluribus legibus, quæ ſunt præ oculis habendæ, & ſervandæ. Diſpari tamen modo debent alimenta illegitimis pater, & mater: hæc ſiquidem primo triennio adſtringitur filium lactare & educare, poſtea onus tranſit præcipue ad patrem, quo deficiente ſuccedit mater. Sicut itaque alere debent filios ſpurios parentes, ita etiam, ſervata proportione, & alia paternæ ſollicitudinis & curæ munia, & officia exhibere tenentur.

CAPUT SEPTIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Peccant lethaliter parentes in lecto infantes retinentes cum periculo ſuffocationis.*
II. *Et qui ipſis maledicunt, & mala inprecantur.*
III. *Qui cum alere poſſunt, alendos Hoſpitali tradunt.*
IV. *Qui mortis, vel infamiæ metu pueros Hoſpitali tradunt, non peccant quidem, ſed ad reſtitutionem tenentur.*
V. *Qui puerum ante ſuam januam expoſitum reperiunt, num teneantur illum ſuſcipere & alere.*
VI. *Alimenta ſunt præbenda filiis etiam hæreticis, excommunicatis, & in exilium pulſis.*
VII. *Peccant & ſæpiſſime lethaliter parentes, qui familiæ bona vel negligunt, vel diſſipant.*
VIII. *Legitimam filiis parentes relinquere debent.*
IX. *Quando non tenentur alimenta præſtare filiis parentes.*
X. *Quando poſſint jure denegare.*
XI. *Orphani a quibus alendi.*
XII. *Num poſſint parentes filios in neceſſitate vendere.*

Conſectarium Primum.

I. PEccant & quidem lethaliter parentes, qui teneros infantes ſecum in lecto retinent ob periculum ſuffocationis, quod non raro occurrit: hinc in aliquibus Diœceſibus hujuſmodi crimen reſervatum eſt. Hinc ſcribit S. Antoninus in Summa Confeſſ. par. 1. „ Si mater, vel nutrix „ ſuffocat filium vel filiam, quam tenet juxta ſe „ inadvertenter opprimens, mortale eſt propter „ negligentiam, & eſt epiſcopalis caſus“. Nec expectanda oppreſſio, vel ſuffocatio infantis ad incautos hoſce parentes reos habendos; ſed ſufficit, ſi contra legem eos detineant, & ſi periculum adſit ſuffocationis, quod ſemper adeſſe præſumitur, cum in lecto abſque repagulis detinentur. Similiter & matres, dum infantibus lac præbent ſugendum, vigilare debent, ne ſomno oppreſſæ infantes ſuos vel interficiant, vel aliquo gravi damno afficiant.

Conſectarium Secundum.

II. Rei ſunt lethalis culpæ parentes, qui filiis ſuis maledicunt, mala imprecantur, ſi hoc enim grave ſcelus eſt in extraneos, quanto ſceleſtius perpetratur in filios, quibus ſemper benedicere debent parentes? Nam Eccleſ. 3. v. 11. dicitur: *Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Nec immunes a cul-

a culpa ſunt matres, quæ infantilis ætatis moleſtiis turbatæ filiis ſuis mortem cupiunt eo obtentu, quia in cælum ſtatim evolant, cum non ex amore procedat, ſed ex impatientia, tædio, & ira, quæ aliquando tanta eſſe poteſt, ut ad gravem uſque culpam perveniat.

Conſectarium Tertium.

III. Parentes, qui filios ſuos alere poſſunt, graviter peccant, ſi eos hoſpitali alicui alendos tradant. Violant enim in re gravi jus naturale filiorum, ut nutriantur, & alantur a ſuis parentibus, & in Lege *Necare ff.* de lib. agnoſcendis dicitur: *Necare videntur, non tantum is qui partum ſuffocat, ſed & qui abjicit, & alimoniam denegat, & eos publicis locis miſericordiæ cauſa exponit*, quam ipſe non habet, & ad reſtitutionem omnino tenetur. Solum itaque a culpa excuſari poſſunt, quando inopia & egeſtate preſſi revera filios alere non valent; conſulunt enim eo meliori quo poſſunt modo filiis ſuis, eos aut hoſpitali, aut divitum domibus exponentes. Ita communiter docent Theologi & Juriſtæ.

Conſectarium Quartum.

IV. Qui filios ſuos alere poſſunt, ſed ad vitandam matris vel necem, vel infamiam eos hoſpitali tradunt, aut domibus piorum fidelium exponunt, non peccant quidem, ſed ad reſtitutionem tenentur. Et quidem Cajetanus, Soto, aliique communiter Theologi a peccato excuſant, quia non videntur cum tanto periculo & onere ad eos ſecum retinendos, & alendos obſtringi. Tenentur tamen aliquo ſigno infantem notare, ut poſſint elapſo infamiæ, vel vitæ periculo filii educationi, & alimoniæ proſpicere. Quoad onus reſtitutionis hoſpitali faciendæ, illud libenter agnoſcunt Theologi omnes, quotieſcumque hoſpitale paupertate, & inopia laboret: at benigniores aliqui Theologi inficiantur, ſi dives ſit, & reditibus abundans; cenſent enim copioſa donata fuiſſe a piis fidelibus hoſpitali bona, ut quoſcumque oblatos filios nullo habito diſcrimine aleret. Verum longe probabilior mihi videtur oppoſita opinio, quam docent Cajetanus, Molina, Vaſquezius, aliique, adhuc ad reſtitutionem teneri: præſumendum enim non videtur, pios fideles ideo bona ſua Hoſpitalibus eſſe elargitos, ut avaritiæ, & crudelitati parentum faverent, ſed ſolum ut veræ paupertati & neceſſitati auxiliarentur, & opem ferrent. Et revera ſi quis dives, nec ullo modo egens, paupertatem ſimulans, a divite hoſpitali eleemoſynas ſibi procuraret, nonne eas furaretur, & pauperibus ſubriperet, quibus reſtituere teneretur? Porro cum dives, qui filium ſuum alere poteſt, hoſpitali exponit, fictum pauperem ſubjicit, tenetur igitur reſtituere, & damnum veris pauperibus illatum ſarcire. Ita ſentit, & docet S. Antoninus 2. par. tit 2. cap. 7. ſcribens: „ Si ipſa adultera mitteret ad hoſpitale .... tenebitur hoſpitali de nutrimento & „ aliis expenſis, niſi notabilis paupertas excuſet, „ cum de jure naturali ad hoc teneatur; & hoſpitalia propter pauperes nutriendos ſint facta, „ non propter divites “. Pari pacto tenentur ad reſtitutionem faciendam piis viris, etiam divitibus, ante quorum januam filios reliquerunt, quia licet pii fideles ob pietatem, & titulo caritatis filios expoſitos alant, ne miſere pereant; jus tamen habent repetendi reſtitutionem, & damni reparationem, quam ſi negligant, vel non repetant, quia veros non agnoſcunt parentes, non ideo tamen liberantur a ſolutione divites parentes, qui ſaltem tenerentur pauperibus tantum diſtribuere, quantum pii fideles diſtribuiſſent, quod in alimoniam filii alieni inſumpſerunt. Et certe etiam benigniores Theologi ſentiunt poſſe hos pios fideles damnorum reparationem petere, quotieſcumque proteſtantur ſe velle a parentibus expoſiti infantis expenſas repetere. Ad illas autem ſive hoſpitali, ſive piis nutritoribus reſtituendas tenetur primo triennio mater, poſteriori tempore pater: ita tamen, ut alterius teneatur alter impotentiam ſupplere; cum uterque ſit principium filii geniti, cui alimenta jure naturæ ab alterutro debentur, vel ab utroque.

Conſectarium Quintum.

V. Qui puerum ante ſuam januam expoſitum reperit, ſi dives ſit, eum alere tenetur, vel hoſpitali tradere nutriendum, non vero ad alterius januam transferre. Et quidem poſſe divitem etiam ad hoſpitale expoſitum puſionem mittere, quin contra juſtitiam vel caritatem peccet, manifeſtum eſt, cum hujuſmodi loca ſint ad hos excipiendos alendoſque inſtituta. Si vero vel hoſpitale non adſit, vel ad illum mittere nolit, nequit ad alterius januam transferre, quia puer ille eſt vel in extrema, vel ſaltem in gravi conſtitutus neceſſitate: porro conſtituto in extrema, vel gravi neceſſitate, vel ex juſtitia, vel ſaltem ex caritate ſubvenire quilibet tenetur; alioquin nunquam caritatis in proximum & eleemoſynæ præceptum urgeret divites. Nec valet reſponſio Leandri, nimirum probabile futurum, ut niſi ab illo, ad cujus januam transfert, colligatur, ab aliquo alio ſaltem ſuſcipiatur; quandoquidem hac poſita Leandri probabilitate, admodum probabile eſſet nullum fore, qui infantem excipiat; quilibet enim licite poſſet de janua in januam transferre, & ſic totam circuire civitatem, quin puer pium inveniat ſuſceptorem. Cum itaque quilibet dives qui poteſt, debeat ex caritate tali infanti in extrema, vel gravi neceſſitate conſtituto opem ferre, & cum non magis hic, quam ille teneatur, primo in illum offendenti hoc onus ex caritate incumbit. Excipiendi tamen ſunt illi, qui ex ſuſceptione infantis de ſua fama periclitarentur, & poſſent in ſuſpicionem venire admiſſi criminis; ut ſi in domo, ante cujus januam expoſitus eſt puer, habitent Sacerdos, Virgo, vel vidua, vel honeſta aliqua mulier, hi enim poterunt vel ad hoſpitale mittere, vel ante alterius januam exponere: ſi enim licet parentibus ad vitandam infamiam propriam filium exponere, multo magis id licebit in pari periculo extraneis.

Con-

Conſectarium Sextum.

VI. Alimenta ſunt præſtanda etiam filiis vel excommunicatione ligatis, vel hæreticis, vel a Principe relegatis, ſive in exilium pulſis. Ratio eſt, quia excommunicatio non privat filium juribus & bonis temporalibus, quibus potiebatur ante excommunicationem; ſicut nec hæreticus deſinit eſſe filius. Poſſunt tamen Parentes filios vel voluntarie in excommunicatione ſordeſcenti, vel pertinaci hæretico alimenta ſubtrahere ejus ſtatui convenientia, ut reſipiſcat, & ea ſolum ſuppeditare, quæ naturæ ſunt neceſſaria. Quod ſi non ſolum in hæreſi pertinax eſſet filius, ſed & alios ſeducere, & in errorem pertrahere conaretur, poſſent ut fidei perduelli & inimico omnia alimenta denegari. Pari pacto licet filius relegatione, vel exilio mulctatus, indignus ſit juris civilis favoribus, quippe qui jura civilia enormiter violaverit, unde indictum ſit, ne ei alimenta præſtentur; adhuc tamen ea ſuppeditare, ſaltem quantum ſunt naturæ neceſſaria, debebit genitor, cum civilia jura juri naturæ & ſanguinis nequeant derogare: quod ſi forte filius perduellis foret in patriam, & adverſus eam moliretur, erunt tunc deneganda, cum bonum commune patriæ ſit privato bono etiam filii, a patre præferendum.

Conſectarium Septimum.

VII. Peccant, & frequenter etiam lethaliter parentes, qui bona familiæ negligunt, vel in comeſſationibus, ludis, ebrietatibus, impudicitiis dilapidant & diſſipant, quamobrem neceſſaria deſunt familiæ, quæ aliquando etiam ad inopiam redigitur; graviter ſiquidem lædunt & juſtitiam & caritatem in filios, quos vel miſere vivere, vel mendicare, vel viles & mechanicas artes exercere cogunt. Immo peccant etiam lethaliter, ſi ſolliciti non ſint ad conſervanda, & aptis, licitiſque modis augenda bona familiæ neceſſaria, ut liberos honeſte, ſecundum proprii ſtatus conditionem, educare valeant, & collocare, filias dotare, & congruam relinquere hæreditatem, cum ad parentis officium pertineat non præſentibus ſolum, ſed & futuris filiorum neceſſitatibus proſpicere. Attamen huic muneri ſatisfeciſſe cenſendi ſunt parentes, ſi curaverint filios in aliqua arte, ſtudio, exercitio neceſſario erudiendos & inſtruendos, unde ſibi juxta ſuæ conditionis ſtatum, victum valeant honeſte comparare.

Conſectarium Octavum.

VIII. Legitimam quoque ex hæreditate ſua portionem filiis relinquere debet parens, nec illos ea privare poteſt, niſi in caſibus in Jure conſtitutis, de quibus infra: nec obtentu divini cultus promovendi, bona Monaſteriis, Eccleſiis, lociſque piis leganda, cum non ſint propter ſupererogationis opera, quæ juſtitiæ ſunt & caritatis omittenda officia. Legitima vero, ut ſtatuunt jura, conſtat tertia parte totius hæreditatis, ſi filii ſint quatuor & infra, dimidia vero, ſi præfatum numerum excedant, juxta vulgata illa carmina

Quatuor aut infra dant natis jura trientem,
Semiſſem vero dant natis quinque vel ultra.

Num autem poſſit Genitor, ut Primogenituram inſtituat, vel Majoratum, conceſſa ceteris filiis tantum legitima, omnia bona ſua vel primogenito, vel alii ſibi magis dilecto filio, vel inter vivos, vel teſtamento cedere, diſputatum eſt elapſis annis in Piceno pluribus opuſculis & libris in lucem editis, anſam præbente pio Miſſionario Ordinis Cappucinorum ex dictis in quadam ſua ad populum Catecheſi. Ipſe quidem non tanti me facio, ut veluti ex tripode rem velim definire, quæ tamen mihi veritati propiora videntur, libere promam. In primis licere puto cuique Parenti ex bonis ſuis primogenituram ſeu majoratum inſtituere, quotieſcumque quæ primogenituræ vel majoratui ſuperſunt bona, tanta ſint, ut ceteros filios in ſuo convenienti ſtatu relinquant, nec ab eo decidere cogant, licet non tanto ſplendore vivant, ſicut primogenitus. Nam licet melius foret omnes filios æquales reddere, & plerumque ex ambitione & faſtu talis inſtitutio progrediatur; nihilo tamen ſecius fieri poteſt, ut juſtæ ſubſint rationes hujuſce inſtitutionis, vel ſi nullæ ſubſint, illicita fortaſſis erit inſtitutio ratione ſubjecti, primogenituram vel majoratum ex ambitione conſtituentis, non ratione conſtitutæ primogenituræ, cum Pater non teneatur omnes filios æquales reddere, & valeat abſolute unum alteri præferre, quemadmodum præſtitum legimus a pluribus ſanctiſſimis Viris in Veteri Teſtamento, in quo etiam lege Deuteronomii ſancitum erat c. 21. v. 17. *Danda primogenito de his quæ habuerit Pater, cuncta duplicia*, & in toto orbe Catholico plures ſint inſtitutæ primogenituræ, & majoratus, quin ulli inſtitutori culpæ quiſquam verterit. At ſi quis primogenituram, vel majoratum inſtituere aggreditur, non tanta potiatur bonorum & divitiarum copia, ut & ceteris relicta filiis legitima, eos valeat in ſuo honeſto & civili gradu continere, ſed ab eo cadere debeant, & ad inferiorem ſtatum deſcendere, & præterea ſi matrimonium inire velint, nonniſi imparem feminam queant ducere, vel cœlibem vitam trahere cogantur; arbitror reum eſſe acceptionis perſonarum, & in caritatem erga filios, & quidem graviter peccare. Quæ me movent argumenta, hæc ſunt. Inſtitutio primogenituræ vel majoratus res eſt plane in voluntate poſita parentis, nullo præcepto, nulla lege ad hoc adſtricti: ergo licita ſolum erit, ſi filiis ceteris non ſit perniciosa, quorum mala, detrimenta & damna vitare debet Pater jure naturæ. 2. Non quocumque modo juxta omnes Theologos debet pater filiis proſpicere, ſed modo ſtatui ſuo congruenti; porro qui ut alterum ex filiis ditet, ornet, augeat, alios e ſuo gradu & ſtatu dejicit, non omnibus juxta ſuum ſtatum & conditionem proſpicit; violat igitur juſtitiam & pietatem. 3. Ita tenetur pater filiis providere, ut ſtatum ſibi congruum poſſint eligere, nec ab eo eligendo impediantur:

at

at pater hic, de quo loquimur, vel cogit filios cœlibem vitam agere, ad quam ſe minime propenſos ſentiunt, vel ſi matrimonialem ſtatum velint præeligere, coguntur impari matrimonio, & minus ſibi convenienti mulieri copulari; non proſpicit igitur, ut debet, filiis, & deficit in iis, quæ paterno officio præſtare tenetur. 4. Quod maxime providere debet pater, ut docet S. Ambroſius ſup. laud. eſt, *ut filii ſe invicem ament, concorditer vivant, mutuo foveant; plus acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur, hæc præclarior munificentia patrum, hæc dicitur hæreditas filiorum*. Porro hunc amorem, hanc fraternam concordiam funditus deſtruit pater, dum ſua prælatione alterum divitem, opulentum, & decore viventem efficit, alios vero pauperes, egentes, indecoramque vitam ducere compellit; peccat igitur, & in cauſa eſt odii, rixarum, diſſidiorum, quæ inter fratres emergere ſæpe ſolent. Nec objiciant, hujuſmodi primogenita a civilibus Legibus indiſtincte & univerſim probari, nam hæ ſolum præſumptione nituntur, nullum ſcilicet inde oriri ceteris filiis grave damnum, & cum humanæ ſint, fallere in aliquo peculiari caſu poſſunt, quod malum eſt & perverſum, permittendo: quamobrem hic locum habet D. Auguſtini effatum lib. 1. de lib. arb. c. 1. *Videtur lex iſta, qua regendis civibus fertur, multa concedere, aut impunita relinquere, quæ per divinam tamen providentiam vindicantur, & recte*. Diſputationem itaque claudo verbis S. Ambroſii lib. 5. in Hexameron cap. 18. „ Quis „ reperit tam immitia patrum jura? Quis inter „ naturæ fraterna conſortia fratres impares fecit? „ Alius totius paternæ ſortis adſcriptionibus i„ nundatur, alius opulentæ hæreditatis patriæ „ deplorat exhauſtam atque inopem portionem. „ Numquid natura diviſit merita filiorum? Ex „ pari omnibus tribuit, quod ad naſcendi atque „ vivendi poſſit habere ſubſtantiam. Ipſa vos „ docet non diſcernere patrimonio, quos titu„ lo germanitatis æquaſtis. Etenim quibus dedi„ ſtis communiter eſſe, quod nati ſunt, non de„ betis his, ut id communiter habeant, in quod „ a natura ſubſtitutu ſunt, invidere". Et hæc de hac quæſtione dicta ſufficiant. Qui plura velit, legat opuſcula ex utraque parte edita, ſed præcipue epiſtolas viginti, uno volumine contentas, & a quodam Anonymo Cæſenate editas, ubi rem plene ac perfecte diſcuſſam & enucleatam reperiet, ſolum in eo culpandum, quod epiſt. 18. nimium pingui oſcitantia verba laudat, urget, & expendit tanquam S. Ambroſii, quæ ipſius minime ſunt, ſed Natalis Alexandri, cujus auctoritas, licet non contemnenda, nullo tamen modo eſt cum S. Ambroſii dignitate comparanda.

Conſectarium Nonum.

IX. Alimenta non tenentur præſtare parentes, quotieſcumque filii vel ſufficientia obtinent bona, vel artem callent non indecoram, vel officium vel munus in Republica ſunt conſecuti, ex quibus ſibi de alimentis providere valeant. Nec tenetur pater alimenta, quæ fortaſſis injuſte denegavit, reſtituere, ſi filius ea ſibi comparavit mendicando, vel gratis ab alio obtinuit: ſi vero ob hoc alieno ære gravatur, ab illo eum liberare tenetur pater. Ratio eſt, quia parens alimenta debens, non debet tamen pretium alimenti ei, qui aliunde, unde viveret, obtinuit. Conceditur tamen filiis in civili jure, ut patrem ad injuſte denegata alimenta per judicem compenſanda compellant; quod ideo indictum videtur, ne parentes filiorum ſuſtentationem negligant; eapropter poſt ſententiam judicis tenebitur pater ad alimenta compenſanda.

Conſectarium Decimum.

X. Alimentis privare, & exhæredando legitimam filio ſubtrahere non poſſunt parentes, niſi titulis a jure conſtitutis, qui ad hæc quatuordecim capita reducuntur, nimirum 1. ſi vitæ paternæ inſidiatus ſit. 2. Si paternum thorum violaverit. 3. Si patrem in judicio accuſaverit, exceptis criminibus in Principem, & patriam. 4. Si extra ſui, vel patriæ defenſionem manus in patrem violentas injecerit. 5. Vel gravi affecerit contumelia. 6. Si per delationem in judicium a filio factam pater grave paſſus ſit detrimentum. 7. Si patrem in carcere detentum non adjuvet. 8. Vel furioſi curam negligat. 9. Vel captivi redemptionem. 10. Vel teſtari volentem prohibeat & impediat. 11. Si filia minor annis viginti quinque oblatas a patre nuptias cum congruenti dote repudiaverit, ut luxurioſe viveret. 12. Si cum maleficis converſetur, vel maleficus ſit. 13. Si hiſtrionicam artem exerceat, quam tamen pater non profitetur. 14. Si hæreticus ſit, & pater catholicus. Quæ expendenda Juriſtis relinquimus.

Conſectarium Undecimum.

XI. Orphani, qui parentibus carent, alendi ſunt primo a poſſidentibus bona parentum gratioſo nomine; ſi enim poſſideant titulo oneroſo, quia ſcilicet c. ex. numerata pecunia a parentibus emerunt, non adſtringuntur; nam onus alendi filios non ſolum perſonale eſt, ſed & reale, non ſolum patrem afficit, ſed & ejus bona, quæ proinde cum ſuo onere tranſeunt ad donatarium, vel hæredem, qui proinde filios orphanos, etiam ſpurios, alere tenetur; immo talis donatio vel legatio, utpote inofficioſa, a judice reſcindi debet, vel ſaltem poſſeſſores ad filios alendos compellere, ut docent Azorius, Covarruvias, aliique. Hinc Monaſteria, Eccleſiæ, aliaque pia loca has donationes & legata acceptare nequaquam debent, vel ſi acceptent, filiis tenentur alimenta ſuppeditare. Si vero poſſident titulo oneroſo, puta venditionis, vel permutationis, non teneri liquido conſtat, cum tantumdem tranſierit in dominium patris, nullumque ſit damnum filiis illatum. Si vero nulla ſint parenti bona, illos alere tenentur patruus, proavus, aliique patris aſcendentes, quibus deficientibus ſuccedunt aſcendentes materni, deinde propinquiores conſangui-

ſanguinei, ita ipſo jure naturæ poſtulante, & ſanguinis conjunctione; ſi omnes deſint, ab hoſpitalibus alimenta accipere poſſunt, vel denique ſunt fidelium eleemoſynis alendi.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Num valeant parentes in extrema neceſſitate conſtituti filios ſuos vendere, cum apud Chriſtianos rariſſime id contingat, ſupervacaneum eſt operoſius inquirere. Abſolute tamen poſſe, & ipſum jus naturale concedere videtur, nam filius tenetur in ſummo diſcrimine vitæ per famis patris, illi opem ferre minori incommodo, quam illud ſit, quod ſubire pater poteſt; ergo ſi pater vel mortem, vel mutilationem ſit ſubiturus, quam ſua ſervitute filius impedire poteſt, tenebitur. Conſentiunt & plures Theologi, Soto, Molina, aliique, qui rem confirmant Hebræorum exemplo, qui ut habetur Eſdr. 2. cap. 5. dicebant: *Filii noſtri & filiæ noſtræ multæ ſunt nimis, accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus, & vivamus.* Id etiam concedit jus civile lib. 1. & 2. de Patribus, qui filios ſuos diſtraxerunt. Plura tamen notanda docent, nimirum 1. hanc poteſtatem vendendi filios probabilius ad matrem non extendi. 2. Filium eſſe debere adhuc ſub patria poteſtate conſtitutum, ut vendi poſſit; alioquin ſi emancipatus, ſi conjugio copulatus, ſi in Sacris conſtitutus, ... vendi nequaquam poteſt. 3. Si in ſervitutem redactus de vita, vel membrorum mutilatione periclitetur, vendi non poterit, cum patri nullum jus competat in membra, & vitam filiorum. 4. Pater cum primum poterit tenebitur filium redimere, quem emptor accepto pretio ſtatim liberum dimittere debebit, cum filius in tali venditus neceſſitate non abſolute ſervus evadat, ſed ſolum ſubeat onus ſerviendi, donec a patre, vel ab alio redimatur. Legantur laudati Auctores.

CAPUT OCTAVUM.

De ſpirituali filiorum cura, & educatione.

DOCTRINA.

I. *Tenentur parentes recte filios educare.*
II. *Se illis exhibere exemplum bonorum operum.*
III. *Inſtruere de rebus ad Religionem & pietatem ſpectantibus.*
IV. *Inculcare præceptorum obſervantiam, & fugam peccati.*
V. *Ad eorum inſtructionem idoneum ſeligere Præceptorem.*
VI. *Vigilare circa filiorum conſuetudines, mores, amicitias &c.*
VII. *Eos opportune, & prudenter corrigere.*
VIII. *In electione ſtatus dirigere.*
IX. *Quid curare debeant parentes, ſi filii religioſum ſtatum voluerint eligere.*
X. *Peccant lethaliter, & excommunicationem incurrunt, ſi filios ad Regularem ſtatum cogant.*
XI. *Caſus in quibus licet cogere filios ad Religionis ingreſſum.*
XII. *Patrinorum erga filios ſpirituales officia & munia.*

I. NOn omne abſolvunt parentes munus, qui ſolum de corpore, & ſtatu temporali filiorum curant, niſi eorum animum poſtea recta educatione componant. Immo illud minus principale officium, iſtud ſupremum & maximum. Primo itaque ubi nati ſunt, Deo illos offerre debent, & ſollicite curare, ut Baptiſmi Sacramento abluantur, graviſſimi criminis rei coram Deo, ſi ex eorum negligentia ſine tam neceſſario Sacramento decedant. Nam in Pœnitentiali Romano ab Antonio Auguſtino edito Tit. 1. cap. 31. ſtatuitur: *Cujus parvulus ſine Baptiſmo per negligentiam moritur, tres annos pœniteat, unum in pane & aqua.* Omnes propterea ſive Provinciales, ſive Diœceſanæ Synodi jubent, *ne procraſtinetur Batiſmus quocumque prætextu, ſed quam citiſſime fieri poteſt, baptizentur.* Et S. Cyprianus in epiſt. ad Fidum interrogantem, num expectanda eſſet octava dies, reſpondet non expectandum, ſed citius baptizandos, quippe *qui hoc ipſo de ope noſtra, ac de divina miſericordia plus merentur, quod in principio ſtatim nativitatis ſuæ ortus plorantes ac flentes, nihil aliud faciunt quam deprecantur.* Quando vero ſit Baptiſma conferendum ſine Eccleſiæ ceremoniis, & etiam ab ipſis parentibus, dicemus in Tract. de Baptiſmo.

II. Tenentur parentes ſe ipſos exhibere filiis exemplum bonorum operum: fruſtra enim eos vel inſtruerent bonis præceptis, vel inſtruendos curarent, ſi poſtea factis & pravis exemplis corrumperent; nam, ut inquit S. Leo ſerm. de Jejun. *Validiora ſunt exempla, quam verba.* Et ut ſubdit oppoſite S. Auguſtinus in Pſal. 136. *Quid facturus eſt adhuc infans, anima tenera attendens ad majores quid agant, niſi ut quod eos viderit agere, hoc ſequatur?* Et S. Hieronymus Lætam inſtruens, quomodo filiam ſuam educare debeat, primo loco dicit: *Te habeat magiſtram, te rudis miretur infantia, nihil in te, & in patre ſuo videat, quod ſi fecerit, peccet. Mementote vos parentes magis exemplis docere poſſe, quam voce.* Hinc gravi peccato ſcandali peccant parentes, qui coram filiis pejerant, blaſphemant, cum uxore jurgantur, in ſe mutuo maledicta eructant & probra, qui alienam famam proſcindunt, qui de obſcœnis vel ad rem uxoriam pertinentibus loquuntur, qui tabernas frequentant, & ebrii domum redeunt, & ſimilia, a quibus dum non cavent parentes, rei ſunt peſſimi exempli, quo ſpiritualiter filios ſuos occidunt, ut optime obſervat S. Auguſtinus ſcribens: *Omnis, qui male vivit in conſpectu eorum, quibus præpoſitus eſt, quantum in ipſo eſt, occidit. Qui ergo imitatur præpoſitum malum, moritur, qui non imitatur, vivit, tamen quantum ad illum pertinet, ambos occidit.*

III. Parentes tenentur inſtruere filios ſuos de his, quæ ad Dei cultum, ad pietatem, & ad chriſtianam diſciplinam pertinent, proinde eos edo-

docere Symbolum Apoſtolorum, Orationem Dominicam, præcepta Decalogi, capitalia peccat, & alia crimina, a quibus cavere debent, & cetera ad fidem & mores chriſtianos pertinentia; & ſi forte ipſi neſciant, curare, ut ab aliis inſtruantur, proinde ad publicas catecheſes non ſolum mittere, ſed & conſociare; ut Sacramenta frequentent, invigilare; ut feſtis diebus rebus divinis vacent, nec vel otioſe, vel in ludis, ſpectaculis, aliis inanibus operibus prophanent. Præcipue curare debent, ut cum pervenerint ad uſum rationis, Confirmationis Sacramento muniantur, & congruo tempore ad sacram menſam accedant, proinde de optimo & ſtudioſo Confeſſario eos providere, ut jubet Apoſtolus ad Epheſ. 6. v. 4. *Educate filios in diſciplina & correptione Domini*.

IV. In privatis ſermonibus, & colloquiis debent parentes filiis timorem Domini inculcare, præceptorum divinorum obſervantiam, fugam cujuſcumque peccati urgere, hoſtes noſtræ ſalutis illis patefacere, nimirum Mundum, Carnem, & Dæmonem, & frequenter eorum adhuc teneris mentibus inſculpere, quod docet Joannes Apoſtolus epiſt. cap. 2. v. 15. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt: ſi quis diligit mundum, non eſt caritas Patris in eo; quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non ex Patre, ſed ex mundo eſt*. Hinc ſi quando coram illis fiat mentio de theatricis ſpectaculis, choreis, comeſſationibus, pompis, ludis aleatoriis, illis obſtendant hæc ad mundi pompas, quibus in Baptiſmate abrenunciaverunt, pertinere, proinde eſſe ab eis fugiendas, tamquam ſaluti animæ noxias, & pernicioſas. Patientiam in rebus adverſis doceant, in proſperis ſuperbiam, inanem gloriam, & immodicum gaudium reprimant.

V. Magiſtrum ſive in ſcientiis, ſive in artibus, vel aliis miniſteriis edocendis ſeligant non ſolum peritum & idoneum, ſed pium & Deum timentem, nec cuique obvio imbuendos tradat, ut docet S. Hieronymus ad Lætam epiſt. 7. ſcribens: *Magiſter probæ ætatis, & vitæ, atque eruditionis eſt eligendus.... difficulter eradicatur, quod rudes animi perbiberunt*. Et in hoc parentum incuriam ſic D. Jo. Chryſoſtomus hom. 20. in Matth. reprehendit: „ Majorem aſinorum, ac equorum, quam filiorum curam habemus. Nam ſi burdonibus atque aſinis agaſo nobis præficiendus eſt, non parum vigilamus, ne dementem, aut tumulentum, aut furem, aut rei ejus imperitum præficiamus. Si vero ad colendum filiorum ingenium pædagogus ſit nobis inveniendus, qui caſu oblatus fuerit, recipimus, nec conſideramus ullam artem hoc artificio ſublimiorem non inveniri “. Cum vero eos Magiſtro vel ſtudiorum, vel artium tradiderint, non continuo in illum omnem filiorum curam transferre debent; ſed vigilare, num proficiant in ſtudio & arte, num tempus terant, num Magiſtrorum dictis obſequantur.

VI. Vigilare etiam debent, quibuſcum filii ſui converſentur, quæ adeant loca, quas colant amicitias, & ab omni prava ſocietate, a locis merito ſuſpectis, ab inhoneſtis amoribus ſumma ſollicitudine, cura, & ſtudio avocent, & amoveant. Eapropter nec poſt quintum annum ſecum in lecto detineant, immo nec in eodem cubiculo, nec fratrem cum ſorore in eodem cubili recumbere permittant. Quam enim pernicioſum hoc ſit, & ad innocentiam in ipſo limine rationis perdendam, quantum in hoc parentum incuria, & ſupina negligentia conferant, norunt experientia Confeſſarii; nec permittere debent, ut pueri quinquennes & ſupra cum ancillis, Nutricibus, aliiſque feminis cubent, & ſi paupertas, domus anguſtiæ, numerus filiorum urgeat, non propterea ſilendum eſt a Confeſſariis, ſed ſeparationem urgeant, ad Parochos eos mittant, & vel eleemoſynis, vel de ſuo penu, ſi poſſunt, lectulorum multiplicationem procurent. Unde egregie monet S. Hieronymus epiſt. ad Gaudentium: *Sexus femineus ſexui ſuo jungatur, neſciat puella, immo timeat & cum pueris ludere*.

VII. Tenentur parentes filios ſuos accurate corrigere. Nihil frequentius, & fortius inculcatur in Scriptura, quam filiorum paterna correptio. Eccleſ. 30. *Qui diligit filium ſuum, aſſiduat illi flagella, ut lætetur in noviſſimo ſuo... Lacta filium, & paventem te faciet, lude cum eo, & contriſtabit te .... Curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus, dum infans eſt, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ*. Et Proverb. 23. v. 13. *Noli ſubtrahere a puero diſciplinam, ſi enim percuſſeris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis*. In hac tamen correctione parentes Dei amorem imitentur, nimirum corrigant, ut quod malum, quod criminoſum eſt, tollant, & filios meliores efficiant. Sit itaque correctio ætati, & filiorum ingenio accommodata, ut ſit utilis; ſit proportionata qualitati & quantitati commiſſæ culpæ, ne ſit pernicioſa, & ad iracundiam provocet filios, contra monitum Apoſtoli Pauli; ne aſſueſcant filii hujuſmodi correctionibus, & indurentur potius, quam corrigantur.

VIII. In electione ſtatus filios quidem dirigant, hortentur, illiſque conſilium præbeant, at eos minime cogant. Hinc frequenter peccant parentes, qui filiorum matrimonia impediunt, & uni tantum concedunt, ne minuantur opes, & familiæ bona; qui ex filiis alium quidem conſervandæ familiæ deligunt, alium militiæ deſtinant, alium eccleſiaſtico ſtatui reſervant, non filiorum explorata voluntate, ingenio, & aptitudine, ſed ex libera voluntate, vel ex cæca prædilectione, vel denique ad familiæ ſolum utilitatem reſpicientes; inde poſtea non proſperitafamiliis provenit, ſed potius damna, & aliquando etiam everſio & exterminium; inde enim matrimonia ſecreta, vel conſcientiæ (ut vocant) etiam cum ignobilibus feminis ſcortationes, adulteria, rixæ, lites, diſſenſiones, indigni Sacerdotes, qui ſub Clericali veſte animum nutriunt plane mundanum, qui pinguioribus inhiant ſacerdotii muneribus, & Eccleſiæ bona diſſipant, vel ad luxum, & ſplendorem conſanguineo-

rum vel augendum, vel conſervandum inſumunt.

IX. Quando filii ſponte regularem ſtatum eligunt, tenentur parentes 1. eorum mores attentius ad pietatem formare, a ſeculi vanitatibus revocare, Sacramentorum, & operum piorum frequentiam urgere, & præſertim, ut Deo aſſiduis precibus ſe commendent, hortari. 2. Religionis, quam ingredi cupiunt filii, diſciplinam, & Religioſorum mores perſcrutari, & ſi in Cœnobio illo collapſam diſciplinam, & laxatam regularem vitam, ac præſertim orationis ſtudium, paupertatis cuſtodiam, ſolitudinis amorem prætermiſſum agnoverint, filiorum electioni reluctentur, & obſiſtant, nec unquam ſuum præſtent aſſenſum. Si enim parentes ſummo ſtudio, cura, & ſollicitudine ſponſæ, quam ſibi filius eligit, natalem, mores, conſanguinitatem, famam, pudicitiam, dotem, & alia plura perſcrutantur, profecto pari ac majori ſtudio de Religionis a a filio delectæ, in qua perpetuo vivere debet, obſervantia, pietate, florenti regulari diſciplina, perſcrutari tenentur, ne dum æternam ſuam ſalutem in tuto ponere arbitrantur filii, de illa quammaxime periclitentur.

X. Peccant lethaliter, & anathemati ſubjiciuntur, qui filias reluctantes & invitas vel Monaſterium ingredi, vel Religionis habitum induere, vel profiteri cogunt. Ita ſtatuit Trid. Synodus ſeſſ. 25. de Regularibus cap. 18. in hæc verba: „ Anathemati S. Synodus ſubjicit omnes, & „ ſingulas perſonas, cujuſcumque qualitatis, vel „ conditionis fuerint... ſi coegerint aliquam vir„ ginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mu„ lierem invitam, præterquam in caſibus a jure „ exceptis, ad ingrediendum Monaſterium, vel „ ad ſuſcipiendum habitum cujuſcumque Religio„ nis, vel ad emittendam profeſſionem, quique „ conſilium, auxilium, vel favorem dederint, qui„ que ſcientes, eam non ſponte ingredi Monaſte„ rium, aut habitum ſuſcipere, aut profeſſionem „ emittere, quoquo modo eidem actui vel præſen„ tiam, vel conſenſum, vel auctoritatem interpo„ ſuerint.

XI. Caſus in jure conſtituti, in quibus licet invitam mulierem cogere ad Religionis ingreſſum, hi enumerantur. 1. Si certo conſtet mulierem votum Religionis emiſiſſe. 2. Si poſt bimeſtre initi matrimonii, & omnibus remotis impedimentis renuat matrimonii conſumationem. 3. Si ad evitandum carcerem, vel mortem ob crimen perpetratum, vel eligat ſponte, vel oblatam a judice Religionis ingrediendæ conditionem acceptet. 4. Si elapſo quinquennio a profeſſione proteſtetur de profeſſionis nullitate.

XII. Cum Patrini in Baptiſmo ſpiritualem curam filiorum ſuſcipiant, quodnam ſit eorum munus, declarat S. Th. 3. p. q. 67. a. 8. ſcribens: „ Dicendum, quod unuſquiſque obligatur ad exe„ quendum officium quod accepit. Dictum eſt... „ quod ille qui ſuſcipit aliquem de ſacro fonte, „ aſſumit ſibi officium pædagogi: & ideo obliga„ tur ad habendam curam de ipſo, ſi neceſſitas „ immineret, ſicut eo tempore, & loco in quo „ baptizati inter infideles nutriuntur. Sed ubi nu„ triuntur inter catholicos Chriſtianos, ſatis poſ„ ſunt ab hac cura excuſari, præſumendo quod a „ ſuis parentibus diligenter inſtruantur. Si tamen „ quocumque modo ſentirent contrarium, tene„ rentur ſecundum ſuum modum ſaluti ſpiritualium „ filiorum curam impendere “. Tenentur igitur patrini ſpirituales filios, quorum ſpiritualem curam a parentibus negligi conſpiciunt, in ſe ſuſcipere, & eos ad pietatem inſtruere, defectus corrigere, & præcipue Myſteria & dogmata fidei Chriſtianæ, ſi forte ea ignorent, vel docere, vel ut addiſcant, ſollicite curare; nam, ut inquit D. Aug. ſerm. 215. „ Quos in Baptiſmo excipitis, ſcitote „ vos fidejuſſores pro ipſis apud Deum extitiſſe, „ & ideo tam illos qui de vobis nati ſunt, quam „ illos quos de fonte excepiſtis, ſemper caſtigate, „ corrigite, ut caſtitatem cuſtodiant, juſtitiam „ diligant, caritatem teneant.

CAPUT NONUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Peccant parentes qui filios ſcandalis offendunt.*
II. *Sicut & matres quæ filias pravis exemplis ſcandalizant.*
III. *Et parentes qui filios odio habent, illis maledicunt.*
IV. *Matres quæ filias immodeſte ornant.*
V. *Parentes qui filiis divitias, honores, humanam gloriam proponunt quærenda.*
VI. *Qui filios peccantes non corrigunt.*
VII. *Ad correctionem etiam verbera adhibere poſſunt.*
VIII. *At non in carcere formali & diuturno detinere.*
IX. *Peccant, ſi filios illicitis modis a religioſo ſtatu avertant.*
X. *Immo ſi puellas a ſtatu religioſo amoveant injuſte, excommunicationem incurrunt.*
XI. *Quam excommunicationem ſubeunt etiam cogentes puellas invitas ad ingreſſum Monaſterii ob ſtatum religioſum amplectendum.*
XII. *Non peccant vero, nec ſubſunt excommunicationi, ſi ſolum educationis gratia Monaſterium ingredi cogant.*
XIII. *Nec qui virgini proponunt, vel eſſe domi manendum, vel Monaſterium ingrediendum.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. PEccant, & quidem lethaliter parentes, qui ſcientibus, & videntibus filiis, vel domi, vel extra, concubinam alunt, qui alienas feminas ſectantur, propria interim uxore aliis relicta, qui ludos aleatorios frequentant, qui illicitos ineunt contractus, qui falſis utuntur ponderibus vel menſuris, vel res alienas furantur, & ſimilia publica & manifeſta crimina committunt, non quidem eo ſolo nomine, quia Dei præcepta hæc prava opera vetantia violant, ſed quia filiis ſuis ſcandalo ſunt, & pravis exemplis ad ſui imitationem pertrahunt, ſumma illorum pernicie, & ſpirituali damno.

Con-

Conſectarium Secundum.

II. Reæ peccati mortalis habendæ ſunt matres, quæ videntibus filiabus immodeſte ſe ornant, amicitias & familiaritatem cum alienis viris colunt, cum ipſis familiariſſime converſantur, ſolæ cum ipſis Theatra, converſationes, publica ſpectacula frequentant, uno verbo, intimius & liberius, quam cum propriis maritis tractant, relictis interim domi filiabus ſub cura ancillarum, & ſervorum. Quandoquidem hocce pacto iniquas conſuetudines in populo chriſtiano propagant, filias pudorem exuere docent, earum cuſtodiam & curam negligunt, & ad certam ruinam earum animas pravo ſuo exemplo impellunt, & matribus ſcandaloſis pejores ſuccedunt filiæ, cum magno chriſtianæ Religionis apud infideles dedecore & ludibrio.

Conſectarium Tertium.

III. Peccant lethaliter Parentes, qui filios, & filias odio habent, qui eis maledicunt, mortem cupiunt, contumeliis, turpibus & obſcœnis verbis reprehendunt. Violant ſiquidem graviter caritatem & pietatem in filios, quos diligere tenentur, & chriſtiane ad emendationem corripere, non crudeliter inſectari, & pravo exemplo ad paria in ſibi moleſtos regerenda impellunt & docent.

Conſectarium Quartum.

IV. Peccant matres, & frequenter lethaliter, quæ filias ſuas ſtudioſe ornant, quæ margaritas, monilia, capitis comas petulanter compoſitas, & alia vana ornamenta deferre concedunt, vel etiam procurant, quæ obtentu inveniendi maritum ad choreas ducunt, ad publica ſpectacula, ad ſolemnitates & encænias ſacras, cum adoleſcentibus converſari ſinunt, illis arridere, eorum munuſcula accipere, quæ initis cum aliquo adoleſcente ſponſalibus ſponſum & ſponſam, ideſt lupum cum ovicula, ſinunt noctu & die loqui, confabulari, libere converſari. Hæc omnia ſunt libidinis incitamenta, aleæ plenæ periculis, in quibus honeſtatem & pudicitiam frequenter perdunt. Audiant hæ matres S. Cyprianum tract. de Habitu virginum: „ Ornamentorum ac veſtium inſi-„ gnia, & lenocinia fucorum, non niſi proſtitu-„ tis, & impudicis feminis congruunt, & „ nullarum fere pretioſior cultus eſt, quam qua-„ rum pudor vilis eſt. Sic in Scripturis ſanctis, „ quibus nos inſtrui Dominus voluit & moneri, „ deſcribitur civitas meretrix, compta pulchrius „ & ornata, & cum ornamentis ſuis, ac pro-„ pter ipſa potius ornamenta peritura “. Et Tertull. de cultu feminarum lib. 2. c. 9. „ Hæ „ pompæ quam de proximo curent luxuriæ ne-„ gotium, & obſtrepent pudicitiæ diſciplinæ, di-„ gnoſcere in facili eſt, quod gratiam decoris „ cultus ſocietate proſtituunt “. Clemens Alexandrinus Pædagogi lib. 2. cap. 10. ſcribit: „ Lau-„ do, & admiror veterum Lacedæmoniorum ci-„ vitatem, quæ ſolis meretricibus floridas veſtes, „ & aureum mundum geſtare permiſit, a pro-„ bis mulieribus mundi ſtudium auferens, quod „ ſolis meretricibus ſe ornare concederet “. Oh utinam hæc ſanctiſſima lex etiam in chriſtiana Republica indiceretur! Multoque ſceleſtius peccant, ſi filias ſuas ſinant pectus, & colla nudata deferre, immo ſi hujuſmodi procaces puellas non acriter increpent, & ſevere puniant. „ Nul-„ lo modo permittendum eſt (inquit laud. Cle-„ mens Alex.) mulieribus, ut nudam aliquam „ corporis partem efferant viris, ne ambo prola-„ bantur, hi quidem, ut qui ad videndum inci-„ tentur, illæ vero, ut quæ in ſe virorum intui-„ tum attrahant “.

Conſectarium Quintum.

V. Peccant parentes, qui liberis ſuis nonniſi divitias, honores, dignitates, hominum exiſtimationem ſibi comparandam proponunt; quamobrem eis amorem divitiarum, ſuperbiam, ambitionem inſtiliant; cum ad vindictam de illatis injuriis provocant, terrenarum rerum affectum accendunt, qui eorum illicitis petitionibus annuunt, non arcent a peccandi periculis, victores in ludo laudant, perdentes conſolantur, & pecuniam ſuppeditant, ut æs alienum perverſe contractum ſolvant: hæc enim omnia vitia filiorum fovent, paſſiones accendunt, adverſa plane ſunt Evangelicis doctrinis, & filios in via perditionis conſtituunt.

Conſectarium Sextum.

VI. Si filios ſuos in aliquod flagitium pronos, ut ludendi, pejerandi, luxuriandi, & ſimilia, licet adoleſcentes & ætate provectos, non corrigant acriter & reprehendant, peccant parentes, & quidem frequentiſſime lethaliter; nec ſatis eſt, ſi ſolis verbis admoneant, ſed eorum petulantiam coercere debent, & ſeveriori fræno cohibere: hoc enim eſt præcipuum parentum officium, quantum fieri poteſt, omni ſepoſito humano reſpectu, filios ſuos a peccatis, & pravis conſuetudinibus pro virili amovere. Audiant D. Joan. Chryſoſtomum hom. 1. in epiſt. ad Timoth. „ Heli propter filios periit. Illos enim cum a-„ crius coercere debuiſſet, verbis tamen lenibus „ monuit. Quapropter dum illis moleſtus eſſe ſe-„ vera increpatione recuſat, illos & ſe ipſum u-„ na perdidit. Audite hæc patres, veſtroſque fi-„ lios in diſciplina, & correptione Domini eru-„ dite cum ſumma diligentia. Eſt enim juven-„ tus fera, plurimiſque indiget inſtitutionibus & „ magiſtris “. Nec ſe excuſent, eo quia nihil „ proficiant, nam eorum ſtudio & diligentiæ Deus „ ſua benedictione favebit, & ſi non filiorum, „ animas ſaltem ſuas liberabunt.

Conſectarium Septimum.

VII. Ad corrigendos & coercendos filios, Parentes etiam verbera adhibere poſſunt, moderate tamen, & non ex cæco iræ impetu, ſed ad emendationem caritatis ſtudio. Ita docet S. Thom. 2. 2. q. 65.

q. 65. art. 2. *Verberare aliquem non licet, niſi habenti poteſtatem aliquam ſuper illum qui verberatur. Et quia filius ſubditur poteſtati patris, licite poteſt verberare pater filium cauſa correptionis & diſciplinæ*; & in reſp. ad 1. ſubdit: *Per hoc quod patribus interdicitur, ne filios ad iracundiam provocent, non prohibentur filios verberare cauſa diſciplinæ, ſed quod non immoderate affligant verberibus*. Num vero Parentes poteſtatem habeant verberandi filios etiam Clericos, quin in excommunicationem incurrant, diſputant Theologi. Et primo quidem fere omnes conſentiunt licitum eſſe Parentibus correctionis gratia filios in minoribus conſtitutos verberare, quod illis conceſſum dicunt cap. *Cum voluntate* de Sent. excom. §. ult. At id plures negant de Clericis in ſacris Ordinibus conſtitutis, quos verberibus corripere illicitum putant, & inconceſſum parentibus. Verum puto, non ipſam punitionem, ſeu pœnæ genus eſſe attendendum, ſed parentis animum & voluntatem. Indicitur enim excommunicatio percuſſoribus Clericorum *ſuadente Diabolo*, ideſt temere, ex ira, animo nocendi. Porro parentes ſibi ſubjectos filios corrigere & punire poſſunt, ac debent; quamobrem ſi zelo juſtitiæ, ſi ad filiorum utilitatem, ſi juſte eos verberent, ſicut nec culpam committunt, ita nec excommunicationem incurrunt; e contra vero ſi ex ira, rabie, furore injuſte filios verberent, ſicut peccant, ita excommunicationem incurrunt, ſive filii ſint in minoribus, ſive in majoribus Ordinibus conſtituti. Verum quidem eſt, quod pœna infligenda eſt, reſpectu habito ad perſonam, gradum, ætatem, & conditionem: quare illa, quæ juſta eſſe poteſt cauſa, ut a patre vapulet filius pene puer in minoribus conſtitutus, injuſta erit & illegitima ut vapulet filius jam ætate maturus, & in ſacris Ordinibus conſtitutus. Res itaque eſt prudenti judicio expendenda.

Conſectarium Octavum.

VIII. Parenti non licet filium in formali carcere, nec perpetuo, nec diuturno detinere, niſi ex conſenſu Principis; detinere autem clauſum in aliquo cubiculo per breve tempus ad correctionem, vel ad impediendum flagitium, licet. Nam docet S. Thom. 2. 2. q. 65. a. 3. *Incarcerare aliquem, vel qualitercumque detinere eſt illicitum, niſi fiat ſecundum ordinem juſtitiæ, aut in pœnam, aut ad cautelam alicujus mali vitandi*. Et in reſp. ad 3. ſubdit: *Simpliciter aliquem incarcerare, vel ligare, ad eum ſolum pertinet, qui habet diſponere univerſaliter de actibus, & vita alterius: quia per hoc impeditur non ſolum a malis faciendis, ſed etiam a bonis agendis*. Ex doctrina S. Thom. patet 1. ſolum ſupremæ poteſtati, quæ habet diſponere univerſaliter de actibus, & vita alterius, convenire homines carceri emancipare, proinde parentes, ſi ita poſtulet neceſſitas, ad Magiſtratus confugere debent, & ab ipſis petere, ut filii ad tempus in carcere detineantur. 2. Poſſe parentes ad filios coercendos, & ad mala avertenda clauſos in cubiculo, vel domi detinere, cum hoc non ſit formaliter incarcerare, & ut dicit S. Thom. *Detinere hominem ad horam ab aliquo opere illicito ſtatim perpetrando cuilibet licet*, & multo magis Patri. Perpendendæ etiam ſunt Principum & Magiſtratuum leges, quæ fere ubique ſupremo Principi carceres reſervant. Poſſunt etiam Patres filios ſuos Principi ad militiam, non quidem perpetuam, ſed temporalem tradere, ſicut etiam domo pellere, parati tamen ſemper ad eos recipiendos in gratiam, quotieſcumque reſipuerint. Immo ad hæc rigoris extrema devenire non debent, niſi fruſtra alia adhibuerint mitiora remedia, & gementes, ex neceſſitate proſpiciendi bono familiæ, & coercendi petulantiam, & crimina filii, illumque revocandi ad meliorem frugem.

Conſectarium Nonum.

IX. Peccant lethaliter parentes, qui dolo, vi, fraude, aliiſque illicitis modis, vel etiam importunis precibus, & ſine juſta cauſa filios a ſtatu religioſo amplectendo impediunt. Primum quidem fatentur omnes Theologi, qui addunt, teneri parentes omnem fraudem, dolum, aliudque impedimentum vafre appoſitum removere, & filium deceptum in ſui poteſtate relinquere: nam hoc eſt injuſte libertatem filii impedire, ejus ſpirituali utilitati obſiſtere, Deum cultu fraudare, & Religioni, quam filius elegit, detrimentum afferre. Ita pariter ſentiunt de importunis precibus, quæ vim inferunt, & dolo ac fraudi æquiparantur. At non ita communiter ſentiunt de parentibus, qui blanditiis & precibus filios ſuos in ſeculo detinent, & ne religionem ingrediantur, impediunt, quos a lethali peccato excuſant Suarezius, Tamburinus, aliique ab ipſis citati. Verum probabilior mihi videtur oppoſita ſententia, quam nobiliores Theologi Dominicus Soto, Navarrus, Paludanus, Sylveſter, Tabiena, aliique tuentur. Et ſane ſi parentes ſine ulla juſta cauſa filios a religionis propoſito avocent, id non efficiunt, niſi carnali amore, & inordinato affectu; porro ex tam iniquo motivo a ſancto propoſito filium evocare, Dei cultum & gloriam impedire, natum ſpirituali bono privare, Religionem filio fraudare, grave videtur damnum, & detrimentum, proinde lethale peccatum. Et revera, ſi pater, ne divideretur a filio, illi impediret alicujus eminentioris dignitatis, vel ſublimis miniſterii aſſecutionem, nonne crudelis audiret, & erga filium inhumanus? Cur ergo & idem non eſt dicendum de rebus & bonis ſpiritualibus? Num hæc ſunt illis poſtponenda, & præ illis minoris habenda? Hinc Molinæ lubens ſubſcribo, qui de juſtitia & jure Tractat. 4. diſp. 51. ſic docet: „ Graviter peccare, qui abſque rationabili cauſa diſſuadet alicui ingreſſum, „ aut ei ſuadet egreſſum a Religione, facile patet, „ quoniam retrahere a tanto bono, atque a tam „ ſecuro ac perfecto ſtatu abſque ſufficienti cauſa „ grave ſane peccatum eſt, tenebiturque qui ita „ retraxit, caritatis lege ſuadere contrarium, ſi ſpes „ ſit iri reſarcitum quod ita impedivit ". Caute vero

vero additum, & repetitum *abſque rationabili cauſa*; nam ſi hæc adſit, nullum erit peccatum, ut ſi filius vellet ingredi Religionem a regulari diſciplina dilapſam; nam ut docet S. Antoninus 3. p. tit. 13. cap. 2. *Ubi quis ex ignorantia, vel errore intenderet illam ingredi Religionem, in qua non bene vivitur, crudelitas eſſet non reddere eum cautum, & a propoſito ſuo revocare*. Pari pacto non peccant, ſi ideo parentes filios ab eo propoſito revocarent, quia eos putant ineptos ad onus Religionis portandum, vel quia ejus ope egent, & ſibi neceſſarios putant ad curam rei domeſticæ, ad ſororum cuſtodiam, & ſimilia, in quibus tamen expendendis conſilium adhibere prudentis viri oporteret.

Conſectarium Decimum.

X. Qui vero puellas ſine juſta & rationabili cauſa ab ingreſſu in Monaſterium, Religioſum ſtatum amplexuras impediunt, vel retrahunt, nedum peccant lethaliter, ſed & excommunicationem incurrunt. Ita ſtatuit Concilium Trid. ſeſſ. 25. cap. 18. de Regular. „ Anathemati ſubjicit Sancta Synodus eos, qui ſanctam virginum, aut aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo ſine juſta cauſa impedierint ". Non deſunt tamen benigniores Theologi, qui eos ſolum putant huic anathemati ſubjacere, qui religioſam profeſſionem impediunt, non vero qui ingreſſum in Monaſterium, vel Tyrocinii ſive Novitiatus probationem; putant enim Tridentinum de illis virginibus & mulieribus loqui, quæ jam Monaſterium ingreſſæ, & in Tyrocinio poſitæ ab emittenda profeſſione præpediuntur. Verum hæc interpretatio aperte menti, & verbis Tridentini adverſatur, quod anathemate ferit impedientes non profeſſionem, ſed *voluntatem* veli accipiendi, vel voti emittendi. Porro hæc voluntas non ſolum viget & ardet in pectore puellæ in Monaſterio conſtitutæ, & Religionis habitum jam geſtantis, ſed & in puella ac muliere etiam in ſæculo degente, & in paterna domo vivente. Ita ſentiunt Suarezius, aliique Theologi. Num vero eidem pœnæ ſubjaceat, qui virginem, vel mulierem a voto Religionis emittendo impediret, negat Suarezius, affirmat Concina, quippe qui dicit votum ſuſcipiendi veli plus eſſe, quam ſimplicem voluntatem illud accipiendi: ſicut ergo qui voluntatem impedit, excommunicatur, potiori jure præfato anathemati ſubjicitur, qui votum ſuſcipiendi veli impedierit. Verum utramque opinionem conciliari poſſe puto. Nam ſi quis puellam, quæ jam ſtatuit ingredi Religionem, impediat, ne votum emittat, ſalva tamen & incolumi ejus voluntate, non puto excommunicationi ſubjacere, quippe qui revera puellæ voluntatem non impedit, ſed ſolum ne vinculo voti ſe obſtringat. Porro primum anathemati ſubjecit Concilium, at non ſecundum. Si vero a voto ita removeat, ut etiam voluntatem impediat, procul dubio excommunicationi ſubjacebit, quia revera puellam volentem Religioſum ſtatum retrahit, & impedit. Verum quidem eſt, votum accipiendi veli eſſe quid fortius, quam ſimplicem deliberationem; at quando votum emiſſum eſt, non antequam emittatur; tunc enim eſt ſimplex voluntas vovendi, & hanc impedit, ne in effectum prorumpat, qui votum impedit; & hoc poſito impedimento adhuc firma conſiſtere poteſt voluntas mulieris ingrediendæ Religionis, a qua ipſam non revocari ſuppono. Hæc claritatis gratia dixi, ſapientum tamen judicio ſubmittens. Hac excommunicatione non ligantur qui filiorum, & puerorum voluntatem impediunt, cum Concilium Tridentinum infirmiori ſexui proſpicere voluerit, ut infra dicemus.

Conſectarium Undecimum.

XI. Mortaliter peccant, & anathemati ſubjiciuntur Parentes, immo, ut inquit Tridentinum, *omnes & ſingulæ perſonæ cujuſcumque qualitatis, vel conditionis fuerit, tam Clerici quam Laici, ſeculares, vel regulares atque etiam qualibet dignitate fulgentes*, qui filias, vel alias mulieres gravi timore, cadente in virum conſtantem, coegerint ad Monaſterium ingrediendum, vel habitum Religionis ſuſcipiendum, vel profeſſionem emittendam. Hoc verum eſſe patet ex ipſo Concilii Tridentini Decreto, quod cap. præced. recitavimus. Nihilo tamen ſecius non deſunt Theologi, Sanchezius, Leander, & Bonacina, qui inficiantur, huic ſubjacere cenſuræ illos, qui gravi incuſſo timore ad monaſticam vitam amplectendam puellas, vel mulieres impellunt, quippe qui putant timorem etiam gravem, vim, & coactionem non inferre; quod certe, quantum a veritate abhorreat, nemo non videt, nemo non experitur; cum nihil magis homini violentiam inferat, quam timor alicujus gravioris mali, præſertim ab agente extrinſeco incuſſi; & licet juxta S. Th. quæ fiunt ex metu, ſint ſimpliciter voluntaria, & ſolum ſecundum quid involuntaria; hoc tamen non impedit, quin vim inferat qui gravem incutit timorem, quippe qui hominem ea perfecta privat libertate, quæ in ſuis actibus illi competit, & injuriam irrogat. Sed non opus eſt, ut in hiſce certis & exploratis diutius immoremur. Solum nonnulla ſunt animadvertenda. 1. Oportet, ut timor incuſſus ſit gravis, & aptus ad virum conſtantem commovendum; levis enim timor incuſſus veram non infert violentiam, & parentes talem metum inferentes peccare quidem poſſunt, at excommunicationi non ſubduntur. 2. Timorem hunc non eſſe ſolum in ſe ſpectandum, ſed relate ad perſonæ conditionem, aliaſque circumſtantias, proinde quod reſpectu viri vim non habet gravis timoris, eam tamen inducere poteſt reſpectu infirmioris ſexus, vel ætatis. 3. Excommunicationis pœnam non incurrere cogentes puellas vel mulieres ad religioſum ſtatum, niſi effectu ſecuto, quando ſcilicet puella per vim vel metum ſive Monaſterium eſt ingreſſa, ſive Religioſum induit habitum, ſive profeſſionem emiſit. 4. Vis illata ad unum etiam ex his tribus obtinendum ſufficit ad excommunicationem incurrendam. 5. Ea non ligari, qui viros & juvenes cogunt ad Religioſum ſtatum, quia licet non deſint

Auctores, qui doceant, eamdem eſſe habitam a Tridentino Concilio & de maribus, & de feminis rationem, quippe quod conſulere voluit libertati omnium in electione ſtatus Religioſi; communius tamen Theologi, & probabilius docent, latam excommunicationem adverſus vim inferentes feminis, tum quia de his tantum mentio fit in Decreto, tum quia juxta juris regulam pœnæ reſtringendæ ſunt, non dilatandæ.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Non peccant, nec excommunicationem incurrunt parentes, qui filias, licet reluctantes & invitas, cogunt Monaſterium ingredi educationis gratia, & ad tempus, donec de ſuo ſtatu ſponte & libere ſtatuant. Nam licet Tridentina Synodus excommunicatione perterruerit a cogendis puellis vel mulieribus etiam ad ſolum ingreſſum in Monaſterium; ex ſcopo tamen Concilii patet, talem coactionem anathemate puniri quotieſcumque Monaſterii ingreſſus ordinatur ad ſtatum Religioſum amplectendum, non vero ad alium rectum juſtumque finem, puta optimam educationem. Præterea id etiam eſt rationi quammaxime conſentaneum. Quandoquidem primo parentes jus habent, & onus educandæ prolis eo meliori quo poſſunt modo. Si itaque parentes filiam ſuam in paterna domo non bene educari, & de pudicitia periclitari conſpexerint, jus habent, immo tenentur ei proſpicere, illam in Monaſterio collocando: immo id præſtare poterit etiam alius conſanguineus, vel affinis, ſi proſpiciat filiam in paterna domo ob parentum ſenectutem, ineptitudinem, & fortaſſis etiam incuriam & malitiam, maxime periclitari, eam & reluctantem, in Monaſterio, retento ſeculari habitu, ad educationem collocare, non tamen invitis & reluctantibus ipſis parentibus. 2. Filiæ ſubjectæ ſunt parentibus in iis, quæ ad familiæ gubernium & earum educationem pertinent, illiſque obedire etiam ſub gravi culpa tenentur: debent igitur eis volentibus educationis gratia in Monaſterio collocare, parere, & obſequi; injuſte igitur reluctantur, & ſunt irrationabiliter invitæ. 3. Nulla illis infertur injuria: nam ſupponimus adhuc plena libertate quoad ſtatus electionem gaudere, cum poſſint libere vel matrimonialem ſtatum amplecti, & e Monaſterio opportuno tempore exire, vel Religioſum ſtatum ſeligere, nulla in hoc illata a parentibus vi vel metu. Ita ſentiunt Navarrus, Suarezius, aliique nobiliores Theologi.

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Non ſunt cenſendi violentiam inferre parentes, qui filiæ indicunt, vel ingrediendum Monaſterium, vel perpetuo domi manendum, quia pro honeſto & pari matrimonio non ſuppetit idonea dotatio, quotieſcumque revera ita ſit. Et quidem nullam inferunt violentiam, cum ad Monaſterium non cogant, ſed ſolum quod pro conditione familiæ illi neceſſario ſubeundum eſt, repræſentent, nec aliud ab illa expoſcunt, ſi Religioſum renuat ſtatum, quam quod decet virginem pauperem, & non valentem honeſtum & par matrimonium celebrare. Quod ſi parentes adeo eſſent avari, & crudeles, ut ſolo avaritiæ impulſu dotem dare renuerent, peccarent quidem & graviter, tum quia, quod paterno officio dare tenentur, negarent, tum quia ad cœlibem vitam ſive domi, ſive in Monaſterio ducendam filiam cogerent: attamen excommunicatione Tridentini non vincirentur, quia dotem denegando ad ingreſſum Monaſterii non cogunt, ſed in filiæ poteſtate relinquunt domi, & in ſeculo remanere.

REFLEXIO.

Difficilis admodum eſt ars, recta & ſapiens filiorum educatio, & quidem non qualiſcumque, ſed chriſtiana, & quæ Chriſti diſciplinam & Evangelicam deceat profeſſionem: nam inquit S. Joan. Chryſoſtomus hom. 20. in Matth. „ Non „ conſideramus, nullam artem hoc artificio edu- „ candi liberos ſublimiorem non inveniri. Quid „ enim majus, quam animos moderari, quam „ adoleſcentulorum fingere mores? Omni certe „ pictore, omni certe ſtatuario, ceteriſque hu- „ juſmodi omnibus excellentiorem hunc duco, „ qui juvenum animos fingere non ignorat “. Hinc mirum non eſt, ſi Deus in Scripturis ſæpiſſime filiorum rectam educationem commendaverit: *Filii tibi ſunt?* (dicitur Eccleſ. 7.) *erudi illos, & curva illos a pueritia.* Et cap. 30. *Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.* Proverb. 29. *Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ.... puer qui dimittitur voluntati ſuæ, confundit matrem ſuam.* Et rurſus Eccleſ. 30. *Qui docet filium ſuum, laudabitur in illo, & in medio domeſticorum in illo gloriabitur .... & in medio amicorum gloriabitur in illo. Mortuus eſt pater ejus, & quaſi non eſt mortuus: ſimilem enim ſibi reliquit poſt ſe. In vita ſua vidit, & lætatus eſt in illo; in obitu ſuo non eſt contriſtatus, nec confuſus eſt coram inimicis, reliquit enim defenſorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam.* Nec commendavit ſolum, ſed normam optimæ educationis & formam reliquit, unde recte dici poſſit parentibus omnibus: *Inſpicite, & facite ſecundum exemplar, quod vobis in Scripturis monſtratum eſt.* 1. Enim jubet, ut filii de lege & præceptis Domini ſtudioſe ſolerterque inſtruantur. *Ponite* (inquit Dominus Deuter. cap. 11.) *hæc verba in cordibus, & animabus veſtris .... docete filios veſtros, ut illa meditentur, quando ſederis in domo tua, & ambulaveris in via, & accubueris, atque ſurrexeris.* Et cap. 4. inquit Moyſes: *Dominus locutus eſt mihi dicens: congrega ad me populum, ut audiant ſermones meos, & diſcant timere me omni tempore, quo vivunt in terra, doceantque filios ſuos.* Quod cum accurate præſtitiſſent parentes Suſannæ, ut animadvertit Daniel cap. 13. in ea ſe obtinuiſſe maritalis continentiæ, invictæ fortitudinis, inconcuſſi timoris Do-

Domini, humilis in Deum ſpei exemplum, omnibus ſeculis mirandum, gaviſi & gloriati ſunt. 2. Lacrymas etiam a durioribus pectoribus excutiunt paterna Tobiæ filio ſuo data documenta, omnium ſublimium virtutum complectentia præcepta. 1. *Caritatem erga Deum* „ Omnibus diebus (inquiebat ſanctiſſimus parens) vitæ tuæ „ in mente habeto Deum, & cave, ne aliquando „ peccato conſentias, & prætermittas præcepta „ Domini Dei noſtri “. 2. *Caritatem erga proximum*. „ Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & „ noli avertere faciem tuam ab ullo paupere, ita „ enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini. Quomodo poteris, ita eſto miſericors, ſi „ multum tibi fuerit, abundanter tribue, ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude, præmium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis .... fiducia magna „ erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus „ facientibus eam “. 3. *Puritatem & caſtitatem*. „ Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, „ & præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen ſcire “. 4. *Humilitatis ſtudium*. Superbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas, in ipſa enim initium „ ſumpſit omnis perditio “. 5. *Juſtitiam*. „ Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei „ mercedem reſtitue, & merces mercenarii apud „ te omnino non remaneat “. 6. *Æquitatem*. „ Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias “. 7. *Liberalitatem*. „ Panem tuum cum eſurientibus comede, & de „ veſtimentis tuis nudos tege “. 8. *Fuga ſcandalorum*. „ Panem & vinum tuum noli manducare „ & bibere cum peccatoribus “. 9. *Prudentiam*, „ Conſilium ſemper a ſapiente perquire “. 10. *Studium orationis & gratitudinis*. „ Omni tempore benedic Deo, & pete ab eo, ut vias tuas „ dirigat “. 11. *In bono denique perſeverantiam*. „ Omnia conſilia tua in ipſo permaneant “. Hæc ſunt documenta, hæc præcepta, hæc monita, queis frequenter debent parentes filiorum aures pulſare, in animis inſculpere, in mente figere, nec ab eis repetendis, inculcandis, urgendis ceſſare.

Sed heu quam diſparia, quam contraria, quam diſſita toto cælo ſunt parentum magiſteria! 1. Ea non docent, quæ filios ſcire quam maxime oporteret. 2. Plane contraria docent. 3. Perverſo nominum abuſu virtutes in vitia, & viciſſim commutatas exhibent. Non ipſe ſum, qui hæc chriſtianis parentibus exprobro, ſed Chryſoſtomus, qui ſic eos laceſſit & urget lib. 3. contra oppugnatores vitæ Monaſticæ, & quidem ex primo capite ſic ſcribit. „ Potes ne dicere, te monente „ audiviſſe filium, eum qui jurat, etiamſi cum „ ratione juret, Deum tamen offendere? An item qui injuriarum recordatur, ſalvum eſſe „ non poſſe .... An quod maledicum ita dehoneſtaverit Deus, ut eum a divinæ Scripturæ „ lectione arceret? An quod arrogantem & contumelioſum de cælis exturbaverit, & gehennæ „ igni tradiderit? An quod eum qui impudicis „ reſpicit oculis, quaſi vere adulterum puniat? „ An frequens illud, & omnibus facile peccatum, proximum nempe judicare, & ſic grave „ ſibi ſupplicium attrahere, ut fugeret, monuiſti, & leges a Chriſto hac de re poſitas ipſi „ legiſti? An tu ipſe, ne ſi exiſtant quidem, „ noſti? Quonam ergo modo poterit ea filius perficere, quorum ſi nec Pater ipſe, qui illum erudire debuerat, leges novit? “

Ex altero vero capite ſic in parentes tonat Chryſoſtomus. „ Atque utinam hoc ſolum damni adeſſet, quod nihil utile patres conſilii darent, non tantum utique malum eſſet; nunc „ autem eos ad contraria prorſus impellitis.... „ ſiquidem ac ſi dedita opera filios perdere ſtudeatis, ſic illa omnia præcipitis eis, quæ qui „ exequuntur, ſalutem conſequi non poſſunt. „ Rem altius conſidera. *Væ*, inquit, *ridentibus*, „ vos autem ipſis multas præbetis ridendi occaſiones. *Væ divitibus*, vos vero, ut pecunioſi „ ſint, cuncta molimini. *Væ*, *cum benedixerint* „ *vobis homines*, vos autem pro populari aura „ facultates ſæpe omnes effunditis. Rurſum is, „ qui fratri contumeliam infert, reus eſt gehennæ; voſque tamen & imbecilles & timidos putatis eos, qui tacite illatas ſibi contumelias ferunt. Jubet Chriſtus pugnas & lites contemnere, vos autem illos in his ſemper malis verſari curatis. Oculum ille, ſi noceat, eruere ſæpe jubet; & vos eis maxime conciliatis amicos, qui poſſunt pecuniam præbere, etiamſi extremam nequitiam doceant .... Jusjurandum vetat omne; vos ſi quem id ſervare videritis, „ etiam ridetis. *Qui amat animam ſuam*, *perdet eam*, vos ad hunc amorem illos ſemper inducitis. *Si non remiſeritis*, inquit, *hominibus* „ *peccata*, *nec vobis remittet Pater veſter cæleſtis*. „ Vos illis exprobratis, cum eos qui ſe læſerint, „ ulciſci nolunt, utque id mature præſtare poſſint, illos inſtituitis. Gloriæ cupidos omnia „ fruſtra agere docuit Chriſtus ... at vos, ut illam aſſequantur, nihil non agitis ... Quomodo ſalutem nanciſci poterunt tantam ferentes ignis eſcam?

Nec minus peſſimam exprobrat parentibus filiorum educationem, ex tertio capite, ſequitur enim: „ Neque iſtud ſolum iniquum eſt, & indignum, quod Chriſti præceptis contraria docetis, verum quod favorabilibus appellationibus „ vitia obducitis: quippe qui circenſibus ludis & „ ſpectaculis intereſſe jugiter, urbanitatem & facetias vocatis, divitiis affluere liberalitatem, „ gloriam amare magnanimitatem, arrogantiam „ confidentiam, prodigalitatem clementiam, injuſtitiam fortitudinem eſſe aſſerentes. Tum vero „ quaſi non hæc ſufficiant decipula, virtutem „ quoque contrariis nominibus obnubitis, ruſticitatem quidem pudicitiam vocantes, formidinem modeſtiam, imbecillitatemque juſtitiam, „ contemptumque faſtus & gloriæ, ſervilis eſſe „ animi exiſtimantes, malorumque tolerantiam ignaviam, infirmitatem, tamquam profecto metuentes, ne ſi tandem veram & propriam harum rerum appellationem ab aliis audierint, ejuſmodi perniciem effugiant filii “.

Faxit Deus, ut hæc filios doceant Parentes, urgeant Parentibus Sacri Pœnitentiæ Miniſtri in ſacro

ſacro Tribunali, & deprædicent ex ſacro ſuggeſtu Concionatores. Væ enim his omnibus, non modo ſi tacuerint, ſed niſi alte clamaverint.

CAPUT DECIMUM.

De mutuis conjugum, Fratrum, & Sororum officiis.

D O C T R I N A.

I. *Maritus uxorem diligere debet.*
II. *Præceptum & forma hujus amoris ex Apoſtolo.*
III. *Hujus amoris legitima argumenta.*
IV. *Debet maritus uxori alimenta.*
V. *Debet etiam regimen, curam, tutelam, & moderatam correptionem.*
VI. *Simul cohabitare debent.*
VII. *Uxor marito debet amorem, honorem, ſubjectionem, obedientiam.*
VIII. *Maritum ſequi tenetur, ut cum illo cohabitet.*
IX. *Quandoque etiam illum alere & ſuſtentare.*
X. *Fratrum, & Sororum mutua officia.*

I. NOn ea hic exponenda ſunt Conjugum officia, quæ matrimoniale debitum reſpiciunt, abunde dicturus in Tract. de Sacramento matrimonii. Ea itaque ſolum expendam officia, quæ mutuam ſocietatem & contubernium reſpiciunt, quæ ad tria reduci poſſunt, nimirum amorem, alimenta, individuam vitæ ſocietatem. Et 1. quidem uxorem diligere maritus debet, & quidem intenſiori amore, ut docet S. Tho. quippe quæ illi maxima eſt conjunctione ſociata. „ Gradus dilectionis (*inquit 2. 2. q. 26. a. 11.*) attendi poteſt & ſecundum rationem boni, & ſecundum conjunctionem ad diligentem. Secundum vero rationem boni, quod eſt objectum dilectionis, magis ſunt diligendi parentes quam uxor: quia diliguntur ſub ratione principii, & eminentioris cujuſdam boni. Secundum autem rationem conjunctionis magis diligenda eſt uxor: quia uxor conjungitur viro ut una caro exiſtens, ſecundum illud Matth. 19. 6. *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro.* Et ideo intenſius diligitur uxor, ſed major reverentia eſt parentibus exhibenda “.

II. Hunc amorem quam maxime viris commendat D. Paulus primo paucioribus verbis ad Coloſ. cap. 3. v. 18. dicens: *Viri diligite uxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas*; deinde formam præbet ad Epheſ. cap. 5. v. 22. docens: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam.... Viri diligere debent uxores ſuas, ut corpora ſua. Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit. Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam, ſicut Chriſtus Eccleſiam. Quia ſumus membra corporis de carne ejus, & de oſſibus ejus: propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una ...... & vos ſinguli unuſquiſque uxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat.*

III. Hujus amoris argumentum, & non fallax ſignum erit, ſi alter alterius onera portet, & ſibi invicem conjuges compatiantur, quod viris præcipue commendat Princeps Apoſtolorum 1. epiſt. c. 3. *Viri ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem.* Et S. Greg. M. Paſt. par. 3. admon. 27. ſcribit: „ Admonendi ſunt conjuges, ut ea in quibus ſibi aliquando diſplicent, & patientes invicem tolerent, ac exhortantes invicem ſalvent, ſcriptum namque eſt: *Invicem onera veſtra portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti* ... tunc ergo legem Chriſti, & ejus mandata imitando complemus, quando & noſtra benigne conferimus, & aliorum mala pie ſuſtinemus “.

IV. Debet etiam maritus uxori alimenta: 1. ex juſtitia, ſi dotem accepit, quæ ideo marito datur, ut uxori familiæque alimenta ſuppeditet: ſi vero non obtinuit, ſed indotatam ſponte ſuſcepit, adhuc tenetur alimenta præbere, tum quia ipſe ſibi ſponte hoc onus ſumpſit, tum ob obſequium, ſervitutem, & beneficia, quæ ab uxore recipit. Immo quamdiu eſt uxor ſub mariti obſequio, ab ipſo eſt alenda, ideo ſive dotata, ſive indotata, ſi a viro ſine juſta cauſa receſſerit, poterit maritus alimenta denegare, quia ut alimenta ſuſcipiat, debet vivere ſub viri obſequio, illi famulari, & inſervire. Quod ſi recedat juſta ratione, adhuc abſenti & disjunctæ conjugi alimenta debet maritus, cum disjunctionis vel cauſa ſit ipſe maritus, vel uxoris neceſſitas, non voluntas: proinde ex neutro capite eſt alimentis privanda. Quod ſi dos fuerit quidem promiſſa, fide etiam data de ſolutione, ſed poſtea Pater, ſive alius qui dotem promiſit, eam ſolvere recuſet, vel ipſa uxor in cauſa ſit, ne ſolvatur, tunc maritus non tenebitur ex juſtitiæ rigore ad alendam uxorem; verum ex æquitate & honeſtate uxori ſibi obſequenti, & vitæ ſociæ adhuc alimenta præſtare tenebitur: quod ſi ex fortuito caſu dos perierit, non propterea jus ad alimenta deperdit uxor. Hæc fere communia ſunt apud Theologos.

V. Præter alimenta debet etiam uxori maritus regimen, curam, tutelam, & etiam, cum opus fuerit, moderatam correptionem: hæc enim omnia ad maritum pertinent, quippe qui caput eſt, & ſuperior uxoris. Quoad correptionem vero S. Thomas in IV. Diſt. 35. a. 2. ad 1. concedit marito, ut uxoris culpam punire poſſit & *verbis*, & *verbere*; at verberatio & moderata eſſe debet, & raro, nec niſi urgente neceſſitate, & juſta de cauſa adhibenda.

VI. Cohabitare quoque debet maritus cum ſua uxore, hoc enim eſt præcipuum conjugum officium. Et licet a Scriptura dicatur, quod *homo relinquet patrem & matrem, & adhærebit uxori*, modo tamen id potius præſtant mulieres, quæ paternis relictis laribus, in mariti domum concedunt. Si tamen viro ad cohabitandum uxori neceſſe foret a patre ſejungi, hoc præſtare tenetur; cum parentibus debeat quidem amorem & ho-

honorem, at cohabitationem, & contubernium uxori. Eapropter grave crimen eſt, ſi ſine juſta cauſa vel vir ab uxore, vel hæc ab illo ſeparetur, & præſertim privata auctoritate. Sed de his in tract. de Matrimonio.

VII. Viciſſim uxor debet marito amorem, honorem, obedientiam, & ſubjectionem. Et quidem diligendum virum ab uxore & ipſa naturalis ratio dictat, & jubet Apoſtolus ad Tit. 2. *Ut uxores viros ſuos ament*, quem amorem & cum reverentia conjunctum indicat idem Apoſtolus ad Epheſ. ſcribens, ubi jubet maritis quidem ut *unuſquiſque uxorem ſuam, ſicut ſe ipſum diligat*, ſed de uxoribus ſubdit, *uxor autem timeat virum*. Debet etiam viro ſubjectionem, non ſolum quia femina eſt, quæ utpote infirmior, hominibus ſubjecta eſſe debet, ſed etiam ei multo magis, quia uxor; indictum eſt enim a Domino primæ uxori: *ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui*. Et D. Paulus ad Coloſſ. 3. jubet: *Mulieres ſubditæ eſtote viris, ſicut oportet in Domino*: & repetit D. Petrus epiſt. 1. cap. 3. *Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis*. Quæ ſubjectio, ut optime notat Apoſtolus, eſſe debet *ut oportet*, & *in Domino*, ſcilicet in iis quæ ad vitam conjugalem pertinent, inſerviendo marito, cui licet ſit ſocia, eſt tamen veluti famula, teſte S. Auguſtino dicente lib. 2. contra Fauſt. cap. 21. *Quis enim neſcit uxorem marito tanquam Domino debere ſervire?* immo & toti familiæ in parandis cibis, ſarciendis veſtibus, polienda domo, infirmis & præcipue marito miniſtrando, famularum curam habendo, manibus operando juxta ſui ſtatus conditionem; inferiora enim & viliora officia conceditur nobilibus feminis, ut per ſervos & ancillas fieri ſollicite curent, & ipſæ tamen manibus operari debent, cum hoc nobiliores, immo nobiliſſimas feminas minime dedeceat: de forti enim muliere, cujus vir erat *nobilis in portis, & ſedebat cum ſenatoribus terræ*, dictum eſt, *quæſivit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum*. Obedientiam quoque debet, hæc enim ſubjectionem ſubſequitur; fruſtra enim ſuperior eſſet maritus, ſi illi obedire uxor minime teneretur, & fruſtra familiam regere poſſet, ſi illa ejus imperium detrectaret.

VIII. Cohabitare quoque marito debet uxor iiſdem legibus, & pari modo ac ille, immo arctius adhuc, nam tenetur maritum domicilium mutantem ſequi, ut habetur in cap. unaquæque 13. q. 2. *Unaquæque mulier ſequatur virum ſuum, ſive in vita, ſive in morte*. Quando igitur mutare vir domicilium voluerit, ſive ob neceſſitatem, ſive ob majorem utilitatem familiæ, ſive etiam quia exulare cogitur, ipſum ſequi uxor debet, cum his vitæ viciſſitudinibus ſe uxores in matrimonio contrahendo ſubjecerint. Sicut pari pacto, ſi uxor neceſſitate cogente domicilium mutare debeat, illam comitari, & ſequi tenebitur maritus. Quod ſi pactum initum ſit in celebratione matrimonii, ne vir domicilium mutet, quod aliquando juſtis de cauſis addi poteſt, ad illud ſervandum maritum adſtringi, tunc quidem cenſent communiter Theologi; & ſi juſta non ſubſit viro cauſa pactum infringendi, & domicilium mutandi, uxorem non teneri virum ſequi. At ſi gravis viro occurrat neceſſitas alio migrandi, puta ob ſanitatem recuperandam, vel conſervandam, ob graves inimicitias, & ſcandala vitanda, ad familiam alendam, tunc pactis ſtare non adſtringitur maritus, & illum alio migrantem ſequi tenebitur uxor. Quæ tamen viciſſim excuſabitur a ſequela mariti, ſi inde grave ipſi ſequatur detrimentum, vel peccandi periculo ſubſit; ſicut enim in hiſce caſibus debitum reddere non tenetur, ita nec ſequi maritum, & comitari.

IX. Alimenta quoque aliquando tenetur viro ſuppeditare uxor, quotieſcumque vir ſit paupertate preſſus, & uxor dives ſit, & bona habeat paraphernalia, ſic enim etiam in civilibus legibus ſtatuitur, ubi etiam dicitur in ff. ſi cum dotem 22. §. 7. in ff. ſoluto matrimonio: *Quid enim tam humanum eſt, quam fortuitis caſibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem eſſe?* Et revera cum viri, & uxoris tam arcta ſit conjunctio, ut ſint duo in carne una, quis non perſpicit, neminem *carnem ſuam odio habere*, ſed, ut dicit Apoſtolus, *eam fovere & nutrire?* Proinde arctiſſimo matrimonii vinculo teneri uxorem indigentem maritum ex bonis, quæ poſſidet, alere & ſuſtentare nemo inficiabitur.

X. Fratres & Sorores præter communem dilectionem, quam omnibus proximis debent, tenentur præterea ſe ſpeciali benevolentia proſequi ob intimiorem ſanguinis conjunctionem. Debet frater ſorori pauperi, & ſoror fratri indigenti neceſſaria ad vitam ſubminiſtrare, & quidem non ſolum in extrema, & gravi neceſſitate, in qua cuicumque pauperi non ſubvenire peccatum eſſet contra caritatem proximi, conſanguineis vero tam arcte conjunctis etiam contra pietatem; ſed etiam quotieſcumque non ea habent, quæ ad decentem vitæ ſuſtentationem ſunt neceſſaria. Hinc frater fratri indigenti debet alimenta præbere, & eas ſubire expenſas, quæ ad artem aliquam addiſcendam ſuo ſtatui congruentem ſunt neceſſariæ, ſicut & ſorori pauperi congruam dotem ſuppeditare, quod ex eo patet, quia deficientibus aſcendentibus, & deſcendentibus, fratres & ſorores ſibi invicem ab inteſtato in hæreditate ſuccedunt, juri autem hæreditatis reſpondet onus alendi, & dotandi. Quod verum eſt non ſolum de fratribus & ſororibus ex eiſdem parentibus natis, ſed etiam de iis, qui ſolum Patrem habent communem. At ſi ſolum ſint uterini, ideſt ex eadem quidem matre, at non ex eodem patre prognati, alimenta quidem ſibi mutuo dare debent, quando indigent, immo frater tenetur ſororem uterinam dotare, quando frater hæres ſit matris, cum hæreditas cum onere tranſeat dotandi uterinam ſororem; at quando frater nihil habet de bonis communibus matris, non tenetur dotem dare ſorori uterinæ, cum Lege *Cum plures*, §. Cum Tutor ff. de adminiſtratione Tutorum dicatur: *Non dabis dotem ſorori ex alio patre natæ, etiamſi ea aliter nubere non poſſit, nam ſi id faciat, etſi honeſte faciat, ex liberalitate tamen facit, non ex juſtitia*. Hoc onus alimenta præbendi jure extendunt Theologi, & Canoniſtæ etiam ad Patruos, & Avunculos reſpectu Nepotum, quando iſti tali pre-

premuntur egeſtate, ut, unde decenter vivant, non habeant, nec ſibi propria induſtria comparare, & Patrui vel Avunculi poſſint eis ſubvenire.

CAPUT UNDECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Peccant mariti, qui alienis mulieribus adhærent.*
II. *Zelotypiæ cauſa frequenter peccant viri, & uxores.*
III. *Peccant conjuges, dum rixantur, & invicem maledicta evomunt.*
IV. *Peccant mariti, ſi bona familiæ dilapident.*
V. *Num uxori adulteræ alimenta præbere teneatur maritus.*
VI. *Quænam teneantur mariti ſatagere circa uxores ſuas.*
VII. *Maritus licet regimen familiæ uxori dare non debeat, non tamen omnino repellere a gubernio domus.*
VIII. *Uxorem corrigere marito competit.*
IX. *Mulier quomodo peccet contra ſubjectionem marito debitam.*
X. *Non licet uxoribus de rebus familiæ diſponere.*

Conſectarium Primum.

I. MAriti, qui propriam negligentes uxorem, alienæ adhærent mulieri, ſæpiſſime, immo fere ſemper lethaliter peccant contra dilectionem & amorem, quem debent uxoribus. Et quidem hic non de ea loquor adhæſione, quæ cum adulterio, impudicis tactibus, aliiſque pravis luxuriæ oblectamentis conjungitur, hæc ſiquidem non caritati dumtaxat, ſed etiam juſtitiæ adverſatur, & ſanctitatem polluit matrimonii; ſed de illa adhæſione, quam ab iſtis impudicitiis vel jactant Pœnitentes, vel præſumunt Confeſſarii immunem, quæ ſiſtit in ſervitio alienæ feminæ aſſidue præſtito, in ejus frequenti converſatione, collocutione, aſſociatione, aliiſque peculiaris benevolentiæ ſignis, uno verbo, quod vulgo *mulieris ſervitium*, *ſervitus*, *amor platonicus* (ſi ſuperis placet) appellatur. Hanc itaque adhæſionem ſæpiſſime, & fere ſemper lethalis peccati ream contra caritatem uxoriam fidenter pronuncio. Et primo quidem quia nec fieri, nec concipi poteſt hujuſmodi maritum, alienæ feminæ adhærentem, ab amore & caritate propriæ uxori debita non deficere, & eam fraudare, cui unice inter feminas abhærere licet: cor enim humanum, dum uni adhæreſcit affectui, ab alio plane diverſo deficiat oportet; & dum alienam diligit feminam, propriam pleno quo debet, & tenetur affectu, diligere non valet. 2. Quia per hujuſmodi extraneum amorem propriæ uxori injuriam irrogat, juſtæ querimoniæ cauſam præbet, ſuſpicionis non temerariæ occaſionem ſuppeditat, eam a ſe alienat. 3. Graviſſimo ſe exponit peccandi periculo. 4. Scandalum & quidem activum præbet uxori, omnibuſque hocce ſtudium, contubernium, adhæſionem alienæ mulieri aſpicientibus. Quamobrem deteſtabilem hanc conſuetudinem, quæ inter Chriſtianos adeo late, impune, impudenterque dilatatur, toto mundo exterminent ſacri Pœnitentiæ Miniſtri, & a Sacramentis omnino repellant pœnitentes, qui ab ea recedere renuerent, non expectata luctuoſi lapſus experientia. Quod vero de maritis diximus, & de uxoribus confirmamus, in quibus hæc adhæſio, familiaritas, frequens converſatio cum alieno viro & longe turpior eſt, & periculoſior infirmiori ſexui, majuſque præbet ſcandalum. Nemo a me Theologorum expectet auctoritatem, hoc enim adeo apertum & patens eſſe arbitror, ut auctoritate corroborari non egeat.

Conſectarium Secundum.

II. Peccant, & aliquando etiam lethaliter, viri qui ex nimia & imprudenti zelotypia uxores proprias divexant. Et quidem zelotypia ex nimio & carnali amore proficiſcitur, quamobrem nunquam culpa vacat. 2. Ex ea plura dimanant mala, ſuſpiciones, temeraria judicia, rixæ, diſſenſiones, jurgia, imprecationes, maledicta, probra, quæ familiæ pacem turbant, & caritatem, ac maritalem amorem minuunt, immo non raro penitus extinguunt. Accedit aliquando etiam ex nimia zelotypia uxores ad adulterium propelli, de quo fortaſſis nec cogitaſſent: hinc Eccleſ. 9. v. 1. dicitur: *Non zeles mulierem ſinus tui, ne oſtendat ſuper te malitiam doctrinæ nequam.* Quod de maritis diximus, & de uxoribus eſt intelligendum, quæ ſi zelotypia abripiantur, quam moroſæ, moleſtæ, agreſtes fiunt viris ſuis, quos miſerum in modum cruciant & divexant.

Conſectarium Tertium.

III. Maritalem violant amorem mariti & uxores, qui rixantes ſe invicem verbis, maledictis, contumeliis dehoneſtant, & proſcindunt, hæc enim ſupra modum animos exaſperant, & caritatem auferunt, & præſertim ſi cum ſcandalo fiat filiorum, familiæ, & vicinorum; & non raro grave etiam peccatum eſt reſpectu illius, ſive uxoris, ſive mariti, qui in cauſa eſt rixarum, diſſenſionis, vel qui eas fovet & nutrit, vel etiam omnino tollere non ſatagit. Proinde peccat graviter uxor, quæ ad iracundiam maritum injuſte provocat; præſertim ſi noverit ipſum iratum in blaſphemias, perjuria, & maledicta prorumpere.

Conſectarium Quartum.

IV. A gravi culpa raro immunis eſt maritus, qui bona familiæ, vel propria lucra in comeſſationibus, ebrietatibus, ludis dilapidat, & inſumit, unde vel alimenta deſunt uxori, vel non ea ſubminiſtrantur, quæ proprium cujuſque ſtatum decent; violat enim mandatum Apoſtoli dicentis ad Coloſſ. cap. 3. v. 19. *Viri diligite uxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas.* Quæ enim major amaritudo uxoris, quam proprium videre maritum temulentum, ſaturum, dum ipſa cum fame luctatur? Et ad hoc fortaſſis non ſatis advertunt

vertunt ſacri Pœnitentiæ Miniſtri in viris plebeiis, in quibus hoc non infrequenter occurrit, qui proinde acriter ſunt corripiendi, & ad emendationem etiam Sacramentorum dilatione, vel denegatione impellendi.

Conſectarium Quintum.

V. Alimenta non tenetur præſtare maritus uxori, quam certo ſcit adulterio eſſe pollutam, quia per hujuſmodi crimen jus amiſit ad dotem & alimenta, & quidem poſſe in foro conſcientiæ, etiam ante ſententiam judicis adulterium declarantis arbitror, ſicut uxor poteſt in foro conſcientiæ debitum viro adultero denegare ante ſententiam judicis. At ſi maritus adhuc mulierem adulteram apud ſe retineret, alimenta ſaltem ex caritate præbere tenebitur, ne fame pereat, vel illicitis modis ſibi alimenta comparare cogatur; niſi forte uxor bona haberet paraphernalia, & propria, ex quibus vivere poſſet. Nequit tamen maritus alimenta ſubtrahere ob ſolam ſuſpicionem, & dubium de patrato adulterio, ſicut durante lite de adulterio intentata apud judicem, debet maritus alimenta uxori, & expenſas pro lite, ſive ipſe maritus ſit qui litem intentet, ſive uxor. Nam ſi maritus uxorem de adulterio accuſet, expectare debet ſententiam judicis, & interim pro re dubia certo debita alimenta ſubtrahere nequit, ſicut nec neceſſaria uxori ad propriam tuendam innocentiam. Si vero uxor litem moveat marito, ei alimenta debentur, cum illis ob culpam mariti privari non debeat, ſicut & pecunia ſuppeditanda, unde jus ſuum proſequi poſſit, ne cauſa cadat.

Conſectarium Sextum.

VI. Tenentur mariti ſatagere, ut uxores ſuæ Dei, & Eccleſiæ præcepta ſervent, nec impedire ipſis Sacramentorum frequentiam juxta ſui ſtatus conditionem, vel obſervantiam jejuniorum Eccleſiæ, vel abſtinentiam ab operibus ſervilibus in die feſto; proinde peccant ſi timore debilitationis jejunia frangere hortentur, vel cogant, ſi in diebus feſtis eas operari faciant, vel volentes operari non prohibeant. Hæc enim præſtare officium eſt mariti chriſtiani, qui cum caput ſit uxoris, præcipue ejus ſalutem æternam curare debet, & nullo modo impedire.

Conſectarium Septimum.

VII. Licet maritus dominium, & regimen familiæ uxori dare non debeat, non tamen omnino eam repellere a gubernio domus, a cura filiorum & præſertim filiarum, & in cæteris extraneam veluti, & alienam habere. Et quidem non debere regimen dare uxori monet Deus Eccleſ. 4. *Non des mulieri poteſtatem.* Et cap. 25. v. 30. *Mulier, ſi primatum habeat, contraria eſt viro ſuo.* Et revera id foret inverſio ordinis a Deo præſtituti, qui maritos præeſſe, & mulieres ſubeſſe ſtatuit; nam ut monet Apoſtolus, *non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum.* Quamobrem ad Timoth. 1. cap. 2. v. 12. nec permittit *mulieri dominari in virum.* Excipiendum tamen ait, ſi forte maritus ex infirmitate vel corporis, vel ſpiritus ſit ad familiam regendam ineptus. Quod vero nec omnino arceri debeat a gubernio domeſtico patet, quia cum maritus non omnia proſpicere, nec providere poſſit, indiget adjutorio uxoris, præcipue in iis, quæ filiorum & ancillarum regimen ſpectant; eo vel maxime quia, ut animadvertit S. Joan. Chryſoſtom. hom. 22. in c. 5. epiſt. ad Rom. „ Si conjugati in concordia ſint, recte aluntur filii, „ modeſti ſunt famuli, & ordinem non deſerunt, „ & bono odore fruuntur vicini, amicique & „ cognati “. Porro ad hoc maxime conducit poteſtatem aliquam uxoribus indulgere in familiæ regimine.

Conſectarium Octavum.

VIII. Competit quidem marito uxorem corrigere, reprehendere, & etiam levi pœna punire, quam uſque ad levem verberationem dilatari poſſe ex S. Thom. ſuperius diximus: attamen peccare poteſt etiam lethaliter maritus, ſi uxorem vel non juſta cauſa vexet, reprehendat, percutiat, vel ſi etiam juſta de cauſa, tamen atrociter verberet, & præſertim ſi prægnans ſit, vel lactans, vel infirma. Attendendæ ſunt itaque circumſtantiæ, & juxta illas de culpæ gravitate judicandum.

Conſectarium Nonum.

IX. Mulier, quæ viro eſſe debet ſubjecta, peccat, quotieſcumque illi juſta præcipienti ad familiæ regimen non obtemperat, ſi illum ad iram provocet, unde in blaſphemias, juramenta, maledicta prorumpat, ſi licet vitioſum durius tractet, aſpere exprobret, intempeſtive admoneat; hæc enim omnia obſequio adverſantur & reverentiæ viro debitæ. Gravius peccabit, ſi in virum inſurgat, ſi illi dominari velit, ſi baculo, fuſte, alioque inſtrumento vel minetur, vel percutiat, ſi præcipienti, ut modeſte induatur, ne viros ſibi ſuſpectos, nec conſanguineos, aut affines domi recipiat, ne ad choreas, theatra, aliaque publica ſpectacula pergat, non obſequatur: in his enim omnibus vir jus habet uxori imperandi, unde optime docet Auguſtinus: *In omnibus ancillæ eſtote virorum veſtrorum, ſubditæ ad obſequium, nulla ſit in vobis protervia, nulla ſuperbia, non contumelioſa cervix, non aliqua inobedientia, prorſus tanquam ancillæ ſervite.* Non prohibetur tamen uxori virum aliquoties leniter & blande corripere, illi modeſte obſiſtere, quotieſcumque juſta ratio poſtulet, vel quia ebrietati, rixæ, aliiſque vitiis obnoxius, vel quia filiorum, & rei domeſticæ curam negligat: imitentur tamen S. Monicæ exemplum, quæ, ut narrat D. Auguſtinus Conf. lib. 9. „ Noverat non reſiſtere viro irato, non „ tantum facto, ſed ne verbo quidem. Jam ve„ ro refractum & quietum cum opportunum vi„ deret, rationem facti ſui reddebat, ſi forte il„ le inconſideratus commotus fuerat “. Atque ita obtinuit quod uxoribus ſapientibus pollicetur Apo-

poſtolus, nimirum, *ut qui non credunt verbo* (mariti) *per mulierum converſationem ſine verbo lucrifiant*.

Conſectarium Decimum.

X. Non licet uxoribus de rebus familiæ diſponere. Hinc peccant, ſi contra viri ſui voluntatem bona familiæ conſanguineis, vel affinibus donent, vel in ludis, veſtibus, ornatu expendant; nam dominium nullum competit uxori in res domeſticas; & licet ſuæ dotis dominium retineat, uſusfructus tamen ad maritum pertinet. Quamobrem merito S. Auguſtinus Ecdiciam reprehendit, quæ res domeſticas diſtraxerat, ſcribens: „ Nihil de tua veſte, nihil de tuo auro, vel ar„ gento, vel quacumque pecunia, aut rebus ullis „ terrenis tuis ſine arbitrio mariti facere debui„ ſti “. Immo addit, non licere uxori dicere, *facio quod volo de meo*, *cum ipſa non ſit ſua*, *ſed capitis ſui*, *hoc eſt mariti ſui*. Gravitas vero peccati deſumenda eſt a rei marito invito diſtractæ quantitate, ab indigentia familiæ, ab indole viri, plus vel minus poteſtatis uxori concedentis. De eleemoſynis vero uxorum diximus ſuperius Diſſert. 3. de Carit. cap. 15. n. 11.

Conſectarium Undecimum.

XI. Filius, qui a patre donationis titulo aliquid accepit, per quod ceteri fratres legitima privantur, tenetur bona ſibi donata in cumulum cum ceteris bonis ponere, ut inter fratres dividantur. Ratio eſt manifeſta, quia pater jus non habet ceteros filios ſua legitima fraudandi, nec uni poteſt donare quod aliis jure debetur; legitima autem omnibus filiis jure debetur. Hinc ſi pater filio clerico patrimonium conſtitueret, vel ad militiam proficiſcenti plura donaret, per quæ alii filii legitima privarentur, tum filius clericus, tum miles tenerentur ea bona in acervo hæreditatis ponere, taliter inter fratres dividenda, ut quiſque legitimam obtineret. Negant quidem nonnulli Theologi de Clericorum patrimonio, quod ſemel inſtitutum ex Concilii Tridentini decreto, inconſulto Epiſcopo, alienari non poteſt. At intelligendum eſt Concilium de alienatione prorſus arbitraria, non quæ fiat ad jus alterius injuſte læſum farciendum; aliorum fratrum jus læſum eſt, jure igitur naturæ ſunt in integrum reſtituendi, & patrimonium in commune ponendum, quantum ſufficit, ut quilibet ſibi debitam legitimam conſequatur. Sed de hoc alibi.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Clericus, qui Beneficium obtinet, poteſt, immo & debet de illius reditibus honeſtæ ſuæ ſuſtentationi ſuperabundantibus ſororem pauperem, etiam ſpuriam, alere, & dotare. Et primo quidem reditus ſuperabundantes beneficii ſunt in pauperes diſtribuendi, ut ſuperius Diſſert. 3. de Benef. cap. 10. luculenter oſtendimus. In eleemoſynarum vero diſtributione caritatis ordo præcipit, ut proximioribus auxilium præbeatur. Cum autem ſoror ſit maxime fratri conjuncta, ſi revera egens ſit & pauper, poteſt & debet Clericus illi alimenta & dotem ſuppeditare. Sunt tamen qui dubitant de ſorore ſpuria, cui quidem alimenta præberi poſſe concedunt de reditibus beneficii ſuperabundantibus; at negant dotem dandam, quia putant id vetitum a S. Pio V. in ſua Conſtitutione incipiente: *Quæ Ordini Eccleſiaſtico*. Verum probabilius alii animadvertunt, ſolum S. Pontificem interdixiſſe Clericis beneficiatis, ne diſtrahendo relinquerent, vel donarent laicis bona redituum eccleſiaſticorum, non vero ſi proſpicerent ſororibus ſuis, ſive legitimis, ſive ſpuriis, eis alimenta & dotem neceſſariam ſuppeditando, cum hoc ſit & juri naturæ, & caritati admodum conforme. Solum notandum, minorem & inferiorem dotem eſſe ſorori ſpuriæ dandam, quam legitimæ, cum ita poſcat ſtatus ſui conditio.

CAPUT DUODECIMUM.

Dominorum & ſervorum mutua officia explicantur.

DOCTRINA.

I. *Duplex ſervorum genus*.
II. *Quotuplici titulo quis fiat ſervus*, *& quidem* 1. *Bello*.
III. 2. *Venditione*.
IV. 3. *Origine*, *& nativitate*.
V. 4. *Crimine*.
VI. *Servis alimenta ſuppeditare tenentur domini*.
VII. *Dominis vero ſervi obtemperare debent*.
VIII. *Non omni dominio ſpoliantur ſervi*.
IX. *Famuli ſive ſervi conducti quid præſtare tenentur dominis?*

I. DUplex ſervorum genus; alii enim ſervi dicuntur civiles & legales, alii conductitii. Priores ſubditi ſunt dominis quoad perſonam, quæ illorum obſequio, ſervitio, & utilitati mancipata eſt, unde dominis jus competit in perſonam ſervi. Poſteriores vero, qui melius famuli dicuntur, ſolum ad quædam tenentur opera præſtanda juxta pacta & conventiones: quamobrem dominus non in perſonam ſervi, ſed in ejus tantum opera jus obtinet, & quidem non abſolute, ſed limitate in ordine ad pactum ſervitium, vel famulatum.

II. Quadruplici titulo quis fieri poteſt alienus ſervus, nimirum 1. bello, 2. venditione, 3. origine ſeu nativitate, 4. crimine. Bello juſto capti, cum tanquam hoſtes occidi poſſint, poſſunt & libertate ſpoliari, unde ſervitus loco cædis ſubſtituta eſt. Immo & innocentes filii, & mulieres juſto bello capti ſervi fiunt, quia licet occidi non poſſint, habentur tamen ut juſta præda victoris, cum eorum libertas inter devicti hoſtis bona computetur; unde ſicut licet bonis victum ſpoliare, ita ejus ſubditos in captivitatem redigere, ut habetur in lege ff. de acquirendo dominio, ubi ſtatuitur jure gentium: *Quæ ab hoſtibus*

bus capiuntur, jure gentium noſtra fiunt, adeo ut liberi homines in ſervitutem noſtram redigantur. Vetita non eſt in ſcripturis hæc ſervitus, ſed juſta declaratur. Unde præcipit Apoſtolus ad Coloſſ. 3. *Servi obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis timentes Deum.* Hoc tamen ſervitutis genus inter Chriſtianos abrogatus eſt, unde etiam juſto bello capti tamquam obſides detinentur, donec vel pretio redimantur, vel per commutationem inter Principes liberentur. Quo tamen favore non donantur, qui infidelibus adverſus Chriſtrianos belligerantibus auxilium præbent.

III. Alter titulus eſt venditio, quo quis ſe alteri accepto pretio vendit, & in mancipium tradit. Non eſſe illicitam ſui venditionem communiter docent Theologi, cum quiſque ſuæ libertatis dominus ſit; gravis tamen & urgens requiritur vel neceſſitas, vel cauſa, ut quis ſe licite in captivum vendere poſſit, proinde ſola intentione lucri licita non eſt, nec pater poteſt filium vendere lucrandi gratia, ſed ſolum neceſſitate cogente, & quibuſdam inſpectis circumſtantiis, ut ſuperius diximus.

IV. Tertius titulus eſt origo ſive nativitas; hinc natus ex matre ſerva, licet pater liber ſit, ſervituti obnoxius naſcitur, nam filius conditionem ventris ſequitur: & quidem communi jure ſatis eſt ad ſubjiciendum ſervituti filium, ut mater ſerva ſit partus tempore; ubi tamen lex aut conſuetudo viget, ut ſi ancilla in libertate conceperit, vel poſt libertatem pepererit, filius liber ſit, non amplius ſervituti ſubjicitur partus.

V. Quartus denique ſervitutis titulus eſt crimen, tale ſcilicet, per quod quis mereatur vel morte puniri, vel perpetuo carceri mancipari. Proinde hanc pœnam infligere nonniſi iis licet, qui ſumma pollent in Republica poteſtate. Hinc in jure delicta deſignantur & crimina, queis ſervitutis pœna infligenda decernitur, cujuſmodi ſunt 1. Illi qui capiuntur a fidelibus, dum arma ad Turcas & infideles deferunt, ſervi declarantur capientium. 2. Qui in ſacris conſtituti matrimonium inire auſi ſunt. 3. Immo & filii qui ex hujuſmodi ſacrilegis nuptiis naſcuntur, perpetuo ſervi fiunt illius Eccleſiæ, cujus ſervitio ſacrilegus pater erat addictus. 4. Item liberti ingrati animi adverſus dominos, a quibus manumiſſi ſunt, iterum eorum ſubjiciuntur ſervituti. 5. Denique violenti raptores virginum pœna ſervitutis plectuntur.

VI. Iſtorum ſervorum domini tenentur illis alimenta ſuppeditare, nimirum victum, veſtes, habitationem, aliaque ad vitam ſuſtentandam neceſſaria. Tenentur etiam in ſpiritualibus ipſorum curam habere, eoſque vel per ſe, vel per alios inſtruere, de eorum educatione, converſatione, & moribus inquirere, eos etiam corrigere ac reprehendere, & ſi opus eſt, etiam verberare, & etiam ob gravia delicta recludere, & ſi fugitivi ſint, aliqua nota ſignare, dummodo tamen fiat ſine gravi læſione. Non licet vero dominis eos vel occidere, nec atroci pœna punire, cum jus in vitam, & membra hominum ſoli Deo competat, vel ſupremis Principibus in criminis punitionem, nunquam vero privatis dominis. Non licet etiam dominis ſervorum Matrimonia impedire, cum cap. *Si quis liber* 29. *q.* 2. decernatur: *Valida eſſe habenda & licita ſervorum Matrimonia, etiam repugnantibus dominis, quotieſcumque conſulti, & rogati veniam dare recuſent.* Si domini in ſervos ſævi ſint & crudeles, ad eos vendendos cogi poſſunt a judice.

VII. Servi vero e contra tenentur dominis ſuis ſervire, obſequi, parere in omnibus, quæ divinis, eccleſiaſticiſque legibus non repugnant. Excuſantur tamen aliquando ſervi, ſi dominis pareant in rebus Eccleſiæ præceptis adverſantibus, quotieſcumque grave malum illis immineat, vel pertimeſcere poſſint, cum Eccleſiæ præcepta cum tanto onere non obſtringant; dummodo tamen omnis abſit contemptus tum ex parte ſervi obedientis, tum ex parte domini præcipientis. Tenentur etiam dominorum ſuorum tum vitam, tum bona tueri & defendere, non tamen cum periculo propriæ vitæ; cum nullus teneatur vitam propriam alterius vitæ præferre, niſi tamen in hoc ex pacto convenerint, & defenſio licita ſit, & neceſſaria: nam non tenentur dominos ſe vel temere periculis exponentes, vel abutentes ſervis ad perpetranda homicidia, fovendas rixas, & inimicitias, vel tueri, vel illis in hiſce peſſimis criminibus, & actionibus obſequi, & inſervire. Bona quoque dominorum, res familiares, domum, & alia, quæ ad dominum pertinent, cuſtodire, & conſervare tenentur, & etiam defendere, dummodo in defendendo non majus ipſi ſubeant damnum, quam ſit illud, quod præcavere volunt. Denique quidquid acquirunt ſervi labore, arte, ludo, donatione non ad ipſos pertinet, ſed ad dominos. Ita ſtatuunt leges omnes tum civiles, tum canonicæ, quæ ſervi omne adimunt dominium, & inducta jure gentium ſervitute, ipſa naturalis ratio oſtendit; nam cum ad dominum ipſa perſona ſervorum pertineat, ſitque ejus ſubjecta dominio, jam patet omnes quoque, quæ ex perſona profluunt utilitates, & commoda in domini beneficium redundare; qui enim fundi frugiferi dominus eſt, etiam fructuum ex eo provenientium dominium obtinet: porro opera, labores, artes, induſtriæ, commoda, utilitates ſervorum ſunt veluti fructus ipſius perſonæ; eapropter ad dominum pertinent. Ita docet S. Th. 2. 2. q. 32. art. 8. ad 3. ubi ſupponit nullum ſervis dominium convenire.

VIII. Non ita tamen omni ſpoliantur ſervi dominio, ut nihil omnino poſſidere poſſint, ſed aliqua adipiſci poſſunt, quibus etiam a ſervitute ſe liberent. Et 1. quidem ſi ipſi domini aliquid ſervo libere donent, hoc in ſervi dominium tranſit: nam leges, quæ dominio ſervos privant, in favorem dominorum latæ ſunt, quorum beneficio renunciare poſſunt. Sicut igitur poſſunt ſervum libertate donare, ita poſſunt & aliud donum illis largiri, cujus ille dominium conſequatur. 2. Si dominus ſervum in vita, membris, & fama lædat, cum horum dominium non obtineat, ſi alimenta neceſſaria deneget, nec illi ſuppeditet, te-

ne-

netur recompenſare: porro hæc, quæ pro damni compenſatione traduntur, in ſervi dominium tranſeunt. 3. Si quis ſervo pecunias donet ea conditione, ut illis ſe redimat. 4. Si dominus ſervo concedat, ut pro ſe operetur, ut in ſui utilitatem aliquid ludo exponat, his omnibus uti poterit tanquam dominus. 5. Si quis teſtamento onus imponat hæredi, ut ſervum liberet, jus habet ſervus ad hocce legatum, quo a domino nequit privari; quod ſi dominus venditionem recuſet, pecuniæ quidem non adipiſcitur ſervus dominium, cum non abſolute legata ſit, ſed ad ſolam liberationem, nec in dominium tranſit domini, ſed ad hæredem pertinet.

IX. Servi vero conducti, qui tantum opera ſua dominis locant, tenentur 1. dominis ſuis fideliter ſervire, & opera, ad quæ conducuntur, ſolerter præſtare. 2. Res ſibi a dominis traditas cuſtodire. 3. Illis debitum honorem præſtare. 4. Juſtis juſſionibus obedire. 5. Pacta & conventiones ſervare. Domini vero viciſſim juſtam, & laboribus ac operibus reſpondentem mercedem, & congrua alimenta rependere, quandiu in eorum ſervitio manent. Num vero etiam quando in infirmitate impediuntur a ſervitio, affirmant quidem plures juriſconſulti, at probabilius negant Theologi, niſi interceſſerit pactum inter dominum & ſervum de alimentis ſibi tum ſano, tum infirmo præſtandis. Nam hoc ſecluſo pacto in conventione abſoluta non comprehenduntur caſus fortuiti: & ſicut dominus caret opera & ſervitio famuli ob ægritudinem, ita & famulus a mercedis acquiſitione ægritudine impeditur. Hinc poſſunt domini jure & licite de mercede tantum ſibi retinere, quantum in ægri famuli curam impenderint. Ita quidem ſi rigide lex juſtitiæ ſpectetur. Ex caritate vero tenentur ſaltem illis, ut pauperibus, ſubvenire; immo exteris domeſticos pauperes præferre. 6. Tenentur ſervis tempus & facultatem concedere ſacramenta frequentandi, divina & eccleſiaſtica præcepta implendi, catechiſmum addiſcendi, immo vel per ſe, vel per alios in rebus fidei, & legis divinæ inſtruere. 7. Si Ancillæ ſint virgines, & puellæ, debent eas cuſtodire, ab aliorum ſervorum familiaritate arcere, & ne ſolæ domo egrediantur ipſis inſciis, prohibere. 8. Verbis & levi etiam aliqua punitione corrigere, & punire. 9. Opprimere tamen, vel ultra conſuetum ſervitium, & præter pacta, gravare non poſſunt. Quod ſi præſtent, tenentur mercedem juxta laboris, & ſervitii incrementum augere.

CAPUT TERTIUM DECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Num ſervi fuga in priſtinam valeant regredi libertatem.*

II. *Non licet ſervis fugientibus res dominorum ſurripere.*

III. *Qui alienum ſervum vel occidit, vel mutilat, damna ſarcire debet.*

IV. *Quænam bona ſervorum ad dominum ſpectent.*

V. *Famuli num teneantur bona dominorum cuſtodire.*

VI. *Res dominorum ſibi uſurpare non poſſunt.*

VII. *Juſta merces eſt famulis perſolvenda.*

VIII. *Domini famulos definito tempore conductos non poſſunt ſine juſta cauſa a famulatu repellere.*

IX. *Sicut viciſſim nec famuli ante præfinitum tempus diſcedere.*

X. *Quando ſervi valeant domino potius, quam uxori obſequi.*

Conſectarium Primum.

I. SErvis injuſto bello captis, vel plagio venditis licet fugam arripere. In hoc omnes conveniunt Theologi; cum enim ſervitus injuſta ſit, poſſunt propterea ſe in priſtinam libertatem vindicare. E contra vero qui ſe ſponte in ſervitutem vendidere, a domino fugere nullatenus poſſunt; quia violarent juſtitiam, & dominum re ſua juſte & legitime acquiſita ſpoliarent. Ita communiter doctores, qui ſolum caſum excipiunt, quo ſervus a furente domino necem, vel mutilationem timeret, vel ipſum a fide catholica avertere tentaret, & minis, vel etiam promiſſis cogeret. Num vero qui bello juſto capti ſunt, fugere valeant, diſſident Theologi. Nonnulli cenſent illicitam eſſe fugam, cum dominum re ſua juſto bello acquiſita ſpolient; & ita ſentiunt Navarrus, Molina, nec diſſentit D. Antoninus 3. P. tit. 3. cap. 6. §. 4. ſcribens: „ Si bellum eſt „ juſtum, captus in eo ſervus efficitur capientis, „ & peccaret talis ſervus fugiens a domino; quod „ intelligo, niſi eum ad malum cogeret, vel in- „ duceret; & talis ad Eccleſiam fugiens reſtitui „ debet domino ſuo, promiſſa tamen impunita- „ te .... ſed ſi bellum eſt injuſtum, licet ei fu- „ gere “. Oppoſitum tamen docent plures nobiliores Theologi, Dominicus Soto, Covarruvias, Angelus, Banez, Salom, aliique, qui putant ſervitutem jure gentium inductam cum hac conditione, ut ſervi poſſint fuga libertatem recuperare: & revera in jure titulo de rerum diviſione ſtatuitur §. Item ea: *Liberi homines bello juſto in ſervitutem noſtram reducantur, qui tamen ſi evaſerint, ad ſuoſque reverſi fuerint, priſtinum ſtatum recipiant.* Et licet hiſce ſtatutis infideles non obligentur, cum ſolos Romani Imperii ſubditos reſpiciant; nihilo tamen ſecius declarant jus gentium, & quo pacto inducta ſit ſervitus, oſtendunt. Libertatem tamen conſecuti non cenſentur ſervi, niſi cum ad locum pervenerint omnino extra dominium ac poteſtatem hoſtium conſtitutum. Num autem ſervi pœnæ poſſint fugere, ambigunt Theologi. Et quidem, ſi jus abſolute ſpectetur, licita non apparet fuga, cum eorum ſervitus & juſta ſit, & Principibus ac Dominis juſte punientibus rei ſubjici debeant. At ſi tacitus inſpiciatur Principum, & Rerumpublicarum conſenſus, qui hujuſmodi transfugas nec reſtituunt, niſi in atrocioribus criminibus juxta pacta & conventiones, non videtur illicita fuga; & certe non ſunt cogendi ad ſervitutem rurſus ſubjiciendam.

Con-

Conſectarium Secundum.

II. Num liceat ſervis, etiam ex manu infidelium licite fugientibus, quia vel injuſto bello capti ſunt, vel plagio venditi, dominorum bona ſibi ſurripere, ambigunt Doctores. Sentiunt quidem plures Theologi, etiam nobiliores, & magni nominis, Cajetanus, Molina, Leſſius, aliique, licere hujuſmodi ſervis, quantum poſſunt, de bonis domini ſecum fugiendo aſportare, tum ut ſervitutis onera ſibi compenſent, tum ut damna ab infidelibus chriſtianis illatą, tacita Principum conſenſione quoquo modo reſarciant. At hoc omnino certum mihi non videtur. Nam procul dubio committunt furtum, cum rem alienam invito domino ſibi ſurripiant. In bona dominorum jus nullum habent, non ratione injuſtæ captionis, quæ illis non niſi jus præbet vindicandæ priſtinæ libertatis, non vero jus in bona capientium; non ratione præſtitæ ſervitutis, cum alimenta a dominis acceperint juxta conditionem ſervitutis, quæ ſemper dura eſt & difficilis, & patienter ferenda, tanquam a Deo immiſſa, non rerum domini ablatione ſarcienda. Tacitus vero Chriſtianorum Principum conſenſus potius gratis præſumitur, quam probetur. Nec exemplum filiorum Iſrael, qui Ægypto egredientes ex mandato Domini vaſa Ægyptiorum abſtulerunt aurea & argentea, rem confirmat: nam hic apertum eſt, patens, & manifeſtum Dei omnium rerum ſupremi Domini mandatum, & conceſſio illarum rerum dominium de Ægyptiis in Hebræos transferendi; quod certe extra illam occaſionem non eſt præſumendum. Potius hic locum habet exemplum Joſeph, qui, licet venditus injuſte, domino tamen ſuo ſerviens *quidquam aliud non noverat, niſi panem quo veſcebatur*; tantum abeſt, ut de oneroſa ſervitute, ablatione rerum domini compenſanda, ne quidem cogitaret. Solum ad ſummum concedi poteſt, ut ea ſervi accipiant, quæ ad ſuſtentandam vitam in fuga ſunt neceſſaria; quippe quia tunc conſtituti videntur in extrema, vel quaſi extrema neceſſitate; quare neceſſaria ad vitam queunt undequaque ſibi comparare.

Conſectarium Tertium.

III. Qui alienum ſervum vel mutilat, vel occidit, tenetur tum domini, tum ſervi mutilati damna ſarcire: conſentiunt Theologi omnes, cum manifeſta ſit injuria, & damnum utrique illatum ex juſtitia compenſandum. At non ita conſentiunt, ſi ipſe dominus ſervum ſuum mutilet, vel occidat. Sunt enim plures Theologi, qui fatentur quidem, reum eſſe gravioris criminis injuſtitiæ, cum domino nullum jus competat in vitam, & membra ſervi, ut ſuperius diximus; at ad reſtitutionem non cogunt, cum, inquiunt, nulli, niſi ſibi, damnum intulerit, cui vita & membra ſervi erant obnoxia: prætterquamquod membra, & vita bona ſunt ſuperioris ordinis, & omnino irreparabilia, quæ proinde inferioribus bonis nec ſarciri poſſunt, nec reparari. Verum hæc argumenta non tanti mihi videntur ponderis, ut rem conficiant, & probabiliorem omnino, ac tutam reddant iſtam ſententiam. Quandoquidem ſi de mutilatione ſermo ſit, ſervus per eam & magnam patitur injuriam, & non leve damnum ſubit in proprio corpore, qui proinde, licet libertatem aſſequatur, jam utilitate, quam percipere poſſet ex mutilato membro, omnino privatur, hæc igitur ſarcienda profecto eſt. Præterea ſervus, quamdiu vivit, ſpem habet libertatem ſibi acquirendi, cum plures ſuppetant modi vindicandæ libertatis; hac igitur ſpe omnino privatur per occiſionem; eſt igitur hæc ſarcienda omni meliori modo, vel per bona ſpiritualia, quæ unice prodeſſe poſſunt defuncto, vel per beneficia in ejus hæredes juxta modum illatæ illis læſionis ex occiſione ſervi reddenda. Fateor hæc bona eſſe ſuperioris ordinis, & irreparabilia in ſe ſe: verum hæc ratio quidem hoc unum evincit, non poſſe ſcilicet ad æqualitatem ſarciri; at non eſſe eo meliori, quo poteſt, modo compenſanda omnino non evincit. Verum non eſt in hiſce quæſtionibus diutius immorandum, cum apud Chriſtianos ſit ferme ubique extorris hæc ſervitus, & infideles ad hæc noſtra non attendant.

Conſectarium Quartum.

IV. Bona ſervi, quæ penes ipſum ſunt, dum in ſervitutem redigitur, ad dominum pertinent; ſecus vero quæ ab ipſo ſunt ſejuncta. Ratio primæ partis eſt, quia cum ipſa perſona in ſervitutem redacta fiat domini, in eum tranſeunt omnia etiam, quæ penes ipſum reperiuntur, ſive pecuniæ, ſive res pretioſæ, ſive alia cujuſcumque generis. Secundæ vero ratio eſt, quia bona a ſervo ſejuncta, cujuſmodi ſunt bona, quæ habet in patria, non cenſentur occupata a domino, proinde ſemper ad ipſum pertinent ſervum, & ejus hæredes. Pari pacto quæ licitis titulis a ſervis in ſervitute acquiſita ſunt, quæ c. præc. n. 5. diſtinximus, poſt ejus obitum non ad dominum pertinent, ſed vel ad hæredes, vel ad alios, quibus ipſe teſtamento legaret; e contra vero, quæ ſolum ad uſum conceſſa reperiuntur, ad ipſum dominum pertinere, nullus eſt, qui ambigat.

Conſectarium Quintum.

V. Famuli bona dominorum ſuæ cuſtodiæ, & curæ commiſſa ita cuſtodire debent, ut ſi eorum culpa pereant, ad reſtitutionem teneantur: illi vero, quibus cura ſpecialis non eſt commiſſa, ſolum ex juſtitia debent impedire, ne bona domini ab extraneis rapiantur, non vero furta domeſticorum. Et de prioribus quidem ratio eſt aperta, cum pactum intercedat inter famulum & dominum, hic quidem de mercede ſolvenda, ille vero de rebus domini ſervandis, cuſtodiendiſque; porro hæc pacta ad commutativam juſtitiam pertinent, proinde violatio debitum inducit reſtitutionis: quamobrem tenentur hujuſmodi famuli bona domini cuſtodire, & tueri tum ab extraneis, tum

tum a domeſticis furibus. Qui vero non ad ſpecialem cuſtodiam, ſed ad domus officia, & ſervitia implenda conducuntur, ſaltem ex officio, & munere famuli ad eam rerum domini univerſalem cuſtodiam, & curam tenentur, quæ extraneos ex caritate obſtringeret, cujuſmodi eſt ab extraneis furibus tutari, proinde ex juſtitia, cum obligatio ſervi ad dominum, & viciſſim ex juſtitia conſurgat. Ad cuſtodiam tamen peculiarem, per quam res domini etiam a domeſticis furibus tuentur, non teneri ex juſtitia cenſeo, cum hæc peculiarem poſtulet diligentiam, & dominus vel ſibi reſervaverit, vel aliis ad hoc accitis famulis commiſerit, proinde communiter omnibus ſervis impoſitam non eſt cenſendum; præterea onus reſtitutionis cum graviſſimum ſit, non eſt de facili cervicibus famulorum imponendum. Non deſunt Theologi tamen, inter quos Auctor Theoriæ, & praxis Sacramentorum, qui omnes univerſim famulos ad res domini cuſtodiendas tum a domeſticis, tum ab exteris furibus ex officio famulatus, & ex juſtitia teneri arbitratur; quæ ſententia ſi vera habeatur, ita tamen temperanda certe eſt, ut famuli ad cuſtodiam acciti, etiam ex levi culpa ad reſtitutionem teneantur, ceteri vero nonniſi ex dolo & culpa lata. Sed de his iterum accuratius, cum de reſtitutione diſputabimus. Illud tamen certum exploratumque eſſe debet, illos contra caritatem peccare, & quandoque etiam lethaliter, quotieſcumque bonorum domini direptionem, quam facile impedire queunt, non impediunt.

Conſectarium Sextum.

VI. Famuli, quibus certa congrua cibi, vel potus menſura ex pacto condita eſt, nequeunt ſibi menſæ reliquias, vel alia ſive eſculenta, ſive poculenta ſurripere, ut ſuis parcant cibis, niſi hæc vel a dominis concedantur, vel concedi juſte præſumantur. Et quidem fures eſſe, ſi talia ſurripiant hujuſmodi famuli, res eſt in comperto, cum jam ex pacto, ſui cibi, & potus menſuram, & quidem congruam obtineant; quicquid ergo ſibi amplius attribuunt, contra voluntatem domini uſurpant, qui ideo talem ſtatuiſſe menſuram cenſetur, ut cetera ſibi reſervaret, vel pauperibus diſtribueret. Dixi, niſi a dominis concedantur, vel conceſſa præſumantur, cujuſmodi forent reliquiæ ille ciborum, de quibus dominus nec per ſe, nec per magiſtrum domus aliter diſponeret. Certe vero nequeunt famuli de delicatioribus cibis, vel peregrinis vinis ſibi quidquam uſurpare, cum hæc nec eorum deceant ſtatum, & ſibi ſemper reſervata volunt domini, niſi forte in tam modica quantitate ſupereſſent, ut nullius uſus forent. Famuli vero, quibus nulla eſt aſſignata cibi, vel potus menſura, ea tantum ſibi valent accipere, quæ juſtæ eorum ſuſtentationi, & ſtatui congrua ſunt: hinc ſi forte domini ex avaritia congruum non ſuppeditent alimentum, illud ſibi comparare poſſunt ex reliquiis menſæ, & ex rebus domini; quod ſi ultra congruum ad victum, & veſtitum quidquam ſibi uſurpent, & peccant pro quantitate materiæ, vel lethaliter, vel venialiter, & ad reſtitutionem tenentur.

Conſectarium Septimum.

VII. Juſtam tenentur mercedem domini famulis ſuis perſolvere, ſive de mercede convenerint, ſive nullum ſit initum pactum. De iis loquimur famulis, qui & ad familiæ, ac domini ſervitium vocantur, & tali pacto victum ſibi comparant, non vero de illis nobilibus pueris, qui in Magnatum, & Nobilium domibus recipiuntur honoris cauſa, & parentum precibus, quibus ſat eſt, ſi victus, veſtitus, habitatio & educatio tribuatur, quippe qui nec loco famulorum habentur. Veris itaque famulis juſta eſt perſolvenda merces, cujus æquitas & juſtitia penſanda eſt ex conſuetudine & praxi, ſpectato labore, officio, & munere famuli, & etiam conventione & pacto cum domino. In quo tamen injuſtitia locum habere poteſt, ſi dominus famulum egentem, & neceſſitate preſſum conducat minori pretio, quam ejus labori, & ſervitio conveniat, & licet ipſe famulus conſentiat, ex neceſſitate tamen aſſentitur: eapropter tenentur domini illos de illato damno, & injuſta diminuta mercede ſarcire. Abſit tamen, ut famulis ipſis jus compenſationis concedamus, de quo ſuo loco diſputabimus. Quod ſi nullum ſit pactum de mercede danda, illa adhuc erit perſolvenda, quæ ſpectatis ſupra-recenſitis circumſtantiis juſta & æqua videbitur. Licet enim famuli poſſint & ſine mercede ſervire, hoc tamen non eſt præſumendum, niſi aperte & manifeſte de eorum gratuita ſervitute conſtet.

Conſectarium Octavum.

VIII. Nec domini famulos, ad præfinitum tempus conductos abſque juſta & rationabili cauſa dimittere poſſunt; quod ſi dimittant aliquando, certe integram tenentur perſolvere mercedem. Quandoquidem a legitimis pactis, & conventionibus reſilire illicitum, & iniquum eſt; ſunt enim ſancte ſervandæ, & quæ ſequuntur, damna ſarcienda. Hinc dominus, qui famulum ad annum conduxit, expellere juſte nequit abſque legitima cauſa ante præfinitum tempus; quod ſi expellat, & famulus alium non inveniat dominum, tenetur prior dominus integram perſolvere mercedem, cum per famulum non ſteterit, quin conſtitutum præſtaret famulatum, & grave ſubit detrimentum; & in hoc omnes conveniunt Theologi; unde certa omnino eſt hæc doctrina. At diſſentiunt, quando contingit famulum injuſte pulſum ſtatim alium, cui inſerviat, dominum reperire, unde revera nullum ſubit damnum & detrimentum ex injuſta depulſione. Molina, Azorius, aliique cenſent adhuc integram illi deberi mercedem, cum ſemper verum ſit læſam, violatamque juſtitiam; & in jure civili lege *Qui operas ff. locati* ſtatuitur: *Qui operas ſuas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, ſi per eum non ſteterit, quominus opera præſtaret.* Et hoc quidem cenſeo jure civili ſpectato; eapropter

ſi a

ſi a judice ſtatuatur, ut in pœnam fractæ fidei dominus integram ſolvat mercedem, obtemperare tenebitur. Verum ſi jus naturale ſpectetur, non adeo clarum & manifeſtum apparet adhuc integram eſſe mercedem ſolvendam. Nam violatam quidem video juſtitiam in fidei fractione, & injuriam illatam ſervo injuſte a famulatu pulſo; at nullum video illi illatum damnum, nullum detrimentum, quod ſit integræ mercedis ſolutione ſarciendum: non enim quæcumque injuſtitia ſtatim infert compenſationis debitum, ſed ea, quæ cum detrimento & damno proximi eſt conjuncta; proinde ſatis erit, ſi injuſtitiam agnoſcens famulum honorifice habeat, & illatæ injuriæ veniam aliquo modo petat. Hæc tamen ſapientum judicio lubens ſubmitto.

Conſectarium Nonum.

IX. Famuli, qui operam ſuam ad tempus locarunt, violant juſtitiam, ſi ſine juſta cauſa a dominis recedant, & quandoque pacta mercede privari poſſunt. Sequitur hæc doctrina ex præcedenti, cum eadem ſit ratio dominorum ad ſervos, & ſervorum ad dominos, & utrique æque ad pacta & conventiones initas ſancte ſervandas teneantur. Hinc famulus, qui domino ſervitium per integrum annum pollicitus eſt, nequit ſine injuſtitia poſt ſex menſes a domino recedere; & etiam mercede conventa privari poteſt, ſi inde grave damnum domino inferat; immo, etſi nullum ſequatur detrimentum, docet Moſina, in juſtam pœnam. Verum ab hac rigida nimium Molinæ ſententia recedunt communiter Doctores, qui cenſent, ſin integram, ſaltem aliquam mercedis partem famulo ſolvendam, quotieſcumque ex famuli diſceſſu nullum patiatur dominus detrimentum. Nam revera famulus per ſex menſes domino inſervivit, & mercedem labori & officio reſpondentem lucratus eſt, & dominus commodum & utilitatem ex famuli ſervitio reportavit; merces igitur eſt rependenda. At cur non integra? Quia, inquiunt Salmanticenſes, *culpa ſua diſcedit, & ſic in pœnam peccati aliqua merces ſubtrahenda eſt*. Non abnuo, ſi hæc pœna a judice infligatur. At ſi jus naturale ſpectetur, injuriam quidem domino intulit, damnum & detrimentum omnino non intulit; proinde integram deberi mercedem tempori famulatus reſpondentem cenſeo, & ſervum teneri humiliter veniam illatæ injuriæ petere. Ita pari modo ſervatur juſtitia inter dominos & ſervos. A qua meo videri recedunt Salmanticenſes, qui una ex parte dominos, ante præfinitum tempus dimittentes injuſte famulos, abſolute pronuntiant, teneri integram totius temporis mercedem ſolvere, licet nullum inde ſequatur detrimentum famulo injuſte pulſo, & nullum omnino præſtet domino ſervitium & commodum tempore diſceſſum conſequente: ex altera vero nolunt ſervos injuſte diſcedentes a domino privari integra mercede ſervitii tempori reſpondente, ſed ſolum aliqua parte, licet nullum ſentiat dominus detrimentum ex diſceſſu famuli. Profecto hoc duplex pondus, & duplex menſura mihi non omnino æqua videtur. Judicent ſapientiores.

Conſectarium Decimum.

X. Servi, qui conſentiente domino uxorem duxerunt, poſſunt domini ſervitium prætermittere, & poſtponere, ut uxori ſatisfaciant; ſecus vero ſi eo invito, vel ignorante matrimonium celebraverint, niſi aliter poſtulent rei circumſtantiæ. Ita S. Th. in Supp. q. 52. a. 2. ad 3. „ Si „ ſervus, volente domino, matrimonium contra- „ xerit, tunc debet prætermittere ſervitium domi- „ ni imperantis, & reddere debitum uxori: quia „ per hoc quod dominus conceſſit, ut matrimo- „ nium ſervus contraheret, intelligitur ei conceſ- „ ſiſſe omnia, quæ matrimonium requirit. Si au- „ tem matrimonium ignorante, vel contradicente „ domino eſt contractum, non tenetur reddere de- „ bitum, ſed potius domino obedire, ſi utrumque „ ſimul eſſe non poſſit. Sed tamen in his multa „ particularia conſiderari debent, ſicut etiam in o- „ mnibus humanis actibus, ſcilicet periculum ca- „ ſtitatis imminens uxori, & impedimentum quod „ ex redditione debiti ſervitio imperato genera- „ tur, & alia hujuſmodi: quibus omnibus rite „ penſatis judicari poterit, cui magis ſervus obe- „ dire teneatur, domino, vel uxori“. Ita quidem de ſervis, de famulis vero certum eſt eos teneri potius uxori ſatisfacere, quam domino inſervire, tum quia in hoc dominorum non ſubjacent voluntati, tum quia arctius eſt vinculum matrimonii, quam famulatus. Hinc ſi famuli a dominis impediantur uxori ſuæ obſequi, a famulatu recedere debent, & viciſſim domini poſſunt quidem a ſervitio uxoratos famulos dimittere, non vero cogere, ut ſibi potius, quam uxori inſerviant, vel officia mariti impedire.

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Eccleſiaſticorum, ac præcipue Parochorum erga Laicos, & Laicorum erga Eccleſiaſticos mutua explicantur officia.

D O C T R I N A.

I. *Eccleſiaſtici bonum exemplum Laicis exhibere debent.*
II. *A ſecularibus negotiis abſtinere.*
III. *Pædagogi, ſive magiſtri officia.*
IV. *Parochi, & Paſtoris munia implere.*
V. *Prædicatoris officium per ſe exercere debent.*
VI. *Quod ſi omittant, proprio muneri non ſatisfaciunt.*
VII. *Laicorum erga Eccleſiaſticos, & Paſtores officia.*
VIII. *Parentum & diſcipulorum erga Pædagogos, & Magiſtros munia.*

I. DE Eccleſiaſticorum & Paſtorum officiis erga ſeculares & ſubditam plebem nonnulla diximus in tract. de Beneficiis, alia etiam dicemus in tract. de Sacramento Ordinis. Hic igitur nonniſi generaliora quædam attingemus. Tenentur itaque primo Clerici omnes & Eccleſiaſti-

ſiaſtici erga laicos ſe exemplum præbere bonorum operum, & „ ut (inquit Concilium Trid. „ ſeſſ. 14. Decret. de Reform. in Procemio) con- „ verſatione, ſermone, & ſcientia Dei populo „ præeant; memores ejus quod ſcriptum eſt: *Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum*. Et juxta „ Apoſtoli vocem: Nemini dent ullam offenſio- „ nem, ut non vituperetur miniſterium eorum: „ ſed in omnibus exhibeant ſe, ſicut Miniſtros „ Dei, ne illud Prophetæ dictum impleatur: *Sacerdotes Dei contaminant Sancta, & reprobant* „ *legem* “.

II. Debent a ſecularibus negotiis abſtinere juxta Apoſtoli monitum: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus*, multoque magis caveant, ut jubet Trid. Synodus „ a comeſſationi- „ bus, aleis, ludis cum ſecularibus; quomodo e- „ nim laicos libere reprehendere poterunt, cum „ tacite ſibi ipſi reſpondeant, eadem ſe admit- „ tere, quæ corripiunt? “ A mulierum vero converſatione, frequenti colloquio, & familiaritate abhorreant, Matronarum & nobilium feminarum famulatum fugiant; hoc enim quam maxime Religioſum ſtatum dedecet, & dehoneſtat. Peccantes, præcipue in aliorum offenſionem, prudenter, & ſimul fortiter, & omni abjecto humano reſpectu corrigant; ipſi enim ſunt ſal terræ, qui laicorum mentes condire debent, & a corruptione præſervare.

III. Si Pædagogi, ſeu Magiſtri ſive publici, ſive privati onus, & munus ſuſcipiant, 1. oportet, ut optime calleant, quæ pueros ſuos docere volunt, alioquin a munere ſuo deficerent, quia juxta S. Tho. 1. 2. q. 76. a. 2. *Singuli ſub præcepto ea ſcire tenentur, quæ ad proprium ſtatum pertinent*. 2. Puerorum ingenium explorent, tum quoad ſcientias & artes, tum quoad mores; non enim omnes pueri ſunt ad omnes artes vel ſcientias ex parte intellectus idonei; ex parte vero voluntatis ſunt fere omnes ad quædam vitia proni, nonnulli iracundi, alii perfracti, alii fucati & callidi, nonnulli puſillanimes, & timidi, quamobrem pædagogus ſatagere debet, ut hæc vitia in illis emendet & corrigat, & ſi quod forte virtutis ſemen in ipſis inſpiciat, fovere ſtudeat, & promovere. 3. Severiores ſint in corrigendis erroribus contra mores, quam contra ſcientiam: unde juſte queritur Auguſtinus lib. 1. Confeſſ. cap. 18. „ Si contra diſciplinam gram- „ maticam ſine aſpiratione primæ ſyllabæ homi- „ nem dixerit, magis diſplicet hominibus eam „ artem docentibus, quam ſi contra Dei præce- „ pta hominem oderit, cum ſit homo “. Si profanos Auctores diſcipulis explicent, maxime caveant ab iis locis, quæ vel fidei, vel bonis moribus poſſunt obeſſe. Audiant flentem Auguſtinum & docentem lib. l. cap. 16. „ Ita ve- „ ro non cognoſceremus verba hæc, imbrem au- „ reum, & gremium, & fucum, & templa cœ- „ li, & alia verba... niſi Terentius induceret „ nequam adoleſcentem proponentem ſibi jovem „ ad exemplum ſtupri... quem miſiſſe ajunt in „ gremium quondam mulieris imbrem aureum, „ fucum factum mulieri. Et vide quemadmo- „ dum ſe concitet ad libidinem, quaſi cœleſti magiſterio “. 5. Denique omnia ea arceant a diſcipulis, & amoveant, quæ mores labefactare, & animum valeant corrumpere: eapropter a famulis, ſociis, aliiſque arceant familiaribus vitio inquinatis, a Theatris, ſpectaculis, choreis, vanis & impudicis cantionibus. Gulam & iram frænare doceant, & temperantiam, ac manſuetudinem diligere, otium fugere, ſtudio incumbere, & in omnibus Dei gloriam, & ſpiritualem profectum quærere.

IV. Si vero Paſtoris, vel Parochi munus aſſumant, tenentur oves ſuas paſcere, & quidem, ut docet S. Bernardus tract. in Evangel. *Ecce nos reliquimus omnia* „ exemplo converſationis, „ verbo prædicationis, fructu orationis “. Et quidem 1. quoad converſationis exemplum, ea quæ mox diximus de omnibus Eccleſiaſticis Miniſtris, multo magis Paſtoribus conveniunt, cum de illis præſertim dixerit Apoſtolus Timotheum inſtruens: *Exemplum eſto fidelium in verbo, in converſatione, in caritate, in fide, in caſtitate*. Nihil enim horrendum magis in Eccleſia Dei contingere poteſt Paſtore & Parocho, qui ſcandalis gregem ſuum afficiat & offendat. „ Conſiderate (inquit Greg. Mag. hom. 17. „ in Evang.) quid de gregibus agatur, ſi Pa- „ ſtores lupi fiant “. 2. Debent paſcere verbo, in qua voce omnia clauduntur exteriora erga ſibi commiſſam plebem munia, nimirum Sacramentorum adminiſtratio, catechiſtica inſtructio, moralis concio, clericorum educatio, devota eccleſiaſticarum functionum celebratio, diffidentium reconciliatio, errantium correctio, ſcandalorum eradicatio, infirmorum ſolers viſitatio, in mortis articulo aſſiſtentia, defunctorum ſepultura. Baptiſmum itaque debent prompte adminiſtrare, omnes ſuos ſubditos, ac præcipue obſtetrices inſtruere, & docere de modo adminiſtrandi hocce ſacramentum, ut urgente neceſſitate nullus infans tam neceſſario deſtitutus auxilio decedat, & pereat. Pueros ad Confirmationis ſacramentum digne ſuſcipiendum tenentur inſtruere, parentes urgere, & monere, ut filios ſuos, cum ad uſum pervenerint rationis, curent hoc ſacramento roborari, nec ullum ſinant ſine hoc ſacramento decedere. Ad frequentem Euchariſtiæ ſuſceptionem plebem ſibi commiſſam hortentur, ſemper ſint ad eam petentibus miniſtrandam parati; publicos tamen peccatores a ſacra menſa forti animo repellant; Viaticum ea, qua decet, pompa & reverentia opportune deferant, & ſacrum Viaticum infirmis, quandiu ſui compotes ſunt, miniſtrent, nec expectent, ut omnino ſenſibus deſtituantur, nihilque ſentiant. In ſacramento vero Pœnitentiæ probabiliores amplectantur doctrinas, & quæ ſibi videntur magis veritati congruere, a laxis opinionibus carni & ſanguini accommodis abhorreant, pœnitentes interrogent, corrigant, & ad contritionem & dolorem accendant, & congrua peccatis, quantum fieri poteſt, ſatisfactoria imponant opera. Conjuges de muneribus & oneribus Matrimonii inſtruant, ejus ſanctitatem exponant, rudimenta fidei ignorantes non conjungant, niſi ea prius didicerint. Clericos inferiores inſtruant, doceant, ut

ut ſacramenta frequentent, invigilent; ſi minus idoneos vel ob morum pravitatem, vel ob ingenii hebetudinem ad ſacrum miniſterium compererint, Epiſcopum moneant, ne illos ad ſacros Ordines promoveat. Hæc Paſtoris officia hic potius indigitamus & delibamus, opportune ſuis locis latius exponenda.

V. Unum dumtaxat accuratius expendendum ſumo, nimirum officium prædicationis & inſtructionis populo exhibendæ. Et quidem Parochos & Paſtores teneri per ſe populum inſtruere, docere, hortari, monere, clare & invicte oſtendunt ſcripturæ teſtimonia, in quibus munus doctoris a munere Paſtoris non ſejungitur. Hinc S. Th. in ep. ad Eph. cap. 4. exponens verba Apoſtoli: *Dedit quoſdam Apoſtolos ... alios vero Paſtores, & doctores*, ita animadvertit: „ Sub eodem addit Pa„ ſtores & doctores ad oſtendendum, quod pro„ prium officium Paſtorum Eccleſiæ eſt docere „ ea, quæ pertinent ad fidem, & bonos mo„ res “. Propterea primum munus Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus a Chriſto impoſitum, eſt ut docerent omnes gentes. Et revera ſi munus prædicationis Paſtoribus non incumbit, quibuſnam dicemus illud fuiſſe demandatum, & quidem divino jure? Et revera nihil fortius inculcat Apoſtolus Timotheo, illi ſcribens epiſt. 2. c. 4. *Teſtificor coram Deo, & Jeſu Chriſto, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, per adventum ipſius, & regnum ejus: prædica verbum, inſta opportune, importune, argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina*. Quod munus quam arcte impoſitum ſit Paſtoribus, agnoſcentes Tridentini Concilii Patres ſeſſ. 5. de Reform. cap. 2. ſanxere: „ Archipresbyteri, Plebani, & quicum„ que Parochiales, vel alias curam animarum ha„ bentes Eccleſias, quocumque modo obtineant, „ per ſe, vel per alios idoneos (ſi legitime im„ pediti fuerint) diebus ſaltem Dominicis, & fe„ ſtis ſolemnibus, plebes ſibi commiſſas pro ſua, „ & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, „ docendo ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt „ ad ſalutem, annunciandoque eis cum brevitate, „ & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare „ & vitare, & virtutes quas ſectari oporteat; ut „ pœnam æternam evadere, & cæleſtem gloriam „ conſequi valeant. “

VI. Hinc meo videri ſuo non ſatisfaciunt muneri Paſtores, qui nunquam populum inſtruunt, docent, & nunquam illi verba ſalutis annunciant, eo nomine, quia hoc ab aliis, ſive ſecularibus, ſive regularibus concionatoribus, ad hoc etiam conductis præſtatur; quandoquidem ad ipſos præſertim hoc onus incumbit, & per ipſos eſt implendum. Quamobrem Tridentina Synodus tunc ſolum concedit Paſtoribus, ut per alios plebem ſuam inſtruant, quando *legitime impediti fuerint*. Immo contra mutos Paſtores ita quidem ſtatuit: „ At ſi expedire viſum fuerit Epiſcopo, ad ejus „ arbitrium ex Beneficiorum fructibus alteri, qui „ munus prædicationis præſtet, honeſta aliqua „ merces perſolvatur, *donec principalis ipſe* reſipi„ ſcens officium ſuum impleat “. Attamen hoc munus adeo Paſtoris proprium agnoſcit, ut perpetuo ab ipſo abſtinere, vel per alium impleri non concedat, nec permittat. Nec puto diuturna etiam conſuetudine excuſari, nam ut docet S. Tho. 1. 2. q. 97. a. 3. ad 1. „ nulla conſuetudo „ vim legis obtinere poteſt contra legem divi„ nam, vel legem naturalem; dicit enim Iſidorus „ in Synonimis, uſus auctoritati cedat. Pravum „ uſum lex, & ratio vincat “. Hinc optime docet Soto de juſt. & ju. lib. 10. quæſt. 1. art. 3. „ Advertant quicumque in Chriſti Eccleſia ad Pa„ ſtoralis officii dignitatem aſſumpti, ad hoc apo„ ſtolicum prædicationis munus exercendum natu„ rali, divino, & eccleſiaſtico jure ita eſſe con„ ſtrictos, ut niſi id diligenter expleverint, ſu„ bituri ſint damnationis ſupplicium. “

VII. Laici vero Eccleſiaſticis viris, & præſertim Parochis & Paſtoribus ſuis, amorem, honorem, & reverentiam exhibere tenentur juxta Apoſtoli ad Theſſal. 1. c. 5. v. 2. monitum: *Rogamus autem vos fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, & monent vos, ut habeatis illos abundantius in caritate, propter opus illorum pacem habete cum illis*. Et Eccleſ. 7. v. 33. dicitur: *Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica ſacerdotes, & præpurga te cum brachiis, da illis partem primitiarum, ſicut mandatum eſt tibi*. Tenentur propterea illis amoris, & reverentiæ exteriora etiam exhibere argumenta, verbis honorificis alloqui, honorabiliorem locum cedere; nam ut ſcribit D. Joan. Chryſoſt. hom. 17. in Matth. „ Sacerdotes „ Chriſti Vicarii ſunt: qui honorat ſacerdotes „ Chriſti, Chriſtum honorat “. Et rurſum lib. 3. de ſacerdotio ſubdit: „ Per ipſos ſacerdotes Chri„ ſtum induimus, per ipſos Filio Dei conjun„ gimur, per ipſos membra beati ipſius capitis „ efficimur. Quomodo ergo nobis iſti non ſolum „ reverendi magis, quam Reges, aut judices, ſed „ etiam nobis magis erunt honorabiles, quam pa„ rentes “? 2. Tenentur etiam fideles Paſtoribus ſuis in rebus ad ſuæ ſalutis curam pertinentibus obedire, ut jubet Apoſtolus: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete illis; ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*. 3. Denique ſubſidia ſuppeditare debent, primitias, decimas, & alia illis debita alimenta exacte perſolvendo, ut fuſius dicemus ſuo loco. Nam ut ſcribit Apoſtolus: *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu illius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? ... Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?*

VIII. Si Sacerdotes Pædagogi munere funguntur, tenentur Genitores illos in honore & pretio habere, ut filii eos revereri diſcant, & honorare, juſtum eis ſtipendium perſolvere; *dignus eſt enim operarius mercede ſua*. Diſcipuli vero ea ferme debent Magiſtris officia, quæ parentibus, ſcilicet amorem, reverentiam, obedientiam: quamobrem ea aptentur, quæ de filiorum erga parentes officiis ſuperius diximus.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

Conſectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quomodo pravo exemplo peccent Eccleſiaſtici.*
II. *Quomodo peccent Parochi, & Paſtores.*
III. *Quomodo Pædagogi, & puerorum Magiſtri.*
IV. *Quomodo Laici Eccleſiaſticos non honorantes.*
V. *Debent ſuis Paſtoribus obedire, & inferiores Clerici ſuis Præſulibus.*

Conſectarium Primum.

I. PEccant, & quidem graviſſime, Clerici & Eccleſiaſtici viri, qui ſuæ dignitatis & gradus obliti, vix exteriori veſtitu a laicis & ſecularibus diſtinguuntur; quamobrem ſecularibus negotiis ſe immiſcent, libere cum mulieribus converſantur, ſpectaculis interſunt, ludis operam navant, comeſſationibus indulgent, matronis inſerviunt, & alia exercent clericali ſtatui, & Religioſo minime convenientia. Vix enim concipi poteſt, quantum offenſionis & ſcandali ſit chriſtianæ plebi hæc Clericorum vita. Audiatur S. Greg. M. hom. 17. in cap. 10. Lucæ: „ Nullum, puto, ab aliis majus præjudicium, „ quam a Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, „ quos ad correctionem poſuit, dare de ſe exempla pravitatis cernit, quando ipſi peccamus, „ qui compeſcere peccata debuimus, nulla animarum lucra quærimus, ad noſtra quotidie ſtudia vacamus, terrena concupiſcimus, humanam gloriam intenta mente captamus; & quia „ eo ipſo quo ceteris prælati ſumus, ad agendum quælibet majorem licentiam habemus, ſuſceptæ benedictionis miniſterium vertimus ad „ ambitionis argumentum: Dei cauſam relinquimus, ad terrena negotia vacamus, locum ſanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur". Sed de his fuſius cum de vita, & honeſtate Clericorum diſputabimus.

Conſectarium Secundum.

II. Peccant, & quidem lethaliter, animarum Paſtores, qui ovibus ſuis bono non prælucent exemplo, qui illis, quoties opus ſit, ſacramenta, & cetera ſalutis æternæ ſubſidia non ſuppeditant. Et quidem boni exempli neceſſitatem in Paſtoribus agnoſcit, & inculcat Auguſtinus in Pſal. 39. ſcribens: „ In Eccleſia iſte ordo eſt, alii præcedunt, alii ſequuntur, & qui præcedunt, exemplo ſe præbent ſequentibus, & „ qui ſequuntur, imitantur præcedentes. Ergo „ qui directos greſſus habent in petra (ideſt Paſtores) forma ſint fidelibus, unde cum Paulo „ dicere poſſint: *imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti* ". Neceſſitatem vero, quæ Parochos urget, præbendi ovibus ſuis ſpiritualia ſubſidia, & ſacramenta, nullus eſt qui non agnoſcat, eamque omnia ferme Generalia, Provincialia, & Diœceſana Concilia commendant, urgent, inculcant. Satis erit Concilii Tridentini decretum afferre ſeſſ. 23. cap. 1. de Reformat. „ Cum præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus „ animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbi divini „ prædicatione, ſacramentorum adminiſtratione, „ bonorum omnium operum exemplo paſcere.... „ Sacroſancta Synodus eos admonet & hortatur, „ ut divinorum præceptorum memores, facti forma gregis, in judicio & veritate paſcant, & „ regant ".

Conſectarium Tertium.

III. Pædagogi ceterique puerorum Magiſtri muneri ſuo nequaquam ſatisfaciunt, ſi ſolum doceant artes & ſcientias, de morum autem probitate, & pietate illis inſtillanda minime ſunt ſolliciti. Nam, præterquam quod ad hoc præcipue munus vel a parentibus, vel a publica aſſumuntur poteſtate, probitas vitæ eſt, quæ viam parat ad ſcientiam juxta ſcripturæ monitum Sapien. cap. 4. *In malevolam animam non intrabit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Tenentur itaque Præceptores omnes & Pædagogi, ſive publici, ſive privati, Catechiſmum ſive doctrinam chriſtianam juventutem docere, lectiones prævia oratione incipere, itemque finire, ſingulis Dominicis, & feſtis ſolemnibus diſcipulos ad Eccleſiam pro officiis divinis, & concionibus audiendis vel ipſi deducere, vel, ut pergant, commonere, ut Sacramenta frequentent invigilare, de probo, pio, doctoque ſacramenti Pœnitentiæ Miniſtro providere. Frequenter etiam monita ſalutis eorum auribus inſuſurrare, modo fugam malorum ſuadendo: *ne delecteris in ſemitis impiorum, nec tibi placeat malorum via, fuge ab ea, nec tranſeas per illam, declina, & deſere eam*; modo cordis cuſtodiam; *omni cuſtodia ſerva cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.* Detractionis, & turpiloquii fugam ſuadeant, nam *corrumpunt bonos mores colloquia prava, & fornicatio nec nominetur in vobis, remove a te os pravum, & detrahentia labia ſint procul a te.* Denique frequenter ingerant Dei timorem, & divinorum præceptorum cuſtodiam; hinc ſæpiſſime Eccleſiaſtici verba ingeminent, *Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, & mandata ejus obſerva, hoc eſt enim omnis homo.* Oh utinam iſta ſollicite ſatagerent Pædagogi, Præceptores, Magiſtri! Quanta inde morum in Eccleſia reformatio redundaret! Nam, ut optime animadvertit piiſſimus Gerſonius, „ reparatio morum inchoanda eſt a parvulis, quia enim pueri minus corrupti, minuſque tenaciter infecti „ ſunt, capaciores inveniuntur doctrinarum ſalubrium .... apti ſunt ad accipienda bonorum „ ſtudiorum exordia, quando nondum falſas opiniones imbiberunt, quando nondum radicitus „ hæreant pernicioſæ adinventiones in eis. Vites „ ſunt recentes pro liquoribus optimis. Novellæ „ præterea plantationes, quæ ſequuntur leviter, „ quo ducentis manus deflexerit... Pueri ſic vere inſtituti eſſe quoque poterunt aliorum doctores, inſtructoreſque commodiſſimi maxime domeſticorum ".

Con-

Conſectarium Quartum.

IV. Peccant, & quidem non raro etiam lethaliter, Laici & ſeculares homines, qui Eccleſiaſticos viros, & præſertim ſacerdotes dehoneſtant, ſubſannant, ludibrio habent, contumelioſis verbis inhonorant, eorum occulta crimina manifeſtant; quandoquidem ſi hæc a culpa immunia non ſunt adverſus proximos admiſſa, quanto magis in Dei ſervos, miniſtros, & domeſticos? præſertim cum contumelia in ipſum Deum redundet, ut optime animadvertit S. Auguſtinus ſerm. 102. de verbis Evangelii ſcribens: „ Videte, ne ſpernatis nos, ne ad illum perveniat injuria, quam „ nobis feceritis. Si enim non timetis nos, illum timete, qui dixit, *qui vos ſpernit, me* „ *ſpernit* “. Caveant itaque ab ira & indignatione Dei, qui Eccleſiaſticos viros aſpernantur, & contemnunt, & ultionem divinam pertimeſcant, quæ nec pueris pepercit Senis Prophetæ calvitiem irridentibus, ſed urſos ad eos lacerandos devorandoſque immiſit. Nec ad ſui excuſationem afferant quorumdam fortaſſis Eccleſiaſticorum vitam, ſtatus, quem profitentur, ſanctitati minime convenientem: Nam, ut optime obſervat S. Ephrem de Sacerdotio: „ Sicuti fulgidiſſimum aurum, licet luto contaminatum, non percipit detrimentum, neque ſpecioſiſſima margarita ex contactu „ quarumdam immundarum ſpecierum; ad eumdem modum nec ſacerdotium ab ullo ſordidum „ redditur, quantumvis etiam indignus ſit, qui „ illud ſuſcipit “.

Conſectarium Quintum.

V. Laici Paſtoribus ſuis in iis, quæ ad eorum ſalutem pertinent, tenentur ſubjici, & obtemperare; ſicut & inferiores Clerici ſuperioribus Præſulibus. Cum enim Paſtores & Parochi ſint ſuarum ovium Patres & Doctores, hæ illorum vocem audire debent, eorum monita attenta aure percipere, mandatis obtemperare; nam ut præcipitur in Conſtitutionibus, quæ Apoſtolicæ dicuntur: „ Bonum Paſtorem Laicus honoret, diligat, metuat, ut Patrem, ut Dominum, ut herum, ut Dei Pontificem, ut Magiſtrum pietatis; qui enim odit eum, Chriſtum odit, qui „ ei non obtemperat, non obtemperat Chriſto, „ & qui Chriſtum non recipit, non recipit Patrem ejus “. Quamobrem peccant, qui Parochos ſuos odio habent, ac contemnunt, qui latentis odii ſigna in illos patefacere non erubeſcunt, qui cum illis verbis contendunt, vel debita reverentiæ ſigna exhibere renuunt, eorum conſpectum fugiunt, monita ſpernantur, multoque gravius qui a ſuis domibus arcent, ipſiſque juſtis de cauſis ad ſe advenientibus recedunt, ne cum ipſis colloquantur, qui perſequuntur, diffamant apud Epiſcopos, falſo & calumnioſe criminantur, nec alia de cauſa ceu inimicos habent, niſi quia ipſis verum dicunt: quare merito Paſtores cum Apoſtolo conqueri poſſunt, *inimicus vobis factus ſum vera dicens*. Specialius vero tenentur inferiores Clerici ſuperioribus Præſulibus obedientiam, & reverentiam, quam ſolemni promiſſione ad Sacerdotium promoti coram militante, & triumphante Eccleſia polliciti ſunt. Unde merito ſcribebat S. Ignatius epiſt. 1. ad Smyrnenſes. „ Laici Diaconis ſubjiciantur, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Epiſcopo, Epiſcopus Chri„ ſto, ut ipſe Patri “. Et in jure com. cap. Cunctis q. 1. præcipitur: „ Cunctis fidelibus, & „ ſummopere omnibus Presbyteris, & Diaconis, „ & reliquis Clericis attendendum eſt, ut nihil „ abſque proprii Epiſcopi licentia agant “.

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

De mutuis Principum & ſubditorum officiis.

§. I.

De Principum officiis.

DOCTRINA.

I. *Regiæ poteſtatis baſis, & officia ex Scriptura deſumuntur.*
II. *Principes in ſuo regimine mundanam gloriam quærere non debent.*
III. *A Deo præmium expectent & mercedem, & quidem ampliſſimam.*
IV. *Duo præcipua Principis munia.*
V. *Quem finem debent Principes in regimine reſpicere.*
VI. *Media ad finem conſequendum idonea.*
VII. *Digniores ad officia promovere debent Principes.*
VIII. *Doctrina S. Thomæ de officiorum venditione.*
IX. *Num licita urgenti neceſſitate.*
X. *Juſtitiæ tum diſtributivæ, tum vindicativæ cuſtodia Principibus commiſſa.*
XI. *Subditos ab exterioribus inimicis tueri debent Principes.*
XII. *Juſti belli conditiones.*
XIII. *Quomodo liceat Clericis, & Eccleſiaſticis bello intereſſe.*
XIV. *Num inſidiis uti liceat in bello ex S. Tho. doctrina.*

I. Regiæ poteſtatis, & ſupremæ in populos dominationis baſim, originem, & Officia ipſe Deus Sapient. c. 6. luculentiſſime expoſuit, & 1. quidem eorum attentionem expoſcit ad ea, quæ ſunt dicenda: *Audite Reges, & intelligite, diſcite judices finium terræ, præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum*. Et paulo poſt: *Ad vos ergo Reges ſunt hi ſermones mei, ut diſcatis ſapientiam, & non excidatis*. 2. Eorum poteſtatem eſſe a Deo: *Data eſt a Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo*. 3. Hanc poteſtatem ideo datam, ut ſint Miniſtri Dei, ut recte judicent, ut legem juſtitiæ cuſtodiant, & ſecundum Dei voluntatem ambulent; quare

L 4 con-

contraria agentes vehementer objurgat, ſubdens: *Quoniam cum eſſetis miniſtri Regni illius, non recte judicaſtis, nec cuſtodiſtis legem juſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis*. 4. Dei viudictam illis minatur, qui fortaſſis ſuperiorem non habentes in terris, ſcelerum ſuorum punitionem non timent, hinc ſubdit: *Horrende & cito apparebit vobis: quoniam judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia: potentes autem potenter tormenta patientur*. 5. Denique magnificentiam, potentiam, opes, exercitus, & cetera regiæ dignitatis præſidia nihil eis profutura in ſupremo judicio monet: *Non enim* (ſequitur) *ſubtrahet perſonam cujuſquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujuſquam: quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus*.

II. Quamobrem, ut optime obſervat D. Tho. in ſuo Opuſculo de Regimine Principum, ex quo omnia, quæ dicturi ſumus, delibabimus, Principes pro rectæ ſuæ adminiſtrationis præmio non ſibi præfigere debent mundana bona, gloriam, & honorem, nam ſubdit S. D. „ Regibus diſpendioſum eſſet, ſi tot labores, & ſollicitudines paterentur pro mercede tam fragili. Nihil enim videtur in rebus humanis fragilior gloria, & honore favoris hominum... Eſt igitur incompetens Regis officio humanæ gloriæ præmium. Lib. 1. c. 7.

III. Mercedem igitur a Deo expectare debent Principes boni regiminis, & rectæ adminiſtrationis. „ Miniſter enim (ſubdit cap. 8.) pro ſuo miniſterio præmium expectat a Domino. Rex autem populum gubernando miniſter Dei eſt, dicente Apoſtolo ad Rom. 13. *Omnis poteſtas a Domino Deo eſt*. Et quod eſt *Dei miniſter, vindex in iram ei, qui male agit*. Remunerat autem Deus pro ſuo miniſterio Reges interdum temporalibus bonis, ſed talia præmia ſunt bonis maliſque communia, quamobrem bonis regibus, qui pia intentione populum regunt, & hoſtes impugnant, non terrenam, ſed æternam mercedem promittit, nec in alio, quam in ſe ipſo, & quidem non qualemcumque, ſe ut oſtendit c. 9. *præcellentem, eximiam, ſupremam*.

IV. Principis autem officium eſt, pergit Angelicus, ut ſit in regno *ſicut in corpore anima, & in mundo Deus, nimirum duo præſtando munia, & inſtitutionis, & gubernationis; Deus enim mundum inſtituit, & gubernat, anima pariter corpus informat primo, poſtea movet, & regit*. Animadvertit tamen D. A. primum opus non omnibus Principibus convenire, non enim omnes regnum, aut civitatem inſtituunt, in quo regnant, ſed Regno & Civitati jam inſtitutis regiminis curam impendunt: At ſecundum omnibus eſſe commune Principibus.

V. In hoc regimine vero Princeps hunc ſibi finem præfigat, oportet, nimirum ut multitudo ſub ipſo congregata vivat ſecundum virtutem. „ Ad hoc enim homines (ſcribit Angel. cap. 14.) congregantur, ut ſimul bene vivant, quod conſequi non poſſet unuſquiſque ſingulariter vivens. Bona autem vita eſt ſecundum virtutem. Virtuoſa ergo vita eſt congregationis humanæ finis ". Qui tamen, ut optime ſubdit, non eſt ultimus finis, ſed ulterius tendendum eſt, „ ut ſcilicet per virtuoſam vitam perveniant populi ad fruitionem divinam. Verum cum finem fruitionis divinæ non conſequatur homo per virtutem humanam, ſed virtute divina, perducere ad illum finem non humani erit, ſed divini regiminis ". Et hinc duplicis regiminis, ſpiritualis nempe & temporalis, quorum alterum ſupernaturalem beatitudinem ſupremum omnium finem, alterum vero humanam felicitatem ad illum conducentem reſpicit, diſtinctionem exponit, & plane diverſa onera explicat cap. 15. ſcribens: „ Si igitur, qui de ultimo fine curam habet, præeſſe debet his qui curam habent de ordinatis ad finem; manifeſtum ex dictis fit, quod Rex ſicut dominio & regimini, quod adminiſtratur per Sacerdotii officium, ſubdi debet, ita præeſſe debet omnibus humanis officiis, & ea imperio ſui regiminis ordinare... Quia igitur vitæ, qua in præſenti bene vivimus, finis eſt beatitudo cæleſtis; ad Regis officium pertinet ea ratione vitam multitudinis bonam procurare, ſecundum quod congruit ad cæleſtem beatitudinem conſequendam, ut ſcilicet ea præcipiat, quæ ad cæleſtem beatitudinem ducunt, & eorum contraria, ſecundum quod fuerit poſſibile, interdicat. Quæ autem ſit ad veram beatitudinem via, & quæ ſint impedimenta ejus, ex lege divina cognoſcitur, cujus doctrina pertinet ad Sacerdotum officium ".

VI. Porro tria ſtatuit Angelicus maxime Regibus attendenda, ut vitam multitudinis bonam procurent, nimirum lib. 2. cap. 10. „ 1. Quod Miniſtros ſemper habeat idoneos, ut per eos ſecundum gradum perſonarum diſtinguantur officia, diſtribuantur opera, & adminiſtrentur neceſſaria, ſive in Regno, ſive in quacumque Republica, & ſecundum merita cujuſcumque in ea contenti, juxta conſilium Moyſi a Jethro cognato ſuo datum Exod. 18. v. 21. *Provide viros potentes & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam, & conſtitue ex eis tribunos, centuriones, & quinquagenarios, ac decanos, qui judicent populum* lib. 1. cap. 10. „ 2. Ut ſuis legibus & præceptis, pœnis, & præmiis homines ſibi ſubjectos ab iniquitate coerceat, & ad opera virtuoſa inducat. „ 3. Ut multitudo ſibi ſubjecta contra hoſtes per eos tuta reddatur. Nihil enim prodeſſet interiora vitare pericula, ſi ab exterioribus defendi non poſſet.

VII. Ad rectam itaque Miniſtrorum electionem duo requiruntur. 1. Ne officia indignis conferantur, hoc enim eſſet in ſubditorum & Reipublicæ perniciem; quare pene omnes Theologi lethale eſſe peccatum docent, indignos ad quæcumque officia, & miniſteria promovere. Num vero etiam digniores teneatur præ dignis eligere, diſputant Theologi. Nonnulli cenſent ſat eſſe, ſi dignos eligat; cum hoc ad publicum bonum ſufficiat. Alii e contra digniores eſſe præferendos arbitrantur, cum ita juſtitiæ diſtributivæ ratio poſtulet, & magis ad publicum bonum con-

conducat. Diſtinguendum tamen cenſerem inter munia & officia, quæ juriſdictionem, regimen, & poteſtatem conferunt in ſubditos, & quæ meram afferunt mandatorum Principis executionem. Priora nonniſi dignioribus eſſe conferenda cenſeo. Nam revera ita poſtulat bonum commune, quod maxime ab hiſce Miniſtris pendet, & cum homines regere, moderari, gubernare opus ſit perquam difficillimum, nonniſi a dignioribus & aptioribus ſufficienter valet impleri. Quod verum puto, ſive hæc officia ab uno ſupremo Principe, ſive a pluribus, puta regali Senatu diſtribuantur, cum parum interſit, num quis ab uno, vel pluribus eligatur, & digniorem eligendi onus non ab ipſis electoribus, ſed a bono communi, & officiorum qualitate exoriatur, & pendeat; & præterea tam Princeps ſupremus, quam Reipublicæ Magnates non abſoluta polleant & arbitraria poteſtate in Regno populiſque regendis, ſed ea conditione gravata, ut in commune bonum & utilitatem omnia dirigant atque diſponant. Officia vero, quæ vel immediatum ipſius Principis perſonæ ſpectant ſervitium, vel ſolum mandata Principis deferunt, vel eorum executioni præſunt, poſſunt etiam dignis conferri, cum non proxime bonum commune ſpectent, ſed remote; niſi forte hæc officia in præmium darentur meritorum & laborum: tunc enim, ne diſtributiva violetur juſtitia, ſunt digniores dignis præferendi. Ita ſentiunt Sotus, Banezius, Leſſius, aliique ab ipſis citati.

VIII. Num vero præfata officia vendere liceat, quæſtionem reſolvit D. Thom. in Opuſc. 21. ad Ducíſſam Brabantiæ, quod ipſius Doctoris Angelici genuinum opus agnoſcunt Critici peritiores. Sic itaque ille ſcribit: „ Quinto quærebatis de „ Balivis, & Officialibus veſtris, ſi liceat eis officia vendere ... ad quod dicendum videtur .... „ conſiderandum, quod Apoſtolus dicit, quod „ *multa licent*, *quæ non expediunt*. Cum autem „ Balivis, & Officialibus veſtris nihil committatis, niſi temporalis officium poteſtatis, non video, quare hujuſmodi officia non liceat vobis „ vendere, dummodo talibus vendatis, de quibus „ poſſit præſumi, quod ſint utiles ad talia officia „ exercenda, & non tanto pretio vendantur, quod „ recuperari non poſſit ſine gravamine veſtrorum „ ſubditorum. Sed tamen talis venditio expediens non videtur. Primo quia contingit frequenter, quod illi, qui eſſent magis idonei ad „ hujuſmodi officia exercenda, ſunt pauperes, ut „ emere non poſſint; & ſi etiam ſunt divites illi, qui meliores ſunt, talia officia non ambiunt, nec inhiant ad lucra ex officio acquirenda. Sequitur igitur, quod ut plurimum „ illi officia in terra veſtra ſuſcipiant, qui ſunt „ pejores, ambitioſi, & pecuniæ amatores; quos „ etiam probabile eſt ſubditos veſtros opprimere, „ & veſtra etiam commoda non ſic fideliter procurare. Unde magis videtur expediens, ut bonos homines & idoneos ad ſuſcipienda veſtra „ officia eligatis, quos etiam invitos, ſi neceſſe „ fuerit, compellatis: quia per eorum bonitatem, & induſtriam majora accreſcent vobis, & „ ſubditis veſtris, quam de prædicta officiorum „ venditione acquirere valeatis “. In qua doctrina S. Thom. duo ſunt notanda 1. S. D. docere, officia temporalia objective ſpectata eſſe poſſe materiam venditionis, ſive potius non eſſe materiam ſimoniæ, quod manifeſte patet ex ratione ab ipſo allata, quia nimirum *non venditur*, *niſi temporalis officii poteſtas*. 2. In praxi tamen non licere ea vendere ob plurima, quæ merito timeri poſſunt, & inde frequentiſſime redundant, incommoda, præſertim quando ea venduntur officia, quæ juriſdictionem, poteſtatem, & regimen afferunt: tunc enim facillimum eſt, immo moraliter certum, emptores ad ſolutum pretium recuperandum juſtitiam vendituros, pauperem oppreſſuros, crimina condonaturos, & aliis modis ſubditos oppreſſuros. Quamobrem abſolute vendi non poſſe ex hac S. Thom. doctrina probabilius docent Soto, Banezius, Tapia, aliique nobiliores D. Th. diſcipuli.

IX. Quod ſi aliqua urgente, & premente gravi neceſſitate non aliud adſit remedium ad Reipublicæ ſuccurrendum, niſi officiorum venditio, duæ ſunt conditiones a D. Thom. poſitæ ſedulo cuſtodiendæ, nimirum 1. ne officia, niſi dignis, immo dignioribus vendantur, & qui ſint, non *ſibi* lucrum quærendo, ſed *Reipublicæ* ejus bonum procurando utiles: 2. ut moderato vendantur pretio, tum ne ementes anſam arripiant ex rigoroſo pretio juſtitiam violandi, tum ut facile gravi tranſacta neceſſitate ab emptoribus recuperari valeant. Quando autem urgeat tam gravis neceſſitas, definire quis poterit? Illud certe eſt attendendum, ut graviora mala timeantur ingruentia Reipublicæ, ſi ab officiorum venditione abſtineat Princeps, quam ab ipſa venditione; nam ſapientis eſt Principis, ut majora evitet damna, minora tolerare.

X. Alterum officium ex S. D. Principibus commiſſum, eſt juſtitiæ tum diſtributivæ, tum vindicativæ fidelis cuſtodia. Tenentur proinde Principes præmia pro meritorum qualitate bene de Republica meritis debita rependere, ſicut & malefactoribus pœnas pro meritis infligere. Nec in his eſt diutius immorandum, cum plura dicta ſint Tom. 2. tract. de Virt. cap. 5. & 6. & Tract. de Officiis hominum in Appendice cap. 5. de Officio judicis.

XI. Tertium munus eſt ſubditos ab extraneis hoſtium moleſtiis tueri, & defendere; unde licet ſupremis Principibus bellare. Et quidem juſta eſſe poſſe bella oſtendit ſacra Scriptura, in qua & Deus ipſe bella indixit, & indicta a Regibus, & ſupremis Principibus laudavit; & confirmat ratione S. Th. 2. 2. q. 40. a. 1. in corpore ſcribens: „ Cum cura Reipublicæ commiſſa ſit Principibus, ad eos pertinet rempublicam civitatis, vel regni, ſeu provinciæ ſibi ſubditæ tueri. Et ſicut licite defendunt eam materiali „ gladio contra interiores perturbatores, dum malefactores puniunt, ſecundum illud Apoſtoli ad „ Rom. 13. 4. *Non ſine cauſa gladium portat*: „ *miniſter Dei eſt*, *vindex in iram ei*, *qui male* „ *agit*: ita etiam gladio bellico ad eos pertinet „ rempublicam tueri ab exterioribus hoſtibus. „ Unde & Principibus dicitur in Pſal. 81. 4. „ *Eri-*

„ *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Unde Auguſtinus dicit contra Fauſtum (lib. 22. c. 75.) *Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poſcit, ut ſuſcipiendi belli auctoritas, atque conſilium penes Principes ſit* “.

XII. Ad juſtum vero bellum tres requirit D. Th. conditiones loc. laud. nimirum 1. ut fiat *auctoritate Principis*, cujus mandato bellum gerendum eſt. Hinc ſolum ſupremi Principes, & Reſpublicæ bellum indicere poſſunt; ut egregie animadvertit S. Aug. loco ſup. cit. contra Fauſtum. 2. „ Requiritur (inquit S. Th.) cauſa „ juſta, ut ſcilicet illi qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur. Unde Aug. dicit in Lib. qq. (ſc. ſup. Joſ. q. 16.) *Juſta bella ſolent definiri quæ ulciſcuntur injurias, ſi gens, vel civitas plectenda eſt, quæ vel vindicare neglexerit, quod a ſuis improbe factum eſt, vel reddere, quod per injuriam ablatum eſt* “. Quamobrem non licet bellum inire ad Imperium dilatandum, ad vicinos opprimendos, ad populos expoliandos, & in captivitatem deducendos: hæc enim ſunt latronis ſcelera, non juſti Principis officia. „ 3. Requiritur, ut ſit intentio bellantium recta; qua „ ſcilicet intenditur vel ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur. Unde Aug. in lib. „ de verbis Domini ... *Apud veros Dei cultores etiam illa bella pacata ſunt quæ non cupiditate, aut crudelitate, ſed pacis ſtudio geruntur, ut mali coerceantur, & boni ſubleventur* “. Quæ rectitudo intentionis profecto deficit, quotieſcumque bellum nimia ſævitia, & crudelitate exercetur, & vindicta culpam ſuperat, vel ultra protenditur bellum, quam ratio & juſtitia poſtulet. Hinc ſubdit Angelicus: „ Poteſt autem contingere, ut ſi ſit legitima auctoritas indicentis bellum, & cauſa juſta, nihilominus propter pravam intentionem bellum reddatur illicitum. „ Dicit enim Aug. lib. 22. c. 74. cont. Fauſt. „ *Nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, impacatus, & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi qua ſunt ſimilia; hæc ſunt quæ in bellis jure culpantur* “.

XIII. Licet Clericis, & Eccleſiaſticis præliis intereſſe, ſcribit S. Thom. l. l. a. 2. ad 2. „ Non „ quidem ut ipſi propria manu pugnent, ſed ut „ juſte pugnantibus ſpiritualiter ſubveniant ſuis „ exhortationibus, & abſolutionibus, & aliis hujuſmodi ſpiritualibus ſubventionibus, ſicut & „ in veteri lege mandabatur Joſue 6. quod Sacerdotes ſacris buccinis in bellis clangerent. Et „ ad hoc primo fuit conceſſum, quod Epiſcopi, „ vel Clerici ad bella procederent “. Verum illis pugnare vetitum eſt, quia ut docet S. D. in corp. „ Bellica exercitia maxime repugnant illis „ officiis, quibus Epiſcopi, & Clerici deputantur ... 1. Quidem quia bellica exercitia maximas inquietudines habent: unde multum impediunt animum a contemplatione divinorum, & „ laude Dei, & oratione pro populo; quæ ad officium pertinent Clericorum ... 2. Quia omnes „ Clericorum ordines ordinantur ad altaris miniſterium, in quo ſub Sacramento repræſentatur „ paſſio Chriſti ... & ideo non competit eis occidere, vel effundere ſanguinem, ſed magis eſſe paratos ad propriam ſanguinis effuſionem pro „ Chriſto, ut imitentur opere, quod gerunt miniſterio. Et propter hoc eſt inſtitutum, ut „ effundentes ſanguinem etiam ſine peccato ſint „ irregulares “: Excipiendum tamen, ſi neceſſitas urgeat patriam, & cives defendendi in obſidione injuſta.

XIV. Quomodo vero fraudibus, & inſidiis uti poſſint Principes in bello juſto ad fallendos, & vincendos hoſtes, exponit S. D. art. 3. ſcribens: „ Dicendum, quod inſidiæ ordinantur ad fallendum hoſtes. Dupliciter autem aliquis poteſt „ falli ex facto, vel dicto alterius. Uno modo „ ex eo, quod ei dicitur falſum, vel non ſervatur promiſſum; & iſtud ſemper eſt illicitum: „ & hoc modo nullus debet hoſtes fallere: ſunt „ enim quædam jura bellorum, & fœdera etiam „ inter ipſos hoſtes ſervanda, ut Ambroſius dicit „ in 1. de offic. c. 29. Alio modo aliquis poteſt „ falli ex dicto, vel facto noſtro, quia ei propoſitum, aut intellectum non aperimus. Hoc autem ſemper facere non tenemur: quia etiam in „ doctrina ſacra multa ſunt occultanda, maxime „ infidelibus, ne irrideant, ſecundum illud Matth. „ 7. 6. *Nolite ſanctum dare canibus.* Unde multo magis ea, quæ ad impugnandum inimicos „ paramus, ſunt eis occultanda. Unde inter cetera documenta rei militaris hoc præcipue ponitur de occultandis conſiliis, ne ad hoſtes perveniant, ut patet in Lib. ſtratagematum Francorum ... & talis occultatio pertinet ad rationem inſidiarum, quibus licitum eſt uti in bellis juſtis. Nec proprie hujuſmodi inſidiæ vocantur fraudes, nec juſtitiæ repugnant, nec ordinatæ voluntati. Eſſet enim inordinata voluntas, ſi aliquis vellet nihil ſibi ab aliis occultari “. Num vero in die feſto bellum inire liceat, diximus in 3. Præcepto.

§. II.

De Subditorum Officiis.

I. Subditi vero Regibus, Principibus, & ſupremis Rebuſpublicis honorem debent, ſubjectionem, & obedientiam præſtare. Et quidem honorem Principibus reddendum jubet D. Petrus epiſt. 1. cap. 2. v. 18. *Deum timete, Regem honorificate.* Subjectionem vero inculcaverat paulo ante v. 13. ſcribens: *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus tamquam ab eo miſſis.* Et rurſum: *Subditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis.* Obedientiam vero præcipit Doctor Gentium ſua Epiſtola ad Hebræos 13. dicens: *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis.* Et ad Tit. 3. 1. *Admone illos* (ideſt ſubditos & populum) *Principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire.* Et jure quidem, quia ut ſcribit S. Tho. 2. 2. q. 105. a. 1. „ In præceptis divinis continetur, quod „ etiam ſuperioribus obediatur. Et ideo etiam „ inobedientia, qua quis inobediens eſt præceptis „ ſupe-

„ ſuperiorum, eſt peccatum mortale, quaſi divi- „ næ dilectioni contrarium, ſecundum illud ad „ Rom. 13. 2. " Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.

Tenentur itaque ſubditi pro Principum ſuorum incolumitate orare, ſcribente Apoſtolo 1. ad Timoth. c. 2. v. 1. *Obſecro primum fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. Pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus .... hoc enim bonum, & acceptum eſt coram Salvatore noſtro Deo*. 2. Debent Principi periclitanti ſuppetias ferre, in rebus adverſis conſtanter adhærere, & ſi quas noverint contra eos inſidias, ſtatim prodere, exemplo Mardochæi, qui Eunuchorum conceptam proditionem ſtatim patefieri Aſſuero procuravit. 3. Juſtas eorum leges fideliter cuſtodire, & quidem, ut inquit Apoſtolus ad Rom. 13. v. 4. non *propter iram*, ideſt quia tranſgreſſores punire poſſunt, ſed etiam *propter conſcientiam*, ne ſcilicet Deum, cujus ipſi ſunt imagines, offendant. 4. Temporales ſumptus ad Reipublicæ regimen, tutelam, & conſervationem neceſſarios, ſcilicet tributa, vectigalia, cenſus, decimas fideliter debent perſolvere, nec ullo colore vel obtentu fraudare, ut juſſit Chriſtus: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*; & promulgavit Apoſtolus Paulus ſcribens loc. cit. *Ideo tributa præſtatis, Miniſtri enim Dei ſunt in hunc ipſum ſervientes: reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui honorem honorem.*

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Tenentur Reges & Principes Eccleſiam tueri.*
II. *In quibus Principes etiam lethaliter peccent.*
III. *Non licet illis bellum indicere, niſi urgentiſſimis de cauſis.*
IV. *Nec niſi certi ſint de juſtitia belli.*
V. *Illud ita indicere debent, ut ſi juſta exhibeatur ſatisfactio, ab ipſo ceſſent.*
VI. *Num liceat Principibus fœdus inire cum Infidelibus, & hæreticis in bello contra Chriſtianos, & Catholicos.*
VII. *Innocentibus parcere debent Principes etiam in bello juſto.*
VIII. IX. *In quibus belli Duces peccent.*
X. *Quilibet miles eſſe poteſt ſui Principis, quando ipſi certo non conſtet de injuſtitia belli.*
XI. *Quomodo milites, etiam præliantes in bello juſto, peccare poſſint.*
XII. *Non licet ſubditis Principum vectigalia fraudare.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. Tenentur Reges, & Principes Eccleſiam tueri, & defendere, ac propterea leges ferre in Religionis & Eccleſiæ bonum. Et primum quidem ad Reges pertinere Eccleſiæ defenſionem aperte docet S. Iſidorus Hiſpalenſis: „ Cognoſcant „ Principes ſeculi Deo ſe debere reddere rationem „ propter Eccleſiam, quam a Chriſto tuendam „ ſuſcipiunt. Nam ſive augeatur pax & diſcipli- „ na Eccleſiæ per fideles Principes, ſive ſolvatur, „ ille ab eis rationem exiget, qui eorum poteſta- „ ti ſuam Eccleſiam credidit ". Hinc perpetuo in benedictione erit memoria Conſtantini, Theodoſii, Caroli Magni, Ludovici Pii, Recaredi, Stephani Hungariæ Regis, & aliorum Principum piiſſimorum, qui Eccleſiæ defenſionem, propagationem, & honorem vel tutati ſunt, vel propagare, & amplificare ſtuduerunt. Leges vero eſſe ab eis ferendas in bonum Eccleſiæ oſtendit D. Auguſtinus lib. 3. cont. Creſc. cap. 51. ſcribens: „ In hoc enim Reges, ſicut eis divinitus præci- „ pitur, Deo ſerviunt, inquantum Reges ſunt, „ ſi in ſuo Regno bona jubeant, mala prohi- „ beant, non ſolum quæ pertinent ad humanam „ ſocietatem, verum etiam quæ ad divinam reli- „ gionem ". Caveant tamen Reges & Principes, ne manus contra Altare extendant, nec Dei Arcam tangere præſumant, ideſt ne Sacerdotum ſibi munia uſurpent, de rebus ſacris ad fidem, Sacramentorum adminiſtrationem, Eccleſiaſticam diſciplinam pertinentibus, vel aliis quæ divino, ſive Eccleſiaſtico jure Summo Pontifici, vel Epiſcopis reſervata ſunt, cognoſcere, decernere, dijudicare velint. Nam de Ozia ſcriptum eſt Paralip. II. cap. 26. *Cum roboratus eſſet, elevatum eſt cor ejus in interitum ſuum .... ingreſſuſque Templum Domini, adolere voluit incenſum ſuper altare thymiamatis*; & licet ei obſiſterent Sacerdotes, *tamen iratus Ozias, tenens in manu thuribulum, ut adoleret incenſum, minabatur ſacerdotibus. Statimque orta eſt lepra in fronte ejus .... & feſtinato expulerunt eum. Sed ipſe perterritus, acceleravit egredi, eo quod ſenſiſſet illico plagam Domini*, quæ in ipſo uſque ad mortem perſeveravit; quamobrem nec regio eſt dignatus ſepulchro, ſed fuit in agro humatus.

Conſectarium Secundum.

II. Peccant lethaliter Reges, Principes, Judices populorum, qui juſtitiam non recte adminiſtrant, qui pupillorum, viduarum, pauperum cauſas ad eorum judicium delatas diligenter non cognoſcunt, examinant, & celeriter definiunt, qui improbos non coercent, & puniunt, & bonos & probos non tuentur & fovent. Ita docent Sacræ Scripturæ luculentiſſima teſtimonia. *Principes tui infideles* (dicitur Iſaiæ 1.) *ſocii furum, omnes diligunt munera. Pupillo non judicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos*. Et cap. 5. *Væ qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo. Propter hoc, ſicut devorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit; ſic radix eorum quaſi favilla erit, & germen ejus ut pulvis aſcendet*. Et cap. 10. *Væ qui condunt leges iniquas: & ſcribentes injuſtitiam ſcripſerunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei: ut eſſent viduæ præda eorum, & populos diriperent. Quid facietis in die viſitationis, & calamitatis de longe*

ge venientis? Et Eccl. 10. *Regnum a gente in gentem transfertur propter injuſtitias, & injurias, & contumelias, & diverſos dolos.* Formam vero juſti Principis, & judicis in ſe ipſo exhibet S. Job c. 29. ſcribens: „ Quando procedebam ad portam Civitatis, & in platea parabant cathedram mihi .... oculus videns teſtimonium reddebat mihi. Eo quod liberaſſem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non eſſet adjutor. Benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum. Juſtitia indutus ſum, & veſtivi me, ſicut veſtimento & diademate, judicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum: & cauſam quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam“. O utinam tales Reges Deus populo ſuo pro ſua miſeratione largiatur, donatoſque conſervet!

Conſectarium Tertium.

III. Non licet Principibus bellum indicere, niſi urgentiſſimis de cauſis. Et quidem non niſi graviſſimis de cauſis bellum eſſe indicendum patet manifeſte; nam innumera ſunt, graviſſima, & intolerabilia, quæ ex bellis oriuntur mala, ideo & bellum inter flagella, quæ a Deo immittuntur, ab Eccleſia enumeratur, a quibus ſe liberari enixiſſime obſecrat. Quænam autem eſſe valeant hujuſmodi urgentiſſimæ cauſæ, ex Scripturis colligere poſſumus. Legitimus itaque bellandi titulus erit ultio graviſſimæ injuriæ, tunc enim bellum eſt actus juſtitiæ vindicativæ, & hoc nomine Tribus Iſrael bellum indixere Tribui Beniamin, quæ renuit incolas Gabaa punire, qui Levitæ uxorem & turpiter ac violenter oppreſſerant, & infanda libidine interfecerant, ut habetur Jud. 19. 2. Violatio juris gentium in occiſione, vel contumelia Legatorum Principis; & ideo jure bellum indixit David Ammonitis, qui ejus Legatos turpi contumelia affecerunt, dimidiam partem barbæ radendo, & veſtes ad nates uſque præſcindendo. 3. Ad iniquas ſubditorum ſeditiones comprimendas, cujuſmodi fuit bellum David contra Abſalom. 4. In defenſionem confœderatorum, ſic Joſue juſte pugnavit pro Gabaonitis. 5. Si innoxius tranſitus denegetur: quamobrem Deus juſſit Sauli, ut percuteret Amalec, & demoliret univerſa ejus, quia reſtitit Iſraeli, cum aſcenderet de Ægypto, Reg. 1. cap. 15. 6. Denique ad repetendum, quod ſibi ſtricto jure debitum eſt, præliari licet; ſic Judæi bellum indixere ad terram, promiſſam ſibi a Domino, occupandam. Hinc injuſta ſunt bella, quæ pro alieno uſurpando indicuntur, quæ ſine neceſſitate ſuſcipiuntur; nam ut ſcribit S. Auguſtinus ad Bonifacium, citatus a D. Th. 2. 2. q. 40. a. 1. ad 2. „ Pacem habere debet voluntas, bellum neceſſitas, ut liberet Deus a neceſſitate, & conſervet in pace; non enim pax quæritur, ut bellum excitetur, ſed bellum geritur, ut pax acquiratur: eſto ergo bellando pacificus, ut eos quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas“. Item ſi bellum nimia ſævitia & crudelitate exerceatur, ut oſtendit Auguſtinus cont. Fauſtum lib. 22. capit. 74. ſcribens: „ Quid culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque morituri, ut dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum eſt, non Religioſorum. Nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi qua ſimilia. Hæc ſunt, quæ in bellis jure culpantur.

Conſectarium Quartum.

IV. Non licet Principibus bellum indicere, niſi certo ipſis conſtet de juſtitia belli; nec ſatis eſt, ſi probabili, vel etiam probabiliori ratione moveantur. Et quidem non poſſe Principem bellum indicere, ſi dubius ſit de juſtitia belli, vel ſi ſolum probabili ducatur ratione, ad unum omnes fatentur Theologi; dubitant vero, ſi probabilioribus momentis moveatur, & affirmant nonnulli, quos ſequitur recens Scriptor Probabilioriſta; at meo videri non ſatis firma ratione. Nam vel bellum indicitur ad aliquid recuperandum, quod alter Princeps probabilius injuſte poſſidere creditur; vel ad ulciſcendam injuriam. Si primum, certum eſt poſſidentem bona fide ipſa poſſeſſione defendi, non enim eſt ſpoliandus poſſeſſione certa & patenti ob argumenta mere probabiliora. At reponit adverſæ ſententiæ Patronus, hanc eſſe petitionem principii, & pro vero conſtitui, quod eſt in quæſtione. At amabo, quis de hoc principio dubitavit unquam, non eſſe certo poſſidentem ſpoliandum poſſeſſione certa cum bona fide conjuncta, ob argumenta incerta injuſtæ poſſeſſionis? Nam periculum foret, ne injuſte ſpoliaretur; & omnia jura clamant, meliorem eſſe conditionem poſſidentis. Utique, reponit Theologus; ſed hoc ſolum in caſu meri dubii, vel æqualium motivorum, non tamen in caſu probabilioris motivi, cui pro rata eſt ſatisfaciendum. Verum ſi probabilioribus motivis eſt ſatisfaciendum, cur certo & ineluctabili argumento poſſeſſionis bonæ fidei non erit ſatisfaciendum? Si igitur ob probabiliora motiva injuſtæ poſſeſſionis eſt ſpoliandus parte rei poſſeſſæ, cur ob evidens argumentum certæ poſſeſſionis non eſt in rei ſuæ poſſeſſione manutenendus? Præterea ex bello innumera redundant mala, cædes, prædæ, incendia, ſtupra, ſacrilegia. Erunt ne igitur hæc facienda certo mala, ut inde obtineatur incertum bonum, ideſt recuperatio rei, quæ ſolum probabilius, ideſt ſemper incerte ab alio injuſte detineri creditur? Certa igitur, oportet, ſit injuſta detentio rei alienæ, ut cum tanto malo, quale eſt bellum, recuperari poſſit. Præterea non ſibi conſtat laudatus Auctor, nam prius aperte docuerat n. 2. *Quando eſt ferenda ſententia capitis, debet judex ſecundum omnia jura eſſe CERTUS delicti.* At Princeps, qui bellum indicit, nonne ſententiam capitis fert in omnes milites, & ſubditos alterius Principis, immo & in ipſum Principem, quem interfici poſſe in hoc bello, utpote ſibi juſto, non inficiabitur laudatus Auctor? Debet igitur eſſe

cer-

certus de delicto, ideſt de injuſtitia, & injuria in re aliena detinenda. Porro qui probabilioribus ducitur argumentis, non eſt proculdubio *ſecundum omnia jura certus delicti*; non poteſt igitur bellum movere. Denique nonne incertum omnino eſt, utrum liceat bellum indicere ex probabilioribus argumentis, cum, ipſo fatente Theologo, plures nobiliſſimi Auctores ab ipſo citati Vaſquez, Villalobos, Salas, Perez, Monteſinus, Palaus, Tapia, & Salmanticenſes negent licere, dum e contra alii æque nobiles Theologi Bannez, Ledeſma, Prado, Victoria affirmant? Ergo ſpectata exteriori auctoritate Doctorum dubia eſt omnino juſtitia belli, probabilioribus argumentis innixa, & dubia æquali auctoritate; ergo melior erit conditio poſſidentis, nec licebit bellum indicere. Quod multo magis verum erit, ſi bellum indicatur ad ulciſcendam injuriam; nam, ut optime docent Salmanticenſes, qui noſtræ adhærent opinioni, licet non rigidioris doctrinæ: *Defendere* (propulſare) *injuriam ſibi probabiliter illatam armis & bello barbarum eſt, cum ſit medium terribile, ſecumque afferens innocentium mortem, hominum captivitatem, Virginum ſtupra, Religionis profanationem, & alia innumera mala; ac proinde nulli perſonæ particulari id permittitur, etiam ſi ei fiat manifeſta injuria: ergo nec debet Principibus, etiam ſi jus probabilius habeant de injuria ſibi illata*. Hinc *Romani*, ut obſervat Varro lib. 2. de Vita P. R. licet Gentiles, *bella & tarde nec magna licentia ſuſcipiebant, quod nullum bellum, niſi pium putabant geri oportere*.

Conſectarium Quintum.

V. Debent Principes ita bellum indicere, ut, ſi debita exhibeatur ſatisfactio, ab ipſo ceſſent, oblatamque congruam ſatisfactionem acceptare teneantur; nec non bellando cavere debent, ne majora inferantur damna, quam patiatur juſtitia. Et revera ſi juxta S. Auguſtinum epiſt. ad Bonif. „ Pacem habere debet voluntas, bellum neceſſitas, ut liberet Deus a neceſſitate, & conſervet in pace; non enim pax quæritur, ut bellum excitetur, ſed bellum geritur, ut pax acquiratur “: Omnia ſunt præmittenda, quæ bellum impedire poſſunt, cujuſmodi ſunt, indictio belli, ſatisfactionis petitio, & ejus oblationis acceptatio, alioquin non juſtum foret bellum, nec ex neceſſitate, ſed a nocendi cupiditate, & libidine dominandi oriretur. Unde optime animadvertit Tullius Offic. lib. 1. n. 36. „ Nullum bellum eſſe juſtum, niſi quod aut rebus repetitis geratur, aut denuntiatum ante ſit & condictum “. Immo ſi bellum inchoatum ſit, & juſtæ pacis conditiones exhibeantur, a juſto Principe acceptari debent, ut monet S. Aug. loc. laud. *Eſto ergo bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas*. Si vero majora inferantur mala, quam ratio belli poſtulet, manifeſtum eſt bellum verti in rapinam, in ſævitiam, & in ulciſcendi cupiditatem degenerare, & ſic injuſtum fieri. Cavere proinde debent Principes belligerantes, ne bellum in terris fiat populorum innocentium, qui nullam bello cauſam dedere, ne debellatas urbes militum direptioni permittant, niſi ſceleris immanitas hoc crudele ſupplicii genus promereatur; quod tamen a pio Principe potius eſt mitiori pœna puniendum: nam in deprædatione Urbis tot & tanta committuntur flagitia, ſcelera, in Deum ſacrilegia, quæ ne quidem a piis Ducibus impediri queunt, ut ſatius ſit aliquid de proprio jure cedere, quam tam rigoroſe illud vindicare.

Conſectarium Sextum.

VI. Licet abſolute & objective illicitum non appareat, præſertim gravi urgente neceſſitate, fœdus inire cum infidelibus & hæreticis ad juſtum bellum contra Chriſtianos & Catholicos; in re tamen, & in praxi illicitum eſſe pronunciare poſſumus. Et primum quidem non eſſe abſolute illicitum patet ex Davide, qui Philiſthæis ſe adjunxit, ut contra Saulem præliaretur, Reg. 1. cap. 29. Et Machabæi cum Romanis fœdus iniere Machab. 2. Et docet S. Antoninus 3. part. tit. 4. cap. 2. §. 11. ſcribens: *Puto Infideles pacificos, non habentes guerram active nec paſſive nobiſcum, imminente neceſſitate licite poſſe vocari, aliter non*; cui conſentiunt etiam plures Theologi. At in re, & in praxi minime licere evincunt innumera, quæ inde ſequuntur fidei & Religioni damna, & ſcandala, Eccleſiarum profanatio, Templorum everſio, ſacrarum Imaginum proculcatio, fidelium perverſio, Virginum etiam ſacrarum conſtupratio, ſacroſanctæ Euchariſtiæ ludibrium, ſacrorum Vaſorum direptio, & innumera alia mala, quæ non per accidens conſequuntur; quia ut inquit S. Th. q. 1. de Malo art. 3. ad 15. non conjunguntur bello *ut in paucioribus, & raro, ſed ſemper, vel ut in pluribus*: quamobrem bona bellantis voluntas, & intentio non excuſat a peccato. Non tamen peccant Principes, qui ſubditos habent infideles, vel hæreticos, ſi eis ut militibus in bello juſto utantur, quippe qui cum Principis ſubdantur dominio, ita illos in manipulos diſperdere, & cum catholicis militibus conſociare, ac in ordine continere valent, ut nulla inferant fidei & Religioni detrimenta. Ita ſentiunt cum Salmanticenſibus Soto, Suarez, aliique ab ipſis citati.

Conſectarium Septimum.

VII. In bello juſto innocentibus parcere debent Principes, nec eos licet cum ſontibus vel perimere, vel vaſtare; nam ſicut illi nullam ſupponuntur vel bello cauſam dediſſe, vel præliis ſe immiſcuiſſe, nullam quoque vel pœnam, vel damnum ſubire debent, ut optime docet S. Aug. laud. ad Bonif. epiſt. ſcribens: „ Itaque hoſtem pugnantem neceſſitas perimat, non voluntas; ſicut rebellanti & reſiſtenti violentia redditur, ita victo vel capto miſericordia jam debetur maxima, in quo pacis perturbatio non timetur “. Innocentes vero duplicis claſſis eſſe p

ſun

ſunt, alii jure naturæ, ut pueri, mulieres, ſenes, qui nec manu, nec conſilio queunt bello cooperari; alii ex præſumptione, ut Ruſtici, Clerici, & Religioſi, qui ex eorum ſtatu non præſumuntur bellis cooperari. Ex juſtitia itaque & æquitate hi omnes ſunt a cæde & vaſtatione liberandi, niſi certo conſtet ad bellandum concurriſſe, vel manu, vel conſilio; nec timeatur pacem per eos impoſterum turbandam. Per accidens tamen poſſunt quandoque Principes etiam innocentum cædes permittere, dum nimirum aliter victoria obtineri nequit, ut cum bombardis, cuniculis, miſſilibus ignibus oppugnatur Civitas, vel mergitur Navis hoſtilis, in quibus permixti ſunt cum ſontibus innocentes.

Conſectarium Octavum.

VIII. Peccant lethaliter Duces belli, ſi militarem diſciplinam cuſtodire omittant, & milites a rapinis, ſtupris, prædationibus, aliiſque flagitiis condignis pœnis non arceant; immo ad reſtitutionem tenentur, cum hæc ex officio & munere ſuo impedire teneantur. Multoque gravius peccant, ſi ſtipendii partem militibus rependendi ſibi retineant; quamobrem militibus poſtea concedunt, ut a ruſticis, civibus, aliiſque ſibi neceſſaria per vim extorqueant: Si viam diſſimulant, qua ducere exercitum debent, ut ſic a pluribus Oppidis, Civitatibus, lociſque tranſitum redimere pecunia volentibus, plus accipiant, quippe quia, cum per unum dumtaxat locum tranſitus ſit habendus, nec illum venalem facere poſſunt, nec pro libito alios præ aliis gravare. Hæc enim omnia juſtitiæ adverſantur, & Reipublicæ magnum inferunt detrimentum.

Conſectarium Nonum.

IX. Belli Duces peccant lethaliter, & ad reſtitutionem tenentur, ſi minorem militum, pro quibus ſtipendia accipiunt, numerum habeant, & in luſtratione militum ficta nomina, vel fictos milites exhibeant: nec excuſantur eo nomine, quia & ipſi vel diminuta accipiunt ſtipendia, vel diminute ipſis fuerint perſoluta: quandoquidem hoc compenſationis genus Principi & Reipublicæ maximum affert detrimentum, quæ ob deficientias militum, pro quibus ſtipendia ſolvit, periclitari poteſt.

Conſectarium Decimum.

X. Quilibet privatus, cui ex aliquo capite interdictum non eſt armorum ſumere exercitium, licite valet ſub ſuo Principe bellum exercere, modo ſibi aperte non conſtet de injuſtitia belli. Ita docet S. Auguſtinus lib. cont. Fauſt. cap. 74. „ Vir juſtus, ſi forte ſub ſuo Rege, homine etiam ſacrilego, militet, recte poteſt eo jubente „ bellare, ſi vice pacis ordinem ſervans, quod „ ſibi jubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum certum eſt, vel utrum ſit, certum non „ eſt, ita ut fortaſſe reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem oſtendat ordo ſerviendi “. Excuſatur ſiquidem ſubditus in bello, de quo juſtitiam ignorat, obedientiam proprio Principi præſtando, nec ad ſubditos pertinet jura Principis expendere. Quod pariter intelligendum & de militibus mercenariis, qui ſtipendia a Principatu tam pacis, quam belli tempore merent, nam eorum veluti ſubditi effecti ſunt. Si vero ſubditus non ſit belligerantis Principis, ſed audito belli nomine ſpe pecuniæ, & prædæ ſe militiæ adſcribere velit, tenetur belli juſtitiam expendere, & de ea certus ſit, oportet, ne peccet bellando, & periculo ſe exponat cooperandi actioni iniquæ.

Conſectarium Undecimum.

XI. Milites, qui militiam exercent ſola avaritia, vel prædæ cupiditate, non motivo juſtitiæ, licet in bello juſto pugnent, peccant etiam lethaliter, ut docet S. Auguſtinus, cujus teſtimonium habetur in jure can. cap. Militare 5. cauſ. 23. quæſt. 1. *Militare non eſt delictum, ſed propter prædam militare peccatum eſt*. Quamobrem ut juſte militent, regulas cuſtodire debent a Chriſti Præcurſore militibus præſtitutas Lucæ 3. ſcilicet: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, ſed eſtote contenti ſtipendiis veſtris*. Igitur peccant lethaliter milites, & ad reſtitutionem tenentur, ſi innocentes homines, per quorum terras, vel loca non hoſtiliter tranſeunt, vel apud quos hoſpitantur, inſolitis atque indebitis gravent exactionibus, & quid ab ipſis extorqueant præter id, quod ex ſtatuto Principis recipere debent; ſicut nec pabula ſibi uſurpare valent in loco amico, quando vel ſufficientia ſibi ſuppeditantur, vel pecunia emere poſſunt, cum nec jus naturæ, nec Principis auctoritas his ſuffragetur.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Non poſſunt Milites a juſto bello deficere, & mortaliter peccant, ſi in bello ſtrenue non conſiſtant & pugnent, ſi non, niſi deſperata victoria fugiant, aliiſque timorem incutiant. Tenentur quoque etiam cum periculo vitæ ſtationem tenere, Arcem & Caſtra ſibi commiſſa defendere, quandiu ſpes adſit defendendi; ſicut & ſervare omnia Superioris mandata in ordine ad bellum, & rem militarem, nec ſine eorum conſenſu a caſtris, vel exercitu diſcedere, multoque minus aufugere, cum ex juſtitia ad hæc omnia adſtringantur, quippe qui eo pacto conducti ſunt a Ducibus & Principibus milites, ut ipſis in omnibus ad rem militarem ſpectantibus obtemperent, inſerviant, obſequantur pro toto militiæ tempore juxta pacta & conventiones ſancitas.

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Non licet ſubditis ſtatuta a Principibus vectigalia, ſive pro mercedibus, ſive pro victuariis, fraudare vel in toto, vel in parte; ſicut nec

nec vetitas merces introducere, aut extrahere, & alio transferre. Manifeſta eſt hujus corollarii veritas; quandoquidem jus habet Princeps juſta vectigalia pro ſui & ſtatus conſervatione a ſubditis repetendi; ea proinde fraudare nec in toto, nec in parte valent ſubditi: quod ſi præſtent, & lethaliter peccant ſpectata gravitate materiæ, & ad reſtitutionem tenentur. Multoque gravius delinquunt, ſi ejus miniſtros & ſatellites pecunia corrumpunt, vel eorum opera & miniſterio ad vectigalia fraudanda utantur, cum ſint in cauſa peccati ab ipſis patrati. Ipſi vero ſatellites & miniſtri duplex peccatum peccant, & contra fidelitatem, quam Principi debent, cujus ſtipendiis vivunt, & aluntur, ut vectigalium fraudatores denuncient, & ab eis merces auferant; & contra juſtitiam, cum damnum Reipublicæ inferant, quod ſarcire tenentur. Similiter leges quæ jubent, ne quædam mercium genera in civitatem introducantur, & alia minime aſportentur ab urbe, in conſcientia obligant, cum ſint veræ leges in commune bonum ordinatæ, quæ non ſolum ad pœnam obligant, ſed & in foro conſcientiæ, & coram Deo. Recolantur ea quæ Tract. 1. de Legibus cap. 15. hac de re fuſe diximus. Solum hic addimus eos, qui in more habent vectigalia fraudandi, vel vetitas merces ſive introducendi, ſive aſportandi, ita ut non alio lucro vivant, eſſe in habituali ſtatu peccati, nec eſſe abſolvendos, niſi omnino a prava conſuetudine deſiſtant.

REFLEXIO.

De officiis hominum pertractantes perpendimus, omiſſiones, quibus ſuorum munerum onera implere negligunt homines, in cauſa eſſe innumerabilium pene criminum, & plurimorum æternæ damnationis. At hic addere poſſumus in propriis officiis implendis deficere fideles, nedum omiſſione, ſed & aperta malitia, quia plane contraria perpetrant his, quibus adſtringuntur, obligationibus. Quod in conjugatis primum adparet. Sciunt enim ac probe norunt mariti, uxores eſſe a ſe diligendas, curam habendam familiæ, regendos domeſticorum mores, pietatem promovendam; attamen plane contrariis conſuetudinibus ſe abripi ſinunt. Nam vir propria vel contempta, vel relicta uxore alienæ mulieri totus adhæret; & viciſſim uxor proprio ſpreto conjuge cum aliis viris libere converſatur, unde innumera prodeunt adulteria, queis & magnum & venerabile Matrimonii Sacramentum defœdatur, chriſtiana ſocietas abrumpitur, familiarum confunduntur genealogiæ, & effrænis libido, tamquam torrens exundans, totam Chriſtiani orbis faciem defœdat. In regenda vero familia non aliam domeſticæ diſciplinæ induſtriam norunt, quam ſuos parce, & reſtricte habere, & dummodo frugi anguſtique ſint, quibus moribus vivant, ad ſe minime exiſtimant pertinere. Augere opes ſtudent, pomaria dilatare, agrum agro copulare, dignitates quærere, honores venari, de vitiis vero depellendis, de virtutibus promovendis, de Dei timore in imo pectore filiorum familiæque defigendo nihil omnino curant. Contra hos merito clamat Chryſoſtomus adverſ. vituper. vitæ Monaſt. „ An non extremæ dementiæ eſt, non tantum ſtudii & ſollicitudinis in „ rebus ſpiritualibus ponere, quantum circa temporalia & fluxa monſtramus "? Paterne autem illos monet S. Auguſtinus in Pſalm. 50. in fine ſcribens: „ Verumtamen cariſſimi in tanta morum diverſitate, & tam deteſtabili corruptela „ regite domos veſtras, regite filios veſtros, regite familiam veſtram; quomodo ad nos pertinet in Eccleſia loqui vobis, ſic ad vos pertineat in domibus veſtris agere, ut bonam „ rationem reddatis in his qui vobis ſunt ſubditi ".

Nec aliter agunt erga Religioſos, Sacerdotes, & Paſtores ſuos Laici. Eos probe ſciunt honorandos, colendos, tamquam Dei Miniſtros ſuſcipiendos, eorum dignitatem ſublimemque gradum non ignorant, quanta ab illis ſpiritualia bona percipiant, quotidie experiuntur. Attamen ingrati, in eorum mores inquirunt, famam dilacerant, facta reprehendunt, & ſi quos forte invenerint non juxta ſui gradus dignitatem vivere, ſtatim in omnes Religioſos, in Paſtores, Sacerdoteſque debaccantur, & exultant tamquam victores capta præda. Horum iniquitatem merito deteſtatur & coarguit S. Auguſtinus ſcribens epiſt. 78. „ Ad quid aliud ſedent iſti, & quid aliud „ captant, niſi ut cum quiſquis Epiſcopus, vel „ Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis „ ceciderit, omnes tales eſſe credant, jactent, „ contendant, ſed non omnes poſſe manifeſtari. „ Et tamen etiam ipſi, cum aliqua maritata invenitur adultera, nec projiciunt uxores ſuas, „ nec accuſant matres ſuas. Cum autem de aliquibus, qui ſanctum nomen profitentur, aliquid criminis, vel falſi ſonuerit, vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur. Hos ergo de veſtris doloribus ſuavitatem ſuæ malæ linguæ captantes, facile eſt, ut illis omnibus comparemus „ (ſi forte in malo intelligendi ſint) qui lingebant vulnera pauperis illius, qui ante januam „ divitis jacebat, & quouſque veniret ad requiem ſinus Abrahæ, laborioſa & indigna omnia tolerabat ".

Ad vos vero, o Sacerdotes Miniſtri Domini, Populorum Paſtores, gregis Dominici cuſtodes, quid loquar? Jam probe noſtis veſtri eſſe muneris ignorantes inſtruere, errantes corrigere, afflictos conſolari, contumaces & ſuperbos reprimere, &, ut Apoſtolus docet, *ſolicite curare vos ipſos probabiles exhibere Deo, operarios inconfuſibiles, recte tractantes verbum veritatis*. Verum, en quomodo de Paſtoribus Iſrael conqueritur Dominus per Iſaiam cap. 56. *Speculatores ejus cæci omnes, neſcierunt univerſi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia ..... Ipſi Paſtores ignoraverunt intelligentiam: Omnes in viam ſuam declinaverunt, unuſquiſque ad avaritiam ſuam, a ſum-*

a ſummo uſque ad noviſſimum. Et per Ezechielem vociferans conqueritur cap. 34. *Væ Paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos: Nonne greges a paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat, occidebatis: gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum, non ſanaſtis, quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abjectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat, non quæſiſtis: Sed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia. Et diſperſæ ſunt oves meæ, eo quod non eſſet paſtor, & factæ ſunt in devorationem omnium beſtiarum agri ..... Propterea Paſtores audite verbum Domini ..... Hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego ipſe ſuper Paſtores requiram gregem meum; ne paſcant amplius Paſtores ſemetipſos: & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in eſcam.*



TRACTATUS V.

DE PRÆCEPTIS DECALOGI

PARS QUINTA.

DE QUINTO DECALOGI PRÆCEPTO

Non Occides.

CUM *præcepta Decalogi, ut docet S. Th.* 2. 2. *q.* 122. *art.* 1. *ſint* prima principia legis, & quibus ſtatim ratio naturalis aſſentit, ſicut manifeſtiſſimis principiis, *manifeſtiſſimum autem ſit*, quod communiter ad hoc obligatur homo, ut nulli inferat nocumentum, *optime colligit A. D. art. 6. ad* 1. *poſt tria præcepta pertinentia ad Religionem, qua redditur debitum Deo, & poſt quartum præceptum, quod eſt pietatis, qua redditur parentibus debitum, ponenda fuiſſe præcepta negativa, quibus prohibentur nocumenta, quæ poſſunt proximis inferri. Negativa porro eſſe oportebat hæc præcepta, utpote omnibus communia, nam* quæ poſitive ſunt proximis exhibenda, diverſimode exhibentur diverſis, *quamobrem locum habere non poterant in præceptis Decalogi. Porro dupliciter nocumentum inferri poteſt, facto ſcilicet & verbo, ut docet A. P.* 2. 2. *q.* 64. *Facto quidem, cum* proximus læditur vel in perſona propria, vel in perſona conjuncta, vel in propriis rebus, *& hæc prohibentur quinto, ſexto, & ſeptimo Decalogi præcepto; quæ vero verbis inferuntur, prohibentur octavo præcepto. Cum autem inter nocumenta, per quæ maxime nocetur proximo, ſit homicidium; ideo primum ponitur inter præcepta, quæ damna & nocumenta proximi interdicunt. De Homicidio itaque recta methdo diſputabimus, omnia, quæ hocce præceptum ſpectant, diligentius examinando unica Diſſertatione, in plura capita de more diſtributa.*

DISSERTATIO UNICA

DE HOMICIDIO

CAPUT PRIMUM.

Quintum explicatur Præceptum. Homicidii notio exhibetur. Quibus modis committi poſſit, declaratur. Sceleris gravitas expenditur.

DOCTRINA.

I. *Quodnam Homicidium ſit vetitum hoc præcepto.*
II. *Quotuplex ſit homicidium.*
III. *Licita occiſio hominis publica auctoritate.*
IV. *Num Eccleſiaſticis Principibus ſit conceſſum homicidium morte punire.*
V. *Nulli licitum ſeipſum interficere.*
VI. *Non eſt ſemper vetitum ea facere, ex quibus ſequitur mors hominis.*
VII. *Nulli licet facinoroſum occidere privata auctoritate.*
VIII. *Quænam vetita præcepto* Non occides.
IX. *Graviſſimum crimen homicidium.*

I. HOmicidium, quinto Decalogi præcepto vetitum, eſt *injuſta occiſio hominis*; dicitur quidem *injuſta*, hæc enim proprie homicidium eſt, hoc præcepto vetitum, ſive publica fiat, ſive privata auctoritate; cum & ſupremi Principes, ſua abutentes poteſtate, valeant injuſta occiſione homicidii crimen perpetrare, ut patet in Davide, qui innocentem Uriam occidi juſſit. Quare aptiſſime S. Th. diſtinguit inter hominis occiſionem, & homicidium, ſcribens Quodl. 8. quæſt. 14. ad 1. „ Homicidium ſemper eſt peccatum, „ quia inordinationem habet inſeparabiliter annexam; homicidium enim plus importat, quam „ occiſio hominis ..... importat enim homicidium occiſionem hominis indebitam, & ideo „ homicidium nunquam eſt licitum, quamvis occidere hominem aliquando liceat. *Et* 1. 2. *q.* „ 100. *a.* 8. *ad* 3. *animadvertit*, quod occiſio „ hominis prohibetur in Decalogo, ſecundum quod „ habet rationem indebiti. Sic enim præceptum „ continet ipſam rationem juſtitiæ.

II. Homicidium primo vel eſſe poteſt ſui ipſius, vel alterius hominis. 2. Vel a privata auctoritate progrediens, vel publica. 3. Vel voluntarium, vel neceſſarium, vel caſuale. Neceſſarium dicitur homicidium, cum vel publica impera-

tur

tur poteſtate, vel a neceſſaria ſui defenſione inducitur. Caſuale quod omninò præter intentionem & voluntatem contingit. Voluntarium vero multipliciter habetur, & quidem directe, ut cum quis ſubita ira proximum interficit. 2. Si fiat animo auferendi & vitam & honorem, quod latrocinium appellatur. 3. Si ex inſidiis alterum occidat amicitiam ſimulando, quod proditorium dicitur homicidium: ad quod revocatur veneficium, quo alteri mors infertur; nec non abortus fœtus animati. 4. Per conductionem ſicarii, eo nimirum utendo ad proximum enecandum, quod dicitur aſſaſſinium. 5. Vel ad duellum provocando, ex quo vel alterutrius, vel utriuſque pugnantis mors ſequatur. Porro cum hæc homicidii genera ſpecialem ſecum afferant deformitatem, ſunt in confeſſione aperienda, ut infra dicemus. Indirecte vero voluntarium dicitur, quando licet mors non ſit in ſe directe volita, voluntarie tamen talis ponitur cauſa, ex qua mors ſequitur; ut ſi quis mulierem prægnantem pedibus conculcet, graviter percutiat, unde ſequatur abortus; vel tormentum bellicum explodat in loco, ubi plures adſunt, unde alicujus mors ſequatur.

III. Hominis occiſionem publica auctoritate imperatam licitam eſſe nullus eſt, qui ambigat, dicente, Apoſtolo ad Rom. 3. de Principe: *Non ſine cauſa gladium portat, vindex in iram ei, qui male agit*, & probat Angel. D. 2. 2. q. 64. a. 3. ſcribens: „ Occidere malefactorem licitum eſt, „ inquantum ordinatur ad ſalutem totius com„ munitatis: & ideo ad illum ſolum pertinet, „ cui committitur cura communitatis conſervan„ dæ; ſicut ad Medicum pertinet præcidere mem„ brum putridum, quando ei commiſſa fuerit cu„ ra ſalutis totius corporis. Cura autem commu„ nis boni commiſſa eſt Principibus habentibus „ publicam auctoritatem: & ideo eis ſolum li„ cet malefactores occidere, non autem privatis „ perſonis.

IV. Principibus tamen Supremis, ſi Clerici ſint, non licere jus ſanguinis in facinoroſos exercere docet, & probat S. Thom. laud. q. a. 4. ſcribens: *Non licet Clericis occidere, duplici ratione. Primo quidem quia ſunt electi ad altaris miniſterium, in quo repræſentatur paſſio Chriſti occiſi; qui* cum percuteretur, non repercutiebat, *ut dicitur* 1. *Petri* 2. 23. *Et ideo non competit, ut Clerici ſint percuſſores, aut occiſores. Debent enim miniſtri ſuum Dominum imitari, ſecundum illud Eccleſ.* 10. 2. Secundum judicem populi, ſic & miniſtri ejus. *Alia ratio eſt, quia Clericis committitur miniſterium novæ legis, in qua non determinatur pœna occiſionis, vel mutilationis corporalis. Et ideo ut ſint idonei miniſtri novi teſtamenti, debent a talibus abſtinere.* Poſſunt tamen, ſi in ſubditos jurisdictione polleant, judicibus a ſe delectis jus ſanguinis concedere, ut docet idem Angel. in reſp. ad 3. ſcribens: *Prælati Eccleſiarum accipiunt officium Prinpum terræ, non ut ipſi judicium ſanguinis exerceant per ſeipſos, ſed quod eorum auctoritate per alios exerceatur.* Illud tamen animadvertendum, ſanguinis judicium vetitum non eſſe Principibus eccleſiaſticis aliqua naturali lege, ſed tantum canonica ſanctione, ut patet Cap. *Neminem*. Cap. *Epiſcopum* diſt. 45. Cap. *Clerici*.

V. Nulli licet ſeipſum interficere, cum in præcepto *Non occides* vetita ſit tum ſui, tum alterius hominis interfectio, ut oſtendit D. Auguſt. lib. 1. de Civ. Dei cap. 20. ſcribens: *Reſtat, ut de homine intelligamus illud, quod dictum eſt,* non occides, *nec alterum, ergo nec te: neque enim alium, quam hominem occidit, qui ſeipſum occidit.* Et probat egregie D. Thom. laud. q. a. 5. oſtendens, ſuicidam nedum caritatis legem, ſed & juſtitiæ ſuo crimine violare; quamobrem ſic ſcribit: „ Seipſum occidere eſt omnino illici„ tum triplici ratione. Primo quidem quia na„ turaliter quælibet res ſeipſam amat; & ad hoc „ pertinet quod quælibet res naturaliter conſer„ vat ſe in eſſe, & corrumpentibus reſiſtit, quan„ tum poteſt. Et ideo quod aliquis ſeipſum oc„ cidat, eſt contra inclinationem naturalem, & „ contra caritatem, qua quilibet debet ſeipſum „ diligere. Et ideo ſui ipſius occiſio ſemper eſt „ peccatum mortale, utpote contra naturalem „ legem, & contra caritatem exiſtens. Secun„ do quia quælibet pars, eſt totius. Quilibet „ autem homo eſt communitatis; unde in hoc „ quod ſeipſum interficit, injuriam communita„ ti facit .... Tertio quia vita eſt quoddam do„ num divinitus homini attributum, & ejus po„ teſtati ſubjectum, qui occidit, & vivere facit. „ Et ideo qui ſeipſum vita privat, in Deum pec„ cat; ſicut qui alienum ſervum interficit, pec„ cat in Dominum, cujus eſt ſervus; & ſicut pec„ cat ille, qui uſurpat ſibi judicium de re ſibi non „ commiſſa. Ad ſolum enim Deum pertinet judi„ cium mortis, & vitæ, ſecundum illud Deuter. „ 32. 39. " Ego occidam, & ego vivere faciam.

VI. Non eſt tamen vetitum ea facere, ex quibus quis prævidet mortem ſecuturam; ſic præliari milites poſſunt, ſtationem firmiter tenere, licet inde prævideant mortem ſecuturam. Immo laudabile eſſe poteſt, ut quis pro bono virtutis acquirendo mortem non reformidet. Quamobrem Apoſtolus licet prævideret, ſi Hieroſolymam aſcenderet, vincula ſibi imminere, immo & mortem; tamen imperterritus reponebat impedientibus ejus aſcenſum, *Nihil horum vereor, nec facio animam meam pretioſiorem, quam me, dummodo conſummem curſum meum.* Sic licet tempore peſtis infirmis lue infectis, & corporaliter inſervire, & Sacramenta miniſtrare, etiam cum vitæ diſcrimine: nam, ut egregie docet S. Tho. 2. 2. q. 64. art. 5. ad 5. *Ad fortitudinem pertinet quod aliquis ab alio mortem pati non refugiat propter bonum virtutis, & ut vitet peccatum.*

VII. Interficere vero hominem, etiam facinoroſum, nulli privata auctoritate licet, quin reus habeatur patrati homicidii. Cum enim duo ad juſtam requirantur occiſionem, nimirum & culpa in reo, & publica poteſtas in occidente, hac carent privati; quamobrem licite etiam malefactorem nequeunt interimere; unde optime ſcribit S. Auguſt. *Qui ſine aliqua publica adminiſtratione maleficum, furem, ſacrilegum, adulterum, perjurum, vel quemlibet crimino ſum interfecerit, aut*

aut truncaverit, *vel membris debilitaverit*, *velut homicida judicabitur*. *Et tanto acrius*, *quantum non ſibi conceſſam a Deo poteſtatem abuſive uſurpare non timuit*. Quod & confirmat D. Thom. loco n. 3. laudato.

VIII. *In Homicidio*, ſcribit Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 122. artic. 6. ad 2. *omnia nocumenta*, *quæ in perſonam proximi inferuntur*, *intelliguntur prohiberi*. Hinc vetiti ſunt omnes exteriores actus, qui proximo perſonale inferunt nocumentum; cujuſmodi ſunt mutilatio, verberatio, percuſſio, violenta incarceratio. Similiter contra hoc præceptum peccant, qui ad hæc nocumenta proximo inferenda concurrunt ſuadendo, conſulendo, hortando, adjuvando, arma porrigendo, & ſimilibus. Immo & omnis vetatur internus affectus de malo proximi, ut odium, deſiderium, gaudium de alterius morte, vel nocumento. Quamobrem Chriſtus Dominus hocce explicans præceptum, etiam internos animi motus, & externa etiam verba, quæ contumeliam inferunt proximo, chriſtiana caritate vetita pronuntiavit Matth. 5. *Audiſtis*, *quia dictum eſt antiquis*, *non occides*: *qui autem occiderit*, *reus erit judicio*. *Ego autem dico vobis*, *qui iraſcitur fratri ſuo*, *reus erit judicio*; *qui autem dixerit fratri ſuo*, *Racha*, *reus erit concilio*; *qui autem dixerit*, *fatue*, *reus erit gehennæ ignis*. Hinc Tridentini Concilii Catechiſmus optime intulit: „ Duo in eo præcepto contineri, alterum, ne occidamus .... alterum, ut concordi amicitia charitateque inimicos complectamur, pacem habeamus cum omnibus, cuncta denique incommoda patienter feramus “.

IX. Graviſſimum eſſe homicidii crimen 1. oſtendit Dominus Deus, dum jubet occidentem occidi Exodi 21. *Qui percuſſerit hominem volens occidere*, *morte moriatur* ..... *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum*, *&* *per inſidias*, *ab altari meo evelles eum*, *ut moriatur*. Et Chriſtus Dominus Matth. 26. pronunciavit: *Omnes*, *qui acceperint gladium*, *gladio peribunt*. Immo in veteri lege etiam caſuale homicidium pœna non carebat, nimirum exilio, & relegatione in civitatibus refugii uſque ad mortem Summi Pontificis, extra quas ſi forte interfecti hominis conſanguinei occiſorem repertum enecaſſent, nulla pœna plectebantur. Sanctus vero Thomas licet homicidium minus peccatum dicat comparate ad ea, quæ in Deum directe committuntur, inter peccata tamen in hominem admiſſa, omnium graviſſimum agnoſcit, quippe quod vitam illi eripit, quæ eſt ceterorum omnium bonorum maximum, & aliorum baſis & fundamentum. Quapropter 2. 2. quæſt. 13. artic. 2. ad 1. ſcribit: *Homicidium primum locum tenet inter peccata in proximum commiſſa*. Et quæſt. 154. artic. 3. ad 3. docet: „ Peccatum fornicationis „ eſt contra bonum ſpeciei humanæ, in quantum impedit generationem ſingularem unius „ hominis naſcituri. Magis autem pertingit ad „ rationem ſpeciei qui actu jam participat ſpeciem, quam qui eſt potentia homo: & ſecundum hoc etiam homicidium eſt gravius, quam „ fornicatio, & omnes luxuriæ ſpecies “. Ex Eccleſiæ vero diſciplina homicidæ primum toto vitæ tempore pœnitentiæ addicebantur; poſtea vero ad plures annos ex miſericordia pœna definita eſt, immo nec ipſi qui per imprudentiam hominem interfeciſſent, immunes habebantur a pœna, ſed inter pœnitentes manere per quinque, vel ſeptem annos cogebantur.

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Falſa Waldenſium doctrina refellitur*.
II. *Alia*, *quæ Scoto tribuitur*, *doctrina rejicitur*.
III. *Non ſola innocentis occiſio privatis interdicitur*.
IV. *Caſuiſtarum nonnullorum propoſitio a Clero Gallicano reprobata*.
V. *Num liceat innocentem ad cædem tradere Tyranno petenti*.
VI. *Non licet ſontem damnare juris ordine prætermiſſo*.
VII. *A Principe proſcriptos num liceat privatis interficere*.
VIII. *Concedendum reis morti damnatis tempus & facultas confitendi*.

Conſectarium Primum.

I. FAlſa omnino eſt Waldenſium doctrina, aſſerentium, nec ſupremæ poteſtati licitum eſſe pravos homines occidere. Patet manifeſte ex ipſa Scriptura, in qua Deus jubet Exodi 22. *Maleficos non patieris vivere*. *Qui coierit cum jumento*, *morte moriatur*. *Qui immolat Diis*, *occidetur*. Confirmat D. Auguſt. epiſtol. ad Macedon. 153. ſcribens: „ Nec fruſtra inſtituta „ ſunt poteſtas Regis, jus gladii, cognitoris „ ungula, carnificis arma, militis diſciplina, dominantis ſeveritas etiam boni patris. Habent „ iſta omnia modos ſuos, cauſas, rationes, utilitates. Hæc cum timentur, & coercentur mali, & quietius inter malos vivunt boni, non „ quia boni pronunciandi ſint, qui talia metuentes non peccant; non enim eſt bonus „ quiſquam timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ; „ verumtamen non inutiliter etiam metu legum „ humanarum coercetur audacia, ut tuta ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis „ formidato ſupplicio frænatur audacia, invocato Deo ſanatur voluntas “. D. Auguſtino ſubſcribit Sanct. Thom. fidiſſimus ejus diſcipulus 2. 2. quæſt. 64. artic. 2. docens: „ Omnis „ pars ordinatur ad totum, ut imperfectum ad „ perfectum: & ideo omnis pars naturaliter eſt „ propter totum. Et propter hoc videmus, „ quod ſaluti totius corporis humani expediat „ præciſio alicujus membri, puta cum eſt putridum, vel corruptivum aliorum membrorum, „ laudabiliter, & ſalubriter abſcinditur. Quælibet autem perſona ſingularis comparatur ad „ totam communitatem, ſicut pars ad totum.

„ Et

„ Et ideo ſi aliquis homo ſit periculoſus com„ munitati, & corruptivus ipſius propter ali„ quod peccatum, laudabiliter, & ſalubriter oc„ ciditur, ut bonum commune conſervetur. „ *Modicum enim fermentum totam maſsam cor*„ *rumpit* “.

Conſectarium Secundum.

II. Rejicienda eſt doctrina, quæ Scoto tribuitur, ſcilicet licitum eſſe ſupremæ poteſtati ea ſola crimina morte punire, quæ in divina lege capitis pœna plectenda leguntur, cujuſmodi ſunt homicidia, blaſphemiæ, & adulterium; immo de adulteris ſentit non eſſe morte plectendos, quia licet in Veteri Teſtamento lapidibus obruendi dicantur, in novo tamen Teſtamento Chriſtus Dominus hoc cæremoniale præceptum abſtulit, dicens adulteræ apud ipſum accuſatæ, *nec ego te condemnabo*. Verum falſam eſſe hanc doctrinam Scripturæ teſtimonia evincunt, quæ non limitatam, ſed univerſalem tribuunt ſupremis Magiſtratibus malefactores bono communi graviter infenſos morte puniendi poteſtatem; hinc optime ajebat D. Paulus: *Non enim ſine cauſa gladium portat*, *Dei enim Miniſter eſt in iram ei*, *qui male operatur*. Confirmatur doctrina Sanct. Thom. ſuperiori capite allata n. III. ubi poteſtatem Principibus conceſſam in bonum commune puniendi etiam morte malefactores aſſimilat poteſtati Medici, qui ad ſalutem totius corporis conſervandam, membri alicujus præciſionem & jubere poteſt & ordinare; ſicut itaque nullum eſt membrum, quod ſi mortem inferat corpori, reſcindi non poſſit, quacumque gravetur infirmitate; ita nullus eſt malefactor, qui ſi bono communi gravem inferat perniciem, occidi non poſſit. Oſtendunt denique plurimæ leges tum civiles, tum canonicæ, quæ pœna mortis plura plectunt crimina præter ea, quæ in Scripturis habentur, quas tamen nemo unquam ceu iniquas agnovit.

Conſectarium Tertium.

III. Illorum quoque eſt rejicienda Theologorum ſententia, qui putant quinto Decalogi præcepto non niſi innocentis cædem damnari; cum in Exodo 23. expreſſe dicatur: *Inſontem*, *&* *juſtum non occides*. Nam juſti & innocentis cædes omnibus etiam ſupremis Principibus vetita eſt, at privatis etiam facinoroſos eſt vetitum interficere; immo & ipſis Magiſtratibus interdicitur etiam reum, non ſervata forma judicii, morti addicere.

Conſectarium Quartum.

IV. Merito Clerus Gallicanus anno 1700. quorumdam Caſuiſtarum ratiocinationem reprobavit, qui ex ſolo lumine naturali provenire putantes facultatem Principibus cæde puniendi criminoſos, ex eodem lumine inferri poſſe arbitrabantur, licere etiam cuique privato occidere aggreſſorem vitæ, honoris, famæ, & bonorum. Propoſitionem ſic proponit Clerus. „ Ubi eſt ſcripta ex„ preſſa permiſſio a Deo, ut Reges, & Reſpu„ blicæ poſſint interficere reos, an eſt ex Scri„ ptura? An ex traditione? Eſt ne fidei articu„ lus? Si ſolo lumine naturali eo ducimur, pa„ tere ex eodem lumine naturali judicemus, „ quod cuique privato licite “. Nanc itaque propoſitionem jure meritoque, ceu ſcandaloſam, erroneam, & hæreticam, Regibus & Rebuſpublicis injurioſam, vanis ratiociniis, & regulis vitam hominum, & morum decreta ſubjicientem, reprobavit. Et revera quis ejus falſitatem, impietatemque non agnoſcit, cum luculentiſſima ſint tum Veteris tum Novi Teſtamenti teſtimonia, quæ gladium conceſſum affirmant Principibus in malorum vindictam; cum hanc poteſtatem perpetuo in illis agnoverint Eccleſiæ Patres & Concilia adprobaverint; ſicut e contra aperte vetet Scriptura privatis hominibus hoſtes, & malefactores etiam ſibi noxios interficere? Sed in re comperta diutius non eſt immorandum.

Conſectarium Quintum.

V. Tyranno inſontem ad mortem poſtulante, non licet Reipublicæ vel illum concedere, vel cogere, ut ſe occidendum offerat. Et quidem non licere innocentem tradere, ad unum omnes fatentur Theologi; quippe quia hoc eſſet iniquitati & ſævitiæ Tyranni proxime cooperari. At non ita ſentiunt de coactione innocentis ad ſe offerendum Tyranno pro ſalute Patriæ, quippe quia eum ad hoc teneri putant, cum quiſque debeat etiam propriæ vitæ detrimentum ſubire ob bonum commune. Quamobrem ſi innocens juſto patriæ præcepto obſiſtat, & ſe offerre Tyranno recuſet, jam reus evadit, proinde, ut reus, tradi poterit occidendus. Verum huic doctrinæ aperte adverſatur D. Thom. qui 2. 2. q. 64. art. 6. docet: „ Quod vita juſtorum tan„ tum abeſt, ut bono communi adverſetur, quin „ immo eſt conſervativa, & promovitiva boni „ communis, quia ipſi ſunt principalior pars „ multitudinis; & ideo nullo modo licet occide„ re innocentem. Præterea hæc traditio innocentis ad necem eſt intrinſece mala, proinde nulli nec Principi, nec Reipublicæ, nec privato licita; ſicut nec traditio ſacrorum Codicum, vel Sacramentorum ad profanationem. Falſum propterea eſt innocentem teneri ſe Tyranno offerre ob ſalutem populi, quippe quia ejus iniquitati cooperaretur. Solum igitur tenetur, & poteſt ſui defenſionem ob commune bonum omittere; ſicut & reſpublica ejus tutelam, & defenſionem non ſuſcipere. Si igitur innocens non poteſt ſe ipſum tradere occidendum; nec Reſpublica poteſt eum cogere, ut ſe tradat, propter bonum commune Patriæ privato innocentis bono præponendum; cum bonum commune ſervari non debeat, niſi honeſtis licitiſque mediis, cujuſmodi

non

non eſt directa innocentis vel occiſio, vel traditio ad necem, quippe quæ intrinſece mala eſt, nulloque titulo honeſtanda. Ita ſentiunt nobiliores Thomiſtæ Jo. a S. Th., Soto, Salmanticenſes, aliique.

Conſectarium Sextum.

VI. Peccant Judices, qui, non ſervato juris ordine, ſententiam mortis in reum pronunciant, quandoquidem ſceleſtos puniendi Reipublicæ noxios poteſtate donati ſunt ea conditione & lege, ut (quod naturale jus & æquitas poſcit) in judicio ferendo ordo ſervetur. Hinc optime ajebat S. Ambroſius in Pſal. 118. *Bonus Judex nihil ex arbitrio ſuo facit, ſed ſecundum leges & jura pronunciat.* Recolantur quæ diximus Tract. 3. in Append. cap. 5. a n. 24. ubi quæ ad judicem ſpectant, quæſtiones propoſuimus, & enucleavimus.

Conſectarium Septimum.

VII. Peccati homicidii plerumque rei ſunt coram Deo, qui bannitos a Principe occidunt, licet id ſit ab illis cuilibet conceſſum, etiam præmio propoſito. Nam licet poſſint judices ſceleſtos homines de crimine convictos, & damnatos quocumque perſequi, & mortis pœnam juſte in ipſos pronunciatam per quoſcumque exequi; quapropter etiam poteſtatem faciunt cuicumque eos interficiendi: nihilo tamen ſecius pluribus modis peccare poſſunt, qui eos interficere aggrediuntur, & frequentiſſime peccant nimirum 1. Quia Princeps non cogit eos occidere, ſed relinquit in poteſtate, quamobrem ſi juſtitiam non violent, quia Princeps cædem permittit, non video, quomodo non peccent contra caritatem, quia non juſſi, ſed libere ac ſponte occidunt, & ſummum bonorum homini eripiunt, ſcilicet vitam. 2. Si occiſionem perpetrent extra proſcribentis territorium; tunc enim violatur jus alienum, & interfector a Principe juſte puniri poteſt; nec præſumendus eſt Principis tacitus conſenſus, quippe quia Principes ſuæ juriſdictionis tenaces ſunt cuſtodes, nec de facili permittunt aliorum judicium, vel Principum judicia & ſententias in ſuo Territorio abſque ſui conſenſu executioni demandari. 3. Peccant, ſi occidant prava aliqua animi affectione, puta vel odio in reum, vel deſiderio vindictæ, vel etiam lucri & utilitatis intentione; cum ſolum ex amore boni publici, & juſtitiæ talis occiſio licita reddi poſſet. 4. Peccant etiam contra caritatem in ſe ipſos, quia plerumque ſe periculo amittendæ vitæ, vel mutilationis exponunt. Hinc raro ſine gravi peccato hujuſmodi perpetrantur cædes. Quod multo magis verum eſt, ſi interfectores ſint filii, conſanguinei, fratres, qui a Judice facultatem impetraverint enecandi occiſores patris, fratris, aut filii, ubicumque illos invenerint; cum non ex juſtitia, ſed ex odio & vindicta hoſtem perſequantur, & occidant. Ita plerique Theologi.

Conſectarium Octavum.

VIII. Concedenda ſunt reis ad mortem damnatis tempus, & facultas confitendi, & ſacram etiam, juxta Eccleſiæ diſciplinam, Euchariſtiam ſumendi. Et primo de Confeſſione concedenda nullus eſt, qui non videat, quam congruum, quam hoc neceſſarium ſit ad reorum ſalutem, adeoque illis hoc ſalutare remedium denegare, crudelis eſſet Tyranni, non juſti & chriſtiani judicis. Quoad Communionis vero miniſtrationem jure dixi ſtandum conſuetudini illius Eccleſiæ, in qua punitur reus. Quis enim improbare audeat Gallicanæ Eccleſiæ diſciplinam, quæ ultimo ſupplicio afficiendis Communionem denegat, quam & denegandam ſanxere S. Cyprianus in Concilio Epiſcoporum, & Synodus Arelatenſis ſeculo IV. iis qui mortis expectaſſent periculum ad veniam petendam. Similiter nec improbandus mos dandi Communionem eodem ſupplicii die, licet laudanda conſuetudo quæ diem illum lugubrem prævenit; ſicut & morem dandi per modum Viatici etiam non jejunis Communionem plures Theologi probant. Illud pro certo eſt habendum, conceſſam fuiſſe a Chriſto Eccleſiæ poteſtatem in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva eorum ſubſtantia, ut ea decerneret, ac ſtatueret, quæ & Sacramentorum venerationi, & fidelium ſpirituali utilitati magis expedire cognoverit.

CAPUT TERTIUM.

De Homicidio privata auctoritate patrato ob defenſionem vitæ, bonorum, & famæ.

DOCTRINA.

§. I.

De vitæ defenſione occiſiva.

I. *Ad vitæ defenſionem licet injuſtum aggreſſorem occidere.*
II. *Ad moderamen inculpatæ tutelæ ſervandum prima conditio.*
III. *Altera conditio explicatur.*
IV. *Defenditur adverſus Sotum.*
V. *Tertia conditio exponitur.*
VI. *Plures Caſuiſtarum laxæ opiniones recenſentur.*
VII. *Cur SS. Patres homicidium nec in vitæ defenſionem probaverint.*
VIII. *Num liceat in alterius defenſionem injuſtum aggreſſorem occidere.*
IX. *Objectio ſolvitur ex S. Ambroſii, & Thomæ doctrina.*
X. *Num liceat in defenſionem vitæ patris, filii, uxoris &c. injuſtum aggreſſorem enecare.*
XI. *Non licere ob bonorum temporalium defenſionem occidere, prædicat Chriſtus.*
XII. *Inculcant Patres.*
XIII. *Conſentiunt & ipſæ civiles leges.*
XIV. *Nec non leges canonicæ, & juris canonici Doctores.*

XV. *Confirmant invictæ rationes.*
XVI. *Solvitur objectio.*
XVII. *Argumenta adverſæ ſententiæ proponuntur.*
XVIII. *Invicta reſponſione retunduntur.*
XIX. *Quantum hanc occidendi pro bonorum defenſione poteſtatem dilataverint Caſuiſtæ, exponitur.*
XX. *Aliud refellitur argumentum in favorem occiſionis ob bonorum conſervationem.*
XXI. *Non licet pro honore, & famæ tutela iniquum calumniatorem interficere.*
XXII. *Quid de hac re doceant Patres.*
XXIII. *Quid Verbi præcones.*
XXIV. *Quid oſtendat ipſa naturalis ratio.*
XXV. *Propoſitiones damnatæ.*

I. QUi ob vitæ ſuæ defenſionem hoſtem invadentem occidit, ſi inculpatæ tutelæ moderamen cuſtodiat, reus non eſt perpetrati homicidii habendus. Hanc propoſitionem ex profeſſo docet Ang. Præc. 2. 2. q. 62. a. 7. Et primo quidem confirmat auctoritate Scripturæ in argumento *ſed contra*, ubi teſtimonium affert Exodi 22. ubi dicitur: *Si effringens fur domum, ſive ſuffodiens inventus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor non erit reus ſanguinis: quod ſi orto ſole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipſe morietur.* Ubi, ut patet, Scriptura inter diurnum furem, & nocturnum diſtinguit, illius occiſionem, ut illicitam, damnat, hujus vero innoxiam pronunciat; & rationem diſcriminis aſſignat S. Auguſt. lib. 2. quæſt. in Exod. q. 84. ſcribens: „ Intelligitur ergo hoc non pertinere ad homicidium, ſi fur nocturnus occiditur, ſi autem diurnus, pertinere, hoc eſt enim quod ait, ſi orietur ſol ſuper eum, poterat enim diſcerni, quod ad furandum, non ad occidendum veniſſet, & ideo non deberet occidi ". Præterea addit hoc idem ſtatutum legi in antiquioribus civilibus Legibus: „ Hoc eſt, inquit, in legibus antiquis ſecularibus, quibus tamen iſta & antiquior invenitur, impune occidi nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, ſi telo ſe defenderit. Jam enim plus eſt quam fur ". Idem vero poſtea in corpore articuli ratione confirmat Ang. D. ſcribens: „ Actus hujuſmodi ex hoc, quod intenditur conſervatio propriæ vitæ, non habet rationem illiciti; cum hoc ſit cuilibet naturale, quod ſe conſervet in eſſe, quantum poteſt... Nam ſecundum omnia jura vim vi repellere licet, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nec eſt neceſſarium ad ſalutem, ut homo actum moderatæ tutelæ prætermittat ad evitandam occiſionem alterius; quia plus tenentur homo vitæ ſuæ providere, quam vitæ alienæ ". In objectorum vero ſolutione idem corroborat, oſtendens tum in Evangelio, tum ab Apoſtolo Paulo eam tantum prohiberi ſui defenſionem tanquam illicitam, quæ eſt cum *livore vindictæ*; & pari pacto Sanctos Patres eam reprobare ſui defenſionem, quæ eſt cum voluntate occidendi hominem, quam a juſta defenſione ſejunctam omnino vult. Et ita cum S. Thom. ſentiunt communiter Doctores, & ſua auctoritate confirmat Catechiſmus Tridentini Concilii: *Si quis*, inquit, *defendendæ ſalutis ſuæ cauſa, omni adhibita cautione, alterum interemerit, hac lege, non occides non teneri ſatis apparet.* Et Innoc. III. Cap. *Significaſti*. Ext. de Homicidio dicit: *Vim vi repellere omnes leges, & omnia jura permittunt cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad ſumendam vindictam, ſed ad injuriam propulſandam.*

II. Verum quod difficilem admodum reddit immunitatem a culpa in hacce urgenti neceſſitate, eſt moderamen inculpatæ tutelæ, quod plures requirit conditiones, ut ſancte cuſtodiatur, 1. itaque poſtulat, ut defenſio ita ſit moderata, ut juſtæ non excedat limites defenſionis, tantumque ſe defendat aggreſſus, quantum neceſſarium ſibi eſſe cognoſcit ad evadendum periculum, & quo omiſſo violentiam repellere non poſſet. Quamobrem qui tueri ſe poteſt ſolum aggreſſorem feriendo, vel mutilando, ſi occidat, reus eſt criminis; & ſimiliter ſi periculum evadere poteſt fugiendo, peccat occidendo. Ratio autem eſt manifeſta, quia licet honeſtus ſit & juſtus finis propriæ vitæ conſervandæ; curandum etiam eſt, ut medium, quod ad finem conſequendum eligitur, ſit fini moraliter proportionatus, nec juſtam excedat menſuram; in moralibus enim non ſolum peccatum committit, qui ſibi malum aliquem finem præfigit, ſed etiam qui ad finem bonum obtinendum inopportunis, & illicitis utitur mediis.

III. Secunda conditio eſt, quæ a S. Thom. præſcribitur, & inculcatur, nimirum, ut qui ſe tuetur, propriæ quidem vitæ conſervationem intendat, non vero aggreſſoris occiſionem. Hinc ſcribit l. l. a. 7. „ Morales actus recipiunt ſpeciem ſecundum id quod intenditur, non autem ab eo quod eſt præter intentionem, cum ſit per accidens... Ex actu ergo alicujus ſeipſum defendentis duplex effectus ſequi poteſt: unus quidem conſervatio propriæ vitæ; alius autem occiſio invadentis. Actus ergo hujuſmodi ex hoc quod intenditur conſervatio propriæ vitæ, non habet rationem illiciti... Sed quia occidere hominem non licet, niſi publica auctoritate propter bonum commune... illicitum eſt, quod homo intendat occidere hominem, ut ſeipſum defendat, niſi ei qui habet publicam auctoritatem ". Sed quomodo id fiat, optime exponit Cajetanus, nimirum, ut occiſio aggreſſoris non eligatur ut medium ad ſui defenſionem, ſed ſolum permittatur tanquam effectus juſtæ defenſionis. Hæc diſtinctio, quam P. Concina dicit, nimis acutam, & metaphyſicam Scoto viſam eſſe, & indicat ſibi quoque videri, tamen veriſſima eſt, & ad mentem Ang. Præc., eamque ſic explico. Qui ſe defendit, licet non alio modo evadere mortem ſit ipſi poſſibile, niſi aggreſſorem interficiendo, tamen nunquam debet velle hoſtis cædem, ſed ſolum velle debet ſui defenſionem, quoquo modo ſibi neceſſarium eſt, ſic enim ab omni prorſus crimine immunis erit: at ſi velit, & intendat occidere, licet evadere periculum non valeat niſi occidendo, reus erit homicidii coram Deo, & in foro conſcientiæ. At di-

dices. Qui ſcit ſe non poſſe evadere, niſi alterum occidat, & vult ſe defendere, neceſſe eſt, quod velit etiam alterius occiſionem. At amabo, quodnam diſcrimen eſt, ut quis velit ſe defendere, & occidat; & quis velit occidere in tali conſtitutus neceſſitate, & occidat? Dico maximum eſſe diſcrimen. Quandoquidem in moralibus, cum humanæ actiones ab intellectu pendeant & voluntate, a quibus habent, quod ſint actiones humanæ, ſpeciem ſuam ſortiuntur ab objecto & fine, qui intenditur, non vero ab eo, quod omnino præter intentionem contingit. Qui igitur unice reſpicit, & intendit ſui defenſionem, licet ex ea homicidium accidat, omni adhibita cautione, ne in defenſione excedat, homicidii crimen non ipſi imputabitur, cum ſit omnino præter intentionem; & quod per accidens, & præter intentionem contingit, ſpeciem actui tribuere non poteſt. Et hæc ſui defenſio nullo modo mala & criminoſa dici poterit. Quo enim nomine mala erit? num quia malum intendebat? Minime, cum defendere ſe non ſolum naturale ſit, & neceſſarium, ſed & honeſtum. Num quia per prava media eam obtinuit? Abſit, cum, ut ſupponimus, ſe defendat omni adhibita cautione, nec plus lædat, quam neceſſarium ſit. At contra, ſi intendat occidere ut ſe defendat, jam actus iſte habet objectum malum, illicitum, vetitum, ſcilicet homicidium, quod eſt de ſe malum, niſi in utilitatem Reipublicæ, & ab habente publicam adminiſtrationem progrediatur. Recolantur quæ hac de re ſunt dicta in libello Italico in defenſionem S. Thomæ a calumnia adprobati Tyrannicidii, quod opus etiam latine redditum, & in duas Diſſertationes diſtributum habetur in Summa S. Thom. Neapoli recenter edita Tom. 25. & 29. Diſſ. 1. §. 4. ubi mentem S. D. dilucide expoſitam comperies.

IV. At inquit cum Soto Concina. Ad efficacem voluntatem finis ſequitur volitio, & intentio medii ad finem obtinendum unice neceſſarii; ſicut ex præmiſſis ſequitur concluſio: qui igitur vult efficaciter ſui defenſionem, quam obtinere intendit, neceſſe eſt, ut velit, & intendat occiſionem aggreſſoris, ſine qua ſui defenſionem non conſequitur. Verum hæc ratiocinatio vim non habet ſemper in moralibus, ſicut in phyſicis; nam in phyſicis ſufficit ad nexum, ut alterum ab altero progrediatur; at in moralibus præter phyſicam connexionem requiritur & intentio volentis ordinationem unius ad alterum. Rem exemplo illuſtro. Artifex ſpeculum, vel gladium conflare intendit, eligit igitur vitrum & ferrum, at ex vitro ſequitur indiſpenſabiliter & neceſſario fragilitas, & ex ferro rubigo: at quis dicat hoſce artifice vel velle, vel intendere in ſuo opere vel fragilitatem, vel rubiginem? Ita pari pacto connexa quidem eſt phyſica defenſio ſui cum occiſione aggreſſoris: at moraliter ex intentione operantis ſejungitur, qui unum quidem vult, at aliud omnino non vult, & ſolum permittit, quia impedire non poteſt. Inepte igitur mentem S. Thomæ explicat Sotus a Concina relatus, dum dicit S. D. aſſerere, tunc homicidium eligi ex intentione, quando quis alterum aggreditur, ipſum *præveniens*, ut ſe defendat, vel occidit ad præteritam injuriam vindicandam, aut præcavendam futuram: quis enim non videat, hoſce utpote aggreſſores, non aggreſſos, primo & principaliter velle proximi occiſionem, & ſolum ſecundarie ſui defenſionem? cum S. D. in ipſa defenſione aggreſſi contra aggreſſorem velit, ne ille unquam hujus cædem, ſed unice ſui defenſionem intendat, ut patet in reſp. ad 1. ubi verba Auguſtini, qui dicere videtur, nec in ſui defenſionem licere aggreſſorem occidere; *De occidendis hominibus, ne ab eis quiſquam occidatur, non mihi placet conſilium, niſi forte ſit miles, aut publica functione teneatur, ut non* PRO SE *hoc faciat, ſed pro aliis accepta legitima poteſtate, ſi ejus congruat perſonæ*, ſic interpretatur S. Th. non quaſi Auguſtinus loquatur de prævenientibus aggreſſorem, vel de vindictam ſumentibus, ſed de omnimoda excluſione intentionis occidendi, ſic enim ſcribit: *Dicendum, quod auctoritas Auguſtini intelligenda eſt in eo caſu, quo quis intendit occidere hominem, ut ſeipſum a morte liberet: in quo etiam caſu intelligitur Auctoritas inducta... Unde ſignanter dicit* pro his rebus, *in quo deſignantur intentio*. Legatur omnimode S. D. l. laudato.

V. Tertia conditio ad moderamen inculpatæ tutelæ eſt, ut non præveniatur aggreſſor, ſed reprimatur aggreſſio; qui enim primus aggreditur, jam non ſuæ vitæ defenſor eſt, ſed invaſor alienæ; quod adeo verum eſt, ut & leges humanæ reum habeant homicidii aggreſſorem, qui licet poſt aggreſſionem ceſſare quidem velit a pugna, at aggreſſus non finit, ſed cupiditate, vindictæ aggreſſorem urget, & gladio acriter premit, qui proinde, ut ſe teneatur, hoſtem occidit, licet cum moderamine inculpatæ tutelæ; quippe qui ſua aggreſſione cauſam dedit homicidii, licet ab initio occidendi animum non habuerit.

VI. Hinc ſequitur, falſas eſſe & rejiciendas plures Probabiliſtarum doctrinas, & opiniones, qui occidere permittunt. 1. Quidem ut habetur in propoſitione 18. ab Alexandro VII. damnata... *licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam judicem, ſi alia via non poteſt innocens damnum vitare*. 2. „ Si, *ut inquit Leſſius de juſt. & jure lib. 2. cap. 9. dub. 8. n.* 14. quis accedat „ ad feriendum, nec poſſim evadere, niſi fugiam, „ vel percutiam. 3. Si nondum accedit, tamen „ inſtructus eſt ad accedendum, nec poſſum evadere, niſi præveniam. 4. Si per famulum, vel „ per ſicarium ſtatuerit occidere. 5. Si falſis criminationibus, teſtibuſque ſubornatis &c. imponendo ſacrilegium, vel crimen infandum, vitam impetas in judicio “. 6. Similiter rejiciendæ ſequentes propoſitiones, 1. „ qui decrevit te occidere, & hoc alicui manifeſtavit, ſed nondum „ cœpit id exequi, potes eum prævenire (occidendo) ſi aliter non potes effugere; ut ſi maritus pugionem habeat ſub cervicali ad occidendam noctu conjugem; ſi quis venenum tibi propinandum paravit; ſi Rex unus adverſus alium „ claſſem ordinavit. 2. Si arma quidem nedum „ paravit, ſed habet tamen decretum firmum „ & efficax te occidendi, quod tibi vel revela-

 „ tione

„ tione divina , vel manifeſtatione confidenter „ amicis facta , innoteſcat , potes prævenire , „ quia per iſtud Decretum , etſi pure inter- „ num , ſufficienter cenſetur aggreſſor “ . Quas propoſitiones Clerus Gallicanus merito proſcripſit , ceu „ continentes doctrinam juri naturali „ divino poſitivo, & Gentium contrariam , nefandis cædibus , & Fanatiſmo viam ſternentem, „ ſocietatis humanæ perturbativam, & quæ Regibus quoque præſentiſſimum periculum creat “. Nec hiſce diſſimilis eſt univerſalis Molinæ doctrina de Juſt. T. 4. tract. 3. diſp. 12. n. 2. . „ Fas eſt univerſim interficere eum , qui nos interficere decrevit , quando alia non patet via „ evadendi mortem , graveve periculum mortis, „ quod nequitia illius ex eo decreto nobis imminet , ſive qui ita decrevit , dicendus jam aggreſſor ſit, ſive non, id enim quæſtio eſt de „ vocabulo “.

VII. Si ad occiſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ tot requiruntur cautelæ, quis non perſpicit, quam difficile ſit in ea ab omni culpa vacare ? Idcirco optime inquiunt Concilii Colonienſis Patres : „ Nos homini chriſtiano „ ſuaderemus , ut in anguſtia ante omnia Dei „ auxilium imploret , quod ſæpe propinquior „ eſt , quam credimus.... Quod ſi Deo viſum „ non ſit invaſo præſens afferre præſidium , & „ malit is occidi , quam occidere , certe exiſtimamus , talem chriſtiani hominis officio „ functum , nimirum Chriſti Domini ſui exemplum ſecutum eſſe , quamvis interim ſecus „ facientem , ordineque & modo legitimo ſe „ defendentem non damnemus “. Hac eadem de cauſa SS. Patres potius arduitatem , quam honeſtatem operis attendentes , ſui defenſionem cum alterius cæde ſine peccato fieri poſſe negant ; & docent , hominem chriſtianum potius mortem pati & ſubire debere , quam injuſtum aggreſſorem obtruncare . Audiatur D. Ambroſius de Offic. lib. 3. cap. 4. „ Mihi non videtur (ſcribit) quod vir Chriſtianus & juſtus & ſapiens „ quærere ſibi vitam aliena morte debeat, utpote qui etiamſi in latronem armatum incidat, ferientem referire non poſſit, ne dum ſalutem defendit, pietatem contaminet . De quo „ in Evangelii libris aperta & evidens ſententia „ eſt, *reconde gladium tuum* , *omnis enim qui gladio percuſſerit* , *gladio ferietur* . Quis latro deteſtabilior , quam perſecutor , qui venerat , ut „ Chriſtum occideret ; ſed noluit ſe Chriſtus perſecutorum defendi vulnere , qui voluit ſuo „ vulnere ſanare omnes “ . Et S. Aug. lib. I. de lib. arb. cap. 5. ſcribit : „ Legem quidem video „ eſſe munitam contra hujuſmodi accuſationem , „ quæ in eo populo, quem regit, minoribus maleſactis , ne majora committerentur , dedit licentiam . Multo enim eſt mitius eum , qui „ alienæ vitæ inſidiatur , quam eum , qui ſuam „ tuetur , occidi .... Sed illi homines lege inculpata , quomodo inculpati queunt eſſe , „ non video ; non enim lex cogit occidere , ſed „ relinquit in poteſtate . Liberum eis itaque „ eſt neminem necare pro iis rebus , quas inviti poſſunt amittere , & ob hoc amare non „ debent .... Quapropter legem quidem non „ reprehendo , ſed quo pacto iſtos defendam , qui „ interficiunt , non invenio “. S. Bernard. in lib. de laud. novæ militiæ cap. 1. num. 2. „ Eſt qui „ nec ulciſcendi zelo , nec vincendi typho , ſed „ tantum evadendi remedio interficit hominem.... ſed ne hanc quidem bonam dixerim victoriam : cum de duobus malis , in corpore , quam in anima mori levius ſit “ . Moritur igitur juxta S. Bernardum in anima , qui evadendi remedio aggreſſorem interficit . De Sacerdote vero , qui in vitæ ſuæ defenſionem latronem aggreſſorem necaverat, S. Hidelbertus Archiepiſcopus S. Ivoni Carnotenſi epiſt. 60. ſic ſcribit : „ Sicut parvitatem meam veſtra docuit pagina , cum latro quidam portitorem „ præſentium ſacerdotem invaderet , & pannis „ ejus lancea perforatis , eum vellet occidere , „ Sacerdos latronem lapide percuſſit , & ictus ipſius percuſſione , & occaſione latro mortuus eſſe putatur , pro quo ſcilicet delicto „ jam per ſeptennium ab officio Dominicæ menſæ providentia veſtra ſuſpendit Sacerdotem . Sane ſuper hoc dignati eſtis meum quærere „ conſilium .... ſi Sacerdoti ad ſacrum liceat „ redire officium .... Mihi igitur non videtur , „ Sacerdotem reum ſanguinis oportere deinceps „ miniſtrare , quamvis tuendæ ſalutis neceſſitate homicidium occurrerit .... Quod etiam „ ſi liceat , tamen non expedit , quoniam & exemplo offendit , & ulciſcendi ſecuritatem adduxit “ . Oh quam diſparia ſunt hominum ingenia ! Iſti patres Sacerdotem , qui cum moderamine inculpatæ tutelæ ſe defendendo alterum occidit , ab altari removendum cenſebant : Recentiores vero Theologi e contrario docent , Sacerdotem actu celebrantem , *ſi invadatur* , *poſſe ſe tueri* , *& occidere invaſorem* , *ſi neceſſe ſit* , *& poſtea ſacrum continuare* .

VIII. Non videtur licitum ob defenſionem vitæ proximi injuſtum aggreſſorem occidere . Contrarium quidem ſentiunt plurimi Theologi , qui putant hoc licere , quotieſcumque amittendæ propriæ vitæ non adſit periculum, urgente ſcilicet caritate , quæ præcipit , ut vita innocentis vitæ præferatur nocentis aggreſſoris . At oppoſita propoſitio mihi probabilior videtur , quandoquidem hujuſmodi injuſti aggreſſoris occiſio nec licita redditur ratione juſtitiæ, nec titulo caritatis . Non primo nomine, nam punitio rei, ejuſque occiſio ſummis Poteſtatibus eſt ſolum conceſſa, cuilibet vero privato omnino vetita . Non ratione caritatis, quæ jubet, ut quilibet proximus diligatur : porro tam eſt proximus aggreſſus, quam aggreſſor ; cur igitur , ut unum ſerves , alterum teneris occidere ? Quia , inquiunt , lex Caritatis jubet inſontem Reo præferendum . Utique , ſi paria ſint cetera . At hic certa eſt nocentis aggreſſoris ſempiterna perditio , incerta vero innocentis : porro caritas poſtulare videtur, ut majora , immo ſumma mala proximi certa impedias , quam minora omnia & incerta . Præterea, nonne caritas jubet, ut a ſanguine puras ſemper manus noſtras ſervemus ?

Hinc

Hinc Patres vix concedunt occiſionem aggreſſoris in defenſionem propriæ vitæ. Quomodo ergo caritas jubere poteſt, ut proximi ſanguinem fundamus, eoque manus noſtras polluamus?

IX. Opponunt Salmanticenſes auctoritatem S. Ambroſii lib. 1. Offic. cap. 37. dicentis: *Qui non repellit injuriam a ſocio, cum poteſt, tam eſt in vitio quam ille qui facit*. Et S. Thom. ſcribentis 2. 2. q. 60. a. 6. ad 2. *Dici poteſt, quod Moyſes occidit Ægyptium, defendendo eum qui injuriam patiebatur, cum moderamine inculpatæ tutelæ*. At S. Ambroſius ſtatuit repellendam a ſocio injuriam, ſed ſubintelligit licitis honeſtiſque modis: oſtendendum propterea prius eſt, licitum eſſe occidere hunc proximi invaſorem, & poſtea auctoritate Ambroſii probare, id eſſe faciendum. Non diſſimulo tamen ab Ambroſio in ſui dicti confirmationem afferri exemplum Moyſis, qui Ægyptium interfecit: at qua auctoritate fecerit, num privata, num publica, num ex peculiari Dei conceſſione, non dicit; immo ex ſequentibus verbis indicat, occidiſſe poteſtate a Deo accepta, qui illum Ducem, & Principem populi ſui deſtinaverat; nam ſubdit: *S. Moyſes hinc orſus eſt tentamenta bellicæ fortitudinis*. Doctor vero Angelicus nonniſi verba, & ſententiam Ambroſii exponit, & refert, mentem vero ſuam aperit antecedentibus verbis, ſcribens: *Videtur Ægyptium occidiſſe, quaſi ex inſpiratione divina auctoritatem adeptus, ut videtur per hoc quod dicitur Act. 7. 24. quod* „ percuſſo Ægyptio, æſtimabat Moyſes „ intelligere fratres ſuos, quoniam Dominus per „ manum ipſius daret ſalutem Iſrael “. Poſtea vero refert etiam Auguſtini ſententiam, hoc Moyſis factum reprehendentis, ſcribens: *Vel poteſt dici, ſicut dicit Auguſtinus in quæſt. Exod. . . . quod* „ ſicut terra ante utilia ſemina herbarum inuti„ lium fertilitate laudatur: ſic illud Moyſi fa„ ctum vitioſum quidem fuit, ſed magnæ fertili„ tatis ſignum gerebat “; *inquantum ſcilicet erat ſignum virtutis ejus, qua populum liberaturus erat*. Inepte igitur a Salmanticenſibus hæc afferuntur teſtimonia in confirmationem ſuæ opinionis. Qui etiam a vero, ut puto, aberrant, dum ſubdunt, licere cuilibet privato injuſtum aggreſſorem occidere, licet ipſe aggreſſus nollet ſe defendere, ſed pateretur a potentiore occidi; quia inquiunt, *cum non ſit dominus vitæ ſuæ, nequit eam prodigere, & aliis jus naturale defenſionis adimere*. At quænam prodigalitas eſt, mortem fortiter pati potius quam alium occidere? vitam corporalem propriam dare, ne alter & ſpiritualem & corporalem amittat? Nonne hoc, tanquam ſaltem quid perfectius, quid maxime chriſtianum, docent Patres, ut ſuperius vidimus n. 8.? At ſubdunt, non poteſt aliis jus naturale defenſionis adimere. Sed unde oritur hoc jus? num a lege poſitiva divina? Minime, quia homicidium vetat. Num a poſitiva humana? Nequidem, quia nulli privato concedit jus alterius injurias vindicandi. Num a lege naturali? Verum hoc eſt, quod negamus, & ipſi quidem affirmant fidenter, at minime oſtendunt. Certe hoc jus non agnovit S. Th. qui 2. 2. q.65. a.1. ad 2. aperte docet: *Privare aliquem vita in NULLO CASU pertinet ad aliquem, niſi ad publicam poteſtatem, cui committitur procuratio boni communis*. Et a. 3. ad 3. tanquam principium inconcuſſum, firmum, & certum ſtatuit: „ Facere aliquid ad utilitatem „ communem, quod nulli nocet, hoc eſt licitum „ cuilibet perſonæ; ſed ſi ſit cum nocumento al„ terius, hoc non debet fieri, niſi ſecundum ju„ dicium ejus, ad quem pertinet æſtimare, quid „ ſit ſubtrahendum partibus pro ſalute totius “. Præterea, num majus jus alter habet in defendenda vita proximi, quam quilibet in propria tuenda? Si ergo poteſt juri propriæ vitæ defendendæ quilibet cedere, ne occidat; quomodo alius invitum defendere poterit juſte, alterum occidendo? Hic profecto duplici nomine reus mihi videtur 1. quia volentem dare animam ſuam pro inimicis ſuis, quod eſt ſummæ caritatis opus, impedit; alterum quod æternam alterius perditionem inducit, ad quam avertendam innocens ſe ſinit occidi.

X. Sed quid dicendum, ſi innocens injuſte aggreſſus, & defendi poſtulans ab injuſto aggreſſore ſit Pater reſpectu Filii, Filius reſpectu Patris, Uxor reſpectu Mariti, Soror reſpectu Fratris; num Filius Patrem, Pater filium, Maritus uxorem, Frater ſororem ſe videntibus obtruncari patientur, nec invaſorem occident? Hic fateor ignorantiam meam, & quid decernendum ſit, ignoro. Urget altera ex parte pietas, ex altera præceptum, ne ſanguine manus privata auctoritate polluamus. Innocentis occiſionem omni arte, induſtria, ſtudio impediendam video; at ſanguinis effuſione, & animæ æterna perditione prohibendam in Evangelio & apud Patres non lego, immo oppoſitum lego, cum S. Baſilius in Mor. cap. 3. aperte doceat, *quod non oportet etiam ad alterum, qui injuria afficitur, vindicandum ulciſci eum, qui injuriam facit*. Recentiores Theologos nimium occidendi, & ſanguinem fundendi poteſtatem dilataſſe non ſine horrore conſpicio. Sancti itaque Hidelberti Carnotenſi Epiſcopo datum conſilium ſequor, qui in ſimili difficiliori eventu ſuperius n.8. relato ſic concludit: „ Si ſimile a„ liquid in commiſſa mihi Parochia contigiſſet, „ reum ad Apoſtolicam miſiſſem audientiam, „ quatenus ex conſilio illius inſtruerer, & pec„ cator de reformatione ſententiam ſurriperet cer„ tiorem.

§. II.

De bonorum defenſione occiſiva.

XI. Illicita eſt abſolute occiſio latronis, qui bona temporalia eripere tentat, nec vitæ inſidiatur, ob ea vel defendenda, vel recuperanda. Hæc propoſitio, cui plurimi, ut fateor, adverſantur Theologi, ne dum mihi probabilior apparet, ſed unice vera, tum auctoritate, tum ratione. Nam 1. Scriptura, quæ nocturnum furem impune occidi permittit, diurnum vero prohibet, clare oſtendit, pro ſola vita tuenda licere iniquum aggreſſorem repellendo occidere, non vero pro bonorum conſervatione; alioquin, cum bona & eadem ſint, & ejuſdem exiſtimationis & pretii,

tii, & æque ingens etiam detrimentum afferant & damnum, ſive noctu, ſive interdiu auferantur; æque liceret utroque tempore latronem interficere, quod tamen vetitum eſt; & ideo ſolum nocturnum furem occidere permittitur, qui, ut ex S. Aug. vidimus n. 1. *jam eſt plus, quam fur*. Præterea in Evangelio jubemur iſta bona temporalia dimittere, aſpernari, volenti auferre concedere. Quare Chriſtus ait: *Qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*: quæ verba licet merum contineant conſilium quantum ad exteriores actus, quantum tamen ad cordis diſpoſitionem inſinuant, ita nos affectos eſſe debere, ut res noſtras nunquam divina violando præcepta tueamur. Porro inter præcepta illud continetur, *non occides*. Qui igitur occidit, animo ita hæret bonis iſtis corruptibilibus & contemnendis, ut vitæ proximi ea præferat. 3. S. Joan. epiſt. 1. cap. 3. jubet, ut Chriſti caritatem imitemur, *quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere*: quomodo vero animam ſuam ponere pro fratribus ſuis paratus eſſe poteſt, ut tenetur, qui, ne pecuniam perdat, fratris animam in æternam perditionem occidendo præcipitem dejicit?

XII. Idem confirmant Patres, quos tantum abeſt, pro temporalium bonorum conſervatione raptorum occiſionem permittere, ut vix, quemadmodum ſuperius vidimus, pro vitæ tutela id concedant. Et certe S. Aug. aperte docet, ſecundum humanas lege reos non haberi, qui occidunt vel ſicarium in ſe irruentem, vel furem bona rapientem; at reos teneri alia vehementiore, & ſacratiſſima lege apud divinam providentiam, quæ hæc inferiora regit. *Quomodo enim*, ſcribit, *apud eam iſti peccato liberi, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti ſunt?* Hinc diſtinctionem Evodii laudat, qui aſſerit, *Legem, quæ regendis civibus fertur, multa concedere, atque impunita relinquere, quæ per divinam tamen providentiam condemnantur, & recte*. S. Greg. Mag. lib. 3. Moral. cap. 8. inquit: *Plus ipſis raptoribus debemus metuere, ne ſemetipſos perdant, quam rebus irrationabilibus defendendis inhiare*.

XIII. Conſentiunt noſtræ poſitioni & ipſæ civiles Leges & Canonicæ, nec non & nobiliores tum Civilis, tum Canonici juris periti. Et quidem Leg. 5. ff. ad Leg. Cornel. & Leg. 9. ad Leg. Aquil. concedebant Romani, ut fur nocturnus occidi poſſet, & diurnus minime, niſi forte telo ſe defenderet: nam, ut obſervat S. Aug. & fur nocturnus, & fur diurnus, qui telo ſe defendit, jam plus eſt, quam fur. Quamobrem ob meram rerum defenſionem furis occiſionem non permittunt. Hinc Lex 9. ad Leg. Cornel. ſanciebat, *furem nocturnum ſi quis occiderit, ita demum impune feret, ſi parcere ei ſine periculo ſuo non potuerit*: Et ad Leg. Aquil. dicitur: *Si occidero latronem inſidiantem mihi* (non rebus meis) *ſecurus ero, nam adverſus periculum naturalis ratio permittit SE* (non ſua) *defendere*. Hinc apparet, quam injuſte Theologi Chriſtiani putent, licere furem occidere propter temporalis boni conſervationem; quod nec Ethnici Legiſlatores licitum putaverunt.

XIV. Leges canonicæ occiſionem furis, ſola bona auferre volentis, illicitam in foro conſcientiæ declarant, & occidentem excommunicatione plectunt: nam Innoc. IV. ſuper caput *ſi vero* 3. de ſent. excom. lib. 5. tit. 39. ſcribit: *Si quis timore, ne occidatur, alium occidit, non incidit in Canonem ... ſed ſi pro rebus occideret, ſecus, quia tunc excederet modum*. Et Alex. III. de duobus Religioſis, quorum alter nocturnum furem veſtes ſuas eripere volentem occiderat, ſtatuit: „ Quoniam expediebat potius tunicam relinquere & „ pallium, & rerum ſuſtinere jacturam, quam „ pro conſervandis vilibus rebus, & tranſitoriis, „ tam acriter in alios exardeſcere, abſtineat iſte „ humiliter ab altaris miniſterio, & peccatum „ ſuum ſtudeat expiare “. Ubi & Gloſſa notat ſtatim, *pro amiſſione rerum temporalium nullus debet homicidium incurrere*. Hinc mirum non eſt, ſi nobiliores Juriſconſulti hoc illicitum pronuncient. Cujacius in tit. ff. de jur. & juſt. ad Leg. 3. & Leg. 9. ff. eodem §. recitata lege: *Si quis hominem occiderit, capitalem ſententiam ſubeat, niſi probare poſſit, quod vitam ſuam defendendo illum occidit*, ſtatim ſubdit: *Licet repellere eum, qui venit feriendi, non occidendi cauſa; ſed non licet occidere; & eodem modo licet repellere eum, qui venit eripiendæ poſſeſſionis gratia, ſed non licet occidere*. Conſentiunt & Canoniſtæ celebriores, inter quos Fagnanus qui in p. p. 5. lib. Decret. de Homicidio Cap. *interfeciſti* aperte pronunciat: *De jure Canonico, & in foro pœnitentiali concludunt omnes* (Canoniſtæ) *non eſſe licitum laico pro rebus tantum ſervandis interficere furem*; quod probat plures afferendo Doctores, Alex. IV., Hoſtienſem, Abbatem, Imola, alioſque, & invictis confirmat argumentis adverſus Cajetanum oppoſitum docentem. Non diſſentiunt plures etiam tum ex antiquioribus, tum ex Recentioribus Theologis. Ex antiquioribus Alenſis, Scotus, Tabiena, Gerſonius, Auguſtinus de Ancona; ex Recentioribus vero Toſtatus, Merbeſius, Genetus, Duhamelius, Van Roy, Pontas, & Auctor Gallus, qui creditur Juvenin, in Reſol. Caſuum Conſcientiæ. Immo Clerus Gallicanus ſequentem propoſitionem: *Non ſolum vitam, ſed etiam bona temporalia, quorum jactura eſſet damnum graviſſimum, licitum eſt defenſione occiſiva defendere ... Fatemur rarius licitum eſſe Eccleſiaſticis, ſi tamen aliquando futurum contingat tale malum* (id-eſt graviſſimum malum) *etiam ipſis licitum erit bona iſta cum occiſione furis defendere*, reprobavit tanquam legi Dei, & ordini caritatis divinitus inſtituto contrariam, pernicioſam, & erroneam.

XV. Nec deſunt in confirmationem poſitæ veritatis invicta rationum momenta ex SS. Aug. & Th. doctrina petita. Docent itaque hi SS. Doctores, nedum caritatem, ſed & ordinem in diligendo eſſe ſervandum; ordinata autem dilectio importat, ut ſcribit S. Aug. de Doct. Chriſt. 1. ne aut quis diligat, quod non eſt diligendum: 2. aut non diligat, quod eſt diligendum: 3. aut amplius diligat, quod minus eſt diligendum: 4. aut æque diligat, quod minus, vel amplius eſt dili-

diligendum: 5. aut minus vel amplius quod æque diligendum eſt. Ex qua doctrina ſequitur 1. ſuper omnia Deum eſſe diligendum, quippe qui omnia excedit bona. 2. Homo ceteris paribus animam ſuam præ anima proximi diligere tenetur; hinc nemini licet peccare, ut alium a peccato avertat. 3. Corpus ſuum ſupra proximi corpus debet diligere, niſi commune bonum, vel bonum virtutis aliter vel jubeat, vel concedat: hinc in æquali periculo potius vitæ noſtræ conſulere debemus, quam alienæ, quod & dicendum de ceteris bonis noſtris, quotieſcumque paris ſint ordinis. At pluris facienda ſunt bona proximi ordinis ſuperioris, quam noſtra, ſi ſint inferioris: hinc ſalus ſpiritualis proximi noſtræ præferenda corporali ſaluti, & corporalis ſalus proximi bonis fortunæ noſtris, quæ proinde erogare debemus, ut vitam proximi ſalvemus. Porro jam quiſque perſpicit, hunc ordinem violare, qui bona ſuperioris ordinis proximi, bonis propriis inferioris ordinis poſtponit, ac propterea ipſam caritatem lædere. Sed qui proximum occidit ad bona fortunæ ſervanda, jam vitam proximi, quæ ſuperioris eſt ordinis, bono longe inferiori poſtponit: non eſt igitur inviolata caritate licitum pro bonorum fortunæ conſervatione proximum occidere. Præterea iſte caritatis ordo, qui permittit quidem in æquali noſtro & proximi periculo, ut noſtro potius, quam alieno præcaveamus, ſi utrumque vitare non valemus, vetat e contra ſeveriſſime, ne in diſparium bonorum periculo majus proximo malum inferamus, quam ipſi nobis timeamus. Porro qui furem occidit ſola bona fortunæ eripere molientem, majus illi malum infert illo, quod ipſe ſtudet vitare: Caritatem igitur violat.

XVI. Nec objiciant, hoc pacto non licere nec pro vitæ defenſione cuiquam aggreſſorem occidere; quia & tunc vitæ noſtræ corporali præferenda eſſet vita ſpiritualis aggreſſoris, quæ in æternum periclitatur. Nam in eo caſu periculum & perditio animæ aggreſſoris non a mea oritur defenſione, & occiſione illius, ſed a peccato mortali, quod voluntarie in anima retinet injuſtus aggreſſor: hinc in mea defenſione non niſi aggreſſoris temporalem vitam reſpicio, non animæ, cujus perditio eo ſolo titulo poterit mihi imputari, quia impedire nolo, cum poſſim; at minime teneor. Sed in noſtro caſu mors corporalis proximi a mea defenſione directe procedit, quam ipſe revera bona fortunæ defendendo, & furem occidendo infero. Quin immo in hac defenſione nec moderamen inculpatæ tutelæ ſervatum video, quod non ſolum jubet, ut non majus inferamus aggreſſori malum, quam ſit neceſſarium in ſui defenſionem; ſed ne etiam majus inferamus malum illo, quod ipſi vitare intendimus. Hinc optime ſcribit Fagnanus loc. ſup. laud. *Non ſervas hoc moderamen, ſi tu auferſ mihi bona, & ego auſero tibi vitam; nam quælibet injuria corporalis major eſt quavis reali.*

XVII. Sed videamus, quibus tandem argumentis ſanguinariam hanc doctrinam propugnent ejus Patroni. Nec ab eis ſunt expectanda vel oracula Scripturarum, vel Patrum teſtimonia, vel Conciliorum, ſive Synodorum Decreta, vel Pontificum conſtitutiones. Nimis recentior eſt hæc opinio, ut tam vetuſtioribus fulciatur argumentis. Primo itaque proferunt civiles leges, quæ concedere videntur occiſionem furum & latronum, & quæ certe homicidas iſtos non plectunt. 2. Juris canonici textum afferunt ex Cap. *Interfeciſti* 11. de homicid. in quo nulli ſubjicitur pœnæ, qui furem occidit; unde ſtatuit Pontifex, *ſi autem ſine odii meditatione te, tuaque liberando hujuſmodi diaboli membra interfeciſti, ſi aliquid jejunare volueris, bonum eſt tibi, & eleemoſynam facere.* 3. Immo addunt Innoc. IV. expreſſe declaraſſe, *cum omnes leges, omniaque jura vim vi repellere, cunctiſque ſe defendere permittant, licuit ipſi Decano, ſi prædictus Balivus eum bonis ſuis mundanis injurioſe expoliare, vel ea violenter occupare præſumpſerit .... contra illius violentiam, injuriamque ſe tueri.* 4. Nec deſunt Thomiſtæ etiam Probabilioriſtæ, qui D. Th. in ſuam ſententiam pertrahere, licet invitum, & reluctantem, conantur, quia exponens teſtimonium S. Auguſtini de lib. arb. cap. 5. ſuperius n. 12. recitatum, dicit intelligendum de intentione occidendi, *unde ſignanter dicitur* (verba ſunt S. Th.) *pro his rebus* (ſcilicet ut ipſi interpretantur, bonis temporalibus) *in quo deſignatur intentio.* 5. Rationem afferunt, quam ex recentiore Theologo, qui plurium manibus teritur, exſcribere placet, & quam tanti facit, ut putet, nedum ad ſuam cruentam defendendam doctrinam, ſed ad evertenda oppoſitæ fundamenta omnino valere. Scribit itaque: „ Opes ſunt inſtrumenta neceſſaria „ tam vitæ conſervandæ, quam virtuti exercen„ dæ. Item, & præcipue, quia non tenemur „ bona, quæ poſſidemus, vel perdere, vel certo „ periculo perdendi exponere ad conſervandam „ vitam iniqui hominis, qui illam certo pericu„ lo ex propria malitia exponere vult, & qui ſi „ velit, poteſt illam ſibi ſervare abſque ullo bo„ norum noſtrorum periculo. Igitur & eadem bo„ na poſſumus contra ipſum defendere defenſione, „ ſi neceſſe ſit, occiſiva “.

XVIII. Verum hæc tanti non ſunt, ut cordatum quempiam movere poſſint. Nam 1. ſupra vidimus, ſapientiores etiam civiles Legislatores occiſionem furis, ſola bona ſurripere volentis, improbaſſe, & ſi quæ forte ſint leges, quæ hujuſmodi occiſores non puniant, tales tamen ſunt, quæ, ut inquit S. Aug. de lib. arb. cap. 1. *regendis civibus feruntur, & multa concedunt atque impunita relinquunt, quæ per divinam ſane providentiam vindicantur, & recte*; quamobrem a canonico & eccleſiaſtico jure emendatæ ſunt. Sed hic animadvertendum propono, humanas leges nunquam morte punire latrones ob furtum ſimplex etiam plurium aureorum, niſi forte ad compeſcenda furta in populis ad hoc crimen propenſis. Severius ob commune bonum aliquando etiam mortis pœnam indixerunt; dum interim Theologi ſtatuunt, licere privata auctoritate fures enecare ad decem aut viginti aureorum furtum impediendum. 2. In jure vero canonico in Cap. *Interfeciſti*, non immunis dicitur a culpa occiſio latronis ob meram rerum temporalium conſervationem, ſed ob illam, quæ & cum vitæ defen-

ſenſione conjungitur: hinc non dicitur disjunctive, *ſi te* vel *tua*, ſed copulative *ſi te*, *tuaque* liberando .... interfeciſti, ut optime animadvertit, & pluribus argumentis luculentiſſime oſtendit Fagnanus loc. cit. 3. Alterum vero juris teſtimonium nihil omnino ad rem facit, nam Pontifex non concedit Decano Aurelianenſi, ut occiſione, & cæde Balivum a ſuorum bonorum occupatione arceat; ſed declarat juſte, interdicto, & pœnis eccleſiaſticis ejus audaciam & iniquitatem compeſcere potuiſſe. 4. S. vero Thomam immerito in ſuæ ſanguinariæ doctrinæ præſidium trahunt Theologi, cum nec verbum habeat loc. laud. de defenſione occiſiva ad bonorum conſervationem; quod tum articuli ſcopum, tum argumenta, tum objectorum ſolutiones perpendenti manifeſtius apparet. Primo itaque inquirit laud. art. *Utrum liceat alicui occidere* SE *defendendo*. Igitur S. D. non de defenſione bonorum, ſed vitæ, diſputationem inſtituit. Quod clarius dignoſcitur ex argumentis in corpore articuli prolatis, quæ non niſi vitæ occiſivam defenſionem licitam oſtendunt, cum omnia in hoc referantur principium, *plus tenetur homo vitæ ſuæ providere, quam alienæ*. In Reſp. vero ad 1. argumentum, unde ſuæ præſidium doctrinæ adverſæ ſententiæ Patroni ſe reperire arbitrantur, in explicatione verborum Auguſtini aperte teſtatur S. Th. ſe de ſola vitæ defenſione diſputare; ſic enim ſcribit; *Dicendum, quod auctoritas Auguſtini intelligenda eſt in eo caſu, quo quis intendit occidere hominem, ut ſeipſum a morte liberet: in quo etiam caſu intelligitur auctoritas inducta* (in argument. 2.) *ex lib.* 1. *de liber. arbitr. Unde ſignanter dicitur*, pro his rebus, *in quo deſignatur intentio. Et per hoc patet reſponſio ad ſecundum*. Ideo vero verba Auguſtini emollienda, explicandaque ſuſcepit Angelicus, non quia putaret licere pro temporalium bonorum conſervatione furem occidere, ſed quia videbatur Auguſtinus nec pro vitæ tutela hujuſmodi occiſionem concedere, a qua dicit S. Th. excluſam ab Auguſtino intentionem occidendi, at in aliis defendendis & intentionem, & ipſam occiſionem fugiendam ſuo ſilentio indicavit. Quamobrem Salmanticenſes auſi non ſunt S. Th. pro hac ſententia, quam tuentur, citare; licet plures laudent auctores, & licet reſponſione S. Th. utantur ad ſolvendum argumentum ex verbis S. Auguſtini deſumptum. 5. Rationum vero momenta nonniſi ad fucum faciendum conducunt. Nam dicunt, bona temporalia eſſe inſtrumenta neceſſaria virtuti exercendæ, quaſi indicare velint, hominem his bonis temporalibus carentem virtute præditum eſſe non poſſe; cum e contra S. Th. & omnes Theologi doceant, veram virtutem non in materiali externo exercitio, ſed in animi præparatione principalius conſiſtere: hinc & pauperem ac mendicum iis poſſe ornari virtutibus aſſerunt, quæ & maximas in ſui exercitio poſtulant divitias: unde ſcribit S. Th. 2. 2. q. 152. a. 3. ad 2. *Connexio virtutum accipitur ſecundum illud quod eſt formale in virtutibus .... non ſecundum quod eſt materiale: nihil enim prohibet alicui virtuoſo ſuppetere materiam unius virtutis, non autem materiam alterius .... poteſt tamen id quod eſt formale in virtute, habere, ut ſcilicet habeat in præparatione mentis; ſicut pauper poteſt in præparatione animi habere propoſitum magnificos ſumptus faciendi, ſi ſibi competeret*. Igitur etiam ſine bonis temporalibus poteſt quilibet virtutibus ornari. Immo retorqueri poteſt argumentum. Divitiæ ſunt irritamenta vitiorum, & bona temporalia innumerabilibus vitiis materiam ſuppeditant; & Chriſtus Dominus *væ* divitibus indixit, ac divitias fallaces appellavit, ſpiniſque comparavit, quæ virtutis ſemen ſuffocant: ergo bona hujuſmodi non ſunt tanti facienda, ut pro eorum conſervatione humanus ſanguis ſit effundendus, præſertim cum ab eodem divino Magiſtro doceamur illa contemnere, abjicere, aſpernari, non vero tam ardenter cuſtodire, ut cum fratris nece tueri, ac ſervare non horreamus. At ſubdunt, ſunt tamen ad vitam conſervandam neceſſaria inſtrumenta. At vita ex bonorum amiſſione non periclitatur. Quis enim eſt, qui ſi naufragio, ſi incendio, ſi hoſtium incurſione omnia quæ in mundo poſſidet, amittat, ſtatim de ſua vita deſperet? Immo quam pauci ſunt, qui iſtis infortuniis oppreſſi miſeria & fame pereant! inveniunt enim & in divina providentia, & in hominum miſericordia, unde vitam ſuſtentare valeant; pauca enim ad eam ſufficiunt; raro igitur ex amiſſione bonorum mors progreditur. At demus contingere poſſe, ut quis, niſi ſua defendat bona cum cæde furis, debeat fame, inedia, miſeria perire, proinde ne pro hoc raro eventu regula generalis eſt ſtatuenda, & dicendum, licere pro conſervatione bonorum furem occidere? an non potius ſtatuendum generatim, non licere pro temporalium rerum tuitione furem interficere; ac deinde ex hac generali regula, veluti appendicis loco, excipere, niſi agatur & de ipſa vita amittenda, tunc enim non tam pro rebus, quam pro ſeipſo homo arma ſumit, & cum occiſione nocentem repellit? Alioquin & mutandum Dei præceptum, *Non occides*, quia pluribus in eventibus licet occidere, nimirum Principibus in pœnam, militibus & Ducibus in bello juſto, cuilibet privato in ſuæ vitæ tutela. Hinc factum, ut ea ſtatuta generali poteſtate occidendi, plura ſint deducta horrida conſectaria, & adeo dilatata ſanguinolenta hæc facultas, ut Sedis Apoſtolicæ fulmina provocaverit, Principum indignationem excitaverit, & omnium piorum execrationem promeruerit.

XIX. Operæ itaque pretium puto, hic breviter hujuſce cruentæ doctrinæ ſeriem & progreſſum, quem late expoſui in libello Italico inſcripto, Epiſtolæ Status Adminiſtro datæ, indigitare. 1. Statuunt, licere occidere boni temporalis raptorem, ſive parvi ſit, ſive magni momenti, quotieſcumque ejus ſublatio efficiat, ut quis ſuam vitam ſuſtentare non valeat; ut ſi artifici inſtrumentum artis ſubtrahatur, cum hoc non tantum ſit rem temporalem, quam ipſam vitam tueri. Ita P. Viva. 2. Si res ablata, licet non tanti ſit detrimenti, ut & amittendæ vitæ periculum afferat, tamen cogat expoliatum miſeram vitam & ærumnoſam traducere, licebit furem occidere; & revera res eſt in proximo, & vita ærumnoſa vel

mor-

morti æquiparatur, vel ipſa morte quid pejus habetur. 3. Si res ſolum ſit magni momenti, & recuperari non poſſit, licet non aliud ſecum afferat damnum, niſi illius momentoſæ rei amiſſionem; ita Lacroiſius num. 808. ſcribens: *Licere occidere, ſi res ſit magni momenti, nec poſſit aliter ſervari, vel recuperari, eamque actu invadat fur vel raptor, docent Auctores communiſſime, quorum plures, quam centum, adductis locis, & verbis enumerat Vindex Tabernæ.* 4. Nec ſolum licet interficere furem, dum actu rem violenter vel fraudulenter eripere tentat; ſed etiam cum fugit, ſi aliter recuperari non poſſit. Ita docet idem n. 810. *Licere occidere furem fugientem cum re magni momenti, ſi aliter recuperari non poſſit, docent plurimi & graviſſimi Auctores.* 5. Immò ſufficit timor non recuperandi niſi cum magna difficultate, docente Tamburino: *Fateor eſſe probabile cum Vaſquez, aliiſque .... ſi non eſt ſpes aliter recuperandi, vel* ESSET TIMOR *recuperandi cum magna difficultate, poſſe te tentare rem tuam, ſive immobilem, ſive mobilem* (ſi extat in individuo) *quod ſi fur contra renitatur, indebitamque ſuam poſſeſſionem contendat, poſſe occidi, quia tunc injuſte te fur impedit, & moraliter, ſive æquivalenter aggreditur.* 6. *At ſi ſpes ſit recuperandi*, v. g. *per judicium, licet occidas, non peccas certe contra juſtitiam:* SÆPE *erit contra caritatem, pro illius defenſione occidere, proinde aliquando nec contra caritatem.* Sic docet Leſſius. 7. Nec ſolum ea, quæ poſſidemus, cæde latronis tueri poſſumus, ſed & quæ nos poſſeſſuros ſperamus, & ad quæ jus habemus etiam mere inchoatum; unde monſtra illa propoſitionum ab Eccleſia confixarum 32. Innoc. XI. *Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva quæ actu poſſidimus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.* Et 33. *Licitum eſt tam hæredi, quam legatario contra injuſte impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere* (occidendo) *ſicut & jus habenti in cathedram, vel præbendam contra eorum poſſeſſionem impedientem.* 8. Immo & occidere poſſumus impedientem, ne ea conſequamur, ad quæ nec jus inchoatum habemus, ſed ex aliena tantum caritate, vel liberalitate ſperamus, docente Hurtado: *Si injuſtus aggreſſor per vim impediret diviti, ne liberaliter daret eleemoſynam pauperi, aut pauperi ne peteret*, CERTUM *apparet vim illam propulſari poſſe eadem vi, qua defenduntur bona temporalia ſummi momenti, & ea maxime, quorum amiſſio æquiparatur morti, & vitam amaram redderet, laborioſamque, ac difficilem: atqui ob bona iſta recte perveniri poteſt uſque ad defenſionem occiſivam violenti aggreſſoris, quando occiſio eſt medium efficax ad damnum noſtrum vitandum, & alia media deficiunt: idem igitur licebit ad defendendas opes illas pauperis.* 9. Quamobrem pretium etiam conſtituunt vitæ hominum, & ſtatuunt pecuniæ quantitatem, ob cujus conſervationem liceat occidere furem; & Leſſius ſcribit: *Regulariter Molina* T. 4. de juſt. tract. 3. Prop. 16. n. 7. *unum aureum aſſignat*; unde damnata propoſitio 31. ab Innoc. XI. *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei*: quam propoſitionem tamen cenſuræ ſubjectam non eſſe monſtrat P. Viva, quatenus affirmat occidi poſſe furem pro unius aurei conſervatione, ſed quod afferat *regulariter* id licere. 10. Immo addunt, non eſſe obnoxium cenſuræ, ſi aliquæ addantur furto circumſtantiæ, puta ſi fur, ut defendat rem parvam, velit repetentem invadere, vel res parvi momenti in ſe, magna ſit in virtute, v. g. lapis medicus, vel tolleretur cum injuria. 11. Alii pretium extendunt ad decem, aut viginti aureos, pro quorum conſervatione liceat furem occidere. 13. Et Cardenas a Lacroiſio laudatus definit, rem magni momenti abſolute, & reſpectu omnium eſſe valorem 40. Imperialium; & quod minus eſt, abſolute putatur parvi momenti. 14. Notant tamen, quod poſſet res minoris valoris eſſe magni momenti reſpective v. g. ad pauperem, cui ſublata minori quantitate tollerentur neceſſaria ad vitam. Hinc putant Tamburinus, Sporerius, aliique unum vel alterum aureum eſſe magni momenti reſpectu pauperis, e contra 20. aureos eſſe exigui momenti reſpectu divitis. 15. Docent etiam cum Sanchezio teneri innocentem non acceptare duellum, nec indicere, ſi poteſt, OCCULTE adverſarium occidendo, vitæ, honoris, rerum familiarium periculum evadere, quippe ſic proprium vitæ periculum in duello imminens vitabit, & peccatum actoris offerentis, aut acceptantis duellum. 16. Hanc poteſtatem etiam Clericis & Religioſis, non minus quam Laicis concedunt, quod adeo certum putat Henriquez, ut loco principii aſſumat ad probandum, eiſdem licere occidere ob defenſionem honoris, ſcribens: *Licitum eſt Clericis, & Religioſis in tutelam ſuarum facultatum furem occidere, quando alius modus non ſuppetat; ergo & in tutelam honoris.* 17. Denique eam feralem poteſtatem ex lege caritatis conceſſam affirmant, non ſolum ad defenſionem ſuæ temporalis rei, ſed & proximi, licet nulla neceſſitudine conjuncti, licet non poſtulantis auxilium, licet abſentis. Hinc ſcribit Sporerius: *Lege Caritatis licet pro alio facere, quod pro ſe quoque poteſt. At licet cuique occidere, vel mutilare injuſtum aggreſſorem propriæ vitæ*, BONORUM, *vel pudicitiæ. Ergo idem licet ex caritate facere pro proximo, non tantum præſente, ut in defenſione vitæ a latrone, verum etiam abſente, ut ſi vicini tui abſentis facultates injuſte diripiendæ, domus incendenda, uxor violenter opprimenda ſit &c. id nec aliter impedire potes, niſi occidendo invaſorem*, OCCIDE IN NOMINE DOMINI. Quis has truces, crudeles, ſanguinariaſque doctrinas non horreat; nec eas a chriſtianis Theologis, ſed a barbaris Thracibus traditas, arbitrabitur? Fructus tamen ſunt, & legitimi fœtus generalis doctrinæ, licere pro bonorum temporalium defenſione fures & aggreſſores occidere: qua proinde rejecta, & hæc cruenta conſectaria ceſſent, oportet. Nec dicant, hoc pacto viam ſterni latiſſimam rapinis, furtis, & latrociniis, & vires ac animum addi pravis hominibus, ut impune rebus temporalibus inſidiari poſſint; quandoquidem ad eorum frænandam audaciam, & pœnæ ſunt a legibus conſtitutæ, & armati Judices, & Miniſtri in latronum punitionem,

nem, & deſtinata ſeveriora ſupplicia, queis in ordine contineantur; dum e contra ex adverſa cruenta doctrina plurimæ prodeunt cædes, & homicidia, quæ Reipublicæ quietem perturbant, & animas, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, miſere perdunt.

XX. Sed in ſemitam revertamur, a qua non inutiliter digreſſi ſumus, & cetera Theologi noſtri momenta expendamus. Subdit itaque: *Non tenemur bona quæ poſſidemus, vel perdere, vel certo periculo perdendi exponere ad conſervandam vitam iniqui hominis, qui illam certo periculo ex propria malitia exponere vult.* Hæc quidem verba, & quæ poſtea ſubdit, ad iram quidem accendendam, odiumque excitandum valere, video, ad rem vero conficiendam omnino non valere; nam hoc eſt, quod quæritur, proinde tanquam certum ſupponitur, quod eſt in quæſtione. Nam quærimus, num teneamur ex caritate potius res noſtras temporales perdere, quam corpus, & animam furis. Nos dicimus ex præcepto caritatis teneri, quæ jubet, ut noſtra bona inferioris ordinis poſthabeamus bonis proximi ſuperioris ordinis, ut docent SS. PP. & Doctores omnes, ac præſertim SS. Auguſtinus & Thomas. Ridendus proinde Theologus, dum dicit, *antecedens certum eſt;* cum non ſolum non ſit certum, ſed, ut aperte falſum, a laudatis doctoribus rejiciatur, nec ipſe ratione alia confirmet. Niſi forte confirmari putet exemplo belli juſti, quod ſubdit, ſcribens: *Quis neget bellum defenſivum eſſe juſtum, quamvis agatur contra volentem rapere etiam unam civitatem? in eo autem quot millia hominum occiduntur!* At non videt doctus Auctor, bella geri publica poteſtate, non privata auctoritate. Quis autem unquam negavit, non licere publicæ poteſtati latrones interficere? merum itaque paralogiſmum continet poſita comparatio, cum fiat tranſitus a publica, & a Deo data poteſtate, ad privatam a Deo omnino denegatam. Audiat D. Th. 2. 2. q. 40. a. 1. *Non pertinet ad perſonam privatam bellum movere, quia poteſt jus ſuum in judicio ſuperioris proſequi. Similiter etiam convocare multitudinem, quod in bellis oportet fieri, non pertinet ad privatam perſonam. Cum autem cura rei publicæ commiſſa ſit Principibus, ad eos pertinet rem publicam civitatis, vel regni, ſeu provinciæ ſibi ſubditæ tueri. Et ſicut licite defendunt eam materiali gladio contra interiores perturbatores, dum malefactores puniunt, ſecundum illud Apoſtoli ad Rom.* 13. 4. Non ſine cauſa gladium portat: miniſter enim Dei eſt vindex in iram ei qui male agit: *Ita etiam gladio bellico ad eos pertinet rempublicam tueri ab exterioribus hoſtibus.* Præterea ſi quid valeret totum argumentum, contra ipſum quammaxime urgeret, qui paulo poſt ſuam limitat doctrinam dicens: *ut quis poſſit furem occidere, oportet non ſolum ut ſit ſumma notabilis, ſed non ſit ſuperflua ſtatui perſonæ, & familiæ conſervando, tunc enim quamvis maxima eſſet, non video qua ratione poſſit occidi raptor ſummæ ſuperfluæ: quæ contra mandatum Dei retineri non poteſt.* Quis itaque ſic illi reſpondere poſſet. Nonne dixiſti, licere occidere furem, volentem rapere bona temporalia, quippe quæ ſunt *inſtrumenta neceſſaria virtuti exercendæ?* En igitur cur interficere poſſum furem, volentem bona ſuperflua ſurripere; quia nimirum licet ſint ſuperflua vitæ temporali, ſunt tamen neceſſaria vitæ ſpirituali, quæ in virtutum exercitio ſita eſt: ac privat exercitio virtutis, & impedit a præcepto implendo erogandi ea bona in eleemoſynam; & Deus mihi quidem prohibet ea retinere; at non vetat, ne ea defendam contra iniquum raptorem, qui impedit, ne ea juxta ejus præceptum pauperibus erogem; ideo duplici morte dignus, & quia bona mihi *neceſſaria virtuti exercendæ* ſurripit, & quia pauperes rebus ſibi debitis ſpoliat: duplici igitur titulo occidendus, & quidem, ut ait Sporerius *in nomine Domini*. En igitur, quibus tandem argumentis defendant doctrinam ſuam de occiſione proximi ob boni temporalis conſervationem Theologi, nedum Probabiliſtæ, ſed & Probabilioriſtæ, & quidem qui talem poſtulant probabilioritatem, quæ omne prudens dubium excludat, & moralem pariat certitudinem; adeo ut ſi quæ ſint in contrarium argumenta, vel facile ſolvi poſſint, vel tuto contemni.

§. III.

De Honoris defenſione occiſiva.

XXI. Non licet pro honoris defenſione occidere proximum, qui vel contumeliis & calumniis, etiam atrocioribus, famam auferre tentat, vel denigrare. Nam cum præceptum *non occides* generale ſit, *non aliam*, ut docet S. Auguſt. lib. 1. de Civ. Dei, *exceptionem admittit, niſi in his, quos vel lex juſta generaliter, vel ipſe fons juſtitiæ Deus, ſpecialiter occidi jubet. Quiſquis hominem, vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine irretitur.* Porro quis ſomniavit vel lege generali ſtatutum, vel ab ipſo fonte juſtitiæ Deo conceſſum, ut calumniator, vel irriſor in defenſionem honoris occidatur? Immo hæc doctrina directe omnino pugnat cum Evangelio jubente tolerandas contumelias, & convicia, non reddendum malum pro malo, maledictum pro maledicto, orandum pro perſecutoribus & calumniantibus nos, diligendos inimicos, injurias condonandas. Porro quid magis huic Evangelicæ doctrinæ adverſatur, quam ſanguinariæ illæ opiniones, quæ docent licere pro convicio retundendo, pro alapa vitanda, vel ignominia abſtergenda hominem interficere?

XXII. Fatentur quidem Patres, hæc Evangelii documenta aliquando ſolius eſſe conſilii & perfectionis quoad exteriores actus; at quoad interiorem animi diſpoſitionem eſſe in præcepto. Scribit ſiquidem Auguſtinus epiſt. 138. ad Marcell. „ Iſta præcepta magis ad præparationem cordis, „ quæ intus eſt, pertinere, quam ad opus quod „ in aperto fit, ut teneatur in ſecreto animi patientia cum benevolentia, in manifeſto autem „ id fiat, quod eis videtur prodeſſe poſſe, quibus bene velle debemus". Quod itaque aliquis actu bonum pro malo reddat, pro maledictione benedictionem, eſt quidem conſilii; at quod intus in corde ſervetur contra adverſarium cum patien-

patientia benevolentia, eſt caritatis præceptum, ſicut & exterius, quod adverſario prodeſſe poſſit, præſtetur: at quis ſuſpicari poterit, eum benevolentiam & patientiam retinere in corde, & exterius præſtare, quod proſit adverſario, qui calumniatorem, irriſorem, contumelioſum utraque vita privat, & corporali, & ſpirituali?

XXIII. Si injurias, contumelias, maledicta, probra tolerare eſt quid infame, & homine indignum, & propterea ceu graviſſimum malum etiam morte hæc damna inferentis arcendum, profecto infames & indigni audirent Chriſtus, Martyres, Confeſſores, & tot innocentes ſanctiſſimi viri, qui contumelias, calumnias, maledicta nedum tolerarunt, ſed cum gaudio & lætitia ſuſceperunt. Immo Chriſti doctrina eſſet abjicienda, quæ docuit, & conſuluit iſtorum malorum tolerantiam, ac proinde infamem, indecoram, & homine indignam vitam ducere conſuluiſſet. At quis hæc audiens non horreſcat? Præterea nonne omnes Concionatores, & Verbi Dei præcones innumeris pene argumentis, & quidem magna verborum vi & energia propoſitis, oſtendunt, immo decorum, glorioſum, magnificum iſta tolerare; & tantum abeſſe, ut honorem amittant qui condonant, quinimmo laudatiſſimi, celebres, illuſtres per hoc & evadant, & prædicentur; e contra vero de læſo honore vindictam ſumentes, ceu crudeles, feri, immanes, ab omnibus flocci fiunt, contemnuntur, & vitantur? Legatur ſecunda Concio Quadrageſimalis P. Segneri n. 5. & 6.

XXIV. Et revera honor, fama, exiſtimatio dupliciter conſiderari poteſt, vel prout in aliorum mente eſt, vel prout in nobis radicem habet, & fundamentum ob eximias dotes, virtutes, aliaque animi ornamenta. Ex primo itaque capite vel contemnenda eſt, vel ob tolerantiam injuriarum amitti non poteſt: quandoquidem hæc exiſtimatio vel penes illos ſpectatur, qui Mundi legibus reguntur, & ſuperbiam, inanem gloriam, faſtumque ſectantur; & quis dicet horum impiorum exiſtimationem tanti eſſe habendam, ut pro ea conſervanda liceat hominem interficere? vel penes illos reſpicitur, qui ſolum virtutem amant, qui de rebus juxta rectæ rationis, divinæ legis, & Chriſti evangelicorum præceptorum normam judicant; & jam manifeſte patet, tolerantiam injuriarum non rectam iſtorum erga nos exiſtimationem minuere, ſed mirum in modum augere; quin immo abjicerent, ſi cernerent hominem injurias verborum, cæde, & occiſione proximi vindicare. Si vero ſpectetur honor, quatenus in nobis reſidet, baſim ſuam, & fundamentum habens in animi dotibus, virtutibus, aliiſque ornamentis, puta doctrina, ſcientia, probitate &c. nullus eſt qui non videat, nobis nolentibus amitti non poſſe, nec ab aliorum voluntate pendere, ſed & inter hominum injurias, contumelias, irriſiones nedum ſartum tectumque ſervari, ſed magis magiſque ſplendeſcere. Immo, ut optime docet S. Thom. honor ab hominibus vera virtute præditis exquiri non poteſt, quin ſtatim a virtutis ſtatu decidant, & in ambitionis vitium labantur. Sic itaque ſcribit 2. 2. q. 131. a. 1. ad 3. *Sicut per appetitum honoris, quando debito modo appetitur, aliqui provocantur ad bonum, & revocantur a malo; ita etiam ſi inordinate appetatur, poteſt eſſe homini occaſio multa mala faciendi, dum ſcilicet aliquis non curat, qualitercumque honorem conſequi poſſit. Unde Salluſtius dicit in Catilinario* (*non remote a princ.*) quod gloriam, & honorem, & imperium bonus & ignavus æque ſibi exoptant. Sed ille, *ſcilicet bonus*, vera via utitur; hic, ſcilicet ignavus, quia bonæ artes deſunt, dolis, atque fallaciis contendit. *Et tamen illi qui ſolum propter honorem vel bona faciunt, vel mala vitant, non ſunt virtuoſi, ut patet per Philoſophum in 3. Ethic.* (*cap. 8. in princ.*) *ubi dicit*, quod non ſunt vere fortes qui propter honorem fortia faciunt.

XXV. Jure itaque & merito hæc crudelitatis portenta diris confixere Alex. VII. & Innoc. XI. primus quidem hanc in ordine 17. propoſitionem damnando: *Eſt licitum Religioſo, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defenſionis non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioni, vel ejus Religioſo publice, & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.* Alter vero diris devovendo propoſitionem 30. aſſerentem: *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fugiat.* Alia his affinia in corollariis dabimus.

CAPUT QUARTUM.

Conſectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Falſa Tamburini doctrina.*
II. *Alii Sanchezii.*
III. *Num poſſit occidi, qui in proximo parat inſidias.*
IV. *Num liceat ſe tueri defenſione occiſiva adverſus juſtitiæ ſatellites.*
V. *Falſa Molinæ doctrina de ſervato moderamine inculpatæ tutelæ.*
VI. *Non licet privato ad ſervandam vitam innocentem occidere.*
VII. *Dianæ doctrina probatur.*
VIII. *Falſa aliquorum Theologorum doctrina.*
IX. *Item alia Leſſii.*
X. *Viarum Graſſatores & Piratas licet occidere.*
XI. *Laxæ Caſuiſtarum doctrinæ permittentium occidere in defenſionem honoris & famæ.*

Conſectarium Primum.

I. Rejicienda eſt tanquam falſa Tamburini doctrina lib. 6. in Decal. cap. 1. §. 1. n. 1. docentis: *Ut vitam meam defendam, non vero ut vindictam ſumam, communis eſt doctrina, poſſe a me occidi eum, qui me injuſte aggreditur, etiam intendendo ejus mortem, ut medium vitæ meæ, licet is ſit meus Pater, Filius, Frater, Dominus, Conjux, Sacerdos, Religioſus, ſine periculo excommunicationis, vel irregularitatis cum moderatione in-*

inculpatæ tutelæ. Huic doctrinæ aperte adverſatur D. Thom. qui docet 2. 2. q. 64. a. 7. in corpore: *Illicitum eſt, quod homo intendat occidere hominem ut ſeipſum defendat, niſi ei qui habet publicam auctoritatem, ut patet in milite pugnante contra hoſtem, & in miniſtro Judicis pugnante contra latrones*. Vide ſuperius dicta.

Conſectarium Secundum.

II. Falſa eſt, & execrabilis Sanchezii doctrina lib. 3. Decalogi cap. 39. n. 7. affirmantis: *Licere innocenti duellum ad vitam, honorem, & res familiares in notabili quantitate tuendas, quando conſtat omnino injuſte, & per calumniam actorem procedere, & certum omnino eſt fore, ut innocens hæc amittat, nec aliud ſibi evadendi remedium ſuppetat .... atque optime Bannez ait, licere innocenti in his caſibus acceptare, & offerre duellum .... Immo non provocando ad duellum interficere occulte actorem illum criminoſum, cum hæc occiſio ſit vera defenſio. Immo bene Nav. ait, teneri innocentem non acceptare duellum, nec indicere, ſi poteſt occulte illum occidendo, id vitæ, honoris, rerum familiarium periculum evadere, quippe ſic vitæ periculum in duello vitabit, & peccatum actoris offerentis, aut acceptantis duellum*. Tot pene in hac doctrina flagitia, quot verba. Licet duellum acceptare, ideſt homicidium ex condicto quærere, 2. immo & offerre, & ita peccato homicidii & ſcandalum addere. 3. Occulte interficere, & ſic proditoria homicidia, & veneficia perpetrare. 4. Teneri non acceptare duellum, ſi occulte adverſarium occidere poſſit, & ita viam defenſionis alteri omnino ſubtrahere; & in his omnibus procul dubio ſervatur moderamen inculpatæ tutelæ. Vah crudeles & truces doctrinas!

Conſectarium Tertium.

III. Non licet occidere eum, qui proxime in procinctu parat injuſte aggredi. Contrarium docet Tamburinus loco laudato, qui aſſerit: *Certum videtur, poſſe a me cum moderamine dicto interfici eum, qui proxime, & in procinctu parat me injuſte aggredi*. Cui aſſentiuntur & Leſſius, Navarra, Filliucius, aliique docentes, *licere occidere eum, de quo certo conſtat, quod de facto parat inſidias ad mortem*. Quod oſtendunt pluribus exemplis, ſcilicet viri tenentis ſub cervicali pugionem ad interficiendam uxorem, vel tentantis ſolvere canem, vel leonem, & in innocentem immittere, præcipientis ſervo, ut me interficiat; quia, inquiunt, *illa propinquitas periculi eſt moraliter actualis aggreſſio*. Verum hoc falſum eſſe patet, quia hoc eſt aggredi, non aggreſſorem repellere, hoc eſt hoſtem prævenire, non ſe ab hoſte defendere; quod profecto ſine violatione præcepti non occidendi eſſe non poteſt. Fugere itaque tenebitur conjux, ne a viro occidatur; mortalis ictus non in hominem ſolventem, ſed in canem & leonem dirigendus, ſervus repellendus. Sed inquiunt, hoc eſt difficultatem declinare, & hypotheſim mutare: nam ſupponimus nulla alia via poſſe innocentem evadere, niſi præveniat; ideoque vel moriendum vel occidendum; quid tu vero ais? Dico, hæc ad fucum faciendum, & ad laxitatis invidiam declinandam confingi: finguntur enim hypotheſes, vel chimericæ, vel rariſſimæ, & interim his ſuperſtruitur doctrina laxiſſima, & regula ponitur generalis, quæ innumeris laxitatibus viam aperit; cujuſmodi eſt iſta, de qua loquimur, quæ ſtatuit licere aggreſſorem prævenire. Sic P. Viva ad oſtendendum, licere etiam pro re minima furem interficere, fingit hypotheſim Sutoris, a quo auferatur acus, unicum ſuæ artis inſtrumentum, quo ſublato non poſſit ſuam ac ſuorum vitam ſuſtentare; qui profecto furem poterit interficere, & ſic vita hominis uni acui præferetur. At adeo eſt difficile acum reperire, quo ſuo victui provideat? Non, inquit P. Viva: at in hypotheſi, quod reperiri non poſſit loquimur, tunc etiam vel occidendum, vel moriendum eſſe. Jam quiſque perſpicit hiſce ſophiſmatibus & damnatas a Summis Pontificibus propoſitiones ceu veras, legitimas, æquitati conformes poſſe defendi. Ajebat propoſitio 18. ab Alex. VII. damnata: *Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet ſententia* (procul dubio mortis) *ſi alia via non poteſt damnum vitare*. En igitur innocenti neceſſitas, aut occidendi, aut moriendi: jure naturæ quiſque ſuam vitam adverſus iniquos eam auferre volentes tueri poteſt; hic non alia via mortem vitare poteſt, niſi iniquam præveniat ſententiam, accuſatorem, teſtes, judicem occidendo; jure ergo occidere poterit? At hæc vana ſunt terriculamenta a Summis Pontificibus contempta, & a Clero Gallicano, qui, ut diximus cap. præcedenti nu. 6. doctrinam noſtræ adverſam diris devovit, & acri cenſura perſtrinxit, ut pariter eſt deteſtanda laxiſſima Leandri propoſitio: *An ex eo ſolum, quod aggreſſor veniat, & accedat cum armis contra aliquem*, VEROSIMILITER *cauſa offendendi, poſſit aggreſſus licite, & ſine irregularitatis periculo eum occidere? Probabilius longe reſpondeo poſſe licite & ſine periculo irregularitatis eum occidere, dummodo* PROBABILITER *prudenterque judicet ad ipſum offendendi cauſa, vel occidendi venire*. Profecto nemo audebit hunc Auctorem inter Probabiliſtas recenſere, quippe qui probabilius homicidium ſuadet, & præfert probabili periculo necis propriæ incurrendæ.

Conſectarium Quartum.

IV. Non licet malefactoribus contra juſtitiæ ſatellites, qui ad eos captandos mittuntur, ſe tueri illos occidendo, nec reis juſtitiæ executores defenſione occiſiva repellere; immo nec licet, quamvis qui capiendus eſt, vel puniendus, ſe innocentem agnoſcat. Primæ partis ratio eſt manifeſta, quia qui legitimæ poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, nec hi ſatellites ſunt injuſti aggreſſores, ſed juſti, quippe qui a ſuprema poteſtate mittuntur, cui & parere debent, & cui ipſi ſubjiciuntur malefactores divina lege. Quod ſi innocens ſit, ad quem capiendum ſatellites mittuntur, & ipſis ſatellitibus nota ſit capiendi inno-

nocentia, adhuc non ille reſiſtere poterit defenſione occiſiva, tum quia non ad occidendum aggrediuntur, ſed ad capiendum; & licet mortem ſibi injuſte poſtea inferendam ſciat, non tamen actu ab ipſis infertur. Præterea nec licet reo injuſte ad mortem damnato miniſtrum occidere, qui eum eſt obtruncaturus, quia adhuc legitimæ poteſtati reſiſteret, cui ſubmitti debet, licet qui eam obtinent, dyſcoli ſint, & pravi. Eapropter jure damnata fuit propoſitio 18. ab Alexand. VII. ut præcedenti Conſectario diximus. Sunt itaque rejiciendæ doctrinæ Lacroixii, & Honorati Fabri, quorum primus in 5. Præcep. n. 815. docet: *Innocens, qui ad mortem capiendus eſt a ſatellitibus, ſcientibus ipſius innocentiam, poteſt ſe defendere, etiamſi opus ſit, occidendo ſatellites*. Alter vero in Apol. Tom. 1. p. 107. ſcribit: *Excipit de Lugo caſum illum, quo ſatellites miniſtri judicis, licet innocentiam rei cognoſcerent, vellent adhuc capitalem pœnam, & ſententiam judicis in reum exequi; poſſet enim reus illis reſiſtere etiam occidendo, ut cum communi Doctorum docet Molina ..... Si hoc autem licet poſt latam ſententiam a judice, ante illam potiori jure licebit*.

Conſectarium Quintum.

V. Falſa eſt doctrina Molinæ diſp. 11. num. 5. aſſerentis: *Servatur autem moderatio inculpatæ tutelæ, quamvis arma capiantur adverſus eos, qui armis carent, aut etiam ſumantur validiora. Scio diſſentire nonnullos* (ſcilicet S. Thom. & antiquiores Theologos). *Sed ego ipſorum opinionem, etiam in foro exteriori, non probo*. Nam moderamen inculpatæ tutelæ exigit, ne plus damni inferas, quam neceſſarium ſit ad tui defenſionem. Porro qui contra inermem, cædem adhibet, cum vel ſola vulneratione, vel mutilatione poſſit repellere, jam manifeſtat non ſui defenſionem, ſed vindictam & cædem aggreſſoris intendere. Similiter ſi validioribus armis utens illum interficias, qui non habet arma, niſi vel ad percuſſionem, vel ad vulnerationem idonea. Multoque laxior eſt ejuſdem Molinæ doctrina Tom. 4. tract. 87. diſp. 2. num. 5. *Fas eſt quacumque via, & ratione, & quibuſcumque armis, id totum efficere, quod ad tuam defenſionem fuerit neceſſarium*. Hoc enim pacto ſervabitur moderamen inculpatæ tutelæ ab eo, qui adverſarium propinato enecat veneno, qui inſidioſe interficit, qui amicitiam ſimulando obtruncat, & ſimilia.

Conſectarium Sextum.

VI. Non licet privato ad propriam ſervandam vitam innocentem occidere. Manifeſta videtur hæc propoſitio, quippe quia innocentis occiſio eſt de ſe & natura ſua mala, proinde nullo caſu licita. Nihilominus non deſunt benigniores Theologi, qui, ſin directam, indirectam tamen concedunt occiſionem innocentis, ut Buſembaum cum Delugo, aliiſque, qui docent, licere *fugientem mortem ſibi ab adverſario imminentem proculcando interficere puerum in via ſedentem*: hoc enim putant præter intentionem fugientis accidere. At quomodo præter intentionem, cum data opera illum proculces, ut fugias? Fingamus iniquum virum ſtricta ad jugulum ſica te cogere ad innocentem gladio occidendum; num indirecta eſſet illius occiſio, licet non occidas, niſi ut tuam ſerves vitam? Porro non aliud diſcrimen video, niſi quod illum occideres gladio, puerum vero pede. Utique cædem aggreſſoris injuſti video eſſe præter intentionem tuam, qui tantum tui defenſionem quæris, non aggreſſoris mortem, quam ipſe ſponte ſua iniqua aggreſſione ſibi accerſit: at hic in puero ſedente in via nihil video, unde tibi jus ſit illum occidendi proculcatione, qui nullam tibi facit injuriam, qui habet jus manendi tutus in illo loco, ſicut tu fugiens jus habes illac tranſeundi. Non potes igitur, ut jus tuum ſerves, alterius jura violare; ſicut non licet in pari periculo mortis panem e manibus alterius extorquere, ne ipſe fame moriaris. Quid quod nonne & ipſi Probabiliſtæ docent, non licere Tyranno, innocentis mortem petenti, illum tradere, ne quidem ob bonum publicum? & tamen occiſio ſequeretur præter intentionem tradentium, quippe qui nec innocentem occiderent, nec ejus necem quærerent; ſed ſolius boni publici conſervationem: ergo pari pacto, immo multo minus licebit privato ob ſuæ vitæ conſervationem innocentem occidere proculcando; præſertim cum jus defendendi propriam vitam alterius nece non concedatur, niſi contra injuſtum aggreſſorem, non contra innocentes. Docent tamen, quod ſi puer ille baptizatus non eſſet, non liceret fugienti eum proculcare, cum ex caritate quiſque teneatur poſthabere ſuam corporalem vitam vitæ ſpirituali alterius innocentis.

Conſectarium Septimum.

VII. Chriſtiana eſt, & adprobanda Dianæ doctrina Par. 2. Tract. 5. num. 5. docentis: *Si injuſtus invaſor vitæ ebrius eſſet, aut inſanus, & conſtaret illum eſſe in peccato lethali, invaſus vero crederet probabiliter ſe eſſe in ſtatu gratiæ, teneretur ex caritate potius permittere ſe interfici, quam occidere invaſorem, quia in tali caſu mors æterna invaſoris non dependet a libera ejus voluntate*. Declarat ſiquidem, quo pacto poſſit occidi aggreſſor injuſtus, etiam cum periculo æternæ ejus perditionis, quippe quia ipſe ſolus ſuo lethali crimine voluntarie admiſſo, ac in corde retento ſibi æternam mortem conſciſcit, proinde ſe defendenti nullo pacto tribuendam; quod non contingit in ebrio, vel amente, qui cum ſui compotes non ſint, æternam ſibi mortem imminentem nec dignoſcere, nec vitare poſſunt, proinde non ex malitia proveniret, ſed ex infirmitate, cui ex caritate ſubvenire teneretur aggreſſus, ne, dum ipſe temporaliter vivit, alter in æternum moriatur.

Conſectarium Octavum.

VIII. Plura hic forent addenda Conſectaria, cum poteſtatem occidendi pro rerum temporalium conſervatione mirum in modum dilataverint recentiores Theologi: verum cum plures eorum falſas opiniones recenſuerimus cap. præced. num. 19. nonnulla ſolum hic addimus. Falſa itaque eſt, & rejicienda opinio, quam tradunt Vaſquezius, Leſſius, de Lugo, aliique, nimirum *rem furto ablatam, & in loco tuto repoſitam, ita recuperari poſſe a domino, ut, ſi fur reſiſtat, illum licebit interficere*. Oppoſitam aperte docet S. Thom. 2. 2. quæſt. 66. art. 5. ad 3. ſcribens: „ Qui furtim accipit rem ſuam apud alium depoſitam, gravat depoſitarium, qui tenetur ad reſtituendam eam, vel ad oſtendendum ſe eſſe innoxium: unde manifeſtum eſt quod peccat, & tenetur ad relevandum gravamen depoſitarii. Qui vero furtim accipit rem ſuam apud alium injuſte detentam, peccat quidem: non quia gravet eum qui detinet, & ideo non tenetur ad reſtituendum aliquid, vel ad recompenſandum; ſed peccat contra communem juſtitiam, dum ipſe ſibi uſurpat ſuæ rei judicium, juris ordine prætermiſſo. Et ideo tenetur Deo ſatisfacere, & dare operam, ut ſcandalum proximorum, ſi inde exortum fuerit, ſedetur". Et revera, ſi licere negavimus, rem temporalem cum occiſione furis defendere, ne ſurripiatur, multo minus licebit injuſtum occidere detentorem: immo ſi juxta S. Thom. nec licet rem propriam furto ſublatam de domo furis, vel injuſti detentoris clam auferre propria auctoritate, & recuperare; multo minus licebit cum violentia, & morte vel furis, vel injuſti dentoris ſibi vindicare.

Conſectarium Nonum.

IX. Falſa quoque eſt Leſſii doctrina dicentis: *Qui furem diurnum non ſe telo defendentem interficeret, non excuſaretur ab homicidio in foro exteriori, in foro tamen conſcientiæ excuſaretur, ſi non erat probabilis ſpes recuperandi, vel ſi recuperatio non erat certa, ſed dubia: quia nemo tenetur res ſuas perdere, aut probabili periculo exponere, ut fur ſalvus fiat*. Ita ne ſervatur moderamen inculpatæ tutelæ, dum pro probabili periculo amittendi, vel pro dubio recuperandi res temporales, certo humanus ſanguis effunditur, & interficitur frater? At, quod me angit, illud eſt, & recentiorem Probabilioriſtam, pium ceteroquin, doctumque Theologum, hanc adprobaſſe rationem, eaque motum docuiſſe, licere interficere furem, rapere volentem res maximi momenti, aut in notabili admodum quantitate, *quia non tenemur* (inquit) *bona quæ poſſidemus vel perdere, vel certo periculo perdendi exponere ad conſervandam vitam iniqui hominis*. At certum periculum perdendi non eſt certa amiſſio rei; illud enim ab hac diſtinguit Auctor: pro incerta igitur amiſſione boni temporalis licebit certum homicidium perpetrare? Hoc eſt viam ſternere homicidiis: quis enim non putabit, re ſemel ablata certum ſemper adeſſe ſaltem periculum eam amittendi, nec amplius recuperandi?

Conſectarium Decimum.

X. Publicos latrones, qui & prædones, graſſatores, viarum obſeſſores dicuntur, aggredientes itinerantes & viatores, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, licet occidere ad vitæ, rerumque conſervationem. Quandoquidem hi habentur tanquam publici hoſtes Reipublicæ infenſiſſimi, contra quos latæ ſunt leges, quæ eos etiam ob leve furtum mortis pœna puniendos decernunt, & in flagranti crimine deprehenſos ſtatim laqueo necandos, & arboribus ſuſpendendos mandant; quoſque etiam a juſtitiæ Miniſtris, ſive viventes ſive mortuos capiendos jubent, etiam mercede & præmio promiſſis. Et merito ob infamem & crudelem, quam exercent artem, bono communi, ſecuritati Civium, publicæ utilitati adverſam: unde a legibus omnium armantur manus in illos, præſertim quando aggrediuntur, proinde non tam privata, quam publica poteſtate interficiuntur; præſertim cum parati ſint ſpoliatos viatores, ne detegantur, interficere. Contra iſtos itaque aggreſſi, non cogitantes num ad vitam eripiendam, an ſolum ad res rapiendas veniant tantum, ſe poſſunt tueri ac defendere, quantum requiritur, ut illæſi, & a damno immunes ex eorum manibus elabantur: quod ſi non contingat ſine eorum nece, a culpa erunt immunes. Quod de Graſſatoribus dicimus, eſt & de Piratis intelligendum, quorum rates, dum navigantes aggrediuntur, tormentis bellicis ſunt ſubmergendæ (niſi ſpes firma ſit eos in vinculis habendi) nec examinandum, num ad plagium, num ad rapinam, num ad necem veniant, cum & iſti ſint publici hoſtes, contra quos cives omnes milites ſunt bella Domini gerentes.

Conſectarium Undecimum.

XI. Legentes in Scripturis recentiores Theologi, *melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ*, mirum eſt, quantum occidendi poteſtatem ob famæ, honoris, boni nominis tutelam, & conſervationem ampliaverint. Monſtra, & portenta opinionum probabilium invexere, quæ melius, quam Draconis leges, non atramento, ſed ſanguine conſcriptæ dici poſſunt, adeo feritatem, crudelitatem, barbariem ſpirant. Nonnullæ ſunt in italis ad Status Miniſtrum epiſtolis indigitatæ, quas hic repetimus, aliis etiam additis, & ſolum iis, quæ duellum concedunt, omiſſis, de quibus in ſequentibus. Nemo illarum confutationem expoſtulet: retuliſſe enim confutaſſe eſt. Itaque 1. Eſcobarius Tract. 1. ex. 7. cap. 3. num. 34. univerſaliter ſtatuit, non teneri declinare injuſtum invaſorem ſive vitæ, ſive bonorum fuga, licet poſſit, ſi nobilis ſit, vel miles ſit qui invaditur; ſed reſiſtere poſſe defenſione etiam occiſiva. En ejus verba, *teneor ne fugere? non, ſi nobilis, ſi miles es*; profecto ne de-

de-

decus inferatur nobilitati, vel militiæ. 2. Leſſius lib. 2. de juſt. cap. 9. diſp. 12. num. 77. *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui fuſtem, vel alapam nititur impingere, ut ignominiam inferat, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit.* Quæ propoſitio & damnatæ num. 30. ab Innoc. XI. eſt omnino affinis, & aliquid pejus continet; talis eſt enim proſcripta aſſertio: *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem dicendum quoque ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.* In qua propoſitione, ut poſſit occidi invaſor, requiritur, ut alapam impingat, & fuſte percutiat. At Leſſius ſtudioſior in tutela honoris, ad occidendum ſufficere dicit, ſi fuſtem vel alapam nititur impingere. Et revera accepto ictu alapæ, vel fuſtis, jam honor, fama, decus macula turpi decoloratum eſt; præveniatur igitur dedecus, & occidatur iniquus defœdator honoris. Et eamdem opinionem confirmans Azorius lib. 2. p. 105. rationem reddit (ſi ſuperis placet) invictiſſimam, *aliter enim*, ſcribit, *ex malitia hominum honor innocenti paſſim tolli poſſet.* Salmanticenſes quoque eandem trucem opinionem tuentur Tract. 25. cap. 1. punct. 4. §. 3. num. 71. ſcribentes: *Si quis conetur proximum aliquem inhonorare percutiendo fuſte, aut alapa, tunc ſi aliter hanc percuſſionem vitare nequit, poterit injuſtum invaſorem occidere.* Rationem tamen reddentes, dum invidiam trucis doctrinæ declinare conantur, uſum augent: ſubdunt enim, *quia hic cum dedecore ſimul jungitur percuſſio ex ſe gravis* (papæ, alapa percuſſio gravis!) *& quia gravior timeri poteſt* (nimirum ne alapæ ſuccedat pugnus)...... *ergo non præciſe ob dedecus inde illatum, ut plurimi diſcurrunt, ſed ob percuſſionem, & damnum, quod prudenter timeri poteſt, ſe ab invaſore defendere valebit, illum, ſi opus ſit, occidendendo.* At non perſpiciunt docti Theologi, hac ratione poteſtatem occidendi quam maxime dilatari: ſi enim illam ad ſolius honoris defenſionem coarctent, hæc non conceditur, niſi *nobilibus, militibus* (juxta probabiliſtas) *vel viris honoratis*; at hac ratione dilatatur ad infimos quoque ex fæce populi: quilibet enim cernens adverſarium ad percutiendum fuſte, vel alapa diſpoſitum, ſtatim poterit vel longioris, vel brevioris tormenti bellici ictu proſternere, dicens cum Salmanticenſibus: *Quis divinare poterit, quanta futura ſit hominis irati libera percuſſio? & defenſio, media occiſione, per leges divinas & humanas permittitur, quando vitæ, vel corpori vis infertur; ſed dum quis aggreditur, vel fuſte aut alapa percutiat, non ſolum famæ & honori, ſed vitæ & corpori vis proprie infertur.* Verum ego puto (tam diverſa ſunt hominum ingenia) tantum abeſſe, leges humanas concedere ad evitandam alapam, vel fuſtis ictum alium occidere, ut talem homicidam, quem a culpa & pœna abſolvunt Salmanticenſes, judex juſtus laqueo dignaretur, & puniret.

Sed ad ſemitam revertamur. 3. *Si impacta alapa, & vibrato fuſtis ictu adverſarius fugiat, adhuc licet illum inſequi, vel eminus ferire etiam uſque ad necem*, ut docet Eſcobarius, & invictiſſima ratione confirmat: quia, inquit, *quamdiu damnum illatum eſt in ſuſpenſo, ſemper eſt locus defenſioni; ut patet in eo, qui furem inſequitur ad recuperandum ablatum. Nam quamvis honor non ſit apud percuſſorem, ſicut ablata res apud furem, poteſt tamen, non ſecus ac res furtivæ recuperari, oſtendendo ſigna excellentiæ, & æſtimationem apud homines captando. An non alapa percuſſus cenſetur tamdiu honore privatus, quandiu adverſarium non interimit?* At, ſi ſolis verbis contumelioſis quis alterius lædat honorem, licebit ne illum occidere? Utique, ſcribit Leſſius lib. 2. cap. 3. num. 78. *Si contumeliis afficias, ſive per verba, ſive per ſigna, hic etiam eſt jus defenſionis. Nam ex ſententia* OMNIUM *licet contumelioſum occidere, quando aliter ea injuria arceri nequit* (*quamquam ipſe armis non invadat*) *ait Petrus Navarra.* 4. Licet etiam inferendam ignominiam occidendo prævenire, ut docet P. Amico de Juſt. diſp. 36. ſect. 3. num. 106. *Conveniunt* (ſcribit) *ſupradicti Doctores, fas eſſe ad propulſandam ignominiam quam mihi aliquis inferre conatur, illum præveniendo occidere; ſicut, fas eſt ad declinandam mortem, quam mihi injuſtus invaſor molitur, illum occidere, antequam mihi mortem, vel mutilationem inferat.* 5. Concedunt etiam illum occidi poſſe, qui in faciem regerit, & ingeminat *mentiris*, vel verba contumelioſa iterat, tu es infamis, malæ caſtæ, licet obtruncate proferat tu es infam.... mal.... caſ.... Ita docent & Moja, & Emanuel a Concept. ille quidem in ſelectis quæſt. 3. §. 2. ſcribens: *Licitum eſt ad eum* (qui mentiris *in faciem* iteret) *propulſandum, quando aliter non poteſt, perſiſtentem percutere, &, ſi opus ſit, occidere. Idemque dicendum, ſi in contumelioſis verbis iterandis inſiſtat, nec aliis poſſit verbis cohiberi; quia id non eſt vindicta injuriæ illatæ, ſed inferendam repellere.* Alter vero par. 4. in ord. 9. tract. 2. diſp. 3. quæſt. 9. ſcribit: *An poſt dictum Decretum Innoc. licitum ſit occidere eum, qui dicit mentiris, aut contumeliam profert perfecte*, tu es infamis, malæ caſtæ, *vel imperfecte* tu es inf... mal... caſ..... *ſi aliter injuria repelli non poteſt? Probabilius reſpondeo affirmative.* Quæ doctrina ſi ad praxim reduceretur, heu quot cædes in familiis, in civitatibus, in humana Republica! frequentiſſima enim ſunt iterata, & ingeminata contumelioſa verba inter maritum & uxorem, inter fratres & ſorores, inter nurum & ſocrum, inter ſervos & dominos, præcipue ſi efferveſcat ira. 6. Hinc mirum non eſt, ſi etiam pro re tenui furem occidere concedant, quando ablatio eſt cum dedecore conjuncta; ita docet Vaſquezius in Quæſt. Moralib. dub. 8. num. 32. ſcribens: *Licet res ſit parvi momenti; ſi tamen ex eo, quod dominus illius non eripiat illam e manibus latronis, illi vertatur dedecori, & ille ſit homo honore dignus in populo, poteſt illum occidere, cum aliud non reſtet remedium, ut docet Mercado: quia tunc tuetur ſuum honorem, non res.* 7. Immo id licet, quamvis res recuperari per judicem poſſit, cum

hoc contumeliæ illatæ non medeatur, ſed ſanguine ſit delenda. Sic docet Tamb. lib. 6. in Decal. cap. 1. §. 2. num. 3. ubi hæc habet, relata ſuperius doctrina. *Addit* Leſſius &c. ex Covar. *etiamſi deinde recuperare per judicem poſſet*. 8. Si pomum ſit, quod latro extorquere conatur, licebit ne raptorem obtruncare? Abſit, ſcribit Leſſius, *eſt enim valde iniquum, ut pro pomo, vel etiam uno aureo ſervando alicui vita auferatur*. Sed timens, ne Janſeniſta, vel Tutioriſta audiret, ſubdit: *Si tamen tibi verteretur probro, niſi rem furi extorqueas, poſſes conari, & , ſi opus eſſet, etiam occidere*. 9. Licet etiam ad propulſandam injuriam, & defendendum honorem uti falſo teſtimonio, quia inquit P. Amico Tom. 5. de Juſt. diſp. 36. ſect. 7. *Eſt probabile non peccare mortaliter, qui imponit falſum teſtimonium alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat; quia illud eſt probabile, quod aſſeritur a viris doctis; & hæc doctrina habet pro ſe viginti & plures magnos viros; quod ſi dicantur non ſufficere, vix erit ulla opinio probabilis*. Nihilominus ſubdit Amicus, *conformius rationi videtur, honorem tueri gladio, quam mendacio; generoſius, & SANCTIUS famam defendere occidendo aggreſſorem, quam ei falſum teſtimonium imponendo*. En homicidæ, nedum inculpati, ſed & ſancti.

Nefas quamobrem eſſet hoc genus ſanctitatis Clericis, & Religioſis denegare, quibus & jus occidendi in defenſionem honoris, & famæ libertatem impertiuntur. 10. Hinc damnata 17. ab Alex. VII. ajebat: *Licitum eſt Religioſo, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publice, & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur*. 11. Et certe ſcribit P. Amico diſp. 36. de juſt. num. 108. *Negari non poteſt, quin ſaltem honorem, famamque illam, quæ ex virtute, & ſapientia naſcitur, quique verus honor eſt, juſte defendere Clerici, & Religioſi valeant, ac SÆPE DEBEANT: cum hic ſit proprius profeſſionis ipſorum, quem ſi amittant maximum bonum amittunt. Nam per hunc redduntur ſummopere æſtimabiles, & conſpicui ſecularibus, quos ſua virtute dirigere, ac juvare poſſunt: quo ſublato nec illos dirigere, nec juvare poterunt. Ergo ſaltem hunc honorem poterunt Clerici cum moderamine inculpatæ tutelæ, etiam CUM MORTE invaſoris, defendere. Quia interdum, LEGE ſaltem CARITATIS, videntur ad illum defendendum teneri, ſi ex violatione propriæ famæ integra Religio infametur*. Audiſtin tertium præceptum Caritatis, duobus Evangelicis minime tamen addendum, OCCIDE calumniatorem? 12. Sed ſi infamia non redundet in integram Religionem, ſed ſiſtat in ſolo Religioſo, qui turpi actione ſe fœdavit, adhuc iſtene calumniatorem ſuum, ſed denigratorem occidere poterit? Audiatur Caramuel in Theolog. Fundam. 55. *Inquiris, an homo Religioſus, qui fragilitati cedens fœminam vilem cognovit, quæ honori ducens ſe proſtituiſſe tanto viro, rem enarrat, & eumdem infamat, poſſit illam occidere? Quid ſcio? At audivi ab eximio Patre N. S. Theologiæ doctore, magni ingenii & doctrinæ viro: potuiſſet Amicus hanc reſolutionem omiſiſſe. At ſemel impreſſam debet illam tueri, & nos eamdem defendere. Doctrina eſt probabilis, qua poteſt uti Religioſus, & pellicem occidere*. Ita errent, neceſſe eſt, qui veritate, & divina lege relictis, humana figmenta, & fabulationes ſectantur.

CAPUT QUINTUM.

De cæde Tyranni, Adulteræ, & violenti Stupratoris.

D o c t r i n a.

I. *Duæ Principum claſſes diſtinguendæ.*

II. *Duplex quoque Tyrannus in titulo, & in regimine.*

III. *Tyranni in titulo nulli privata auctoritate cædes licita.*

IV. *Tyrannum in regimine, qui alteri ſubjacet Principi, non licet ſubditis occidere, vel expellere.*

V. *Tyrannum, nullum agnoſcentem ſuperiorem, occidere non licet.*

VI. *Immo nec contra illum ſeditionem movere, & arma ſumere.*

VII. *Quid agendum contra Tyrannum, qui ſubditum innocentem aggreditur.*

VIII. *Marito non licet uxorem in adulterio deprehenſam occidere.*

IX. *Nec violentum ſtupratorem licet cæde repellere.*

§. I.

De cæde Tyranni.

I. DOctrinam D. Thomæ de cæde Tyranni, nunquam ab ipſo adprobatam, late expoſui, & propugnavi in libello italico apologetico, quem latio donatum, & in duas diſtributum diſſertationes dedimus, in T. 25. & 29. Summæ Theologicæ Neapoli recenter editæ. Quæ ibi igitur fuſe ſunt dicta, hic in compendium contracta enucleabimus. 1. Itaque duplex Principum genus diſtinguendum, illorum, qui licet ſuis dominentur populis, alteri tamen Principi ſubjiciuntur, & parent, ut erant in Judæa Herodes, & Archelaus, qui Romano ſubdebantur imperio: aliud illorum, qui ſupremi ſunt, & nullum habent, vel agnoſcunt in terris ſuperiorem, cujuſmodi ſunt illi, qui jure hæreditario ſucceſſionis, & acquiſitionis Regnum, & Imperium obtinent.

II. Duplici pariter modo aliquis tyrannidem exercere poteſt, videlicet *in titulo, & in regimine*. In titulo Tyrannus dicitur privatus civis, qui adverſus legitimum Regem, ſive Rempublicam arma ſumit, ejuſque Regna ac urbes invadere molitur, & occupare, reluctante legitimo domino, vel ſi de Republica agitur, obſiſtentibus Senatu, & Optimatibus. In regimine vero Ty-

Tyrannus dicitur, qui legitimus quidem Princeps, vel jure hæreditatis, ſucceſſionis, vel juſto bello Regni potitus, ſua tamen ſuprema abutitur poteſtate, ſuoque privato commodo ſtudens, propriis indulgens affectibus, non ſolum populi negligit curam, verum illum vexat, opprimit, ſpoliat, ſævitia, violentia, libidine, aliiſque iniquis modis gravat, affligit, conficit.

III. Tyrannum in titulo, ideſt privatum Civem Imperium, vel Regnum ſibi inique uſurpare tentantem, vel Principem etiam alienum Dominium invadentem, privata auctoritate interficere nulli eſt licitum & conceſſum. Adverſantur quidem huic poſitioni plures Theologi, qui putant cuilibet privato licere Tyrannum interficere, quippe qui legitimus Princeps non eſt, ſed vir ſceleſtus, ſeditionem commovens, publicam pacem perturbans, contra quem Cives, Reſpublica, ſive Princeps bella movere poteſt, perſequi, & interimere. Verum noſtra aſſertio aperte traditur a D. Thom. pluribus in locis, ſed præſertim 2. 2. quæſt. 64. art. 3. ſcribens: *Occidere malefactorem licitum eſt, inquantum ordinatur ad ſalutem totius communitatis: & ideo ad illum ſolum pertinet, cui committitur cura communitatis conſervandæ; ſicut ad medicum pertinet præcidere membrum putridum, quando ei commiſſa fuerit cura ſalutis totius corporis. Cura autem communis boni commiſſa eſt Principibus habentibus publicam auctoritatem: & ideo eis ſolum licet malefactores occidere, non autem privatis perſonis.* Quod & repetit art. 1. q. ſeq. ad 2. dicens: *Privare aliquem vita in nullo caſu pertinet ad aliquem, niſi ad publicam poteſtatem, cui committitur procuratio boni communis.* Ex S. Thom. doctrina manifeſte patet, civem hunc Tyrannidem affectantem, licet ſceleſtum, ſeditioſum, & iniquum uſurpatorem, a nulla privata auctoritate vel per inſidias, vel veneno, vel gladio interfici licite poſſe. Licitum erit itaque vel legitimo Principi, vel Reipublicæ, vel Optimatibus, contra quos ille tyrannidem affectat, bello contra ipſum pugnare, milites colligere, arma movere, & tali pacto vel in ordinem redigere, vel, ſi obſiſtat, bellando interficere.

IV. Tyrannum in regimine, ſi ſupremus Princeps non ſit, nemini privato licet occidere, immo nec Cives poſſunt vel interficere, vel in ipſum arma movere. Veritatem hujus propoſitionis luculenter oſtendit D. Th. in Opuſc. de Regimine Principum ſcribens cap. 6. *Si ad jus alicujus Superioris pertineat multitudini providere de Rege, expectandum eſt ab eo remedium contra tyranni nequitiam. Sic Archelai, qui in Judæa pro Herode patre ſuo regnare jam cœperat, paternam malitiam imitantis, Judæis contra eum querimoniam ad Cæſarem Auguſtum deferentibus, primo quidem poteſtas diminuitur ablato ſibi regio nomine, & medietate regni ſui inter duos fratres ſuos diviſa: deinde, cum nec ſic a tyrannide compeſceretur, a Tyberio Cæſare relegatus eſt in exilium apud Lugdunum Galliæ civitatem.* Et jure merito ita docet S. Thom. quippe quia vel privatus ipſum occidens, vel Cives contra ipſum bellantes jus ſibi uſurparent, quod ipſis non competit, ſed ſolum ſuperiori Monarchæ, cujus imperio Tyrannus ille ſubjicitur, reſervatum eſt.

V. Si vero Princeps ſit ſupremus, nullumque agnoſcat in terris Superiorem, a nullo privata auctoritate occidi poteſt. Ita S. Thom. qui primo duplicem Tyrannidem diſtinguit, nimirum intolerandam, & acerbiſſimam; & mitiorem ac tolerabiliorem; & hanc poſteriorem ſtatuit, patienter pacatoque animo tolerandam. Quamobrem feralia, quæ ex intolerantia hujuſmodi tyrannidis conſequuntur, mala ob oculos ponit, oſtenditque obſiſtentiam potius ad ea augenda & multiplicanda, non vero ad ea minuenda, vel avertenda conducere, pluribuſque confirmat exemplis ſubditorum, qui, cum mitiorem vitare tyrannidem pertentarent, in aliam aſperiorem incidere. De priore vero intoleranda ſcilicet, & acerbiſſima ſic docet: *Si ſit intolerabilis exceſſus tyrannidis, quibuſdam viſum eſt, ut ad fortium virorum virtutem pertineat tyrannum interimere, ſeque pro liberatione multitudinis exponere periculis mortis: cujus rei exemplum etiam veteri Teſtamento habetur. Nam Aioth quidam Eglon regem Moab, qui gravi ſervitute populum Dei premebat, ſica infixa in ejus femore interemit, & factus eſt populi judex. Sed hoc Apoſtolicæ doctrinæ non congruit. Docet enim nos Petrus, non bonis tantum, & modeſtis, verum etiam dyſcolis dominis reverenter ſubditos eſſe. 2. Pet. 11. Hæc eſt enim gratia, ſi propter conſcientiam Dei ſuſtineat quis triſtitias patiens injuſte. Unde cum multi Romani Imperatores fidem Chriſti perſequerentur tyrannice, magnaque multitudo tam nobilium, quam populi eſſet ad fidem converſa, non reſiſtendo, ſed mortem patienter & armati ſuſtinentes pro Chriſto laudantur, ut in ſacra Thebæorum legione manifeſte apparet.*

VI. Contra ſæviſſimum Tyrannum in regimine, qui intolerandam & acerbiſſimam exercet in ſubditos tyrannidem, non licet populis ipſi ſubditis ſeditionem excitare, bella movere, Regno ſpoliare, & obſiſtentem interficere. Huic propoſitioni plures adverſantur Theologi, qui putant, ut ſcribit Molina Tom. 4. diſp. 6. n. 2. quod poſſit Reſpublica ipſa quoad capita convenire, eique reſiſtere, lataque ſententia deponere illum ab adminiſtratione, ſi ita exceſſus illius, communeque bonum flagitaret, atque illum depoſitum punire. Ante latam tamen ſententiam nefas privatis eſſet illum interficere. Verum contrarium omnino docet S. Thom. ſubdens l. l. *Eſſet autem hoc multitudini periculoſum, & ejus rectoribus, ſi privata præſumptione aliqui attentarent præſidentium necem etiam tyrannorum. Plerumque enim hujuſmodi periculis magis exponunt ſe mali, quam boni. Malis autem ſolet eſſe grave dominium, non minus Regum quam Tyrannorum, quia ſecundum ſententiam Salomonis* (*Prov.* 20. 26.) Diſſipat impios Rex ſapiens. *Magis igitur ex hujus præſumptione immineret periculum multitudini de amiſſione Regis, quam remedium de ſubtractione tyranni.* Et luculentius in ſumma 1. 2. q. 96. art. 5. ad 3. ubi aperte docet, Supremos Principes nullum habere judicem in terris, a quo condemnationis judicium in ipſum proferri poſſit, ſcribens: *Princeps dici-*

tur

tur eſſe ſolutus a lege quantum ad vim coactivam legis: nullus enim proprie cogitur a ſeipſo; lex autem non habet vim coactivam, niſi ex Principis poteſtate. Sic igitur Princeps dicitur eſſe ſolutus a lege, quia nullus in ipſum poteſt judicium condemnationis ferre, ſi contra legem agat. Unde ſuper illud Pſalm. 50. Tibi ſoli peccavi, &c. *dicit Gloſſa .... quod* „ Rex non habet ho„ minem, QUI SUA FACTA DIJUDICET ". Hinc in laud. Opuſc. concludit: *Quod ſi contra tyrannum auxilium humanum haberi non poteſt, recurrendum eſt ad Regem omnium Deum, qui eſt adjutor in opportunitatibus in tribulatione. Ejus enim potentiæ ſubeſt, ut cor tyranni crudele convertat in manſuetudinem, ſecundum Salomonis ſententiam Prov.* 12. 1. Cor Regis in manu Dei: quocumque voluerit, inclinabit illud.

VII. Si Tyrannus velit privatum aliquem aggrediens occidere, ſubditus aggreſſus ſe quidem tueri poteſt adverſus Regem Tyrannum, at occidere non debet. Nemo cordatus non perſpicit plane metaphyſicum confingi caſum. Ubinam gentium reperire erit tyrannum Principem, qui innocentem ſubditum ſibi vel exoſum, vel ſuſpectum volens e medio tollere, illum vel evaginato gladio, vel ſtricta ſica aggrediatur, ut interficiat? cum iniquis Principibus mille ſuppetant modi ſubditum enecandi, vel per milites, vel per ſicarios, vel veneno, vel inſidiis: unde Rex David dolo uſus eſt ad innocentem Uriam, cujus violaverat uxorem, interficiendum. Quamobrem etſi cum Concina concederemus, licitum eſſe hujuſmodi ſubdito innocenti inique aggreſſo vitam ſuam etiam cum cæde principis tueri; nihil reverentiæ, honori, & majeſtati Regiæ detraheremus. Nihilo tamen ſecius preſſius D. Th. doctrinæ inhærentes, jus quidem defenſionis ſubdito concedimus, at occiſionis denegamus. Nam S. Thom. 2. 2. quæſt. *69.* art. 4. inquirens, *num liceat condemnato ad mortem ſe defendere*, in corpore articuli de innocente injuſte damnato ſic ſtatuit: *Alio modo condemnatur aliquis injuſte: & tale judicium ſimile eſt violentiæ latronum, ſecundum illud Ezech.* 22. 27. Principes ejus in medio illius quaſi lupi rapientes prædam ad effundendum ſanguinem. *Et ideo ſicut licet reſiſtere latronibus; ita licet reſiſtere in tali caſu malis Principibus: niſi forte propter ſcandalum vitandum, cum ex hoc aliqua gravis turbatio timeretur.* In quo teſtimonio primo animadverto, D. Thom. non de ſupremis Dominis, & Regibus diſputare, ſed de inferioribus judicibus, & Magiſtratibus, quod tum ex ejus phraſi & verbis, queis utitur, apparet, nam tali vocabulo perverſos iſtos judices deſignat, dicens: *Licitum eſt enim judici*, & præced. art. dixerat, cum judex *aliquem injuſte* gravat; tum quia S. D. illis alludit Principibus, quorum meminit Ezechiel a ſe citatus, *Principes ejus in medio illius quaſi lupi rapientes*. Reges autem in Iſraele ſingulares erant, non plures. 2. Animadverto, licet S. Thom. loquatur etiam de ſupremo Principe injuſte damnante, minime concedere, ut Principem interficiat, ſed ſolum permittit illi RESISTERE: porro hæc vox occiſionem non denotat, ſed ſolum non obſequi, non obtemperare, repugnare, juxta illud Apoſtoli, *qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*. Hanc interpretationem admittunt & adprobant duo ex Recentioribus Scriptoribus, nimirum Auctor epiſtolæ primæ viri Eccleſiaſtici Comiti N. N. datæ, & habetur Tom. 17. Collect. Zatianæ, & Auctor Demonſtrationis Apologeticæ a priore laudatus, quæ habetur ejuſdem Collect. Tom. 15. ſic itaque ſcribit: „ Non obtem„ perare iniquis Principibus quam longiſſime ab„ eſt ab eo, quod licet ad propriæ vitæ tute„ lam nullam vitæ Principis habere rationem ..... „ At D. Thom. ſolum docuit licitum eſſe RE„ SISTERE, ideſt non obtemperare Principi ini„ que jubenti, ut ipſemet confitetur Apologi„ ſta ". Apologiſta vero verbum D. Thom. *reſiſtere* ſic interpretatur: „ Reſiſtere non tantum „ ſignificat velle poteſtatem deſtruere, ſed in „ genere ſignificat Poteſtati non obedire ". Nec eſt vis facienda in comparatione a D. Thom. allata de Principe cum latrone, cum hæc non omnimoda ſit, at inducta ſolum reſpectu juris legitimi obſiſtendi, nec ad obſiſtentiæ modum dilatanda. Nam in latrone non niſi injuſtitia aggreſſoris elucet, quam repellere poſſumus, nos defendendo; licet ex defenſione noſtra mors ſequatur latronis. At in Principe duo ſunt ſpectanda, nimirum & publica poteſtas, ſive regia dignitas, & ſcelus, ac iniquitas injuſtæ damnationis; huic poſſumus quidem juſte obſiſtere, at ſolum tali pacto & medio, ut ejus poteſtati & regiæ dignitati debita non violetur reverentia, ac ipſi Deo irrogetur injuria, ut monet Apoſtolus, *qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*. Porro qui & in defenſionem ſuæ vitæ vitæ Principis attentat, publicæ poteſtati injuriam irrogat, cum per eam Princeps ſuis ſubditis altius ita ſuperemineat, ut illis non ſit comparandus. Præterea eam ipſam obſiſtentiam, quam permittit D. A. hac limitat modificatione, *niſi forte propter ſcandalum vitandum, cum ex hoc aliqua gravis turbatio timeretur*; quo in caſu quamcumque obſiſtentiam denegat S. Thom. Ex hac itaque doctrina S. Th. ſic poſita noſtram aſſertionem confirmamus: Innocenti injuſte ad mortem damnato, qui aliter vitam ſuam ſervare non poteſt, niſi morte injuſti Principis, S. D. non concedit jus interficiendi, ſed ſolum obſiſtendi citra necem; nec concedit niſi defenſionem, quæ ſit a violatione regiæ majeſtatis ſejuncta, & quæ nullum pariat ſcandalum; ergo non concedendum injuſte aggreſſo a Principe ad ſuæ vitæ tutelam illum interficere, cum per hoc & legitimum tranſiliatur defenſionis medium, & illegitimum arripiatur, & Regiæ poteſtati inferatur injuria, & ferme impoſſibile ſit, ne gravia inde ſcandala, turbationes, & mala exoriantur. Debet itaque innocens aggreſſus potius mortem fortiter pati, ſi non niſi cæde Principis liberari poſſit. Qui hac de re plura noſſe cupit, legat binas noſtras ſuperius laudatas diſſertationes, ſive laudatum italicum opuſculum, & certe lectionis non pœnitebit.

§. II.

§. II.

De cæde Adulteræ.

VIII. Maritus, qui uxorem in adulterio deprehenſam occidit, homicidii reus eſt. Certa omnino ab omnibus Theologis habenda eſt hæc propoſitio poſt damnatam ab Alexand. VII. 19. propoſitionem, quæ aſſerebat: *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehenſam.* Ita multo ante docuerat S. Th. in IV. diſt. 37. quæſt. 2. art. 1. ubi aperte ſtatuit, in nullo caſu licere viro interficere uxorem propria auctoritate. Leges quoque civiles, & eccleſiaſticas, quæ hos uxoricidas non puniunt, illæ quidem corporali pœna, iſtæ vero excommunicatione, exponit non quaſi præcipientes ſint, vel permittentes hujuſmodi ſcelus, ſed (ſcribit) *quaſi pœnam homicidii non inferentes propter maximum incitamentum quod habet vir in tali facto ad occiſionem uxoris.* Hanc doctrinam hauſerat A. D. a D. Auguſtino, qui in lib. de Adulterinis conjugiis ad Pollentium docuerat: „ Cum „ enim utrumque ſecundum legem Chriſti illici„ tum ſit, ſive illa vivente alteram ducere, ſi„ ve adulteram occidere, ab utroque abſtinen„ dum eſt, non illicitum pro illicito facien„ dum: quod ſi utrumque eſt nefarium, non „ debet alterum pro altero perpetrare, ſed u„ trumque vitare “.

§. III.

De cæde violenti ſtupratoris.

IX. Nulli licet, ſive viro, ſive puero, ſive virgini, ſive uxori ob pudicitiam ſervandam violentum ſtupratorem occidere; licet non valeat alio modo violentiam repellere. Huic veritati adverſantur recentiores Probabiliſtæ (quibus etiam & plures adhæſere Probabilioriſtæ) qui paſſim docent, licere pro defenſione pudicitiæ violentum oppreſſorem enecare. At adverſantur antiqui Eccleſiæ Patres, & ipſa naturalis clariſſima ratio. S. Auguſtinus quidem aperte negat, occidi poſſe violentum ſtupratorem, ſcribens lib. de Lib. Arbit. cap. 5. „ De pudicitia „ vero quis dubitaverit, quin ea ſit in ipſo ani„ mo conſtituta? quandoquidem virtus eſt: un„ de a violento ſtupratore eripi nec ipſa poteſt. „ Quidquid igitur erepturus erat ille qui occidi„ tur, id totum in poteſtate noſtra non eſt. Qua„ re quemadmodum noſtrum appellandum ſit, „ non intelligo. Quapropter legem quidem non „ reprehendo, quæ tales permittit interfici; ſed „ quo pacto iſtos defendam, qui interficiunt, „ non invenio “. At multo fortius id urget lib. I. de Civ. D. cap. 18. ſcribens: „ Cum pudicitia „ ſit virtus animi, comitemque habeat fortitudi„ nem, qua potius quælibet mala tolerare, quam „ malo conſentire decernit, nullus autem magna„ nimus & pudicus in poteſtate habet quid de „ ſua carne fiat, ſed tantum quid annuat mente, „ vel renuat; quis tandem ſana mente putave„ rit ſe perdere pudicitiam, ſi forte in appre„ henſa & oppreſſa carne ſua exerceatur, & ex„ pleatur libido non ſua? ..... Si autem animi „ bonum eſt, etiam oppreſſo corpore non amit„ titur. Quin etiam ſanctæ continentiæ bonum, „ cum immunditiæ carnalium concupiſcentiarum „ non cedit, & ipſum corpus ſanctificat “.

X. Ex qua S. Auguſtini doctrina clariſſima educitur ratio, quæ evincit non licere pro pudicitia ſervanda violentum oppreſſorem occidere. Quandoquidem quid aufert innocenti violentus oppreſſor, unde mereatur occidi? numquid virtutem virginitatis magnum animi ornamentum, ſuper millia auri & argenti æſtimandum? Minime, cum animi bonum ſit, quod etiam oppreſſo corpore non amittitur. Num corporis munditiem? ne quidem, quin immo ſanctæ continentiæ bonum, cum immunditiæ carnalium concupiſcentiarum non cedit, & ipſum corpus ſanctificat. Num quia corporalis læſio inducitur, & membri integritas tollitur? at hæc adeo levis jactura eſt, ut idem ſit ac dicere, licere hominem interficere, ne taliтro feriat: & hæc materialis integritas corporis, quamvis plurimi æſtimetur, non eſt ullo modo cum vita hominis comparanda, pro qua ſervanda ſicut licitum non eſt homicidium ſui, ut docet S. Auguſtinus, & ſuo loco oſtendemus, ita nec licitum reddit homicidium alterius. Num injuria repellenda? at ſi hæc niſi cum morte homicidæ repelli poſſit, eſt patienter toleranda, & condonanda. Præterquamquod non defenſio tunc foret occiſio, ſed vindicta. Supereſt demum periculum animæ vitandum morte violenti ſtupratoris, ne libidine pertracta conſentiat illicitæ voluptati voluntas. Verum hoc argumentum enervat idem S. Auguſtinus lib. I. de Civ. D. cap. 25. ubi ſibi illud ſic objicit: „ At timendum eſt, „ & cavendum, ne libidini hoſtili ſubditum cor„ pus illecebroſiſſima voluptate animum alliciat „ conſentire peccato. Proinde, inquiunt, non „ jam propter alienum, ſed propter ſuum pecca„ tum, antequam hoc quiſque committat, ſe „ (ſeu aggreſſorem) debet occidere.. Verumta„ men, ſi deteſtabile facinus, & damnabile ſce„ lus eſt etiam ſeipſum (vel alium) hominem „ occidere, ſicut veritas manifeſta proclamat; „ quis ita deſipiat, ut dicat, jam nunc pecce„ mus, ne poſtea forte peccemus, jam nunc per„ petremus homicidium, ne poſtea forte incida„ mus in adulterium “? Non licet igitur pro pudicitiæ defenſione hominem occidere.

CAPUT OCTAVUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Non licet Principibus Regnum juſte occupantibus, vel pacifice poſſidentibus obſiſtere.*
II. *Plures Caſuiſtarum doctrinæ rejiciendæ.*
III. *Nec Principi licet, non ſervata forma judicii, uxorem, vel filiam ob adulterium occidere.*
IV. *Quomodo injuſtus oppreſſor repelli liceat.*

Conſectarium Primum.

I. NON ſunt dicendi Tyranni in titulo Reges illi, qui juſto bello Provincias, Civitates, vel Oppida occuparunt; vel qui etiam ſine juſto titulo ea obtinentes, conſenſu tamen ſubditorum, & pacifica poſſeſſione conſervant. Ratio primæ partis manifeſta eſt; nam inter juſtos acquirendi dominii titulos bellum juſtum enumeratur; & jure gentium ſtatutum eſt, ut quæ in bello capiuntur, in dominium tranſeant capientis. Quamobrem licitum non eſt ſubditis hujuſmodi bello captis a Principe victore deficere, illi non obedire, multoque minus inſidias ſtruere, & contra ejus vitam machinari. Alteram vero partem docet S. Thom. II. ſent. diſt. 44. q. 2. art. 2. ſcribens: *Qui per violentiam dominium ſurripit, non efficitur vere prælatus, vel dominus: & ideo cum facultas adeſt, poteſt aliquis tale dominium repellere: niſi forte poſtmodum dominus verus effectus ſit, vel per conſenſum ſubditorum, vel per auctoritatem ſuperioris.* Utramque vero partem confirmat Scriptura, in qua jubet Dominus Hebræis per Jeremiam Prophetam cap. 27. v. 12. *Subjicite colla veſtra ſub jugo Regis Babylonis, & ſervite ei, & populo ejus, & vivetis.*

Conſectarium Secundum.

II. Rejiciendæ ſunt, tanquam falſæ, ſequentes plurium Caſuiſtarum propoſitiones. Suarez defenſ. fidei Cath. lib. 6. cap. 4. „ Rex ſtatim per „ hæreſim IPSO FACTO privatur aliquo modo „ dominio, & proprietate ſui Regni; quia vel „ confiſcatum manet, vel ad legitimum ſucceſſo- „ rem catholicum ipſo jure tranſit “. Valentia „ T. 3. diſp. 1. q. 12. „ Si crimen hæreſis, ſive „ apoſtaſiæ a fide ita ſit notorium, ut nulla poſ- „ ſit tergiverſatione celari, etiam ANTE SEN- „ TENTIAM JUDICIS incurritur ex parte præ- „ dicta pœna, nimirum eatenus, ut ſubditi qui- „ dem licite poſſint negare obſequium domino „ hæretico, aut apoſtatæ a fide. Ita docent Ca- „ jet. & Bannez . . . Eſt autem obſervandum, „ pœnam hanc privationis auctoritatis in ſubditos „ juxta tenorem tertiæ, & quartæ noſtræ aſſertio- „ nis incurri per excommunicationem non ſolum „ ob hæreſim, ſed etiam ob QUAMQUNQUE „ aliam CAUSAM “. Hinc ſi Princeps fuſte, vel baculo graviter percutiat Clericum, jam auctoritate in ſubditos privatur, qui debitum ei obſequium denegare poſſunt. Quis hoc credat? Porro hæc doctrina non ad conciliandam Eccleſiaſticis pœnis debitam reverentiam conducit, ſed potius in eas odium, & abominationem excitat. Emmanuel Sà V. Tyrannus: „ Tyrannice gubernans juſte acquiſito dominio „ ſpoliari non poteſt ſine judicio publico. La- „ ta vero ſententia poteſt fieri quiſque executor. „ Poteſt autem deponi a populo etiam, qui JU- „ RAVIT ei obedientiam perpetuam, ſi monitus „ non vult corrigi “. Quibuſnam quæſo Apoſtolorum Princeps juſſit: *Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis?* nonne profecto populo, qui Regibus ſervit? Quomodo igitur populus non ſubeſſe, ſed præeſſe poterit Principibus ſuis, & ita præeſſe, ut etiam dominio ſpoliare illos poſſit? Quid dicam de conculcata lege juramenti? Quid de poteſtate conceſſa cuilibet privato interficiendi Regem? Profecto hæc ſeditioſa doctrina eſt chriſtianæ Religioni quammaxime infeſta. Nec minus ſeditioſa eſt alia Suarezii doctrina lib. laud. „ Si Rex legitimus ty- „ rannice gubernet, & regno nullum aliud ſub- „ ſit remedium ad ſe defendendum, niſi Regem „ expellere ac deponere; poterit Reſpublica to- „ ta, publico & communi conſilio Civitatis, & „ Procerum Regem deponere, tum ex vi juris „ naturalis, quo licet vim vi repellere, tum „ quia ſemper hic caſus, ad propriam Reipubli- „ cæ conſervationem neceſſarius, intelligitur ex- „ ceptus “. Hanc doctrinam refellit S. Tho. 1. 2. q. 96. art. 5. oppoſito plane principio, ſaluti, quieti, & ſecuritati Regum & Principum maxime conducente. Sic itaque ſcribit: *Princeps dicitur ſolutus a lege, quia NULLUS in ipſum poteſt judicium condemnationis ferre, ſi contra legem agat. Unde ſupra illud Pſal.* 50. Tibi ſoli peccavi &c. *dicit Gloſſa .... quod „ Rex non habet „ hominem, qui ſua facta dijudicet „.* Si plures hac de re improbabiles & falſas propoſitiones noſſe cupis, lege ſuperius laudatas Diſſertationes & Epiſtolas.

Conſectarium Tertium.

III. Nec Principi etiam ſupremo licet uxorem, vel filiam in adulterio deprehenſam, non ſervata forma judicii, interficere. Ita docet S. Thom. 2. 2. q. 67. a. 3. & primum quidem in argumento ſed contra, auctoritatem adducit S. Ambroſii ſcribentis: *Judicis non eſt ſine accuſatore damnare: quia Dominus Judam, cum fuiſſet fur, quia non eſt accuſatus, minime abjecit.* Deinde in corpore articuli rationem reddit, ſcribens: *Judex eſt interpres juſtitiæ. Unde, ſicut Philoſophus dicit in* 5. *Ethic. c.* 4. homines ad judicem confugiunt, ſicut ad quamdam juſtitiam animatam. *Juſtitia autem ... non eſt ad ſeipſum, ſed ad alterum. Et ideo oportet quod judex inter aliquos duos dijudicet: quod quidem fit, cum unus eſt actor, & alius eſt reus. Et ideo in criminibus non poteſt aliquem judicio condemnare judex, niſi habeat accuſatorem, ſecundum illud Act.* 25. 16. Non eſt conſuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priuſquam is qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina, *quæ ei objiciuntur.* In reſp. vero ad 2. iterum inculcat: *ex eo quod ipſe judex videt, non poteſt procedere ad ſententiam ferendam, niſi ſecundum ordinem publici judicii, quod tenet locum accuſatoris.* Multoque minus licet feminæ Principi, mariti pellicem privata auctoritate occidere, licet in Regno lex eſſet de feminis adulteris morte puniendis; cum ipſa nullam obtineat ſuper adulteram judiciariam poteſtatem; quamobrem

obrem non niſi privata auctoritate interficeret, quæ ipſam homicidii ream conſtitueret.

Conſectarium Quartum.

IV. Licet nullus poſſit licite irruentem ſtupratorem interficere, minime tamen ejus violentiæ acquieſcere debet, etiam negative ſe habendo; nam reus eſſet, & particeps admiſſi ſceleris; ſed totis viribus reluctari, & reſiſtere debet, & voce, & manu, & totius corporis obſiſtentia, etiam cum damno perſonali violenti ſtupratoris, citra necem tamen, & mutilationem: unde pugnis, calcibus, morſu repelli poterit.

CAPUT SEPTIMUM.

De Mutilatione, Abortu, & Homicidio indirecto & caſuali.

D o c t r i n a.

I. *Nemini alium mutilare licet.*
II. *Niſi cogente neceſſitate ſalutis totius corporis.*
III. *Nec verberare abſque juſta cauſa, & legitima poteſtate.*
IV. *Nec in carcere detinere.*
V. *Abortum procurare lethale ſemper peccatum eſt.*
VI. *Propoſitiones damnatæ.*
VII. *Pœnæ in abortum procurantes latæ.*
VIII. *Qui & irregularitatem incurrunt.*
IX. *Diſtinctio caſualis homicidii ab indirecto.*
X. *Duplici ex capite homicidium indirecte volitum cenſetur.*
XI. *In jure canonico dans operam rei illicitæ, ſi ſequatur abortus, irregularis habetur.*
XII. *Doctrina S. Thomæ exponitur.*
XIII. *Quando dans operam rei illicitæ reus ſit procurati abortus, qui inde ſequatur.*

I. SICUT nulli licet hominem occidere, ita nec membro aliquo minuere. Ita ſentiunt cum S. Thom. communiter Theologi omnes. „ Sicut „ *ſcribit S. Thom. hic q.* 65. *a.* 1. per publicam „ poteſtatem aliquis licite privatur totaliter vita „ propter aliquas majores culpas; ita etiam pri- „ vatur membro propter aliquas culpas minores. „ Hoc autem non eſt licitum alicui privatæ per- „ ſonæ, etiam volente illo, cujus eſt membrum: „ quia per hoc fit injuria communitati, cujus eſt „ ipſe homo, & omnes partes ejus “.

II. Optime tamen animadvertit D. Th. licet nunquam conceſſum ſit alterum interficere, quamvis ipſe mortem poſtulet, ut in Saule contigit; fieri tamen quandoque poteſt, ut licita ſit mutilatio ex conſenſu patientis. Hinc ſubdit: *Si vero membrum propter putredinem ſit totius corporis corruptivum, tunc licitum eſt de voluntate ejus, cujus eſt membrum, putridum membrum præſcindere propter ſalutem totius corporis: quia unicuique commiſſa eſt cura propriæ ſalutis. Et eadem ratio eſt, ſi fiat voluntate ejus, ad quem pertinet curare de ſalute ejus, qui habet membrum corruptivum. Aliter autem aliquem membro mutilare eſt omnino illicitum.* Cum vero D. A. poſtulet mutilandi conſenſum, manifeſte patet, non licere chirurgo, invito infirmo, eum mutilare; quia injuria inferretur ejus libertati. Similiter peccaret æger, qui ſine Peritorum conſilio, qui mutilationis neceſſitatem agnoſcerent ad ſalutem corporis ſervandam, mutilationi non neceſſariæ aſſentiretur; cum nemo ſit membrorum ſuorum dominus, ſicut nec vitæ ſuæ.

III. Peccatum etiam eſt, & quandoque lethale, proximum verberare abſque juſta cauſa. „ „ *Quandoquidem* per verberationem, *ſcribit S. Th.* „ *l. l. a.* 2. nocumentum infertur corpori ejus, „ qui verberatur; aliter tamen quam in mutilatio- „ ne: nam mutilatio tollit corporis integritatem; „ verberatio vero tantummodo afficit ſenſum do- „ lore: unde multo minus nocumentum eſt, quam „ mutilatio membri. Nocumentum autem inferre „ alicui non licet, niſi per modum pœnæ, propter „ juſtitiam. Nullus autem juſte punit aliquem, „ niſi ſit ejus juriſdictioni ſubjectus. Et ideo ver- „ berare aliquem non licet, niſi habenti poteſta- „ tem aliquam ſuper illum qui verberatur “. Duplici itaque nomine injuſta poteſt eſſe, & criminoſa proximi verberatio, nimirum 1. ſi qui verberat, nullam habeat in alium poteſtatem; ſecundo, ſi verberatio ſit immoderata. Hoc titulo peccare poſſunt Parentes, Domini, ac Superiores, ſi filios, ſervos, ſubditos, ut docet S. Tho. & ſuperius diximus, immoderate verberibus affligant. Ceteri vero peccant etiam ob carentiam poteſtatis: in utroque autem eſſe poteſt lethale peccatum inſpecta nocumenti gravitate.

IV. Carceri vero mancipare, ibique detinere nulli privato licet: quandoque inter bona corporis (inquit S. Th. hic art. 3.) conſideratur „ motus & uſus membrorum, qui impeditur per li- „ gationem, vel incarcerationem, ſeu quamcum- „ que detentionem. Et ideo incarcerare aliquem, „ vel qualitercumque detinere eſt illicitum, niſi „ fiat ſecundum ordinem juſtitiæ, aut in pœnam, „ aut ad cautelam alicujus mali vitandi. *Et in* „ *reſp. ad* 3. Simpliciter aliquem includere, vel „ ligare, ad eum ſolum pertinet, qui habet diſ- „ ponere univerſaliter de actibus & vita alterius: „ quia per hoc impeditur non ſolum a malis facien- „ dis, ſed etiam a bonis agendis. “ Sed de his legantur quæ diximus ſuperius de IV. Decal. præcepto.

§. II.

De Abortu.

V. Abortum procurare, ſive fœtus animatus ſit, ſive inanimis, lethale peccatum eſt; licet gravius ſit animatum fœtum perimere, quam inanimatum excutere. Ita docent Patres omnes, quorum teſtimonia legi poſſunt apud Natalem Alex. lib. 4. cap. 7. a. 4. reg. 13. Mihi ſatis eſt Athenagoræ teſtimonium afferre in Apolog. pro Chriſtianis ſcribentis, *eas, quæ abortivis poculis utuntur, homicidium perpetrare, & abortitionis rationem Deo reddituras.* Et Tertull. Apolog. cap. 9. ſcribentis: *Nobis, homicidio ſemel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc ſan-*

ſanguis in homine deliberatur, diſſolvere non licet. Homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci, nec refert natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet, homo eſt, & qui eſt futurus; etiam fructus omnis jam in ſemine eſt.

VI. Hinc merito damnata ab Innoc. XI. propoſitio 34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.* Et licet quæſtio de tempore animationis fœtus difficillima ſit, ut optime ſcribit Auguſtinus Enchirid. cap. 85. „ Scrupuloſiſſime inter doctiſſimos quæri, & diſputari poteſt, quod utrum ab homine inveniri poſſit, ignoro, quando homo incipiat in utero vivere, utrum ſit quædam vita & occulta, quæ nondum motibus viventis appareat “; Tamen falſa certo eſt, & merito ab eodem Pontifice proſcripta propoſitio 35. *Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur; & conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.*

VII. Pœnæ latæ contra abortum procurantes 1. contra adulteras, quæ, ut facinus occultent, fœtum excutiunt, ſtatuit Canon 43. Concilii Milevitani, eis nec in fine dandam eſſe Communionem, eo quod geminaverint ſcelus. Concilium vero Ancyranum can. 21. tantum temperans rigorem decernit: „ De mulieribus quæ fornicantur, & partus ſuos necant, vel quæ agunt ſecum, ut utero conceptos excutiant, antiqua quidem definitio uſque ad exitum vitæ eas ab Eccleſia removet. Humanius autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus ſecundum præfixos gradus Pœnitentiæ largiamur “. In præſenti vero Eccleſiæ diſciplina Sixtus V. in Bulla 87. ſtatuit, omnes abortus procurantes, ſive fœtus fuerit animatus, ſive inanimatus, eaſdem incurrere pœnas ac viros homicidas; & præterea excommunicatione, ipſo facto incurrenda, & Apoſtolicæ Sedi reſervata, abortus procurantes fœtus, ſive animati, ſive inanimati punivit. Gregorius vero XIV. reſervationem Sedi Apoſtolicæ abſtulit, & Epiſcopis de jure, privative etiam quoad Regulares, reſervavit, dummodo tamen & fœtus animatus ſit, & effectus ſecutus. Epiſcopi fere omnes abortus fœtus etiam inanimati procurationem, quamvis effectu non ſecuto, ſibi reſervant.

VIII. Præterea qui abortui animati fœtus dat operam, irregularitatem incurrit, ut habetur in jure can. extra. de Homicid. cap. *Sicut* ex literarum ubi Innoc. III. ſic decernit: „ Nos vero devotioni veſtræ inſinuatione præſentium reſpondemus, quod ſi nondum erat vivificatus conceptus, miniſtrare poterit, alioquin debet ab Altaris officio abſtinere “. Verum cum animationis fœtus tempus plane incertum ignotumque ſit, & certum ſolum etiam ex ipſa Scriptura aliquandiu fœtum eſſe inanimatum; hinc qui abortum procuravit, ſemper ſe irregularitate teneri, vereri debet, ac proinde diſpenſationem petere juxta ſtatutum in jure canonico Cap. *ad Audientiam*, ubi Innoc. III. ſic ſubdit: „ Cum in dubiis ſemitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere Presbytero memorato, ut in Sacris Ordinibus non miniſtret “. Sciant tamen Confeſſarii ex Sacræ Pœnitentiariæ ſtylo, eos non cenſeri irregulares, qui ante 40. a conceptione diem, ſi maſculus ſit fœtus, vel ante 80. ſi femina fuerit, abortum procuraverint, ſed qui eo elapſo termino tanto ſcelere fuerint commaculati: quamobrem, ut notat Navarrus lib. 5. Conſil. tit. de homic. conſil. 46. Edit. Colonienſ. huic conſuetudini quilibet ſe poterit conformare, cum agatur de Eccleſiaſtica pœna, quæ Medicorum innititur doctrinæ, & præſumptioni.

§. III.

De Homicidio indirecto & caſuali.

IX. Caſuale ſive fortuitum homicidium ab indirecto per hoc ſolum diſcriminatur, ut docet S. Thom. quod illud omnino præter intentionem & voluntatem operantis contingit, nunquam proinde culpæ deputandum; iſtud vero licet per ſe, & indirecte nec volitum ſit, nec intentum, tamen eſt in alio opere cum illo adnexo plane volitum & intentum, proinde immunem a culpa non facit agentem. Sic itaque ſcribit A. P. hic q. 64. a. 8. *Caſus eſt cauſa agens præter intentionem. Et ideo ea quæ caſualia ſunt, ſimpliciter loquendo, non ſunt intenta, neque voluntaria. Et quia omne peccatum eſt voluntarium, ſecundum Auguſtinum lib. de vera Relig. cap. 14. conſequens eſt, quod caſualia, inquantum hujuſmodi, non ſunt peccata. Contingit tamen id, quod non eſt actu & per ſe volitum, vel intentum, eſſe per accidens volitum, vel intentum, ſecundum quod cauſa per accidens dicitur removens prohibens. Unde ille, qui non removet ea, ex quibus ſequitur homicidium, ſi debeat removere, incurrit quodammodo homicidium voluntarium. Hoc autem contingit dupliciter: uno modo, quando dans operam rebus illicitis, quas vitare debebat, homicidium incurrit; alio modo quando non adhibet debitam ſollicitudinem. Et ideo ſecundum jura, ſi aliquis det operam rei licitæ, debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium ſequatur; non incurrit homicidii reatum. Si vero det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum, ſi ex ejus opere mors hominis conſequatur.*

X. Porro ex duplici capite homicidium eſſe indirecte volitum, ac proinde culpæ deputandum, docuiſſe videtur S. Thom. nimirum 1. ſi quis dans operam rei alias ſibi licitæ, ex qua ſequi poteſt homicidium, non diligenter, ne ſequatur, curat; ut dum quis tormentum bellicum exonerare volens, non advertit, num quis forte adſit, quem ferire poſſit. 2. Ex eo ſolum quod operam det rei ſibi illicitæ, vetitæque, licet diligentiam omnem adhibeat ad alterius nocumentum vitandum, vel iſtud prævideri non potuerit, ut patet ex verbis mox recitatis. Et lib. 3. contra Gentes cap. 160. abſolute docuit, quod ebrius ab homicidio non excuſatur, quod per ebrietatem committit, quam ſua culpa incurrit.

XI.

XI. Quamobrem in Jure Canonico non ſemel irregulares declarantur, qui caſuale homicidium perpetrarunt, vel eo ſolo nomine, quod rei illicitæ operam darent, ut videre eſt in Cap. *Hi qui* diſt. 50. & Cap. *quidam* de Homicid. & Cap. *Continebatur* de homicid. relatis a Genetto Tract. 6. de 5. Decal. præcep. cap. 3. q. 8. Et S. Antoninus part. 3. tit. 29. cap. 2. §. 4. ſcribit: *Si Clericus exercitatione, vel venatione jaculum mittit, & caſu hominem occidit, eſt irregularis; quia talia opera debent ab eo eſſe penitus aliena*. Immo & Cardinalis Toletus Inſtruct. Sacerd. lib. 1. cap. 81. n. 8. abſolute pronunciat: *Clericus venationi, in qua ſagittæ, aut ſclopeta emitti ſolent, incumbens, & caſu occidens, quantumcumque omnem prius diligentiam adhibuerit, irregularis eſt, quia operam dabat rei illicitæ, & talibus perſonis prohibitæ*. Et citat Præpoſ. can. 1. n. 26. diſt. 50.

XII. Nihilotamen ſecius S. Thomæ ſententiam, loc. mox cit. adductam, explicandam cenſeo juxta aliam clariorem ipſius S. D. doctrinam 1. 2. q. 20. a. 5. quam etiam late expoſuimus T. 2. Tract. 3. cap. 3. §. 4. reg. 1. ſcribit itaque D. A. Quod „ eventus ſequens aut eſt præcogitatus, „ aut non. Si eſt præcogitatus, manifeſtum eſt, „ quod addit ad bonitatem, vel malitiam actus: „ cum enim aliquis cogitat, quod ex opere ſuo „ multa mala poſſunt ſequi, nec propter hoc dimittit, ex hoc apparet voluntas ejus eſſe magis „ inordinata. Si autem eventus ſequens non ſit „ præcogitatus, tunc diſtinguendum eſt. Quia ſi „ per ſe ſequitur ex tali actu, & ut in pluribus, „ ſecundum hoc eventus ſequens addit ad bonitatem, vel malitiam actus. Manifeſtum eſt enim „ meliorem actum eſſe ex ſuo genere, ex quo „ poſſunt plura bona ſequi; & pejorem, ex quo „ nata ſunt plura mala ſequi. Si vero per accidens, & ut in paucioribus, tunc eventus ſequens non addit ad bonitatem, vel ad malitiam „ actus. Non enim datur judicium de re aliqua „ ſecundum illud quod eſt per accidens, ſed ſolum ſecundum illud quod eſt per ſe “. Ubi notanda ſunt illa S. D. verba, *non addit ad bonitatem, vel MALITIAM actus*, quare ſupponit A. P. etiam malam eſſe poſſe actionem, ex qua aliquid per accidens ſequitur, quod tamen non eſſe culpæ imputandum docet. Legatur §. laudatus, ubi tota de voluntario indirecto doctrina clariſſime reperitur expoſita.

XIII. Quamobrem ſtatuendum eſt, tunc ſolum qui illicito operi vacat reum evadere homicidii, quotieſcumque communiter ex tali opere ſequitur homicidium, licet fortaſſis omnem adhibeat diligentiam ne ſequatur cædes; & ratio eſt manifeſta, nam cum duo velit, nimirum & opus illi vetitum, & opus ex quo plerumque ſequitur homicidium, manifeſtum apparet, illum & homicidium velle, nec totam adhibere videtur diligentiam ad illud præcavendum, nam ab opere illicito ſibi, & vetito omnino abſtinere debebat. Rem exemplo clare illuſtrat Catechiſmus Romanus par. 3. ſect. 7. in 5. præceptum ſcribens: „ Quomodo homicidii reus ſit, qui caſu cædem „ fecit. In quo tamen duabus de cauſis peccari „ poteſt. Altera, ſi quis in re injuſta occupatus „ hominem occiderit, exempli cauſa, ſi quis gravidam mulierem pugno, vel calce percuteret, „ ex quo abortus ſequeretur, fuiſſet quidem illud præter percuſſoris voluntatem, non tamen „ præter culpam, cum illi non liceret ullo modo gravidam mulierem percutere. Altera ſi „ non omnibus circumſpectis, negligenter, & „ incaute aliquem occiderit “. In quo exemplo mulieris prægnantis pugno vel calce percuſſæ illud adnotandum puto, culpam homicidii & in eo locum habere, qui omnem adhiberet diligentiam, ne mulierem percutiat in ventre, vel proximioribus partibus, quia adhuc non omnimode ab homicidio caveret, cum noverit & ſuſpicari poſſit quamcumque percuſſionem mulieris prægnantis abortus cauſam eſſe poſſe, proinde omnimode a tali percuſſione abſtinere adſtringebatur.

CAPUT OCTAVUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Nemini licet pueros evirare.*
II. *Quomodo Medici abortus rei eſſe poſſint.*
III. *Quando liceat medicinam præbere matri, ex qua timetur abortus.*
IV. *Matres eſſe poſſunt indirecte abortus cauſa.*
V. *Indirecti homicidii quando rei ſint Judices, & Magiſtratus.*
VI. *Et qui innocentem a morte eripere negligunt cum poſſint.*
VII. *Sicut & Medici, Chirurgi, & Pharmacopolæ ſi recte officio ſuo non fungantur.*

Conſectarium Primum.

I. NEmini licet pueros caſtrare ſive conſentientes, ſive diſſentientes, ut ſonoram & numeroſam ſervent vocem, nec ad ſerviendam in cantu Eccleſiam. Hujus corollarii veritas ex doctrina S. Thom. ſponte profluit, eſt enim vera mutilatio, quam nulli privata auctoritate convenire docet S. D., nec conceſſa niſi ex neceſſitate ad liberandum totum corpus. Quamobrem peccant lethaliter tum parentes qui filiis ſuis virilia abſcindi vel jubent vel permittunt, tum ipſi filii ſi ſint doli capaces, tum Medici ſeu Chirurgi, qui huic mutilationi manum, & operam adhibent.

Conſectarium Secundum.

II. Rei ſunt abortus Medici, qui mulieri prægnanti potionem ad procurandum abortum præbent, ſive fœtus ſit animatus ſive inanimatus, ad evitandam mortem matris, quia hoc eſſet velle abortum, quod eſt de ſe malum, nec cuiquam licet ad ſe tuendum id efficere, quod de ſe innocenti eſt exitiale juxta S. Ambroſii doctrinam: „ Si non poteſt ſubveniri alteri niſi alter lædatur, commodius eſt neutrum juvari, „ quam gravari alterum “. Quare optime docet Sylvius 2. 2. q. 64. art. 7. „ Quando fœtus putatur eſſe animatus, non eſt licitum cum e-

„ vi-

„ videnti ejus periculo præbere matri, quamvis alioquin certo moriture, potionem ex ſe quidem ſalutiferam, ſed hic & nunc evidenter noxiam, ſi ſperatur abſque ejuſmodi potione fœtus edendus vivus & baptizandus, quia ſpirituales ſalus infantis præferenda eſt corporali vitæ matris ipſius". Immo ulterius docet laudatus Auctor, non licere ad ſalvandam vitam matris illi medicinam ſuppeditare ad abortum inducendum ordinatam, licet & ipſius fœtus vita ſit deplorata, ſic enim ſubdit: „ Si autem remedium ſit ex ſe tam mortiferum prolis, quam ſanativum matris, quidam arbitrantur poſſe in extrema neceſſitate adhiberi, eo quod tunc nulla fiat injuria fœtui, quando jam eſt deſperatum de ipſius vita. Nobis tamen potius videtur contrarium eſſe dicendum, quia nunquam licet directe agere ad occiſionem innocentis; præbere autem medicinam, quæ ex ſe ordinatur tam ad occiſionem illius quam ad ſalvationem alterius, tam directe eſt agere ad occiſionem innocentis, & quidem ejus qui non tantum periclitatur de vita corporis, ſed etiam de vita animæ, quam ad ſervationem matris ſi res ipſa conſideretur ſecundum ſe.

Conſectarium Tertium.

III. Si fœtus ſit animatus, & multo magis ſi ſit inanimis, & mater gravida non alio modo mortem vitare poſſit niſi remedium adhibendo, quod prodeſſe certo noſcitur vitæ jam deploratæ parentis, at juſte timetur ne fœtui nocere poſſit, probabilius cenſeo licere matri eam medicinam ſumere. Ratio mihi manifeſta videtur. 1. Quia medicamen non directe contra fœtum dirigitur, nec illi certo obeſſe conſtat. 2. Si mater pereat, certe fœtus vel animam non conſequitur, vel difficillimum eſt ne cum matre pereat. 3. Si mater ex ſumpto pharmaco convaleſcat, proſpicitur certæ ſaluti tum corporali tum ſpirituali fœtus. Cum igitur remedium certo proſit matri, directe non noceat fœtui, proles in certo periculo ſit pereundi ſi mater moriatur, & e contra vivente matre jam ſit conſultum ſaluti fœtus tum ſpirituali tum corporali, probabiliſſimum mihi apparet licere matri eo medicamine ſuæ ſaluti proſpicere. Ita Genettus, aliique. Nunquam tamen licet mortem uteri diſſectione afferre matri, ut infans baptizetur; hoc enim eſſet directe velle mortem matris, & verum homicidium perpetrare, quod de ſe eſt illicitum.

Conſectarium Quartum.

IV. Abortus reæ ſunt matres, quæ debitam non adhibent cautionem ne fœtui quem geſtant in utero noceant. Ita docet S. Antoninus in Summa Confeſſorum: „ Si mulier gravida præter intentionem abortiatur, ſi commiſiſſet ibi notabilem negligentiam, puta vel quia nimis ſaltavit, vel nimis inordinate laboravit, vel propter inordinatas laſcivias, non eſſet abſque mortali peccato". Quod & dicendum de maritis qui mulieres prægnantes vel pugnis percutiunt, vel etiam crudeliter vexant, ad iram provocant, graviter affligunt, poſſunt enim eſſe in cauſa abortivi fœtus. Cauti etiam ſint Chirurgi & Medici in puellis viro maturis, vel in mulieribus curandis, ſi ſuſpicio aliqua exurgat prægnationis, ne forte præter eorum quidem intentionem ſed non ſine eorum culpa ſequatur abortus.

Conſectarium Quintum.

V. Judices, Magiſtratus, ceterique Superiores, qui latrones & graſſatores viatorum homicidas non coercent & puniunt, rei ſunt homicidii indirecte. Juſte enim iſtis exprobrat Dominus: *Quia dimiſiſti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius*; hinc jubet Deut. cap. 19. Judicibus & Magiſtratibus: *Auferes malum de medio tui.... non parcet oculus tuus, ut miſerearis, non miſereberis ejus, ſed animam pro anima, oculum pro oculo &c.* Et in jure Canonico Can. *qui poteſt*. cauſ. 23. q. 3. ſtatuitur: „ Qui poteſt obviare & perturbare perverſos, & non facit, nihil aliud eſt quam favere eorum impietati, nec enim caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare".

Conſectarium Sextum.

VI. Peccant, & quidem lethaliter, qui cum poſſint innocentem a morte eripere, vel reum accuſando, vel de innocentia accuſati teſtimonium præbendo, ex falſa miſericordia, vel ex humano reſpectu hæc officia renuunt exhibere. Et de accuſatione quidem hanc auream ſtatuit Regulam S. Tho. 2. 2. q. 68. a. 1. *Si crimen fuerit tale, quod vergat in detrimentum reipublicæ, tenetur homo ad accuſationem; dummodo ſufficienter poſſit probare, quod pertinet ad officium accuſatoris; puta cum peccatum alicujus vergit in multitudinis corruptelam corporalem, ſeu ſpiritualem. Si autem non fuerit tale peccatum quod in multitudinem redundet, vel etiam ſi ſufficientem probationem adhibere non poſſit, non tenetur ad intentandam accuſationem; quia ad hoc nullus tenetur quod non poteſt debito modo perficere.* De teſtificatione vero ſic docet ib. q. 70. a. 1. *Si teſtimonium requiratur ad liberandum hominem vel ab injuſta morte, ſeu pœna quacumque, vel a falſa infamia, vel ab aliquo damno; tunc tenetur homo ad teſtificandum. Et ſi ejus teſtimonium non requiratur, tenetur facere quod in ſe eſt, ut veritatem denuntiet alicui, qui ad hoc poſſit prodeſſe.* Sed de his recolantur quæ dicta ſunt Tom. 2. de Officiis hominum cap. 8. §. 1.

Conſectarium Septimum.

VII. Medici quoque, Chirurgi, Pharmacopolæ peccant, & rei ſunt indirecti homicidii, ſi vel imperite, vel negligenter curant infirmos, unde ægri mors ſequatur. Ita docet S. Antoninus, qui egregie plures exhibet hac de re doctrinas, quas hic adjiciendas cenſemus iis, quæ cit. l. de Officiis hominum cap. 4. §. 1. & 2. diximus. Scribit S. Antoninus par. 3. tit. 7. cap. 11.

11. „ Medici ubi ex negligentia notabili in curis „ ſuis nocent infirmis, ſemper peccant mortaliter „ facientes contra illud præceptum, non occides . . . . Nec excuſantur ex hoc quod illud „ non intendant, quia voluntarie dant operam „ rei, unde hoc ſequitur. Immo etiamſi ſequatur ſanitas, non excuſantur a peccato, quia „ exponunt ſe periculo peccati mortalis, ei ſcilicet operi, unde poteſt ſequi notabile nocumentum proximo . . . . Si etiam ſequatur magna aggravatio infirmitatis ex hoc, etſi non „ mors, non excuſatur a mortali. Si dubitat de „ medicina, quia non conſtat ei ſecundum artem „ Medicinæ utrum debeat nocere vel prodeſſe, „ male facit dando, quia ut dicit Innocentius, „ in dubio potius debet dimittere infirmum in „ manu Creatoris, quam exponere medicinæ, de „ qua neſcit . . . . Debet Medicus quam citius „ poteſt curare infirmum, unde ſi ex induſtria omittit debitam medicinam, & certo curativam, „ ut dimittendo eum in infirmitate amplius lucretur, graviter peccat, & furatur. Et ſimiliter ſi in compoſitione medicinæ permittit Aromatario ponere vetuſtas ſpecies, & parum, vel „ nihil operantes, graviter peccat, & ſi quid „ detrimentum accidit infirmo utrique imputatur . . . . Mortaliter peccant Medici ſi dant „ aliquod conſilium, vel remedium pro ſalute „ corporis in periculum animæ, ut ſcilicet fiat „ aliquid contra divina præcepta, puta quod cognoſcat mulierem extra matrimonium, vel inebrietur, & hujuſmodi . . . . quia facit contra „ ordinem caritatis, ſecundum quem præponenda „ eſt ſalus animæ corpori. Immo peccat medicus qui dicit infirmo, non conſulo, ſed ſi „ accederes ad aliquam mulierem, ſanaberis.... „ Debet ergo cavere ſibi Medicus in loquendo „ ut ex aſſignatione cauſæ infirmitatis ille incitetur ad aliquod malum agendum “. Hactenus S. Antoninus.

CAPUT NONUM.

De ſuicidio directo, & indirecto, & de Duello.

D o c t r i n a.

I. *Suicidium vetitum eſt præcepto*: non occides.
II. *Suicidii malitia ex D. Thoma.*
III. *Quando excuſandi vel culpandi qui in Scriptura ſe interfeciſſe narrantur.*
IV. *At non culpandi Rei qui ad mortem damnati carnifici obſequuntur.*
V. *Nemini licet ſeipſum mutilare.*
VI. *Licet aliquando periculum mortis ſubire.*
VII. *Non temere tamen, ſed juſtis de cauſis, & motivo honeſto.*
VIII. *Quinam rei dicendi ſint ſuicidii indirecti.*
IX. *Modus ſervandus in corporalibus afflictionibus.*
X. *Nequit abſque culpa infirmus reſpuere remedia communia & conſueta ad ſalutem.*
XI. *Illicitum duellum.*
XII. *Vetitum eſt lege naturali, divina, civili, & eccleſiaſtica.*
XIII. *Nec licitum ad ſalvandam vitam.*
XIV. *Nec ad evitandam timiditatis notam. Propoſitio damnata.*
XV. *Nec ad dignitates, honores, & bona temporalia ſervanda. Aliæ damnatæ propoſitiones.*
XVI. *Pœnæ contra duellantes latæ.*
XVII. *Quinam eis ſubjiciantur.*

§. I.

De ſuicidio directo.

I. SApientiſſime & acute animadvertit D. Auguſtinus lib. 1. de Civ. D. cap. 20. in præcepto *non occides* & ſuicidium vetitum eſſe, quia additum non eſt *proximum tuum*: ſcribit itaque Auguſtinus: „ Et prohibitos nos eſſe intelligendum eſt ubi lex ait non occides, præſertim „ quia non addidit proximum tuum “; & revera ſubdit: „ Quia omnis qui ſine ulla legitima „ Poteſtatis auctoritate hominem occidit, homicida eſt, quiſquis ſeipſum occidit, non ſit homicida ſi homo non eſt “. Quamobrem concludit laudatus Doctor: „ Suicidium adeo vetitum eſt æterna Dei lege, ut nec adipiſcendæ „ ipſius immortalitatis cauſa nobiſmetipſis necem „ inferre nequeamus “.

II. Triplicem in ſuicidio detegit malitiam A. P. N. hic q. 64. art. 5. ſcribens: *Primo quidem quia naturaliter quælibet res ſeipſam amat; & ad hoc pertinet quod quælibet res naturaliter conſervat ſe in eſſe, & corrumpentibus reſiſtit quantum poteſt. Et ideo quod aliquis ſeipſum occidat, eſt contra inclinationem naturalem, & contra caritatem, qua quilibet debet ſeipſum diligere. Et ideo ſuiipſius occiſio ſemper eſt peccatum mortale, utpote contra naturalem legem, & contra caritatem exiſtens. Secundo quia quælibet pars id quod eſt, eſt totius. Quilibet autem homo eſt communitatis: unde in hoc quod ſeipſum interficit, injuriam communitati facit, ut patet per Philoſophum 5. Ethic..... Tertio quia vita eſt quoddam donum divinitus homini attributum, & ejus poteſtati ſubjectum, qui occidit, & vivere facit. Et ideo qui ſeipſum vita privat, in Deum peccat, ſicut qui alienum ſervum interficit, peccat in dominum, cujus eſt ſervus; & ſicut peccat ille qui uſurpat ſibi judicium de re ſibi non commiſſa. Ad ſolum enim Deum pertinet judicium mortis, & vitæ, ſecundum illud Deuter. 32. 39.* Ego occidam, & ego vivere faciam.

III. Illorum autem exempla, qui vel in Scriptura leguntur, vel in Eccleſiaſtica recenſentur hiſtoria, ſeipſos interfeciſſe, ita exponit S. Auguſtinus, ut nonnulla ſolum excuſet, quia Spiritu Sancto impellente patrata, alia vero omnino reprobat & condemnat. De ſampſone ſic ſcribit lib. 1. de Civ. D. cap. 21. „ Nec Sampſon „ aliter excuſatur, quod ſeipſum cum hoſtibus „ ruina domus oppreſſit, niſi quia ſpiritus latenter hoc juſſerat, qui per eum miracula faciebat “. Et cap. 5. de quibuſdam Sanctis Virgini-

„ bus

bus quæ ſeipſas interemere ſcribit: „ Hoc fece- „ runt non humanitus deceptæ, ſed divinitus juſ- „ ſæ, nec errantes, ſed obedientes, ſicut de Sam- „ pſone aliud nobis fas eſt non credere “. Ex quo teſtimonio patet quam falſo Colletus harum Virginum ſuicidium *excuſari* poſſe ſcribat ex *ignorantia*, qua crediderunt licitum eſſe ſuicidium cum grave fidei vel caſtitatis periculum imminet, quaſi ſuicidii interdictum non unum ſit ex primis naturalibus principiis quæ ignorari ſine culpa non poſſunt, ſed ex remotis conſecutionibus una, quæ ignorari invincibiliter poſſit, ideoque contra Auguſtinum fas ſit dicere hoc feciſſe non divinitus juſſæ, ſed *humanitus deceptæ*, non obedientes ſed *errantes*, quo profecto nihil abſurdius.

IV. Rei tamen non ſunt ſuicidii, qui ad mortem damnati ad ſupplicii locum pergunt, ſcalas aſcendunt, collum vel præcidendum, vel laqueo inſerendum præbent; debent enim ſupremæ poteſtati obedire, qui enim illi reſiſtit Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt ſibi damnationem pariunt. Nequeunt tamen ſe ipſos interficere, nec hoc judex illis præcipere poteſt. Legantur ea quæ hac de re abunde dicta ſunt To. 2. in Append. Tract. de Officiis hominum cap. 7. §. 1. ubi S. Thomæ doctrinam expoſuimus.

V. Sicut nemini licet ſe ipſum interficere, ita ne quidem mutilare, niſi forte ſit ad vitam ſervandam. Hinc non licet ſeipſum caſtrare ſive ad victum artis muſicæ opera procurandum, ſive ad tentationes vincendas, & continentiam reprimendam. Non primum, quia etiam ſine hujuſmodi mutilatione & muſica haberi poteſt, & nullum membrum eſt pro extrinſeco bono obtruncandum, ſed ſolum pro corporis ſalute, nec deſunt alii modi victum ſibi comparandi. Non ſecundum, quia ut docet S. Th. hic q. 65. a. 1. ad 3. *Membrum non eſt præſcindendum propter corporalem ſalutem totius, niſi quando aliter toti ſubveniri non poteſt. Saluti autem ſpirituali ſemper poteſt aliter ſubveniri quam per membri præciſionem: quia peccatum ſubjacet voluntati. Et ideo in nullo caſu licet membrum præcidere propter quodcumque peccatum vitandum. Unde Chryſoſtomus exponens illud Matthæi* 19. Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cælorum, *dicit*: „ Non per membrorum abſciſſio- „ nem, ſed malarum cogitationum interemptio- „ nem: maledictioni enim eſt obnoxius qui mem- „ brum abſcindit: etenim homicidæ ſunt qui ta- „ lia præſumunt. Hinc nec Anachoretæ Marci facinus, qui ſibi pollicem præcidit, ne ad ſacerdotium promoveretur, excuſari poteſt, niſi Deo inſpirante factum dicamus: optime proinde notat in ſimilibus caſibus Auguſtinus, hæc eſſe facta, non exempla.

§. II.

De ſuicidio indirecto.

VI. Tametſi ſeipſum directe interficere nunquam liceat, non tamen vetitum eſt, immo aliquando laudabile, & virtuti conſonum vitæ propriæ jacturam pati, & permittere. Ita plures ſancti Præſules, Epiſcopi, Confeſſores, qui vel fuga, vel ſe abdendo poterant mortem effugere, tamen in ſuo munere perſeverando, vel ſe ſatellitibus quærentibus manifeſtando, vel etiam ultro tradendo certæ neci ſe dedere. Sic non peccant milites, qui hoſtiles muros, vel turres etiam primi conſcendunt, quippe qui non ſui necem quærunt, ſed militiæ legibus, & Principum juſſionibus obſequentes periculo mortis ob commune bonum ſe exponunt. Quamobrem egregie docet S. Tho. hic q. 64. a. 5. ad 5. *Ad fortitudinem pertinet quod aliquis ab alio mortem pati non refugiat propter bonum virtutis, & ut vitet peccatum.* Tunc igitur ſolum rei ſunt ſuicidii indirecti, qui non ex motivo virtutis, nec ob commune bonum, ſed vel lucri cauſa, vel vanæ oſtentationis ſe mortis periculo objiciunt.

VII. Hinc peccant lethaliter, & rei ſunt ſuicidii indirecti, qui ſuper funem ambulant, qui ſaltus inter gladios emittunt, qui cum ferocioribus beſtiis vel certant, vel inermes pugnant, & ſimilia ſpectacula populo exhibent, cum temere ſe mortis periculo exponant vilis lucelli gratia. Similiter a peccato non ſunt immunes, qui ſibi carnis fruſta præcidunt, a ſerpentibus morderi ſinunt, venena hauriunt, ut pharmaci vim & energiam oſtentent; ad hæc enim ſibi noxia, & interdum etiam lethalia experimenta, nulla niſi auri cupiditate impelluntur; & hujuſmodi experimenta in ſolis brutis exerceri debent & licite poſſunt.

VIII. Nec a ſuicidii indirecti crimine immunes ſunt, qui libidinibus, crapula, ebrietatibus aliiſque vitiis, vel inordinatis paſſionibus ſibi vel morbos creant, vel etiam mortem ſive acceſſunt ſive accelerant, quippe qui peccant contra caritatem, qua ſeipſos & corpus ſuum propter Deum diligere tenentur. Nec quid magis & vitæ & valetudini obeſt quam inordinatus uſus voluptatum cibi & potus; nam inquit Scriptura: *Propter crapulam multi perierunt.* Et rurſum, *In multis eſcis erit infirmitas.* Et iterum, *Multos exterminavit vinum*, Eccleſ. cap. 31.

IX. Immo & in ipſis laudabilibus operibus & corporis afflictationibus modus ſervandus eſt, ne quis ſuicidii reus fiat. Quamobrem eſt præ oculis habenda aurea D. Th. doctrina quodl. 5. quæſt. 9. art. 2. ſcribens: *Aliter eſt judicandum de fine, aliter de his quæ ſunt ad finem: illud enim quod quæritur tamquam finis, abſque menſura quærendum eſt; in his autem quæ ſunt ad finem, eſt adhibenda menſura ſecundum proportionem ad finem; ſicut medicus ſanitatem, quæ eſt finis ejus, facit quantumcumque poteſt majorem, ſed adhibet medicinam ſecundum quod convenit ad ſanitatem faciendam. Eſt ergo conſiderandum, quod in ſpirituali vita dilectio Dei eſt ſicut finis; jejunia autem, & vigiliæ, & alia exercitia corporalia non quæruntur tamquam finis: quia, ſicut dicitur ad Rom.* 25. 17. Non eſt regnum Dei eſca, & potus; *ſed adhibentur tamquam neceſſaria ad finem, ideſt ad domandas concupiſcentias carnis, ſecundum illud Apoſtoli* 1. *ad Corinth.* 9. 27. Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo &c. *Et ideo hujuſmodi ſunt adhibenda cum qua-*

quadam menſura rationis, ut ſcilicet concupiſcentia devitetur, & natura non extinguatur, ſecundum illud ad Rom. 12. 2. Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem: *& poſtea ſubdit*: Rationabile obſequium veſtrum. *Si vero aliquis intantum virtutem naturæ debilitet per jejunia, & vigilias, & alia hujuſmodi, quod non ſufficiat debita opera exequi, puta prædicator prædicare, doctor docere, cantor cantare, & ſic de aliis, absque dubio peccat; ſicut etiam peccaret vir, qui nimia abſtinentia ſe impotentem redderet ad debitum uxori reddendum.*

X. Non poſſunt abſque peccato ab infirmo rejici remedia communia & conſueta ad ſanitatem recuperandam, & vitam ſervandam, alioquin reus erit ſuicidii, cum ita poſtulet caritas, & rectus amor ſui; at remedia plane extraordinaria poteſt licite omittere, ſicut & matrimonium non celebrare, tametſi ad ſanitatem corporis immo & ad vitam ſervandam conduceret, dummodo ita ſe gereret amore caſtitatis, tunc enim ob bonum virtutis conſervandum, mortem alias a naturali cauſa inferendam ſolum permitteret. Quod ſi mors ab extrinſeco & a cauſa libera immineat, poterit etiam ordinaria remedia licite prætermittere, ut diximus de Sanctis Confeſſoribus, qui nec fuga ſuæ ſaluti & vitæ proſpicere voluerunt; ſic reus in carcere juſte detentus licet fugere valeat, poteſt tamen ibidem permanere, licet ſecuturam mortem prævideat, ut divinæ & humanæ juſtitiæ ſua nece ſatisfaciat: ſic enim opus exercet & pœnitentiæ & fortitudinis.

§. III.

De Duello.

XI. Duellum, quod & græco vocabulo Monomachia dicitur, fieri & haberi poteſt vel publica vel privata auctoritate. Si primo modo fiat ob commune bonum, ad finem bello imponendum, licitum omnino eſt, ut plura oſtendunt Scripturæ exempla, in quibus hujuſmodi duella & laudantur, & adprobantur; immo ſpeciali Dei munere victoria conceſſa eſt etiam infirmioribus præter omnem ſpem, ut contigit in Davide cum Goliath præliante. De hoc itaque nullus erit ſermo, ſed ea recolantur quæ de bello diximus.

XII. Duellum itaque, quod ſumimus examinandum, definitur a Theologis *pugna inter duos vel paucos in pari numero, privata auctoritate, & ex condicto inita, deſignatis loco & tempore cum periculo occiſionis, mutilationis, vel vulneris.* Dicitur pugna inter duos, vel paucos in pari numero, ut diſtinguatur a bello, in quo multi cum multis, & etiam fortaſſis impari numero decertant: additur privata auctoritate, ut ab illo quod publico indicitur Principis Decreto ob commune bonum ſecernatur: additur ex condicto, ut diſcrimen aſſignetur inter repentinam duorum vel paucorum rixam ex calore & impetu iræ enatam: ſubditur deſignatis loco & tempore, non quaſi ſine iſtis verum non habeatur duellum, ſed ut conditiones deſignentur ad ſubeundas canonicas pœnas. Nam ceteroquin vera erit habenda vel provocatio, vel acceptatio duelli in illo, qui diceret, ſe paratum eſſe ad ſatisfaciendum armis cuicumque hoſti, & ſemper & ubique ſe enſe & armis eſſe ad ſui defenſionem paratum: denique dicitur cum periculo mortis vel mutilationis; nec inter duella enumerantur ea certamina, quæ ſine armis fiunt ad vires exercendas.

XIII. Hocce itaque duellum vetitum eſſe lege naturali, divina, eccleſiaſtica, & civili nullus eſt qui ambigat. Nihil enim magis naturæ repugnat quam vitam ſuam exponere, ut hoſti necem quis inferat; quemadmodum & divinum præceptum de non occidendo, duellum legi Decalogi adverſari oſtendit. Jure canonico vetitum declarant & Concilium Tridentinum, & plures Summorum Pontificum Bullæ & Decreta, præcipue Gregor. XIII. & Clementis VIII. Omnes denique Reges, Principes, Reſpublicæ ſeveriſſimis interminatis pœnis *deteſtabilem*, ut inquit Trid. Synodus ſeſſ. 25. c. 5. *duellorum uſum fabricante diabolo introductum, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex chriſtiano orbe exterminandum ſategerunt.*

XIV. Cum itaque duellum ſit jure omni vetitum, non licet vel acceptare, vel ad illud provocare nec vitæ tuendæ gratia; nam cum duellum non ſit ex improviſa rixa, ſed ex condicto, nemo illo indiget ad ſalvandam vitam, cum facile poſſit pugnam declinare.

XV. Nec ad vitandam timiditatis notam, ut declaravit Alex. VII. in damnatione propoſitionis, quæ ajebat: *Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Et revera quid ineptius & ſtultius honoris mundani fallacis & falſi gratia vel ſeipſum occidendum exhibere, vel proximum necare?

XVI. Nec ad propriam conſervandam dignitatem, officium, ſtipendium, quæ obtinet vir militaris, ex quibus ſua, ſuorumque ſuſtentatio pendet, licet illi duellum acceptare. Oppoſitum docuere plurimi ex recentioribus Caſuiſtis: verum hujus doctrinæ falſitatem detexit & profligavit Benedictus XIV., qui in ſua Conſtitutione edita die 24. Novembris anni 1752. quinque ſequentes propoſitiones a recenti Scriptore propugnatas damnavit.

1. *Vir militaris, qui niſi offerat vel acceptet duellum, tamquam formidoloſus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo ſe, ſuoſque ſuſtentat, privaretur, vel promotionis alias ſibi debitæ, ac promeritæ ſpe perpetuo carere deberet, culpa & pœna vacaret ſive offerat, ſive acceptet duellum.*

2. *Excuſari poſſunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipenſionis vitandæ gratia duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo ſciunt pugnam non eſſe ſecuturam, utpote ab aliis impediendam.*

3. *Non incurrit eccleſiaſticas pœnas ab Eccleſia contra duellantes latas Dux, vel Officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amiſſionis famæ, & officii.*

4. *Licitum eſt in ſtatu hominis naturali acceptare, & offerre duellum ad ſervandas cum honore* for-

fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulſari nequit.

5. *Aſſerta licentia pro ſtatu naturali applicari etiam poteſt ſtatui Civitatis male ordinatæ, in qua nimirum negligentia, vel malitia Magiſtratus juſtitia aperte denegatur.*

Eadem Conſtitutione etiam vetuit, ne quis propoſitiones illas vel publice vel privatim, vel diviſe, etiam diſputandi gratia audeat tueri, & defendere ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, & Summo Pontifici reſervatæ. Præterea in virtute ſanctæ obedientiæ mandat, ne quis vel unam in praxi deducere audeat. In qua Conſtitutione & illud eſt animadvertendum, non ideo propoſitiones illas falſas eſſe nec ad praxim deducendas, quia illas Summus Pontifex damnavit, ſed ideo damnatas, & vetitum ne in praxim deducantur, quia falſæ in ſe ſunt, divino præcepto non occidendi plane adverſæ; & revera plura continent divinæ legi plane adverſa, Evangelioque repugnantia, ut videre eſt in Animadverſionibus P. Concinæ additis in ſuo Compendio editionis Luganienſis merito legendis.

XVII. Pœnæ in duellantes ab Eccleſia latæ præter communes omnibus homicidiis, hujuſmodi ſunt ex Conſtit. Clementis VIII. 1. Excommunicatione ipſo facto feriuntur, & quidem Pontifici reſervata. 2. Perpetua infamia. 3. Proſcriptione bonorum omnium. 4. Pœna homicidii ſunt plectendi. 5. Eccleſiaſtica ſepultura privantur, ſi in ipſa pugna perierint. 6. Clerici & Eccleſiaſtici privati habentur omnibus beneficiis, dignitatibus, & officiis Eccleſiaſticis, ac inhabiles redduntur ad alia in poſterum obtinenda. 7. Rei criminis læſæ Majeſtatis cenſentur. 8. Et inhabiles declarantur ad teſtamentum condendum. Qui vero in duello hoſtem occiderunt, aſyli immunitate non gaudeant.

XVIII. Pœnis duellantibus interminatis ſubjiciuntur ipſi pugnantes ſive duellum ſolemne ſit, ſcilicet deſignatione armorum, deſtinato loco, certa ſervata forma, adhibitis Patrinis, ſive privatum, ideſt factum quidem ex condicto & deſignato ſaltem in generali loco & tempore, ſed ſine electione armorum, aſſiſtentia patrinorum, ſecuritate data loci &c. licet nec mors nec mutilatio ſequatur, & licet pactum initum fuerit de ſtatim finiendo certamine, ubi alteruter vulneratus fuerit, vel tot ictus fuerint hinc inde vibrati. 2. Eaſdem incurrunt pœnas Patrini & ſocii ad duellum provocantium, vel acceptantium, licet pugna ob aliquod impedimentum ſecuta non fuerit. 3. Duellantium adjutores, ſive auxilium, operam, favorem præſtantes, arma, commeatum, pecuniam, & ſimilia ſuppeditantes. Conſulentes vero, qui conſilium quantum potuere revocarunt, pœnis non ſubjacent, licet nihil profecerint. 4. Spectatores de induſtria, ſive ex condicto, non vero qui vel ex abdito loco, vel obiter tranſeundo reſpiciunt. 5. Locorum Domini, Magiſtratus, Præſides, Locumtenentes, Militum duces, & Capitanei in caſtris vel extra ea, in alieno vel hoſtili ſolo, etiam cum militibus exercitus adverſariorum, qui duellum permittunt, vel quantum in ipſis eſt non prohibent, aut poſt commiſſum crimen veniam & impunitatem concedunt. Civitates vero, oppida, terræ, caſtra, in quibus commiſſum fuerit duellum permittentibus, aut tolerantibus dominis, Eccleſiaſtico ſubjiciuntur Interdicto. 6. Denique illi qui ſcripta & manifeſta ad duellum præparatoria conſcribunt, immo etiam ſine ſcripto denuntiationes, declarationes, teſtificationes etiam ſine provocatione ad certamen deferunt, quibus ad pugnam occaſionem præbent, & materiam, licet alieno nomine hæc ſcripta dictaverint, miſerint, detulerint, divulgaverint, vel verbo denuntiaverint, ſive teſtati fuerint, ut habetur in laudata Conſtitutione.

CAPUT DECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Non licet militibus navem vel arcem diruere cum certa eorum nece.*
II. *Nec reo ad mortem juſte damnato ſeipſum interficere.*
III. *Num liceat propriam vitam vitæ proximi præferre.*
IV. *Licet honeſtis de cauſis ſe periculo mortis exponere.*
V. *Quando ſui mutilatio licita ſit, & quando illicita.*
VI. *Ad ſervandam virginitatem non licet ſibi mortem adſciſcere.*
VII. *Non tenetur infirmus ſuæ ſanitati proſpicere remediis extraordinariis.*
VIII. *Quando qui ſe interficiunt a crimine ſuicidii non excuſentur.*
IX. *Quando deneganda ſit Eccleſiaſtica ſepultura morientibus in duello.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. NOn licet militibus in navi, vel in arce exiſtentibus ignem in tormentarium pulverem injicere, unde ruat Arx, demergatur navis, in qua ipſi una cum aliis includuntur, ne vel in hoſtium manus deveniant, vel hoſtis fortior fiat nova præda & acquiſitione. Sunt qui oppoſitum docent, putantes id licere ob bonum publicum, cui non parum intereſſe videtur, ne hoſtes navibus captis vel arce occupata potentiores fiant; verum nec pro bono publico licet ſe directe occidere, licet conceſſum ſit periculo etiam probabili mortis ſe exponere. Porro qui arce vel navi incluſi pulveri tormentario ignem admovent, directe ſe occidunt, cum nulla ſit ſpes evadendi, ſed neceſſario perire debeant. Hinc optime docet Sylvius 2. 2. q. 64. hoc non licere in navi (vel arce) morantibus, quia id eſſet directe velle ſe occidere. Nec movent exempla Eleazari, & Raziæ, illius quidem qui Elephantem aggreſſus, cui conſidere putabat Regem Antiochum, ſe illi ſuppoſuit & occidit, ab eoque oppreſſus interiit, ut habetur Machab. 1. cap. 6. in cujus laudem dicitur: *Dedit ſe ut liberaret populum*

lum ſuum, *& acquireret ſibi nomen æternum*. Alterius vero qui ſe ipſum occidit, & viſcera ſua in hoſtes jecit; nam de priore cujus factum laudat etiam & celebrat S. Ambroſius l. 1. de Officiis c. 40. dici poteſt non certæ morti ſe expoſuiſſe, ſed ſolum periculo, quippe qui fortaſſis arbitrabatur ſe poſſe mortem effugere, vel ſe ſubtrahendo antequam rueret beſtia, vel quod ex alia rueret parte, nec ipſum opprimeret. De poſteriore vero Auguſtinus epiſt. ad Dulcitium factum eumdem condemnans ſcribit: „ Si autem illic ſunt plurima eorum quoque hominum, qui literarum „ illarum veritate laudati ſunt, vel huic jam tempori non conveniunt, vel etiam illo tempore „ non recte facta, tale etiam hoc eſt, quod in ſeipſum Razias ipſe commiſit, qui cum apud ſuos „ nobilis, & multum in Judaiſmo profeciſſet... „ & propter hoc Judæorum pater appellaretur, „ quid mirum eſt, ſi tanquam homini elatio ſuperba ſubrepſit, ut mallet manu propria perire, quam poſt illam in ſuorum adſpectibus ſuſtinere in hoſtium manibus ſervitutem “?

Conſectarium Secundum.

II. Suicidii reus eſt, qui etiam jubente judice ſeipſum interimeret, qui damnatur ut fame pereat cibum oblatum recuſaret accipere, qui ut mortem atrociorem puta vivicomburium effugeret, ſe veneno necaret, & ſimilia. Hoc enim eſſet ſeipſum directe occidere, quod de ſe iniquum eſt; nec humanis judicibus conceſſum eſt, ut præcipere valeant reis ſeipſos interficere, utpote ipſi naturæ repugnans: hinc optime docet S. Th. 2. 2. q. 69. a. 4. ad 2. *Nullus* (inquit) *ita condemnatur quod ipſe ſibi inferat mortem*, *ſed quod ipſe mortem patiatur: & ideo non tenetur facere id unde mors ſequatur*, *quod eſt manere in loco*, *unde ducatur ad mortem; tenetur tamen non reſiſtere agenti*, *quin patiatur quod juſtum eſt eum pati*: *ſicut etiam ſi aliquis ſit condemnatus ut fame moriatur*, *non peccat*, *ſi cibum ſibi occulte miniſtratum ſumat*, *quia non ſumere eſſet ſeipſum occidere*.

Conſectarium Tertium.

III. Sine ſuicidii reatu non licet directe propriam vitam dare pro alterius vita ſervanda, ſic non licet tabulam in naufragio alteri cedere, panem ad vitæ ſuſtentationem neceſſarium alteri ne fame pereat tradere, quia ut ſcribit S. Auguſtinus de mendacio cap. 6. „ Si quis pro alterius vita temporali ſuam ipſam temporalem „ perdat, non eſt jam diligere ſicut ſeipſum, „ ſed plus quam ſeipſum, quod ſanæ doctrinæ regulam excedit “. Ita quidem ſi vita cum vita conferatur, at ſi vel bonum commune accedat, quod ab alterius vita pendet, vel bonum virtutis, ad quod obtinendum alter ſuæ vitæ vitam proximi præfert, jam licitum evadit propriam vitam prodigere pro alterius vita ſervanda. Ita docet S. Th. 2. 2. q. 32. a. 6. „ Si aliquis in articulo neceſſitatis conſtitutus haberet ſolum unde poſſet ſuſtentari, & filii ſui, vel alii ad eum „ pertinentes: de hoc enim neceſſario eleemoſynam dare, eſt ſibi, & ſuis vitam ſubtrahere. „ Sed hoc dico, niſi forte talis caſus immineret, „ ubi ſubtrahendo ſibi daret alicui magnæ perſonæ, „ per quam Eccleſia, vel reſpublica ſuſtentaretur: „ quia pro talis perſonæ liberatione ſeipſum & „ ſuos laudabiliter periculo mortis exponeret, cum „ bonum commune ſit proprio præferendum. “ Legantur quæ dicta ſunt Diſſ. 3. de Caritate c. 13. conſect. 6. & 10. Hujus Doctrinæ alteri parti obſtructatur Clariſ. Franzoja animad. 1. in 5. præc. ubi hanc doctrinam in P. Concina oppugnat ſcribens: „ Non poteſt fieri virtutis, & caritatis „ cauſa, quod virtuti, & caritati adverſatur. At vitam proximi propriæ vitæ præferre, virtuti & caritati adverſatur, quæ ſtatuit „ unumquemque ex ordine caritatis teneri magis „ ſeipſum quam proximum quoad corporis bona „ diligere, ut & docet S. Auguſtinus “. Et hic ſuperius allata Auguſtini verba exſcribit. Verum 1. illi S. Thomæ & auctoritatem & doctrinam opponimus 2. 2. q. 26. a. 5. ad 3. ſcribentis: „ Non „ eſt de neceſſitate caritatis, quod homo proprium corpus exponat pro ſalute proximi, niſi „ in caſu quo tenetur ejus ſaluti providere; ſed „ quod aliquis ſponte ad hoc ſe offerat, pertinet ad perfectionem caritatis „. Deinde quomodo id fiat oſtendit S. D. Franzojæ argumentum refellendo in 3. ſent. diſt. 29. q. 1. a. 5. ſic docens: „ Cum in homine ſit duplex natura, ſcilicet „ interior, videlicet rationis, quæ dicitur homo „ interior; & exterior, ſcilicet natura ſenſualis, „ quæ dicitur homo exterior: plus homo debet „ diligere ſe quantum ad naturam interiorem, quam „ quantum ad naturam exteriorem: & ideo ea „ quæ ſunt bona naturæ interioris, plus debet „ optare, quam ea quæ ſunt bona ſibi ſecundum „ naturam exteriorem. Omnia autem opera virtutis ſunt ſibi bona ſecundum interiorem naturam, „ inter quæ etiam ſunt illa, quæ quis ad amicum „ operatur: & ideo plura bona exteriora ſunt impendenda amicis, quam nobis ipſis, inquantum „ conſiſtit in hoc bonum virtutis, quod eſt noſtrum maximum bonum; ſed de bonis ſpiritualibus ſemper plus nobis quam amicis impendere „ debemus, & velle; & ſimiliter etiam de malis „ vitandis. “ En igitur quomodo ex S. Th. qui vitam proximi propriæ vitæ præfert, non ordinem violat caritatis, ſed ſervat, nec magis proximum quam ſeipſum diligit, ſed revera majus ſuum bonum minori præfert, ſcilicet externum corporale & temporaneum bono ſuo interiori ſpirituali, & æterno; & ſic ordinate ſe diligit. Unde & reſponſio habetur ad aliud Franzojæ argumentum, ſcilicet actionem quidem adiaphoram poſſe bona intentione fieri bonam, non vero quæ de ſe mala eſt. Nam cum vita corporalis juxta S. Thom. ſit bonum externum hominis, jam patet adiaphorum eſſe, & ordinabile ad bonum vel malum internum hominis: quamobrem qui vitam pro bono proximi prodigit ad oſtentationem, ad inanem gloriam & nominis famam aucupandam, pravo regitur fine, & peccat; qui vero eam dat ad ſalutem proximi & ad

ad ſuum ſpirituale bonum, & Dei gloriam, jam recto fine operatur, & ſic nedum eſt procul a crimine; ſed etiam quod perfectionis eſt opus exequitur.

Conſectarium Quartum.

IV. Sicut licet ex motivo virtutis ſe periculo mortis exponere, ſic licet contra injuſtum invaſorem occiſivam defenſionem prætermittere, ne ille in æternum pereat, inſervire peſte infectis, illis Sacramenta miniſtrare, ſtationem conſtanter tenere in bello, & ſimilia, cum hoc ſit inferius bonum, ſcilicet vitam excellentiori bono ſcilicet caritati & virtuti præferre. Recolantur quæ l. c. de Caritate ſunt fuſius expoſita. Et diſſ. 3. de L. H. c. 10. n. 12.

Conſectarium Quintum.

V. Illicitum eſt membrum ſibi abſcindere ob ſervandam vitam quam hoſtis auferre minatur, niſi alter ſe mutilet; at e contra licitum eſt manum ſibi abſcindere ad effugiendum incendium. Prioris partis ratio eſt, quia hoc eſſet alterius iniquitati cooperari; ſicut enim ille injuſte petit membri abſciſſionem, ita alter injuſte aget ei obſequendo, nec metu mortis excuſatur, cum alterius ſceleri nunquam liceat cooperari. Ratio vero alterius partis eſt, quia cum mors immineat a cauſa neceſſaria, non libera, alterius iniquitati non aſſentitur, ſed ſaluti totius corporis unius membri amputatione proſpicit; ſic in brachio catena vinctus & jam jam ingruentibus flammis comburendus, poterit brachium ſibi amputare ut mortem fugiat, vel ex alto ſe dejicere etiam cum periculo fractionis pedum & crurum. Nam ut docet S. Thom. hic q. 65. a. 1. *Præciſio membri poteſt ordinari ad propriam ſalutem unius hominis: & ideo in aliquo caſu poteſt ad ipſum pertinere.* Et in reſp. ad 1. ſubdit: *Mutilare aliquem membro, etſi ſit contra naturam particularem corporis ejus qui mutilatur, eſt tamen ſecundum naturalem rationem in comparatione ad bonum commune.*

Conſectarium Sextum.

VI. Non licet virgini, vel honeſtæ mulieri mortem ſibi conſciſcere pro ſola corporali integritate ſervanda, vel periculo mortis ſe exponere ne ab homine in ſecretioribus partibus adſpiciatur. Fatemur quidem debere virginem mortem potius a violento invaſore pudicitiæ intentatam fortiter ferre, quam vel mere paſſive aſſentiri, & ſinere ab ipſo violari, quia alioquin non obſiſtendo, non reluctando ſceleris particeps fieret, & ejus paſſiva quies & immobilitas eſſet non ab externo agente, ſed a voluntate timore quidem mortis conſentiente, ſed tamen conſentiente, proinde abſolute voluntaria, eapropter & criminoſa, ut diximus cap. 6. conſect. 5. At ad ſtuprum vitandum ſibi mortem conſciſcere vel ex turri in præceps dando, vel in flumen ſe conjiciendo, eſſet gravius peccatum in ſe admittere ad evitandum alterius crimen, ut optime docet S. Th. hic q. 64. art. 5. ad 3. ſcribens: *Non licet mulieri ſeipſam occidere, ne ab alio corrumpatur: quia non debet in ſe committere crimen maximum, quod eſt ſuipſius occiſio, ut vitet minus crimen alienum: non enim eſt crimen mulieris per violentiam violatæ, ſi conſenſus non adſit, quia non inquinatur corpus niſi de conſenſu mentis, ut Lucia dixit. Conſtat autem, minus eſſe peccatum fornicationem, vel adulterium, quam homicidium, & præcipue ſuiipſius, quod eſt graviſſimum, quia ſibiipſi nocet, cui maximam dilectionem debet: eſt etiam periculoſiſſimum, quia non reſtat tempus ut per pœnitentiam expietur. Similiter etiam nulli licet ſeipſum occidere ob timorem ne conſentiat in peccatum: quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona, vel ut vitentur mala, præſertim minora, & minus certa: incertum enim eſt an aliquis in futurum conſentiat in peccatum: potens eſt enim Deus hominem quacumque tentatione ſuperveniente liberare a peccato.* Quamobrem nec licet virgini vel honeſtæ mulieri periculo mortis ſe exponere modeſtiæ ſervandæ cauſa, quandoquidem bonum virtutis non in exterioribus membris conſiſtit, ſed in animo; hinc nec caſtitas, nec modeſtia amittitur niſi a volente, nec exterioribus actibus quos inviti patimur, vel admittimus, fœdatur vel minuitur, at quidem violatur ordo caritatis, dum hoc malum refugientes maximum incurrimus, & ob brevem ruborem juſta ratione excutiendum vitæ periculum ſubimus. Quod ſi mulier timet peccati periculum, commendanda; ſed cum Auguſtino regerendum lib. 1. de Civit. Dei c. 25. „ Abſit a „ mente criſtiana quæ Deo ſuo fidit, in eoque „ ſpe poſita ejus adjutorio nititur, abſit, in„ quam, ut mens talis cujuslibet carnis volupta„ tibus ad conſenſum turpitudinis cedat. Quod ſi „ illa inobedientialis concupiſcentia, quæ adhuc „ in membris moribundis habitat præter noſtræ „ voluntatis legem, quaſi lege ſua movetur, quan„ to magis abſque culpa eſt in corpore non con„ ſentientis, ſi abſque culpa eſt in corpore dor„ mientis.

Conſectarium Septimum.

VII. Non tenetur infirmus ſaluti ſuæ providere extraordinariis remediis, puta abſciſſione membri, exquiſitis & pretioſioribus medicinis, longa a patria peregrinatione & abſentia ob aeris mutationem, vel gravioribus expenſis. Ita quidem communiter Theologi, ſaltem ea ratione ducti, quia hæc remedia plurimum incommodi & damni afferunt, graviora & incerta ſunt, ac plerumque inutilia, vel quia putatur aliis mediis ſuppleri poſſe. At ſi ſpes ſit moraliter certa recuperandæ ſanitatis remedio duro, aſpero, laborioſo, tenebitur ne æger illi ſe ſubjicere, an adhuc liber erit ad mortem potius ſubeundam? Teneri putat Franzoja, quia ut docet Ari-

Ariſtoteles, *mortem ſubire ad paupertatem, ærumnaſque fugiendas non eſt viri fortis, ſed ignavi & mollis;* non licet autem Chriſtiano eſſe mollis animi, & ignavi, & etiam ſubdit: *Ad hoc urget lex caritatis, quæ jubet, vitam præferendam abſciſſioni unius membri, etiam cum vehementi dolore conjunctæ; porro legem caritatis violare peccatum eſt.* Verum hæc rationum momenta non improbabilem reddunt communiorem Theologorum doctrinam, ſtatuentium non teneri ægrum vitæ ſuæ proſpicere remediis extraordinariis. Nam 1. Ariſtoteles de iis loquitur, qui mortem ſibi conſciſcunt ad ærumnas, labores, & mala vitanda, non vero de illis qui vitare mortem recuſant mediis acerbis, & ærumnoſis; hinc aliqui verba Ariſtotelis potius ad mentem, quam ad litteram vertunt: *mortem ſibi conſciſcere ad fugiendam paupertatem, aut moleſtum aliquid non fortis eſt hominis, ſed potius timidi*, & ita hoc Stagiritæ teſtimonium recitat Molina de juſt. & jur. Tom. 4. diſp. 7. n. 3. Præterea quis vitam ſuam negligere poterit non ex ignavo animo & molli, ſed ex deſiderio fugiendi ſpiritualia mundi pericula, vitandi peccata, Deo ſe conjungendi, quamobrem aſperiora, difficiliora, & extraordinaria conſervandæ vitæ media recuſat, & hic profecto non mollis & timidi, ſed pii, & Deum amantis & timentis animi erit. Denique lex caritatis & naturæ non eodem modo urget, cum agitur de morte non ſibi conſciſcenda, ac de vita ſervanda. Nam ſicut nunquam licet mortem ſibi inferre ad quæcumque mala vitanda, ita non ſemper urget ut quibuſcumque mediis vitam ſervemus, eamque amittendi nullum unquam ſubeamus diſcrimen, alioquin non liceret pugnare, navigare, pœnitentia corpus affligere, & ſimilia, quæ profecto vitam non conſervant, ſed terunt, & mortem accerſunt. Non ergo legem naturæ & caritatis violabit qui recto fine juſtaque de cauſa remediis extraordinariis, acerbioribus, & violentis vitam conſervare recuſaret. Sed nimium fortaſſis diximus de re in praxi admodum rara, cum frequentius homines peccent ex nimia vitæ conſervandæ ſolicitudine, quam prodigendæ voluntario ſtudio. Aſſentior tamen Franzojæ optime docenti, non licere puellæ recuſare medicam Chirurgi manum, ac proinde mortem ſubire, quia ejus ſive verecundiæ, ſive imbecillitati id graviſſimum & etiam ipſa morte acerbius videtur, cum hoc non in ſe moleſtum, aſperum, arduumque ſit, ſed ex ſola patientis imprudenti & inani apprehenſione oritur, quam legi caritatis & naturæ ſubjicere debet; præſertim cum medica manus non extraordinarium remedium ſit, ſed commune, & in ſe facile ac obvium; proinde neceſſitate urgente lege naturæ & caritatis adhibendum. Vide quæ diximus Tra. de Offic. hom. c. 6. n. 19.

Conſectarium Octavum.

VIII. A ſuicidii crimine non excuſantur, qui graviſſima triſtitia, deſperatione, iracundia, vel alia vehementi paſſione compulſi ſeipſos interficiunt, quippe quia hujuſmodi vehementes paſſiones homo frænare & compeſcere tenetur, & non ſemper uſu rationis eos privant, alioquin nunquam ſuicidium eſſet peccatum, cum nemo ſedato tranquilloque animo ſibi mortem conſciſcat, ſed ſemper ex graviſſima perturbatione mentis, & animi oriatur. Sola itaque dementia, & veſania ſuicidam excuſare poteſt. Hinc Eccleſia in Rituali Romano jubet, eos Eccleſiaſtica ſepultura privari, qui *ſeipſos occidunt ob deſperationem, vel iracundiam (non autem ſi ex inſania id accidat) niſi ante mortem dederint ſigna pœnitentiæ.* Cenſet igitur deſperationem & iracundiam a peccato ſuicidii non excuſare, alioquin innocentes & miſerandos potius, injuſte puniret profano ſepulchro.

Conſectarium Nonum.

IX. Licet olim ſolis decedentibus in duello deneganda eſſet Eccleſiaſtica ſepultura, modo tamen tali pœna plectuntur & illi, qui extra duellum ex vulnere tamen illis inflicto in monomachia moriuntur. Statuerat Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 9. Duellantes *qui in ipſo conflictu deceſſerint* perpetuo carere debere eccleſiaſtica ſepultura, ubi notandum dici *in ipſo conflictu*, non ex conflictu. Et Rituale Romanum pariter præcipit denegandam ſepulturam in loco ſacro morientibus *in duello* (non vulnere ex duello) etiam ſi ante obitum dederint pœnitentiæ ſigna. At Benedictus XIV. ſua Conſtitutione *Deteſtabilem* anni 1752. extendit etiam ad illos, qui extra locum duelli moriuntur licet ſigna dederint pœnitentiæ, quando mortis cauſa ſit vulnus in ipſo conflictu impactum, ſic enim ſtatuit: „ Decernimus, & declaramus, ſepulturæ ſacræ privationem a Sacroſancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli, & conflictus incurrendam perpetuo fore, etiam ante ſententiam judicis a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto... etiamſi vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ ſigna dederit, atque a peccatis & cenſuris abſolutionem obtinuerit, ſublata Epiſcopis & Ordinariis locorum ſuper hac pœna interpretandi ac diſpenſandi facultate ".

REFLEXIO.

Chriſtus Dominus & Præceptor noſter, qui legem caritatis fraternæque dilectionis in mundo firmare venerat, dilatare, & urgere ſumma ſapientia, quæ illi maxime adverſabantur vitia, iram nimirum, & vindictæ cupiditatem e cordibus noſtris evellere, ac penitus eradicare ſtudioſe ſategit. Et primo quidem in Veteri Teſtamento populo incircumciſi cordis, & duræ cervicis limites præſtituit, ultra quos ira & ultio non progrederetur, ac ferventi mari humanæ indignationis indixit, *uſque huc venies, & non procedes amplius, & hic infringes tumentes fluctus tuos;* ſtatuens legem talionis, *oculum pro oculo*, den-

dentem pro dente, *manum pro manu*, *pedem pro pede* , *aduſtionem pro aduſtione* , *vulnus pro vulnere* , *livorem pro livore*, Exod. 21. v. 24. Hinc optime animadvertit S. Auguſt. „ Illud antiquum „ ad reprimendas flammas odiorum , ſævitiumque immoderatos animos refrænandos ita præceptum eſt . Quis enim tantumdem facile contentus eſt reponere vindictæ , quantum accipit injuriæ? Nonne videmus homines leviter læſos moliri cædem , ſitire ſanguinem , vixque invenire in malis inimici unde ſatientur ? Quis pugno percuſſus non aut judicia concitat in damnationem ejus, qui percuſſerit , aut ſi ipſe repercutere velit , totum hominem , ſi non etiam telo aliquo arrepto pugnis calcibuſque contundit ? Huic igitur immoderatæ , hæc per hoc injuſtæ ultioni Lex juſtum modum figens pœnam talionis inſtituit , hoc eſt , ut qualem quiſque intulit injuriam, tale ſupplicium pendat . Proinde *oculum pro oculo* , *dentem pro dente* non fomes ſed limes furoris eſt, non ut id quod ſopitum erat hinc accenderetur, ſed ne id quod ardebat ultra extenderetur compoſitus . Eſt enim quædam juſta vindicta, juſteque debetur ei qui fuerit paſſus injuriam, unde utique cum ignoſcimus de noſtro quoadammodo jure largimur . Unde etiam debita dicuntur quæ in Oratione Dominica humanitus dimittere monemur, ut nobis & noſtra divinitus dimittantur “: Lib. 19. contr. Fauſtum c. 25.

Verum legem hanc licet in ſe juſtam, minus tamen fuiſſe perfectam quis non perſpiciat? quippe quæ ſolum vindictæ furorem in humano corde frenabat , pacem vero ac lenitatem minime inducebat . Quamobrem optime ſubdit Auguſtinus : „ Reddere mala pro malis habent & mali & mediocriter mali , vel mediocriter boni uſque adeo , ut lex eis dederit ulciſcendi modum *oculum pro oculo*, *dentem pro dente*, quæ, ſi dici poteſt, injuſtorum juſtitia eſt . Non quia iniquum eſt , ut recipiat unuſquiſque quod fecerit , alioquin lex nunquam id conſtitueret , ſed quia ulciſcendi libido vitioſa eſt “ : Enarrat. in Pſal. 108. v. 4. Oportebat igitur Chriſtum ſua Evangelica lege quid præſtantius , quid nobilius, ſublimiuſque præcipere , & ea indicere præcepta , quæ perfectam inducerent in corda pacem & lenitatem omni repreſſa indignatione , depulſo odio , ſublato vindictæ deſiderio . „ Lex Chriſti (ſcribit S. „ Proſper ſent. 38. ex D. Aug. in Pſal. 129. v. „ 4.) perfectio caritatis eſt , qua Deus proximuſque diligitur , & per quam dicitur conditori Legis : *Dimitte nobis debita noſtra* , *ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris* “ . Quamobrem in Evangelio indixit : *Ego dico vobis non reſiſtere malo* , *ſed diligite inimicos veſtros* , *benefacite his qui oderunt vos* , *orate pro perſequentibus & calumniantibus vos* .

Hæc itaque caritas, „ quæ , ut inquit S. Auguſtinus, eſt margarita pretioſa , ſine qua nihil prodeſt quodcumque habueris , & quam ſi ſola habeas ſufficit tibi “ ; eſt toto ſtudio vel comparanda vel cuſtodienda , etiam cætera omnia prodigendo bona, quæ poſſidemus , vitam, bona fortunæ , honorem , famam , dignitates , divitias . Verum proh dolor , quantum ab evangelico & chriſtiano ſpiritu longe aberrant Theologi illi , dum , pro conſervandis bonis hiſce corruptibilibus , divitiis , honoribus, dignitatibus, nedum proximi dilectionem ex corde depellunt , ſed & manus armant in proximos , quos percutere , ferire , mutilare, occidere pro pecunia non amittenda, pro dignitate vel obtinenda , vel ſervanda , pro fallaci & vana exiſtimatione non minuenda concedunt . Non ita profecto ſentiebat Apoſtolus dum ad Romanos ſcribebat : „ Si fieri poteſt quod ex vobis eſt cum omnibus hominibus pacem habentes , non voſmetipſos defendentes chariſſimi , ſed date locum iræ, ſcriptum eſt enim: mihi vindicta , ego retribuam , dicit Dominus . Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum , ſi ſitit , potum da illi , hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput ejus : noli vinci a malo , ſed vince in bono malum “ . Non ita Auctor operis imperfecti in Matth. inter Chryſoſtomi Opera T. 6. hom. 12. dum forenſia quoque judicia & lites pro rebus ſervandis tuendiſque fugiendas a chriſtianis, ne caritatem vel perderent , vel minuerent, neceſſarium diſertiſſime prædicabat . En ejus verba : „ Indigna res eſt, ut homo fidelis ſtet in judicio ante conſpectum judicis infidelis , nam etſi infidelis non eſt , certe ſecularis eſt . . . . Nonne melius eſt , ut perdas res mundiales , quam gloriam ſempiternam ? Si enim rem perdideris propter Chriſtum , Chriſtus rem reſtituere poteſt ; ſi autem propter rem perdideris Chriſtum , res tibi non poteſt reſtituere Chriſtum ... Omne judicium irritatio cordis eſt , & cogitationum malarum . Si ſemel in judicium ingreſſus fueris , jam non deſideras ut veritas cauſæ appareat, ſed ut quocumque modo victor exiſtas . Si autem videris, quod cauſa tua , ſicut frequenter fieri ſolet , in judiciis aut verbis , aut fraudibus, aut pecuniis impugnetur, neceſſe eſt, ut & tu aut verbis aut fraudibus, aut pecuniis cauſæ tuæ adeſſe feſtines . Et ſi ab initio conſilium non habuiſti ut ſic ageres , poſtea ſic agere ipſius controverſiæ neceſſitas te compellit . Nam primum pro lucro tantummodo feſtinabas, poſtea jam pro pudore contendis ; & magis contentus es etiam peccare ut vincas , quam vinci tantum ut ne pecces . . . Qui lucrum animæ magnum eſſe exiſtimat , damnum rei modicum putat , & qui damnum rei magnum exiſtimat , lucrum animæ minimum putat . Qui ergo difficilius putat rem dimittere, quam in judicium introire , hoc cogitet, quia difficilius eſt de judicio ſine peccato exire . Facilius eſt enim ante judicium rem dimittere , quam judicio evitare peccatum... Ergo ſicut Joſeph dimiſit pallium in manu meretricis, & fugit cum meliore pallio caſtitatis, ſic & tu projice pallium in manus calumniatoris & fuge , cum meliore veſtimento juſtitiæ , ne forte dum vis vindicare veſtem corporis , pretioſiſſimum animæ veſtimentum perdas. Deinde ſi viderint Infideles te

„ chri-

„ chriſtianum pro injuriis injurias rependere gra-
„ viores, pro terrenis facultatibus, & uſque ad
„ perniciem animæ ſecularia pulſare judicia con-
„ tra direptorem injuſtum, quomodo credent,
„ ſpem Regni cœleſtis eſſe veram, quam prædi-
„ cant chriſtiani? Facile enim ſpernunt terrena
„ qui cœleſtia ſperant. Qui autem terrena
„ magnopere complectuntur, neſcio ſi firmiter
„ cœleſtia credunt promiſſa. Non ſolum ergo pro-
„ pter læſionem animarum noſtrarum percutientem
„ ſuſtinere debemus, auferenti quæ noſtra ſunt
„ non repugnare, ſed etiam propter demonſtratio-
„ nem indubitabilium Chriſti promiſſionum, ut
„ ille qui viderit te injurias proprias negligen-
„ tem, terrenas etiam res quaſi nihil ſpernentem
„ intelligat, quia vere eſt certiſſima ſpes chriſtia-
„ norum in cœlis, pretioſior omnibus rebus terre-
„ nis“. Si hæc præ oculis & corde infixa habe-
rent animarum Moderatores, facile dignoſce-
rent, quam falſa, quam legi Evangelicæ adver-
ſa, quam chriſtiano homine indigna, quæ in Ca-
ſuiſtarum libris ad ultionem injuriarum, ad re-
rum defenſionem, ad honoris & famæ tutelam con-
ceſſa leguntur.

TRACTATUS V.

DE PRÆCEPTIS DECALOGI

PARS SEXTA.

DE SEXTO ET NONO DECALOGI PRÆCEPTO

Non mœchaberis. Non concupiſces uxorem Proximi tui.

TAMETSI in hocce duplici præcepto non niſi adulterium & alienæ uxoris concupiſcentia vetita videantur, Omnis tamen, *inquit S. Auguſtinus lib.* 11. *Quæſt. in Exod. q.* 71. illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus uſus prohibitus debet intelligi, *ſicut & inordinatus quilibet voluntatis venereæ appetitus; immo, ut ſubdit Tridentini Concilii Catechiſmus, poſitivum etiam in eo continetur præceptum de corporis, animique caſtitate cuſtodienda & ſervanda. Duo igitur in hoc Tractatu explicanda ſumimus, nimirum quomodo ſit caſtitas cuſtodienda, & ab omni luxuria abſtinendum. Verum cum de capitali luxuriæ peccato abunde dixerimus Tract.* 3. *de Officiis hominum diſſ.* 4. *c.* 5. *& ſeqq. hic, ſicut ibi polliciti ſumus, de ſolis luxuriæ ſpeciebus diſputationem inſtituemus, eaque dumtaxat explicabimus, quæ ad fœdiſſimum vitium dignoſcendum erunt neceſſaria, ne dum mentem erudire ſtudemus, nimium in argumento lutulento, & diutius, quam par ſit, immoremur. Omnia proinde unica diſputatione complectemur.*

DISPUTATIO UNICA

DE CASTITATE CUSTODIENDA, ET LUXURIA VITANDA.

CAPUT PRIMUM.

De Caſtitatis Præcepto.

DOCTRINA.

I. *Caſtitas virtus generalis.*
II. *Eſt & ſpecialis virtus.*
III. *Quæ perfecta eſt & imperfecta.*
IV. *Pudicitia ad caſtitatem pertinet.*
V. *Virginitatis definitio.*
VI. *Quid ad Virginitatem perfectam requiratur.*
VII. *Alia materialis eſt, alia formalis.*
VIII. *Non poſtulat ad ſuam eſſentiam quod voto firmetur.*

I. CASTITATIS vocabulum a caſtigando deducit S. Th. 2. 2. q. 151. a. 1. *Ex eo* (ut ibi ipſe ſcribit) *quod per rationem concupiſcentia caſtigatur, quæ ad modum pueri eſt frænanda, ut patet per Philoſophum 3. Ethic. ſub finem.* Dupliciter ſumi poſſe docet, nimirum 1. improprie ac metaphorice, 2. vere, & proprie. Caſtitas primo modo accepta animi denotat puritatem ab omni peccati labe immunem; eſt enim, ut ſcribit S. Auguſtinus de mendacio, *amor ordinatus non ſubdens majora minoribus*; unde & caſtitas ſpiritualis a D. Th. appellatur, quippe quia per eam cor hominis in Deo ſolo delectatur, illi unice adhæret, legem accurate cuſtodit, in ejus contemplatione mentem defigit. Opponitur autem huic caſtitati ſpiritualis fornicatio, quæ in delectatione & adhæſione conſiſtit rerum creatarum, quas ſuo Creatori poſtponit, ejus præcepta violando. Hinc ex Scripturæ phraſi, omne peccatum dicitur fornicatio Jer. 3. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te.* Hoc autem modo accepta caſtitas non jam virtus eſt ſpecialis, ſed generalis; omni enim virtuti convenit, hominum animos ab illicitis retrahere delectationibus, a peccatis revocare, & cum Deo aliquam inducere conjunctionem. Sed audiatur D. Thom. qui rem totam illuſtrat, & apta comparatione confirmat ib. a. 2. ſcribens: *Nomen caſtitatis accipitur metaphorice. Sicut enim in corporis commixtione conſiſtit delectatio venereorum, circa quam proprie eſt caſtitas, & oppoſitum vitium, ſcilicet luxuria; ita etiam in quadam ſpirituali conjunctione mentis ad res aliquas conſiſtit quædam delectatio, circa quam eſt quædam ſpiritualis caſtitas metaphorice dicta, vel etiam ſpiritualis fornicatio ſimiliter metaphorice dicta.*

dicta. Si enim mens hominis delectetur in ſpirituali conjunctione ad id cui debet conjungi, ſcilicet ad Deum, & abſtineat ſe ne delectabiliter aliis conjungatur contra debitum divini ordinis dicetur caſtitas ſpiritualis, ſecundum illud 2. ad Corinth. 11. 2. Deſpondi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. *Si autem delectabiliter contra debitum divini ordinis conjungatur mens quibuſcumque aliis rebus, dicetur fornicatio ſpiritualis, ſecundum illud Jerem.* 3. 1. Tu autem fornicata es cum amatoribus multis. *Et hoc modo accipiendo caſtitatem, caſtitas eſt generalis virtus: quia per quamlibet virtutem retrahitur mens humana ne rebus illicitis delectabiliter conjungatur. Principaliter tamen ratio hujus caſtitatis conſiſtit in caritate, & in aliis virtutibus theologicis, quibus mens hominis conjungitur Deo.*

II. Caſtitas vero proprie accepta ex D. Th. definitur a. 1. „ Virtus, per quam concupiſcentiam „ compeſcimus, & caſtigamus quodam rationis „ moderamine, quod efficit ne homo vel magis „ quam recta ratio dictat venereis utatur, vel in „ tempore, loco, & circumſtantiis indebitis ac „ inopportunis juxta ſui ſtatus conditionem “. Et hoc pacto ſpecialem eſſe virtutem nemo non ambigit, quippe quæ peculiare & proprium habet objectum, frænationem ſcilicet concupiſcentiæ, & cohibitionem voluptatis & uſus in venereis, quod longe difficilius eſt, quam moderamen aliorum affectuum. Sicut itaque abſtinentia quæ ciborum, & ſobrietas quæ poculentorum moderantur uſum, virtutes ſunt, ita & caſtitas virtus ſit oportet, & quidem ab ipſis plane diſtincta, licet omnes ſub temperantia collocentur. Ita docet S. Thom. ſcribens a. 2. „ Caſtitas pro„ prie eſt ſpecialis virtus habens ſpecialem mate„ riam, ſcilicet concupiſcentias delectabilium, „ quæ ſunt in venereis, quas refrænat. *Et a. 3.* „ *ſubdit*: Dicendum, quod, ſicut dictum eſt... „ temperantia eſt proprie circa concupiſcentias „ delectationum tactus: & ideo oportet ut ubi „ ſunt diverſæ rationes delectationis, ibi ſint di„ verſæ virtutes ſub temperantia comprehenſæ. „ Delectationes autem proportionantur operatio„ nibus, quarum ſunt perfectiones, ut dicitur in „ 9. Ethic. Manifeſtum eſt autem quod alterius „ generis ſunt operationes pertinentes ad uſum „ ciborum, quibus natura individui conſervatur, „ & operationes pertinentes ad uſum venereorum, „ quibus conſervatur natura ſpeciei. Et ideo ca„ ſtitas, quæ eſt circa delectationes venereorum, „ eſt virtus diſtincta ab abſtinentia, quæ eſt circa „ delectationes ciborum “.

III. Caſtitas vero omnimoda eſſe poteſt & perfecta, vel partialis & imperfecta. Prior in abſtinentia conſiſtit ab omnibus carnis voluptatibus ſive licitis, ſive illicitis, proinde & caſtas nuptias refugit; altera vero ſolum illicitas excludit voluptates. Prior proprio nomine Virginitas dicitur, altera vero proprium retinet caſtitatis nomen, & duplicem ſtatum admittit, conjugalem ſcilicet, & vidualem. Conjugalis caſtitas abſtinentiam inducit ab omni illicita cum aliena muliere commixtione, & inſuper uſum moderatum matrimonii, ne quid inordinatum & contra rationem ſubrepat. Vidualis vero caſtitas reperitur non ſolum in illis, qui ſoluto matrimonio cœlibes vivunt, & procul ab illecebris & voluptatibus carnis, ſed & in illis, qui extra matrimonium virginitatem amiſere, ſed pœnitentia ducti poſtea ab omnibus ſive licitis ſive illicitis abſtinent carnis voluptatibus. Vidualem autem & conjugalem continentiam modum dixi caſtitatis, non virtutem a communi caſtitate diſtinctam; nam ut inquit S. Thom. q. 152. a. 3. ad 5. „ Caſtitas „ conjugalis ex hoc ſolo habet laudem quod ab„ ſtinet ab illicitis voluptatibus: unde non habet „ aliquam excellentiam ſupra communem caſtita„ tem. Viduitas autem addit quidem aliquid ſu„ pra caſtitatem communem; non tamen pervenit „ ad id quod eſt perfectum in materia iſta, ſci„ licet ad omnimodam immunitatem venereæ vo„ luptatis; ſed ſola virginitas “.

IV. Pudicitiam quoque ſpecialem non eſſe virtutem, ſed circumſtantiam ad caſtitatem pertinentem, & docet & oſtendit D. Ang. a. 4. q. 151. ſcribens: „ Nomen pudicitiæ a pudore ſu„ mitur, in quo verecundia ſignificatur. Et i„ deo oportet quod pudicitia proprie ſit circa il„ la, de quibus homines magis verecundantur. „ Maxime autem verecundantur homines de acti„ bus venereis, ut Auguſtinus dicit in XIV. de „ Civ. Dei c. 18. intantum quod etiam concubi„ tus conjugalis, qui honeſtate nuptiarum deco„ ratur, verecundia non careat: & hoc ideo, quia „ motus genitalium membrorum non ſubjicitur „ imperio rationis, ſicut motus aliorum exterio„ rum membrorum. Verecundatur autem homo „ non ſolum de illa commixtione venerea, ſed et„ iam de quibuſcumque ſignis ejus, ut Philoſo„ phus dicit in 2. l. Rhet. c. 6. Et ideo pudici„ tia attenditur proprie circa venerea, & præci„ pue circa ſigna venereorum, ſicut ſunt aſpectus „ impudici, oſcula, & tactus. Et quia hæc ma„ gis ſolent deprehendi, ideo pudicitia magis re„ ſpicit hujuſmodi exteriora ſigna; caſtitas autem „ magis ipſam veneream commixtionem. Et ideo „ pudicitia ad caſtitatem ordinatur, non quaſi vir„ tus ab ipſa diſtincta, ſed ſicut exprimens caſti„ tatis circumſtantiam quandam. Interdum tamen „ unum pro alio ponitur “.

V. Virginitatem vero, ſeu perfectam caſtitatem ſic definit S. Ambroſ. lib. de Virgin. in principio: *Caſtitas virginalis eſt expers contagionis integritas.* Hanc autem veram eſſe virtutem, & quidem ſpecialem, ab ipſa caſtitate diſtinctam oſtendit & probat A. Præc. q. 152. a. 3. ſcribens: „ Ubi eſt ſpecialis materia boni, habens ſpecia„ lem excellentiam, ibi invenitur ſpecialis ratio „ virtutis; ſicut patet in magnificentia, quæ eſt „ circa magnos ſumptus, & ex hoc eſt ſpecialis „ virtus a liberalitate diſtincta, quæ communiter „ ſe habet circa omnem pecuniarum uſum. Hoc „ autem quod eſt conſervare ſe immunem ab ex„ perimento venereæ voluptatis, habet quamdam „ excellentiam laudis ſupra hoc, quod eſt conſer„ vare ſe immunem ab inordinatione venereæ vo„ luptatis. Et ideo virginitas eſt quædam ſpecia„ lis virtus habens ſe ad caſtitatem, ſicut magni„ ficentia ad liberalitatem “.

VI. Quid vero ad eſſentiam perfectæ virginitatis requiratur, declarat S. Thom. a. 1. his verbis: „ Nomen virginitatis a virore ſumptum videtur: & ſicut illud dicitur virens, & in ſuo „ virore perſiſtere, quod non eſt ex ſuperabundantia caloris aduſtionem expertum; ita etiam virginitas hoc importat, quod perſona „ cui ineſt, immunis ſit a concupiſcentiæ aduſtione, quæ eſſe videtur in conſummatione maximæ „ delectationis corporalis, qualis eſt venereorum „ delectatio. Unde Ambroſius dicit in lib. 1. de „ virginibus, quod *caſtitas virginalis eſt expers „ contagionis integritas*. In delectatione autem „ venereorum tria eſt conſiderare: unum quidem „ quod eſt ex parte corporis, ſcilicet violatio ſignaculi virginalis; aliud autem eſt, in quo conjungitur id quod eſt animæ cum eo quod eſt corporis, ſcilicet ipſa reſolutio ſeminis delectationem ſenſibilem cauſans; tertium autem eſt ſolum „ ex parte animæ, ſcilicet propoſitum perveniendi „ ad talem delectationem. In quibus tribus id „ quod primo poſitum eſt, per accidens ſe habet „ ad moralem actum, qui non conſideratur per ſe, „ niſi ſecundum ea quæ ſunt animæ; ſecundum „ vero materialiter ſe habet ad actum moralem, „ nam ſenſibiles paſſiones ſunt materia moralium „ actuum; tertium vero ſe habet formaliter, & „ completive, quia ratio moralium in eo, quod „ eſt rationis, completur. Quia ergo virginitas „ dicitur per remotionem prædictæ corruptionis, „ conſequens eſt quod integritas membri corporalis per accidens ſe habet ad virginitatem; ipſa „ autem immunitas a delectatione, quæ conſiſtit „ in ſeminis reſolutione, ſe habet materialiter; „ ipſum autem propoſitum perpetuo abſtinendi a „ tali delectatione, ſe habet formaliter, & completive in virginitate “.

VII. Ex qua S. Thom. doctrina deducitur, virginitatem in materialem diſtingui poſſe, & formalem, ſive moralem. Prior in materiali conſiſtit carnis integritate omni contagione experte, quæ cum ab ipſa habeatur natura, & licite per matrimonium amitti poſſit, virtus animi non eſt, ſed corporis perfectio. Formalis vero & moralis, quæ veram rationem habet virtutis, præter corporalem incorruptionem poſtulat firmum in animo propoſitum ſervandi ab omnibus licitis illicitiſque carnis voluptatibus abſtinentiam, & quidem non temporalem, ſed perpetuam; temporanea enim abſtinentia cum animo nubendi, vel ſine propoſito in ea perſeverandi caſtitatis quidem ſtatum conſtituit, virginitatem vero omnino non perficit.

VIII. Num vero ad virginitatis perfectionem neceſſarium ſit, ut propoſitum voto confirmetur, vel ſatis ſit ſi firmum ſit & conſtans, digladiantur inter ſe Thomiſtæ. Votum requiri putant Concina Cajetanum ſequens, & Jo. a S. Th. hoc unico fulti D. Ang. teſtimonio ex 2. 2. q. 152. a. 3. ad 4. deſumpto, ubi hæc habet: *Virginitas, ſecundum quod eſt virtus, importat propoſitum voto firmatum integritatis perpetuo ſervandæ. Dicit enim Auguſtinus in lib. de Virginit. c.* 8. *quod* per virginitatem integritas carnis ipſi creatori animæ, & carnis vovetur, conſecratur, ſervatur. *Unde virginitas, ſecundum quod eſt virtus, numquam amittitur niſi per peccatum*. Verum alii cenſent ſolum firmum & conſtans propoſitum & quidem perpetuum ſufficere ad perfectam completamque virginitatem. His ego aſſentior, & quidem D. Ang. ſententiæ tenacius inhærens, quippe qui non ſolum innumeris in locis ad virginitatem ſolum exigit propoſitum, ſed etiam aperte in ſententiariis voti neceſſitatem excludit. Et quoad primum ſic q. 152. a. 3. ſcribit. „ In „ virginitate eſt ſicut formale, & completivum, „ propoſitum perpetuo abſtinendi a delectatione „ venerea: quod quidem propoſitum laudabile „ redditur ex fine, inquantum ſcilicet hoc fit „ ad vacandum rebus divinis. *Et art.* 1. *docuerat*: Propoſitum perpetuo abſtinendi a tali delectatione ſe habet formaliter & completive „ in virginitate. “ Porro ſi ex D. Thom. hocce propoſitum eſt formale & complementum virginitatis, & conſiſtere poteſt etiam ſine voto, ergo virginitas formaliter & completive ſine voto haberi poterit. Quoad ſecundum vero in 4. ſent. diſt. 33. q. 3. art. 2. ad 4. ſcribit. „ Completa ratio „ virginitatis, prout eſt virtus, non eſt niſi in „ illis qui habent electionem conſervandi integritatem hactenus cuſtoditam uſque in finem, ſive „ ſine voto, vel cum voto; & hæc electio perfecta eſſe non poteſt ſine habitu informante ipſam. *Et rurſus diſt.* 49. *q.* 5. *a.* 3. *quæſtiunc.* 2. „ *ſolut.* 1. *repetit & inculcat*: Alii dicunt, quod „ aureola debeatur ſtatui, & non actui; ut illæ „ tantum virgines aureolam mereantur, quæ in „ ſtatu virginitatis perpetuæ ſervandæ per votum „ ſe poſuerunt. Sed hoc etiam non videtur conveniens: quia aliquis ex pari voluntate poteſt „ ſervare virginitatem non vovens, ſicut alius vovens... Virginitas autem ſecundum hoc ad genus virtutis pertinet ſecundum quod perpetua „ incorruptio mentis, & corporis ſub electione „ cadit, ut patet ex his quæ dicta ſunt 33. diſt. „ & ideo illis tantum virginibus aureola proprie „ debetur, quæ propoſitum habuerunt virginitatem „ perpetuo conſervandi, ſive hoc propoſitum voto „ firmaverint, ſive non. “ Et revera, nonne virginitas eſt virtus toto genere a Religione diſtincta? Quomodo igitur eſſentiam ſuam & perfectionem debebit ab hac mutuari, ita ut non valeat ſine ipſa conſiſtere? Hoc profecto mihi videtur virtutum limites confundere, & miſcere. Poterit igitur perfecta virginitas ſine voto conſiſtere. Ad adductum vero S. Th. teſtimonium optime reſpondet Sylveſter Verb. *Virg.* ſcribens, cum D. Th. dicit, „ quod virginitas ſecundum quod eſt virtus importat propoſitum voto firmatum, intelligi quantum ad perfectiſſimam rationem virginitatis, „ quia facere aliquid ex voluntate firmata pertinet „ ad perfectionem virtutis, ut etiam ipſe dicit 2.2. „ *q.*88. *art.*6. & ſic ubi voluntas eſt firmior, eſt „ virtus perfectior. Et hoc modo loquitur Auguſtinus, quem ibi allegat, & eodem modo intellige quod ibi concluditur, quod ſecundum quod „ eſt virtus numquam amittitur niſi per peccatum, „ quod intellige quantum ad formale virginitatis, „ non quantum ad materiale “, ut patet in diſt. 33. Dum autem ſubdit Concina, *quod communis ſenſus id habere videtur, nam tam homines quam mulieres*,

quæ

quæ virginitatis amore flagrant, *eam voto Domino conſecrant*, hoc indicat quidem præſentem Eccleſiæ diſciplinam, conſuetudinem, & morem, at neceſſitatem voti non evincit.

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Virginalis ſtatus conjugali ſocietate perfectior*.
II. *Non eſt imprudentis hominis vovere caſtitatem*.
III. *Votum caſtitatis in ſeculo ſervandæ caute concedendum*.
IV. *Virginitas materialis amitti poteſt abſque virtutis diſpendio*.
V. *Quando virginitas amittatur irreparabiliter*.
VI. *Quomodo reparabiliter*.
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. VIrginalis ſtatus excellentior eſt conjugali ſocietate. Comparationem itaque inſtituimus non inter virginitatem & Sacramentum Matrimonii, hoc enim eſſe illa excellentius nemo ambigit, ſed inter ſtatum & ſtatum, & virginalem continentiam longe conjugalem excellere juxta fidem catholicam affirmamus, docente D. Th. hic q. 152. a. 4. „ Dicendum, quod ſicut patet in „ Lib. 1. Hieronymi contra Jovinianum, hic er- „ ror fuit Joviniani, qui poſuit, virginitatem „ non eſſe matrimonio præferendam. Qui quidem „ error præcipue deſtruitur & exemplo Chriſti, „ qui & matrem virginem elegit, & ipſe virgi- „ nitatem ſervavit; & ex doctrina Apoſtoli qui „ 1. ad Corinth. 7. Virginitatem conſuluit tam- „ quam melius bonum; & etiam ratione, tum „ quia bonum divinum eſt potius humano bono, „ tum quia bonum animæ præfertur bono corpo- „ ris, tum etiam quia bonum contemplativæ vi- „ tæ præfertur bono activæ. Virginitas autem „ ordinatur ad bonum animæ ſecundum vitam „ contemplativam, quod eſt cogitare ea quæ ſunt „ Dei; conjugium autem ordinatur ad bonum cor- „ poris, quod eſt corporalis multiplicatio generis „ humani; & pertinet ad vitam activam: quia „ vir, & mulier in matrimonio viventes neceſſe „ habent cogitare quæ ſunt mundi, ut patet per „ Apoſtolum 1. ad Corinth. 7. Unde indubitanter „ virginitas præferenda eſt continentiæ conjuga- „ li “. Argumentum vero ex præcepto Domini Geneſ. 1. decerptum, *Creſcite*, *& multiplicamini* ſic diluit S. Tho. a. 2. in reſp. ad 1. „ Præceptum „ habet rationem debiti ... Dupliciter autem a- „ liquid eſt debitum. Uno modo, ut impleatur „ ab uno: & hoc debitum ſine peccato præteriri „ non poteſt. Aliud autem eſt debitum implen- „ dum a multitudine: & ad tale debitum im- „ plendum non tenetur quilibet de multitudine: „ multa enim ſunt multitudini neceſſaria, ad quæ „ implenda unus non ſufficit; ſed implentur a „ multitudine, dum unus hoc, alius illud facit. „ Præceptum igitur legis naturæ homini datum „ de comeſtione, neceſſe eſt quod ab unoquoque „ impleatur: aliter enim individuum conſervari „ non poſſet. Sed præceptum datum de genera- „ tione reſpicit totam multitudinem hominum, „ cui neceſſarium eſt non ſolum quod multiplice- „ tur corporaliter, ſed etiam quod ſpiritualiter „ proficiat. Et ideo ſufficienter providetur hu- „ manæ multitudini, ſi quidam carnali generatio- „ ni operam dent; quidam vero ab hac abſtinen- „ tes, contemplationi divinorum vacent ad to- „ tius humani generis pulchritudinem, & ſalu- „ tem: ſicut etiam in exercitu quidam caſtra cu- „ ſtodiunt, quidam ſigna deferunt, quidam gla- „ diis decertant: quæ tamen omnia debita ſunt „ multitudini, ſed per unum impleri non poſ- „ ſunt “.

Conſectarium Secundum.

II. Falluntur & fallunt Heterodoxi, dum fatentes virginitatis ſtatum, conjugalem caſtitatem excellere, tamen imprudentis eſſe dicunt virginitatem vovere, quod non expedit, cum voventes magno ſe exponant periculo peccandi caſtitatem violando. Nam, ut optime docet S. Th. 2. 2. q. 88. a. 4. ubi hoc idem ſibi objicit argumentum: „ Quando periculum naſcitur ex ipſo facto, „ tunc factum illud non eſt expediens; puta quod „ aliquis per pontem ruinoſum tranſeat fluvium; „ ſed ſi periculum immineat ex hoc quod homo „ deficit ab illo facto, non deſinit propter hoc „ eſſe expediens; ſicut expediens eſt aſcendere e- „ quum, quamvis periculum immineat cadendi „ de equo: alioquin oporteret ab omnibus bonis „ ceſſare, quæ etiam per accidens ex aliquo even- „ tu poſſunt eſſe periculoſa. Unde dicitur Ec- „ cleſ. 11. 4. *Qui obſervat ventum*, *non ſemi-* „ *nat*: *& qui conſiderat nubes*, *numquam metet*. „ Periculum autem voventi non imminet ex ipſo „ voto, ſed ex culpa hominis, qui voluntatem „ mutat tranſgrediens votum. Unde Auguſtinus „ dicit in eadem epiſtola: *Non te voviſſe pœ-* „ *niteat*, *immo gaude jam tibi ſic non licere*, *quod* „ *cum tuo detrimento licuiſſet*.

Conſectarium Tertium.

III. Prudens animarum Moderator ſumma prudentia uti debet, & plura attendere, antequam adoleſcenti ſive feminæ ſive viro permittat votum perpetuæ virginitatis in ſeculo ſervandæ emittere. Ita monet S. Auguſtinus lib. de Virginit. cap. 1. dicens: *Hoc vero tempore quibus dictum eſt*, *ſi ſe non contineant nubant*, *non adhibenda eſt exhortatio* (ad votum virginitatis emittendum) *ſed conſolatio*. *Quibus autem dictum eſt*, *qui poteſt capere capiat*, *exhortandi ſunt ne terreantur*, *& terrendi ne extollantur*. *Non ſolum ergo prædicanda eſt virginitas ut ametur*, *verumtamen monenda ne infletur*. Attente itaque perſcrutari debet ætatem, ſexum, vitam præteritam, & quæ temporis progreſſu accidere poſſunt, & cauſas ac motiva ad votum impellentia. Ætas enim, quæ ad virginitatis ſtatum amplectendum in clauſtro idonea eſt, raro apta eſt ad votum caſtitatis in ſæculo emittendum; nam in clauſtro plurima ſunt, quæ ad

ad cuſtodiam caſtitatis ſunt ordinata, in ſæculo vero fere omnia deſunt, & e contra plurima urgent pericula violandi voti. Sexus quoque, præſertim infirmior, nimis inconſtans eſt & mutabilis, proinde minus idoneus ad virginitatem vovendam, niſi adeo ſint provectæ ætatis, ut matrimonium locum amplius habere non poſſit. Adoleſcentiores præſertim viduas non facile permittat caſtitatem vovere, quippe quæ ex prægustata voluptate facilius mutantur, & ad novas nuptias convolant, ut obſervat Apoſtolus: *Adoleſcentiores viduas devita, cum enim luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Attendere etiam debet anteactæ vitæ decurſum, in qua ſi comperiat caſtitatem violaſſe peccando, non ſinat votum caſtitatis emittere niſi prius diuturna experientia compererit concupiſcentiam domaſſe, & viriliter reſtitiſſe; nam iſtis plerumque contingit quod de ſe humiliter fatetur Auguſtinus lib. 8. Confeſſ. cap. 5. „ Voluntas nova, quæ mihi „ eſſe cœperat, ut te gratis colerem, fruique „ vellem, Deus, ſola certa jucunditas, nondum „ erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate „ roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una ve„ tus, alia nova, illa carnalis, iſta ſpiritualis, „ confligebant inter ſe, atque diſcordando diſſi„ pabant animam meam “. Quarto expendere debet & futuros eventus humanæ ſortis, viciſſitudines familiarum, quæ maxime influere poſſunt, ut propoſitum & conſilium mutare nedum expediens ſit, ſed & quandoque neceſſarium. Denique cauſas ad votum impellentes diligenter perpendat, num videlicet a juvenili fervore progrediatur, an a deſiderio aliquid a Deo obtinendi, an ex ardenti amore virginitatis, an ex ſtudio perfectionis majoris, & arctioris cum Deo conjunctionis. Quibus omnibus rite & recte perpenſis adhuc expediret primo temporarium votum permittere, ſubinde renovandum, & tandem ſolum cum res undique eſt in tuto, etiam perpetuitatem concedere.

Conſectarium Quartum.

IV. Virginitas carnis & materialis, quæ in integritate ſignaculi virginalis & inexperientia actus venerei conſiſtit, amitti poteſt etiam irreparabiliter, quin tamen virtus virginitatis vel amittatur, vel minuatur. Ita docent SS. Auguſtinus, & Thomas, ille quidem lib. 1. de Civ. Dei c. 18. ſcribens: „ Quis ſana mente putaverit „ vel ſe perdere pudicitiam, ſi forte in appre„ henſa, vel oppreſſa carne ſua exerceatur, & „ expleatur libido non ſua? Si enim hoc modo „ pudicitia perit, profecto pudicitia virtus ani„ mi non erit, nec pertinebit ad ea bona quibus „ recte vivitur, ſed in bonis corporis annumera„ bitur, qualia ſunt virtus, pulchritudo &c. “ Alter vero hic q. 152. a. 1. ad 4. ſcribit: „ Delectatio quæ „ eſt ex ſeminis reſolutione .... poteſt provenire „ præter propoſitum mentis, vel in dormiendo, „ vel per violentiam illatam, cui mens non con„ ſentit, quamvis caro delectationem experiatur, „ vel etiam ex infirmitate naturæ, ut patet in „ his qui fluxum ſeminis patiuntur: & ſic non „ perditur virginitas, quia talis pollutio non ac„ cidit per impudicitiam, quam virginitas ex„ cludit “. Et in præced. reſp. de clauſtro virginali dixerat, *quod ſi aliquo caſu membri integritas corrumpatur, non magis præjudicat virginitati, quam ſi corrumpatur manus, vel pes.*

Conſectarium Quintum.

V. Virtus virginitatis irreparabiliter amittitur in feminis ob voluntariam clauſtri violationem ex culpa inductam, in viro vero per carnalem voluntariam copulam, in utroque vero etiam per ſolam voluntariam ſeminis effuſionem. Nam in femina tria ſunt quæ virtutem virginitatis conſtituunt, nimirum integritas carnis, immunitas a venerea delectatione, & propoſitum ab ea perpetuo abſtinendi; porro præfato modo hæc tria tolluntur, nam virginale frangitur ſigillum, veneream experitur delectationem, & a propoſito ab ea abſtinendi reſilit: ergo virginitatis virtutem amittit, & abjicit. Quod vero ſeminis voluntaria & culpabilis effuſio in utroque ſexu virginitatis virtutem peſſumdet, aperte docet D. Tho. hic q. 152. a. 1. ad 4. ſcribens: *Delectatio, quæ eſt ex ſeminis reſolutione, dupliciter poteſt contingere. Uno modo ut procedat ex mentis propoſito: & ſic tollit virginitatem, ſive fiat per concubitum, ſive abſque concubitu.* Quod vero hoc modo deperdita virginitas ſit irreparabilis, idem Angelicus docet & probat ibi art. 3. ad 3. dicens: *Illud autem eſt quod nec miraculoſe reparari poteſt, ut ſcilicet qui expertus eſt voluptatem veneream, fiat non expertus. Non enim Deus poteſt facere ut ea quæ facta ſunt, non ſint facta, ut in primo habitum eſt.*

Conſectarium Sextum.

VI. Virtus virginitatis reparabiliter amittitur quocumque peccato lethali ſive interno ſive externo contra caſtitatem, quod opponitur propoſito perpetuo ab omni libidinoſo actu abſtinendi. Cum enim juxta S. Th. virginitas ſit omnis contagionis expers integritas, hæc profecto abrumpitur, & maculatur cujuſcumque contagionis luto, cujuſmodi eſt quodlibet lethale peccatum contra caſtitatem. Pari pacto ſi virginitas a virore dicitur, & docente laudato Doctore Angelico: *Illud virens dicitur, & in ſuo virore perſiſtere, quod non eſt ex ſuperabundantia caloris aduſtionem expertum*, perit hic viror & aduritur quolibet peccato contra caſtitatem, quippe quod ſuperabundantiam æſtuantis & vincentis concupiſcentiæ importat. Tertio quælibet virtus actu amittitur directe ſibi contrario, ſicut fides infidelitate, ſpes deſperatione, ergo pari modo virginitas tollitur quolibet actu ſibi directe contrario, cujuſmodi ſunt omnia peccata caſtitati adverſa. Quamobrem merito S. Hieronymus lib. 1. adverſ. Jovinianum ajebat: *Illa virginitas Chriſti hoſtia eſt, cujus nec mentem cogitatio, nec carnem libido maculavit.* Recuperabiliter autem hiſce actibus deperditur, quia cum in illis, ut ſupponimus, delecta-

ctatio carnalis non adſit, ſed ſolum quod in virginitate formale eſt violetur, propoſitum ſcilicet abſtinendi ab omni carnali delectatione, per pœnitentiam poterit ſarciri, docente S. Thom. l. l. q. 152. a. 3. ad 3. *Virtus per pœnitentiam reparari poteſt quantum ad id quod eſt formale in virtute, non tamen quantum ad id quod eſt materiale in ipſa. Non enim ſi quis magnificus conſumpſerit divitias ſuas, per pœnitentiam peccati reſtituuntur ei divitiæ. Et ſimiliter ille, qui virginitatem peccando amiſit, per pœnitentiam non recuperat virginitatis materiam, ſed recuperat virginitatis propoſitum.*

R E F L E X I O.

1. Pulcherrima profecto virtus virginitas, ſublimis, angelica. Ipſa ſiquidem lutum noſtrum in lucem ſolemque commutat, ipſa eſt cælum cæli Domino, cum in puro corde Deus ſpeciali inhabitet modo, ſuæque divinitatis gratiſſimum conſtituat domicilium. Anima virginitate ornata Thronus eſt eburneus myſtici Salomonis, lectulus floridus cæleſtis ſponſi, hortus concluſus liliis ornatus, inter quæ paſcitur & oblectatur. Virginitas roſæ ſimilis eſt, quæ ſpinis quidem in hac terra circumcingitur, ſed quæ ſuaveolentia cælum oblectatur & terram. Ipſa divinum, æternumque Patris Verbum in Matris pertraxit ſinum, & in noſtra quoque pertrahit pectora. Ipſa eſt, quæ humanam naturam corruptioni obnoxiam ſupra ſeipſam extollit, angelicæ participem efficit naturæ, & Deo immaculato incorruptibili, puriſſimoque ſpiritui quam maxime adpropiat, animas Chriſti efficit ſponſas, quæ in cælo ſpeciali fruuntur privilegio, quippe quæ ſequuntur Agnum quocumque ierit, & canticum canunt, quod nemo alius dicere poteſt, ſpeciali ornantur aureola, illiſque in hac quoque miſera vita Deum videre conceditur, & poſſidere quantum humana patitur conditio.

2. Sed heu quot ſunt falſi virgines, qui dum virginitatem profitentur, foriſque oſtentant, intus in corde & coram Deo nihil minus ſunt quam virgines, ſed omni ſcorto putidiores quam peſſime divinis naribus fœtant. Defleant uberrimis lacrymis tam pretioſæ margaritæ jacturam, pro qua vel comparanda, vel conſervanda omnia ſua prodegiſſe utillimum ipſis fuiſſet, & quam infeliciter incauteque amiſſam recuperare amplius nequeunt, cum omnino fieri non poſſit, ut quod factum infectum ſit, & ad primum revertatur candorem ſemel commaculata virginitas. Tantæ tamen perniciei & cladi mederi poſſunt, ſi ſevera pœnitentia, uberrimis lacrymis ſordes abſtergere ſatagant, & emendare. Verum id aſſequentur nunquam, niſi in poſterum interno & vehementi tacti dolore cordis, & pudore, de tanta jactura rugiant, gemant, collacrymentur, niſi caſtitatem novo, & quidem vehementiori amore proſequantur, quidquid illi vel leviter adverſatur ſummo ſtudio fugiant, deteſtentur, abominentur, & præcipue flagrantiſſimo amore Deum virginum ſponſum depereant, illi intimo cordis affectu adhærere, cum illo conjungi exoptent, ſtudeant, & adlaborent, ceteris omnibus amoribus creaturarum abrenuntient, ſenſuum illecebris, & licitis etiam voluptatibus & gaudiis abrenuntient. Quod ſi perficiant, ſi perſeveranter præſtent, amiſſæ quidem virginitatis coronam haud recipient, ſed alia tamen illis ſupererunt præmia, per quæ jacturam ſarcire valeant; cum de Magdalena Chryſoſtomus: *Dei miſericordiam & liberalitatem meretricem virginibus coæquaſſe*, pronuntiet.

3. Qui itaque virginitatem profeſſi, eam immaculatam intactamque ſervare cupiunt, SS. Auguſtini & Baſilii monita præ oculis ſemper habeant, imoque pectore defixa ſerio meditentur. Ille itaque ſerm. 250. de tempore cap. 1. ſcribit: „ Inter omnia Chriſtianorum certamina ſola duriora ſunt prælia caſtitatis, ubi quotidiana eſt pugna, & rara victoria. Gravem caſtitas ſortita eſt inimicum, qui quotidie vincitur & timetur. Et ideo nemo ſe falſa ſecuritate decipiat, & nemo de ſuis viribus pericoloſe præſumat, ſed audiat Apoſtolum dicentem, *fugite fornicationem*. Hic enim cum prædicaverit, omnibus vitiis reſiſtendum, dum contra libidinem loqueretur, non ait reſiſtite, ſed fugite fornicationem. Ac ſi contra reliqua vitia Deo auxiliante debemus in præſenti reſiſtere, libidinem vero fugiendo ſuperare. Sic & alibi in Scripturis divinis dicitur: *Noli in faciem virginis intendere, ne te ſcandalizet vultus ejus*; & B. Joſeph ut impudicam dominam poſſet evadere, *pallium quo apprehenſus fuerat reliquit, & fugit* ". Quomodo autem fugiendum ſit, docet S. Baſilius in Conſtit. Monaſt. cap. 3. al. 4. „ Fugiendæ, ſcribit, in primis ſint nobis congreſſiones cum mulieribus, collocutioneſque, neque ad eas unquam accedendum, niſi cum graviſſima nos aliqua ad eas neceſſitas impellat, & aliter facere non poſſimus. Atque ipſa etiam ubi nos neceſſitas adegerit, adeo ut quam ocyſſime nulla mora ab ipſis nos extricemus. Animadverte enim quid hac de re Sapiens dicat Proverb. 6. *Abſcondet quis ignem in ſinu ſuo, & veſtimenta ſua non comburet? Aut ambulabit quiſquam ſuper carbones ignis, & pedes non comburet?* Quod ſi quis dicat, ex aſſiduo ſe cum mulieribus colloquio, congreſſuque, & convictu non admodum lædi, hic ſine dubio aut maris naturæ particeps non eſt, & portentum eſt quoddam inſolentiſſimum, & præter omnium opinionem admirabile, & in utriuſque ſexus ut ſic dicam confiniis poſitum . . . aut certe ſi expers non eſt cum totus immerſus libidinibus obruatur, ebriis aut phrenitide correptis ſimilem ſe eſſe non ſentit, qui graviſſimis affecti morbis, morbum tamen omnem a ſe abeſſe exiſtimant. " Ad cuſtodiendam igitur (ſubdit D. Greg. lib. 21. Moral. cap. 2.) cordis munditiem exteriorum quoque ſenſuum diſciplina ſervanda eſt, nam quantalibet virtute mens polleat, quantalibet gravitate vigeat, carnales tamen ſenſus puerile quoddam exterius perſtrepunt, & niſi interioris gravitatis pondere & quaſi juvenili quodam vigore refrænentur, ad fluxa quæque & levia mentem enervare trahunt. Hinc de juſtis dictum per Iſaiam, *qui ſunt*

hi,

„ *hi*, *qui ut nubes volant*, *&* *quaſi columbæ ad* „ *feneſtras ſuas*. Juſti namque *ut nubes volare* di„ cti ſunt, quia a terrenis contagiis ſublevantur, „ & quaſi columbæ ad feneſtras ſunt, quia per „ ſenſus corporis exteriora quæque intentione non „ reſpiciunt rapacitatis, eoſque foris non rapit „ concupiſcentia carnalis “.

CAPUT TERTIUM.

De Luxuriæ ſpeciebus, *&* *ſpeciatim de Fornicatione*, *Concubinatu*, *&* *Meretricio*.

DOCTRINA.

I. *Luxuriæ ſpecies enumerantur*.
II. *Fornicatio eſt de ſe lethale peccatum*.
III. *Et quidem jure naturæ vetitum oſtendit D. Thomas*.
IV. *Solvitur objectio*.
V. *Fornicationis gravitas perpenditur*.
VI. *Quid ſit Concubinatus*.
VII. *Non eſt abſolvendus concubinarius nec ſemel*, *niſi concubinam abjiciat*.
VIII. *Pœnæ in concubinarios laicos a Tridentino latæ*.
IX. *Pœnæ in Clericos*.
X. *Meretrix quænam ſit habenda*.
XI. *Meretrices quando audiendæ* *&* *abſolvendæ*.
XII. *Quando ad Communionem admittendæ*.
XIII. *Num liceat ſummis Poteſtatibus meretrices tolerare?*
XIV. *Conditiones ſervandæ in tali permiſſione*.
XV. *Lenocinium graviſſimum peccatum*, *&* *quomodo puniendum*.

§. I.

De Fornicatione.

I. DE Luxuria capitali vitio agentes varias ejus ſpecies indigitavimus tantum, ampliorem enim tractationem hoc loco reſervavimus. Sex itaque inibi enumeravimus luxuriæ ſpecies ex S. Th. nimirum fornicationem, adulterium, inceſtum, ſtuprum, raptum, & vitium contra naturam, quibus adjunximus & ſacrilegium, quod S. Tho. quoddam ſpirituale adulterium appellat. Diſcriminis ſpecifici rationem ex formalis objecti diverſitate deſumpſimus. Recolantur quæ inibi ſunt dicta. Ad ſingulas itaque ſpecies enucleandas illico progrediamur.

II. Fornicationem definit S. Thom. 2. 2. q. 53. a. 1. *concubitus ſoluti cum ſoluta*, ſive nunquam nupta fuerit, ſive vidua, ſive concubina, ſive meretrix. Porro fornicationem peccatum, & quidem lethale habitum tum in veteri tum in novo Teſtamento luculentiſſima evincunt utriuſque fœderis teſtimonia. In Deuter. indicitur cap. 22. *Si non eſt in puella inventa virginitas*, *ejicient eam extra fores domus patris ſui*, *&* *lapidibus obruent eam viri civitatis illius*, *&* *morietur*, *quoniam fecit nefas in Iſrael*, *ut fornicaretur in domo patris ſui*: *&* *auferes malum de medio tui*. Et iterum cap. 32. *Non erit meretrix de filiabus Iſrael*, *nec ſcortator de filiis Iſrael*. Quæ verba expendens Auguſtinus quæſt. 37. in Deuter. egregie infert: „ Ecce ubi manifeſte prohibuit for„ nicari & viros & feminas etiam cum non alie„ nis conjugibus, quando & meretrices eſſe, & „ ad meretrices accedere prohibet, quarum publi„ ca venalis eſt turpitudo “. Tobiæ vero dicebat Tobis pater: *Attende tibi ab omni fornicatione*, *&* *præter uxorem tuam numquam patiaris crimen ſcire*. In novo vero Teſtamento Apoſtolus ad Rom. 1. & ad Galatas 5. de fornicariis ſcribit: *Qui talia agunt digni ſunt morte . . . regnum Dei non conſequentur*. Et ad Epheſ. 5. *Omnis fornicator... non habet hæreditatem in regno Chriſti* *&* *Dei*. Et Apoc. 21. dicitur: *Fornicatoribus pars erit in ſtagno ardenti igne* *&* *ſulphure*, *quod eſt mors ſecunda*.

III. Nec ſolum mala reputanda eſt fornicatio quia divino interdicta præcepto, ſed quia veram contra naturalem legem invehit turpitudinem, ac proinde non ideo mala quia vetita, ſed vetita, quia mala. Quod probat & oſtendit D. Thom. hic q. 154. art. 2. ſcribens: „ Peccatum mortale „ eſt omne peccatum quod committitur directe „ contra vitam hominis. Fornicatio autem ſim„ plex importat inordinationem, quæ vergit in „ nocumentum vitæ ejus, qui eſt ex tali concu„ bitu naſciturus... Manifeſtum eſt autem quod „ ad educationem hominis non ſolum requiritur „ cura matris, a qua nutritur, ſed multo magis „ cura patris, a quo eſt inſtruendus, & defenden„ dus, & in bonis tam interioribus, quam ex„ terioribus promovendus. Et ideo contra natu„ ram hominis eſt, quod utatur vago concubitu; „ ſed oportet quod ſit maris ad determinatam fe„ minam, cum qua permaneat non per modicum „ tempus, ſed diu, vel etiam per totam vitam. „ Et inde eſt quod naturaliter ineſt maribus in „ ſpecie humana ſolicitudo de certitudine prolis, „ quia eis imminet educatio prolis. Hæc autem „ certitudo tolleretur, ſi eſſet vagus concubitus. „ Hæc autem determinatio certæ feminæ matrimo„ nium vocatur: & ideo dicitur eſſe de jure na„ turali... Unde cum fornicatio ſit concubitus „ vagus, utpote præter matrimonium exiſtens, „ eſt contra bonum prolis educandæ, & ideo eſt „ peccatum mortale “.

IV. Nec vim argumentationis Angelicæ infringit, ſi quis dicat non ſemper fornicationem in detrimentum vergere prolis probiter gignendæ & educandæ, cum contingere poſſit prolem etiam fornicarie conceptam, & provide naſci, & educari, & fortaſſis etiam melius prole legitimo matrimonio progignita; nam ut optime ſubdit D. Aug. huic objectioni reſpondens: *Nec obſtat*, *ſi aliquis fornicando aliquam cognoſcens ſufficienter provideat proli de educatione*: *quia id quod cadit ſub legis determinatione*, *judicatur ſecundum id quod communiter accidit*, *&* *non ſecundum id quod in aliquo caſu poteſt accidere*. Quam reſponſionem elucidat & corroborat Sotus lib. 5. de juſt. & jur. adverſus Martinum de Magiſtris, qui hoc eodem utebatur argumento ad oſtendendum fornicationem non eſſe jure naturali vetitam, quem ſic refellit

fellit quæſt. 3. art. 5. „ Quod proles fornicaria „ quandoque bene alatur, & recte educetur, accidentarium eſt, e contra vero quod male alatur, educeturque proles fornicaria eſt conditioni vagi concubitus nativum. Nam ex natura rei qui non ſunt matrimonio juncti non poſſunt bene alere prolem. Et revera, ſi hæc argutia ullius eſſet momenti, tunc ſequeretur matrimonialem conditionem non eſſe vinculum naturale, inde enim hoc habet, quod natura ejus eſt, ut ſit bene educativa prolium. Et tamen uſu nihilominus accidit, ut ſæpe conjuges neque facultatem habeant, neque vero voluntatem eos educandi. Eſt ergo actus exiſtimandus ex natura, non ex accidente. Cum ergo dicimus bonam educationem matrimonio eſſe naturalem, non autem fornicationi, non de actione loquimur, quæ utique impediri aliunde poteſt, ſed de naturali potentia ".

V. Gravitatem hujus ſceleris expendit D. Th. a. 3. ſcribens: *Pravitas alicujus peccati poteſt attendi dupliciter: uno modo ſecundum ſe; alio modo ſecundum accidens. Secundum ſe quidem attenditur gravitas peccati ex ratione ſuæ ſpeciei, quæ conſideratur ſecundum bonum cui peccatum opponitur. Fornicatio autem eſt contra bonum hominis naſcituri. Et ideo eſt gravius peccatum ſecundum ſpeciem ſuam peccatis quæ ſunt contra bona exteriora, ſicut eſt furtum, & alia hujuſmodi; minus eſt autem peccatis quæ ſunt directe contra Deum, & peccato quod eſt contra vitam hominis jam nati, ſicut eſt homicidium.* Nec huic doctrinæ adverſatur illud D. Thom. principium, ſcilicet gravius eſſe peccatum quo præſtantiori opponitur virtuti, proinde cum furtum juſtitiæ opponatur, quæ nobilior eſt virtus caſtitate, cui opponitur fornicatio, dicendum foret gravius eſſe peccatum furari, quam fornicari. Nam fornicatio non ſoli adverſatur caſtitati, ſed & juſtitiæ, cum ipſi vitæ hominis in ſui generatione inſidietur: hinc ſcribit egregie D. Thom. q. 2. de Malo art. 10. „ Maximum bonum proximi eſt ipſa vita hominis, cui opponitur peccatum homicidii, quod tollit actualem hominis vitam; & peccatum luxuriæ, quod opponitur vitæ hominis in potentia, quia eſt inordinatio quædam circa actum generationis humanæ. Unde inter omnia peccata, quæ ſunt in proximum, gravius eſt homicidium ſecundum genus ſuum; & ſecundum locum tenet adulterium, & fornicatio, & hujuſmodi peccata carnalia; tertium autem locum tenet furtum, & rapina, & hujuſmodi, per quæ in exterioribus bonis læditur proximus ".

§. II.

De Concubinatu.

VI. Concubinatus definitur in Jure Canonico concubitus viri ſoluti cum femina ſoluta, quam vel in propria domo, vel foris retinet, ad quam frequenter, vel ex conſuetudine accedit. Dicitur concubitus ſoluti cum ſoluta, ut concubinatus intra limites ſimplicis fornicationis ſiſtatur, nam alioquin per alias ſpecies luxuriæ divagari poteſt; ſi enim concubina, vel concubinarius ſint matrimonio ligati, malitia additur adulterii; ſi ſint in aliquo gradu affines, vel conſanguinei, adjungitur turpitudo inceſtus; ſi vero ſint vel voto caſtitatis, vel ſacra ordinatione ad continentiam adſtricti, magis defœdatur culpa, qua ſacrilegium ſuperadditur fornicationi. Dicitur, ad quam frequenter, vel ex conſuetudine accedit, ut propria malitia concubinatus exprimatur; cum enim fornicatio ſimplex ſolum importet concubitum indeterminatum modo cum una, modo cum altera, concubinatus addit malitiam conſuetudinis & perſeverantiæ in pravo affectu & abominabili luxuria. Hinc concubinarius ſemper in ſtatu lethalis peccati verſatur, & ægre admodum ad pœnitentiam adducitur, cum difficillimum illi ſit pravæ conſuetudinis laqueos, & intenſum erga concubinam affectum infringere & abrumpere.

VII. Non eſt abſolvendus concubinarius nec ſemel, nec prima vice, niſi concubinam expellat ſi domi habeat, vel omnino deſerat ſi extra domum retineat, niſi forte in ejus manu non ſit eam abjicere. Manifeſta eſt hæc propoſitio, & certe vera. Nam in concubinatu non ſolum ſunt conſideranda peccata libidinis, ſed ipſa concubinæ detentio, quæ de ſe, & ſeorſum etiam a libidinoſo congreſſu peccatum lethale eſt, quod non deſeritur niſi concubinæ ejectione, vel omnimoda fuga. Præterea illud idem præceptum quod aliquod peccatum vitare jubet, jubet etiam abrumpendam proximam peccandi occaſionem: porro qui concubinam vel domi retinet, vel foris alit, & fovet, proxime retinet peccandi occaſionem; hanc igitur, ſi vere pœnitens ſit, abrumpat oportet, & non niſi ea ſublata & avulſa, eſt ſacramentali abſolutione donandus. Addidi, niſi forte in ejus manu non ſit eam abjicere, per quæ verba non niſi illud deſigno impedimentum, quod omnino a voluntate pœnitentis non pendet, puta quia in eodem carcere detinetur, vel quia concubina eſt matris famula, quam domo pellere non poteſt filius familias, vel quia deſerere non poteſt ſine peccato, ut miles qui dimiſſionem a Duce obtinere non poteſt cui ſe obſtrinxit, & ſine ſua injuſtitia deſerere non poteſt. Non vero quia ex depulſione aliquod graviſſimum ſibi proveniat temporale detrimentum. Quodnam enim poteſt eſſe temporale damnum, pro quo vitando licitum ſit peccare? Profecto nullum, nedum enim bona temporalia; ſed & ipſa vita abjicienda eſt ne peccemus; unde Chriſtus dicit, *qui non odit patrem ſuum, & matrem ſuam, & uxorem, & filios, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Et revera, *quid prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* Sed hac de re legatur totum caput nonum in Appendice ad Tractatum de Officiis hominum, ubi de proxima occaſione vitanda abunde diſputatum eſt, doctrinaſque ibi traditas in conſectariis præſenti argumento aptabimus.

VIII. Pœnæ in concubinarios latæ a Tri-

dentino Concilio hæ ſunt. Si concubinarius laicus eſt, excommunicatione plectendum jubet, decernens ſeſſ. 24. cap. 8. „ Grave peccatum eſt homines ſolutos concubinas habere, graviſſimum vero, & in Sacramenti Matrimonii ſingularem contemptum admiſſum uxoratos quoque in hoc damnationis ſtatu vivere, ac audere eas quandoque domi cum uxoribus alere & retinere. Quare ut huic tanto malo Sancta Synodus opportunis remediis provideat, ſtatuit hujuſmodi concubinarios tam ſolutos quam uxoratos, cujuſcumque ſtatus, dignitatis, & conditionis extiterint, ſi poſtquam ab Ordinario etiam ex officio ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, ſeque ab earum conſuetudine non ſejunxerint, excommunicatione feriendos eſſe, a qua non abſolvantur, donec reipſa admonitioni factæ paruerint. Quod ſi in concubinatu per annum cenſuris neglectis permanſerint, contra eos ab Ordinario ſevere pro qualitate criminis procedatur: Mulieres ſive conjugatæ, ſive ſolutæ, quæ cum adulteris ſeu concubinariis publice vivunt, ſi ter admonitæ non paruerint, ab Ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpæ puniantur, & extra Oppidum, vel Diœceſim, ſi id eiſdem Ordinariis videbitur, invocato ſi opus fuerit brachio ſeculari, ejiciantur, aliiſque pœnis contra adulteros & concubinarios inflictis in ſuo robore permanentibus".

IX. Contra Clericos vero, qui ſui ſtatus puritatis obliti, concubinas alunt, eadem Synodus ſeſſ. 25. cap. 14. 1. prohibet quibuſcumque Clericis, „ ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio, in domo, vel extra detinere, aut cum illis ullam conſuetudinem habere audeant, alioquin pœnis a ſacris Canonibus, vel ſtatutis Eccleſiarum impoſitis, puniantur. 2. Si a Superioribus moniti, ab iis ſe non abſtinuerint, tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum ſuorum quorumcumque, & penſionum ipſo facto ſint privati, quæ fabricæ Eccleſiæ, aut alteri pio loco arbitrio Epiſcopi applicetur. 3. Si vero in delicto eodem cum eadem, vel alia femina perſeverantes, ſecundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes, & proventus ſuorum beneficiorum, & penſiones eo ipſo amittant, quæ prædictis locis applicentur, ſed etiam a beneficiorum ipſorum adminiſtratione, quoad Ordinarius, etiam uti Sedis Apoſtolicæ delegatus, arbitrabitur, ſuſpendantur, & , ſi ita ſuſpenſi nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam verſentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis, & penſionibus quibuſcumque Eccleſiaſticis perpetuo priventur, atque inhabiles ac indigni quibuſcumque honoribus, dignitatibus, beneficiis ac officiis in poſterum reddantur; donec poſt manifeſtam vitæ emendationem ab eorum Superioribus cum iis ex cauſa viſum fuerit diſpenſandum. 4. Si vero poſtquam eas ſemel dimiſerint, intermiſſum conſortium repetere, aut alias hujuſmodi ſcandaloſas mulieres ſibi adjungere auſi fuerint; præter prædictas pœnas excommunicatione plectantur ... 5. Clerici vero beneficia Eccleſiaſtica, aut penſiones non habentes, juxta delicti, & contumaciæ perſeverantiam, & qualitatem, ab ipſo Epiſcopo carceris pœna, ſuſpenſione ab Ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliiſve modis juxta ſacros Canones puniantur. 6. Epiſcopi quoque (quod abſit) ſi ab hujuſmodi crimine non abſtinuerint, & a Synodo provinciali admoniti ſe non emendaverint, ipſo facto ſint ſuſpenſi, & , ſi perſeverent, etiam ad SS. Rom. Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ, etiam per privationem, ſi opus erit, in eos animadvertat".

§. III.

De Meretricio.

X. Meretrix ea dicitur mulier, cujus venalis eſt turpitudo, multorumque patet libidini; ſi quæ enim mulier uni tantum, vel alteri ſui copiam facit, fornicaria quidem evadit; at meretrix proprie dicenda non eſt. Meretricis peccatum graviſſimum eſſe nemo non videt, cum tota ſcorti vita habituale peccatum ſit, nunquam ceſſans, ſemper enim paratæ ſunt ad peccandum, præterea ſunt rete Diaboli, quo innumeri capiuntur, & miſere pereunt; ulterius perpetuæ offenſionis lapis fiunt, & petra ſcandali, ad quam allidunt homines, & miſere labuntur. Denique omnes ferme luxuriæ ſpecies, peccata, & crimina in ſe admittunt meretrices, quæ plerumque omnibus etiam propudioſis libidinibus inſerviunt: quare meretricium in nulla determinata ſpecie peccati reſtringi poteſt, cum ad omnia diſpoſitionem animumque ſupponat.

XI. Meretrices cum ſint in actuali ſtatu peccati non ſunt abſolvendæ, niſi omnino reſipiſcant, & non ſolum privata & penes confeſſarium Pœnitentiæ ſigna dederint, ſed & publica, a loco, & domo meretricia recedendo, vel in locum hujuſmodi mulieribus ad Pœnitentiam deſtinatum ſe recipiendo; & ſi Paſtoribus, Parochis, & Epiſcopis opportunum viſum fuerit, publicam ſubeundo pœnitentiam vel ante fores Eccleſiæ ſtando, vel alio exteriori, patentique ſigno ſuam reſipiſcentiam manifeſtando, ut ſcandali damnum ſua profeſſione animabus illatum aliquo modo auferant ſarciantque. Si tamen ad confeſſionem accedant, non ſunt inauditæ repellendæ, ſed eis aures præbere debet Confeſſarius, eaſque piis adhortationibus, vehementioribus verbis, & ardenti zelo ad reſipiſcentiam provocare ſtudeat ſi forte convertantur, & vivant. Ubi tamen mos eſt, ut non communicantes in Paſchate excommunicentur, ab hac excommunicatione immunes non ſunt habendæ meretrices, ut quidam docent Theologi, ſed eidem pœnæ ſubjiciuntur, cum & ipſæ præcepto annuæ confeſſionis & communionis adſtringantur. Cum reſipiſcentes ad confeſſionem accedunt, non ſatis eſt ſi dicant, ſe tot annis ſcortatoribus cujuſcumque generis, ſtatus, conditionis fuiſſe expoſitas, ſed ſin numerum, frequentiam peccandi fateri debent, ſpecies etiam pec-

peccatorum pandere, & turpiores concubitus, ut integra ſit confeſſio. Prudens tamen & cautus Confeſſarius potius ſuis prudentioribus interrogationibus ad rectam confeſſionem neceſſaria extundere debet, quam ipſis, utpote impudentioribus, exponenda relinquere, ut ſuo loco de confeſſionis integritate diſputantes dicemus.

XII. Ad ſacram Menſam non ſunt admittendæ meretrices, niſi poſt diutinam pœnitentiam, & niſi publice conſtet de earum emendatione, & ſcandalum ſit omnino ſublatum. Si in peccato decedant, ſunt etiam Eccleſiaſtica ſepultura privandæ: immo ſi in extremo vitæ pœnitentiam poſtulent, quæ illis non eſt deneganda, expediet tamen adhuc eas ad aliorum terrorem Eccleſiaſtica ſepultura privare, vel in loco quidem ſacro earum cadavera humare, ſed ſine honore, precibus conſuetis, & Cleri aſſociatione. Verum hoc Superiorum Eccleſiaſticorum prudentiæ relinquendum eſt, qui omnibus perpenſis, quid ſuæ plebis utilitati & ædificationi prodeſſe poſſit, optime norunt.

XIII. Num vero Supremis Poteſtatibus Chriſtianis licitum ſit publicas meretrices in civitatibus tolerare, & impune ſcortum profiteri ſinere, res eſt ſatis difficilis reſolutionis, cum inter ſe, & quidem validiſſimis momentis digladientur Theologi; immo SS. Patres ſubindicant tolerandas a Principibus Chriſtianis ob commune bonum meretrices: hinc S. Auguſtinus de Ordine lib. 2. cap. 4. ſcribit: *Quid ſordidius, quid inanius decoris, & turpitudinis plenius meretricibus, lenonibus, ceteriſque hoc genus peſtibus dici poteſt? Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.* Ipſe quoque D. Thom. 2. 2. q. 10. a. 11. docet, licere Summis Poteſtatibus aliqua minora mala tolerare, ut majora vitentur; hinc ſcribit: *Deus autem quamvis ſit omnipotens, & ſumme bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in univerſo, quæ prohibere poſſet, ne eis ſublatis, majora bona tollerentur, vel etiam pejora ſequerentur. Sic ergo & in regimine humano illi qui præſunt, recte aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala pejora incurrantur, ſicut Auguſtinus dicit in lib. 2. de Ordine cap.* 4. Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus. *Sic ergo quamvis infideles in ſuis ritibus peccent, tolerari poſſunt vel propter aliquod bonum quod ex eis provenit, vel propter aliquod malum quod vitatur.* Ad me quod attinet, quid ſentio promam. Non audeo lethalis peccati, immo graviſſimi ſcandali reas pronuntiare Supremas Poteſtates, quæ ſcorta toleranda in ſuis Ditionibus cenſent. Me movet præſertim tot Summorum Pontificum auctoritas, qui Romæ & in aliis etiam Civitatibus ſuæ Ditioni ſubjectis ſcorta permittunt & tolerant, & tamen plures fuere ſanctitate, pietate, & religione celebres, clarique. Quid quod & ipſe Sanctiſſimus Pontifex Pius V. quem adeo laudat & extollit Concina, quia, ut refert Cornelius a Lapide, memorabili exemplo Roma, omnique ſtatu Eccleſiaſtico meretrices intra quindecim dies excedere juſſit, & tamen, ut ipſi fatentur & Cornelius, & Concina, *paucas tamen permiſit, eaſque loco ſeparato juxta Mauſoleum recluſit*; cenſuit igitur SS. Pontifex licere ſibi, ac proinde & ceteris Principibus abſolute ſcorta tolerare, cum pauca permiſerit: non eſt enim quæſtio, num multæ, vel paucæ ſint tolerandæ meretrices, ſed num abſolute ſint tolerandæ, & poſito quod eas permittere illicitum ſit, paucarum permiſſio peccatum quidem minuet, at omnino non tollet; peccaſſet igitur S. Pius pauca ſcorta tolerando, quod nemo dicet; quin contra exclamat Concina: *Utinam Pio V. ſimiles multi hac tempeſtate inveniantur, qui tantum chriſtianæ Reipublicæ bonum præſtent!* Vide dicta Diſſ. de Scandalo T. 2. cap. 11. n. 15.

XIV. Addo tamen Principes æterna Dei lege teneri, & adſtringi 1. nonniſi neceſſitate urgente ſcorta permittere, & præſertim a minoribus Urbibus, ubi tanta non eſt populi frequentia, ea expellere, ubi plus ſcandali afferunt, & mali pariunt, quam avertant. 2. Ubi vero permittenda cenſent, ut pauciori quo fieri poteſt ſint numero ſtatuant, & decernant. 3. In viliori & remotiori civitatis angulo locent, procul ab Eccleſiis & Monaſteriis ob religionem, & procul etiam a tabernis, diverſoriis, & cauponis, ne adventantes ad peccandum alliciant. 4. Ne neminem invitum & reluctantem ad ingrediendam domum compellere audeant, indicant, & talia agentes ſeveriſſime puniant. 5. Tributum non exigant ob quæſtum meretricium, hoc enim jam non eſſet ſcorta tolerare tantum, ſed & adprobare, & criminum ac ſcelerum participem eſſe. Et merito Nicephorus Hiſt. Eccleſ. lib. 16. cap. 20. hujuſmodi tributum appellat *Vectigal & portorium impurum, deteſtabile, abſurdum, Deoque inviſum, feris quibuſque barbaris indignum, & execrandum piaculum.* Optandum etiam foret, ut Principes ſtatuerent, ut meretrices peculiari utantur veſte, vel aliquo patenti ſigno, ut ab honeſtis matronis & puellis diſcernantur, nec cum illis ſe commiſcere poſſint, vel ſe pudicas ſimulare. Porro ſemel admiſſo non eſſe criminis & ſcandali reos habendos Principes ſcorta tolerantes, nec ſunt peccato redarguendi qui illis domos, in ſolis tamen locis a ſuprema poteſtate pro ſolis meretricibus conſtitutis, locant; & certe S. Pius V. paucis illis meretricibus, quas Romæ retinuit, juxta Mauſoleum recluſit, vel ipſe domos conceſſit, vel ab aliis concedi voluit.

XV. Graviſſimo ſcelere contaminantur qui lenocinium exercent, feminas vel ad meretricium & fornicationem alliciendo, vel mares ad eas pertrahendo; diaboli enim miniſterium implent, quippe qui ad abominandas voluptates carnis alliciunt, dum ipſi omni carent voluptate. Nulla eſt iſtorum Principum permiſſio, quinimmo eos ſevere puniendos ſanciunt, cum Reipublicæ gravius noceant quam fures, & latrones, qui ſolum pecuniam furantur, cum iſti caſtitati omni pondere auri & argenti pretioſiori inſidientur. Non ſunt igitur abſolvendi niſi a pravo opere deſiſtant, & publica pœnitentia allatum ſcandalum reſarciant. Audiatur S. Antonin. „ Mediatores „ in hujuſmodi turpibus, qui portant ambaſſiatas

„ de talibus materiis ſive viri ſive mulieres, „ vel qui perſuadent, vel qui deferunt literas „ ſcientes in iſtis etiam honeſta contineri, ſed ad „ contrahendam malam amicitiam, nulli dubium „ quin peccent mortaliter. Digni enim ſunt mor- „ te æterna, videlicet non ſolum qui faciunt „ hujuſmodi, ſed etiam qui conſentiunt facienti- „ bus “. At in immenſum augetur hoc crimen, quando lenocinium ab ipſis puellarum parentibus, vel a maritis reſpectu uxorum exercetur: præter enim caritatem, quam ſcandalo violant, caſtitatem, quam impudicitiis defœdant, pietatem etiam & juſtitiam turpiſſime peſſumdant. Priores a civilibus legibus patria privantur poteſtate, & ad publica metalla damnantur; poſteriores vero ceu adulteri puniri deberent pœna mortis, vel ſaltem perpetua infamia, & exilio, vel carcere.

CAPUT QUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Propoſitio damnata.*
II. *Falſæ Sanchezii & Sylvii propoſitiones.*
III. *Fornicatio gravior cum meretrice.*
IV. *Gravior cum ſponſa de futuro.*
V. *Et cum infideli.*
VI. *Fornicando gravius peccat vir, quam mulier.*
VII. *Concubinarius, licet polliceatur ſtatim concubinam dimittere, non eſt abſolvendus niſi ea actu dimiſſa.*
VIII. *Non eſt aſſignabilis legitima cauſa voluntarie retinendi concubinam, vel voluntarie non depellendi.*
IX. *Nonnullæ laxæ Caſuiſtarum doctrinæ.*
X. *Quid cum illis agendum qui concubinam expellere non poſſunt.*
XI. *Quid non concedendum concubinariis etiam pulſa concubina.*
XII. *Etiam concubinarius putativus ſcandalum tenetur avertere.*
XIII. *Quinam Clerici ſint concubinarii dicendi, & quando pœnis ſubjiciantur.*

Conſectarium Primum.

I. MErito ab Innocentio XI. damnata fuit propoſitio in ordine 48. quæ aſſerebat: *Tam clarum videtur, fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam quia interdicta, ut contrarum omnino rationi diſſonum videatur.* Quam doctrinam Clerus Gallicanus juſte declaravit ſcandaloſam, pernicioſam, caſtarum & piarum aurium offenſivam, & erroneam. Immo Sotus de juſt. & jur. quæſt. 3. a. 3. hanc fert in eam doctrinam cenſuram: „ Dicere fornicationem non eſſe contra jus naturæ, error eſt hæreſi proximus. Nam conſequens inde fieret, Gentibus ante legem ſcriptam non fuiſſe delictum, quin vero neque poſt ſcriptam, quia lege Moſaica non tenebantur “. Hinc patet quam ſit damnanda junioris doctrina auſu plane temerario dicentis: *In propoſitione 48. damnata ab Innoc. XI. non damnatur dicere, fornicationem non eſſe de ſe malam; ſed modus propoſitionis, tam clarum videtur.*

Conſectarium Secundum.

II. Falſa eſt, & rejicienda Thomæ Sanchez doctrina lib. 1. in Decal. cap. 16. n. 16. & 17. qua aſſerit: Si ruſticus a viro exiſtimato docto ac pio audiſſet, fornicationem & furtum externa eſſe peccata, at licere fornicandi & furandi deſiderium, quibuſdam Neotericis doctis videtur minime excuſare, quod hic libere velit objectum externum quod eſſe novit .... quamvis hoc probabile ſit, probabilius tamen credo illum actum internum excuſari omnino a malitia. At non ſolum Neoterici docti, ſed & antiquiores Theologi plane oppoſitum docent, inter quos audiatur D. Thom. qui Quodlib. 3. a. 10. plane docet ſcribens: *Dicendum, quod diverſæ opiniones Doctorum ſacræ Scripturæ, ſi quidem non pertineant ad fidem, & bonos mores, abſque periculo auditores utramque opinionem ſequi poſſunt: tunc enim habet locum quod Apoſtolus dicit ad Rom.* 14. 5. Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. *In his vero quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excuſatur, ſi ſequatur erroneam opinionem alicujus Magiſtri: in talibus enim ignorantia non excuſat.* A doctrina itaque S. Doctoris receſſit Sylvius dum 2. 2. q. 154. art. 2. putavit malitiam fornicationis ignorari potuiſſe ſine culpa a rudioribus ſaltem populis, agreſtibus, virtutum moralium imperitis, & magiſtro deſtitutis a quibus, inſtruerentur: quandoquidem S. Thom. docet, hanc ignorantiam nonniſi a corruptione naturalis rationis potuiſſe exoriri, unde ſcribit hic a. 1. ad 1. *Apud Gentiles fornicatio ſimplex non putabatur illicita propter corruptionem naturalis rationis.* Et 3. p. q. 80. a. 4. ad 5. ſcribit: *Hoc quod non habet aliquis conſcientiam ſui peccati, poteſt contingere dupliciter. Uno modo per culpam ſuam: vel quia per ignorantiam juris, quæ non excuſat, reputat non eſſe peccatum quod eſt peccatum; puta ſi aliquis fornicator reputaret, ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum mortale: vel quia negligens eſt in examinatione ſuiipſius ... & nihilominus peccat ... quia ipſa ignorantia eſt ei peccatum ... Si vero ignorat .... propter ignorantiam facti, quæ excuſat; puta ſi acceſſit ad non ſuam quam credebat eſſe ſuam, non eſt ex hoc dicendus peccator.* Recolantur dicta Tract. 2. de ratione humana.

Conſectarium Tertium.

III. Fornicationis peccatum gravius eſt ſi committatur cum publica meretrice, ceteris omnibus paribus, quam ſi furtive cum alia muliere, quæ publicum non exercet meretricium. Patet 1. quia proles, quæ ex nefario illo concubitu naſci poteſt, magis eſt incerta, quamobrem in majus vergit detrimentum vitæ & educationis prolis. 2. Quia magis fovet, quantum eſt de ſe, publicum ſcandalum, cujus illa publicæ libidinis proſtibula rea dignoſcuntur. Hinc eſt hæc circumſtantia in Confeſſione aperienda.

Con-

Conſectarium Quartum.

IV. Gravius peccant qui vel cum ſua, vel cum aliena ſponſa fornicantur. Qui enim cum ſua ſponſa, injuriam Sacramento faciunt, cujus obtentu peccant, nec dici poteſt peccaſſe abſolute cum libera & ſoluta, ſed cum ea, quæ ei corpus ſuum debet, quod illi ſpopondit. Præterea periculum eſt, ne diutius in peccato perſeverent, & prava introducatur peccandi conſuetudo. Quamobrem non immerito ſponſorum fornicationum ſibi nonnulli Epiſcopi reſervant abſolutionem. Qui vero cum alterius ſponſa fornicantur, licet adulterium non perpetrent, juſtitiam tamen violant, quia ſponſo, quo cum ſponſalia celebrata ſunt, injuriam faciunt, quæ tanta eſt & reputatur, ut juſtam præbeat dirimendorum ſponſaliorum cauſam. Nec adhærendum doctrinæ Sanchezii de Matrimonio, qui quamvis hoc verum fatetur de mulieribus deſponſatis, negat tamen de viris, cum par omnino ſit in utroque jus ad matrimonium celebrandum, cui per fornicationem fit injuria.

Conſectarium Quintum.

V. Graviore polluuntur crimine fornicantes cum infideli, puta Judæa, aut Gentili, quam cum fideli. Hujuſmodi enim fornicatio Religionis contemptum involvit, & cum diſparitatem cultus matrimonium dirimere ſtatuerit Eccleſia, ſatis indicat talem copulam majorem præſeferre fœditatem, præter periculum, ne proles in infidelitate educetur. Quod etiam confirmat mos aliquorum Epiſcoporum, qui in ſuis Diœceſibus fornicationis cum infidelibus habitæ crimen ſibi reſervant, quod profecto indicat eſſe hanc circumſtantiam in confeſſione aperiendam; alioquin ſi eam omittere & reticere liceret, fruſtranea eſſet reſervatio.

Conſectarium Sextum.

VI. Gravius eſt fornicationis crimen in viro quam in femina. Ita aperte docet S. Thom. in IV. diſt. 35. quæſt. 1. art. 4. ad 5. dicens: *Simpliciter loquendo, ceteris paribus, vir in ſimplici fornicatione plus peccat quam mulier: quia habet plus de rationis bono, quod prævalet quibuslibet motibus corporalium paſſionum*. Quod autem de fornicatione affirmat, negat tamen de adulterio, ſubdens: *Sed quantum ad læſionem matrimonii, quam adulterium fornicationi addit, ex qua divortium cauſatur, plus peccat mulier quam vir, ut ex dictis patet: & quia hoc eſt gravius quam ſimplex fornicatio, ideo, ſimpliciter loquendo, plus peccat mulier adultera quam vir adulter, ceteris paribus*.

Conſectarium Septimum.

VII. Non eſt abſolutione dignandus Pœnitens, qui vehementem oſtendens ſui concubinatus dolorem pollicetur ſe ſtatim concubinam domo ejecturum, vel non amplius ad eam acceſſurum; ſed prius jubendum, ut concubinam ejiciat, quam beneficio abſolutionis donetur. Rationem reddit S. Thom. hic quæſt. 153. art. 5. in corp. quia luxuria vitium eſt adeo in corde regnans, & concupiſcentia adeo effrænis eſt „ ut impediat, ne „ homo exequatur id quod decrevit eſſe facien„ dum, unde Terentius dicit in Eunucho de „ quodam, qui dicebat ſe receſſurum ab amica: „ *Hæc verba una falſa lacrymula reſtinguet* “. Hoc autem dico præſertim pro Confeſſariis Miſſionum: contingit enim frequenter, ut dum in una Civitate vel Oppido Miſſiones habentur, confluant ex vicinis Pagis, oppidis, villis concubinarii, qui ſacrorum Miniſtrorum vehementioribus commoti declamationibus pœnitentiam in corde concipiunt, & ſe ſuorum peccatorum vehementi tactos dolore oſtendunt. Hi ad Confeſſarios accedunt, concubinatum ſuum confitentur, concubinas ſe ejecturos ſtatim ac domum revertentur ſancte teſtantur, interim tamen abſolutionem ſibi concedi poſtulant, ut ad generalem Communionem accedere poſſint, Proceſſioni intereſſe, plenariam lucrari indulgentiam, ſe data opera ex longinquo veniſſe, dimiſſos reverti non poſſe obtendunt. Non illis credat ſacer Miniſter, eorum verbis non fidat, nam domum reverſi non *lacrymula*, ut inquit S. Thom. ſed ſolo concubinæ aſpectu ita moventur, ut omnis obliti propoſiti ut ſus lota perſeverant in volutabro luti. Illos itaque benigne ſed fortiter hortentur, ut domum redeant, concubinam ſtatim ejiciant, ſi ad Miſſionem reverti non poſſunt, exomologeſim apud Parochum, vel alium Confeſſarium peragant, de dimiſſa concubina moneant, poſtea juxta ejus mandatum ad ſacram Menſam accedant, plenarias Indulgentias illis non defuturas, cum nullus ſit pene in Orbe locus, ubi in aliqua Eccleſia ſin quotidie, ſaltem pluries in anno conceſſum non ſit viſitantibus tantum beneficium. Uno verbo non credant, non fidant, non abſolvant. Ita inculcat S. Thomas de Villanova: „ Qui a Domino vivi„ ficatus deſiderio ſalutis a vitiorum ſepulcro fo„ ras egreditur, *vadat, & concubinam ex domo* „ *expellat*, pecuniam alienam reſtituat, contractus „ uſurarios rumpat .... & tunc ad Confeſſarium „ redeat, & abſolvatur. Hic rectus eſt ordo ..... „ Hunc ordinem ne tranſgrediaris. Conc. f. 6. „ poſt 4. Domin. Quadrag. “ Deſperati abibunt, in concubinatu perſeverabunt, inquies, in peccato morientur. Ergo, reſpondeo, nec vere pœnitentes erant, nec vero tacti dolore, non a Deo ſecundum propoſitum vocati. Ipſi utique fortaſſis in iniquitate ſua morientur (quod tamen non eſt de facili præſumendum: non eſt enim abbreviata manus Domini) tu autem animam tuam liberaſti. At ſaltem, inquiunt Salmanticenſes, ſi ſit vir nobilis, & ex illis, qui mortem potius quam fractionem fidei datæ eligunt, erit prima vice abſolvendus? Abſit. Non enim libido minus nobilibus quam plebeiis dominatur, immo potius in illis regnat; & in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus non eſt diſtinctio Judæi & Græci, nobilis, & ignobilis. Præterquam quod non eſt deneganda abſolutio, quia putetur ipſis animum & propoſitum deeſſe datam fidem ſolvendi, ſed quia facile eſt ut aſpectu & precibus concubinæ mo-

moti & animum mutent, & a propoſito deficiant, & ſic datam fidem non ſervent. Cum omnibus igitur ordo a S. Thoma de Villanova inculcatus exacte ſervetur.

Conſectarium Octavum.

VIII. Nulla eſt aſſignabilis legitima cauſa voluntarie retinendi concubinam, vel voluntarie non depellendi. Voluntariam concubinæ detentionem eam appello, per quam concubinarius cum omnino in ſua plena habeat poteſtate eam depellere, non depellit. Nam cauſæ, quæ aſſignari poſſunt, hujuſmodi ſunt. 1. Utilitas & bonum concubinarii, qui ex concubinæ conſortio magnam percipit utilitatem & commodum. At quis dicat, hanc eſſe poſſe legitimam retinendæ concubinæ cauſam, cum Chriſtus dicat eruendum oculum, amputandum brachium dexterum ſi ſcandalizet? Propoſitio damnata eſt ab Alexand. VII. quæ ajebat: *Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſt ad oblectamentum concubinarii, vulgo regalo, dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam, tam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.* 2. Damnum, quia nimirum ſi a concubina diſcedat, in gravem incidit neceſſitatem, ut famulus, qui a domina, cum qua concumbit, alitur cum tota ſua familia, a qua ſi diſcedat, mendicare cogitur. Famula quoque, quæ cum ſuo domino commiſcetur, a quo ſi abeat, in paupertatem deveniet. At quiſque percipit, nec iſtam eſſe poſſe legitimam cum concubina perſeverandi cauſam. *Quid enim*, inquit Chriſtus, *prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* Et Eccleſ. 4. dicitur: *Agonizare pro anima tua, & uſque ad mortem certa pro juſtitia.* Et revera ſicut non liceret vel famulo vel famulæ ne fame pereant concubinæ domum ingredi, & illi inſervire cum certo periculo peccandi, ita nec licebit illis in ea domo cum eodem periculo, immo in manifeſto concubinatu perſerverare. Hinc propoſitio 63. damnata ab Innocentio XI. ajebat: *Licitum eſt quærere directe occaſionem peccandi pro bono ſpirituali vel temporali noſtro, vel proximi.* Porro non minus directe quærit occaſionem peccati qui concubinam in domum induxit, quam qui inductam retinet. 3. Timor infamiæ, quia ſi depellatur concubina, jam tunc notum fiet impudicum commercium, quod in ſcandalum cedat & offenſionem proximi. Inane terriculamentum, puerilis excuſatio. Nam affinibus, conſanguineis, vicinis turpe commercium vel aliquo modo ſuboluit, vel nihil omnino ſuboluit: Si primum, tantum abeſt, ut ſcandalum oriatur, quin immo præbitum jam ſcandalum auferetur, ceſſabitque: Si vero ſecundum, nulla erit omnino ratio & cauſa, quamobrem de turbi commercio ſuſpicari poſſint; quod ſi (inquiunt Salmanticenſes ceteroquin benigniores) „ ex dimiſſione con„ cubinæ aliqua infamia oriatur, quæcumque „ hæc ſit, aut quæcumque fingatur, ſemper erit „ minor, ſi recte perpendatur, quam illa, quam „ uterque concubinarius patitur, non ſolum apud „ mundi hujus amatores, ſed maxime apud cor„ datos & pios .... ex dicti criminis commiſſio„ ne .... ergo potius conſulere debet dimittendo „ concubinam propriæ famæ amiſſæ ob delictum, „ quam eam domi retinendo evitare infamiam „ falſam, vel ſi forte veram, minorem illa, quam „ ex retentione concubinæ ſequitur; & conſe„ quenter ſemper falſum eſt, quod concubinarius „ poſſit aliquando abſolvi, quia ex dimiſſione „ concubinæ ſequitur aliqua infamia, aut ſcan„ dalum, quod vitare potius debeat, quam con„ cubinam dimittere ".

Conſectarium Nonum.

IX. Hinc ut falſæ & laxæ rejiciendæ ſunt nonnullorum Caſuiſtarum doctrinæ, 1. Poſſe Confeſſarium ſemel aut bis, immo alii addunt, ter & quater abſolutionem impertiri concubinario, qui pollicitus concubinam expellere, promiſſis non ſtetit. 2. „ Si concubinarius (ſcribit Sancius „ apud Salmanticenſes) etſi ter, aut quater con„ feſſus in promiſſione elongandæ concubinæ de„ feciſſet, ſpecialiter ſi præteritis vicibus aliqua „ licet modica emendatio eſſet inchoata, ut ſi „ mos eſſet inter concubinarios qualibet nocte „ eumdem lectum occupare, poſt interpoſitas ve„ ro confeſſiones tertia tantum nocte accuba„ rent, tunc debet eis credere, & abſolutionem „ impertire. Vah laxitatis portenta. 3. Goba„ ti. Si concubinarius nequit dimittere ſuam „ concubinam ſine jactura centum aureorum ſeu „ ducatorum, poterit Confeſſarius pro re nata „ amplecti ſententiam Sanchezii, vel Oviedi do„ centium poſſe abſolvi. 4. Ejuſdem. Si concu„ bina ſit ita effrons, ut dimiſſa prolatura ſit oc„ cultum concubinatum, retinere eam volenti „ patrocinantur plerique ex citatis, ſed utique „ muniendus erit peculiaribus propoſitis & aliis „ mediis, ſicut & patrocinabuntur ſi ipſa ſit ejus „ ancilla, & nequeat aliam adipiſci abſque pari „ periculo, cum tamen haud poſſit ullo modo „ carere ancilla omni. 5. Salmanticenſium. Poteſt „ abſolvi hoſpita, quæ quoties aliquem excipit, „ occulte rem habet cum illo, quia cum ſimiles „ perſonæ habeant diverſoria propria, aut con„ ducta, & alium modum vivendi non habeant, „ tales occaſiones involuntariæ ſunt ". At cur tales occaſiones involuntariæ ſunt? Nonne libere hoſpitem recepit quem poteſt repellere? Nonne libere ei commiſcetur? Nonne quoties libere ille advenit, hæc libere recepit, cum eo peccat? Igitur hocce impudicum commercium plane voluntarium eſt. Sed non habent (inquiunt) alium vivendi modum: utique, nec meretrices, ut ipſæ fatentur, non habent alium vivendi modum, erunt igitur abſolvendæ? Licebit ne mulieri, ne fame pereat, corporis ſui copiam alteri facere? ergo nec aſſuetum fornicari excipere, cum idem omnino ſit & peccare, & occaſionem proximam peccandi volentem & lubentem accipere.

Con-

Conſectarium Decimum.

X. Non eſt danda, ſed differenda abſolutio iis, qui concubinam domi retinent, quam licet expellere libenter vellent, nequeunt tamen, donec vel ſeparentur, vel a peccando ceſſent. Hujuſmodi ſunt filius familias, qui cum famula matris impudicum habet commercium. Filia quæ cum famulo patris frequenter commiſcetur. Frater vel alius conſanguineus, qui cum ſorore, vel alia conſanguinea peccat. Hos enim omnes ſupponimus abſolute non poſſe concubinam expellere, cum nullam habeant in eam poteſtatem. Fugere autem filia a domo parentum non debet, tum quia nequit ſe paternæ ſubtrahere poteſtati, tum quia magnum inde oriretur ſcandalum. Filius quoque familias non eſt abſolute cogendus ad paternam domum deſerendam, niſi, ut mox dicemus, extrema fugiendæ occaſionis neceſſitas cogat. Primo itaque hujuſmodi peccatores toto ſtudio ſatagere debent ut invicem ſeparentur. Hinc ſi opus ſit, & parentes prudentes ſint, & pii, Deumque timeant, ſecreto vel ab ipſo filio & filia, vel ab alio certiores faciendi de proxima occaſione, in qua verſantur, ut ipſi ſecreto & debita cautione delinquentes ſeparent, vel ancillam ſive ſervum dimittendo, ſive filium vel filiam in loco tuto extra domum collocando. 2. Si hocce remedium adhiberi nequeat, ad alia confugiendum eſt, injungenda itaque mutua disjunctio quantum poſſibilis eſt, adeo ut nunquam ſoli inveniantur, mutuum fugiant colloquium, aſpectum, familiaritatem omnem, juges ad Deum habeant preces, ut auxilium nanciſcantur neceſſarium in tam terribili conflictu ad victoriam obtinendam, clademque vitandam, addenda jejunia, ſpiritualis lectio, mortis meditatio, & alia hujuſmodi pia exercitia. Interim tamen differenda abſolutio. Si his fideliter ſeduloque adhibitis remediis aliqua appareat emendatio, non tamen adhuc danda abſolutio, duo enim ſunt vincendi hoſtes, nimirum & occaſio proxima, quæ ſemper urget, & prava inducta conſuetudo, quæ vires occaſionis proximæ ſummopere auget, & ſemel obtenta abſolutione jam ſe omnino ſanos arbitrantur; quamobrem tepeſcunt, minus cavent, ac propterea facillime, & cum majori damno relabuntur. Sunt igitur quidem confortandi ad ſperandum in Deo, qui ſicut bonum emendationis opus incepit, ipſe quoque perficiet, & iterum ad ſalutaria remedia iteranda hortandi, & ſolum demum abſolutione dignandi, cum a peccato non ſolum omnino ceſſaverint, ſed prudens judicium efformari poſſit non amplius lapſuros; quod profecto judicium efformare nequeunt ſacri Pœnitentiæ Miniſtri quamdiu vident hujuſmodi pœnitentes nondum a peccatis omnino ceſſaſſe, licet frequentiam minuerint: quamobrem eos optime monet S. Carolus Borromæus in Inſtruct. Conf. „ Differant abſolutionem, donec „ EVIDENS appareat emendatio in iis, qui ta„ metſi dicant, & polliceantur, quod ſe eximent „ a peccato, tamen Confeſſario probabilem fa„ ciunt METUM ne contrarium contingat “. Quod ſi tantæ ſint fragilitatis, ut omnibus etiam hiſce adhibitis remediis impudici hi peccatores in mutuo conſpectu ſe a peccando cohibere nequeunt, tunc quidem filius familias ſub aliquo obtentu, vel electionis ſtatus, vel officii aſſumendi, vel artis addiſcendæ, vel extraneæ occupationis, vel ſaltem peregrinationis a domo patris recedere, & concubinæ conſpectum omnino fugere tenetur. Si vero ſit filia, docere non audeo ut fugiat, toto ſtudio tamen ſatagere debet, ut vel in Monaſterio ponatur, vel matrimonio jungatur, vel ad alterius conſanguinei vel affinis domum transferatur. Quod ſi præfata dijunctio impoſſibilis reddatur, tamen nunquam ſunt abſolvendi, nec ad Sacramentorum participationem admittendi, donec Dei providentia res ita diſponantur, ut tandem neceſſariæ ſegregationi pateat locus, & ceſſent criminoſi inceſtus.

Conſectarium Undecimum.

XI. Non eſt permittendum a prudenti Miniſtro concubinariis jam a concubina ſejunctis illam inviſere honeſti amoris cauſa, vel ad filios ex ea habitos inviſendos & alendos, vel eam in propriam domum revocare, ut infirmo concubinario aſſiſtat. Nam hujuſmodi congreſſus manifeſtam ſecum afferunt ſpiritualis ruinæ occaſionem, & licet libidinis ignis extinctus omnino videatur, ſemper tamen ſcintillæ latent, quæ ut erumpant, & conflagrent, etiam tenuiſſimus concupiſcentiæ ventus ſufficit; ideo optime docet S. Thom. in cap. 6. 1. Epiſt. ad Corinth. lect. 3. „ Cetera vitia vincuntur reſiſtendo, quia quan„ tum homo particularia conſiderat & tractat, „ tanto minus in eis invenit unde delectetur, „ ſed unde magis anxiatur, ſed vitium fornica„ tionis non vincitur reſiſtendo, quia quanto ma„ gis ibi homo cogitat particulare, tanto magis „ incenditur, ſed vincitur fugiendo, ideſt totali„ ter vitando cogitationes immundas, & quasli„ bet occaſiones “. Doctrinam hanc tutiſſimam hauſit A. P. a SS. Paulo & Auguſtino. Hic enim Serm. 250. de Temp. cap. 1. ſcribit: „ Quod „ libidinem fugiendam eſſe ſuggerimus, Apo„ ſtolus Paulus evidenter oſtendit, qui cum præ„ dicaverit omnibus vitiis reſiſtendum, dum con„ tra libidinem loqueretur, non ait *reſiſtite*, *ſed* „ *fugite fornicationem*. Ac ſi contra reliqua vi„ tia Deo auxiliante debemus in præſenti reſiſte„ re, libidinem vero fugiendo ſuperare “. His accedit ſcandalum, quod neceſſario conſequitur ex hiſce mutuis benevolentiæ ſignis inter perſonas jam ob concubinatum infames, quod non ſolum vitare debent, ſed datum ſcandalum omnimoda ſegregatione & pie vivendo ſarcire tenentur.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Optime animadvertunt & docent Salmanticenſes, denegandam abſolutionem etiam concubinario, qui licet talis revera non ſit, talis tamen communiter reputatur, cum quilibet jure naturæ peccandi occaſionem non ſolum veram,

ſed & apparentem, cum inde ſcandalum exoritur, averruncare teneatur, & hic locum habet Apoſtoli præceptum, *ab omni ſpecie mali abſtinete vos*.

Plura poſſent alia hic deduci conſectaria de inſervientibus concubinis, meretricibus, aliiſque fornicatoribus, ſed ea invenies in Tract. de ſcandalo, & cooperatione ad malum.

Conſectarium Tertiumdecimum.

XIII. Clericus, qui ſemel tantum cum muliere fornicatur, concubinarius dici non poteſt, ac proinde pœnis a Concilio Tridentino inflictis non eſt ſubjiciendus. Concubinarios enim Sancta Synodus eos cenſet & habet, qui fornicaria conſuetudine detinentur. Quamobrem fructus beneficii non amittit, licet oppoſitum doceat Navarrus. Pœnis tamen in concubinarios Clericos latis ſubjiciuntur omnes Clerici, licet non ſint in ſacris ordinibus conſtituti, cum indiſcriminatim Clericos deſignet dum dicit; *prohibet S. Synodus QUIBUSCUMQUE Clericis*. Præterea dum tertia parte fructuum Beneficiorum Clericos concubinarios privandos decernit Concilium, in ea connumerandæ etiam ſunt quotidianæ diſtributiones, quia revera ſunt Beneficii proventus.

CAPUT QUINTUM.

De Stupro, & Adulterio.

DOCTRINA.

I. *Stupri definitio.*
II. *Etiam virgine conſentiente ſtuprum committitur.*
III. *Oſtenditur ratione.*
IV. *Ad quid teneatur ſtuprator.*
V. *Pœnæ in ſtupratores latæ.*
VI. *Adulterii turpitudo.*
VII. *Quot modis committi poſſit.*
VIII. *Adulterium committitur etiam conſentiente adulteræ Marito.*
IX. *Nec aliter ſentit D. Auguſtinus.*
X. *Adulterii crimen quibus modis committatur.*
XI. *Pœnæ contra Adulteros conſtitutæ.*

§. I.

De Stupro.

I. STuprum ex D. Thoma definiri poteſt: *Concubitus viri cum virgine, per quem ejus defloratur virginitas.* Speciale peccatum eſſe a fornicatione diſtinctum oſtendit S. Thom. ob duplicem, quam fornicationi ſuperaddit deformitatem. „ In virgine (ſcribit hic 2. 2. quæſt. 154. „ art. 6.) ſub cuſtodia Patris exiſtente quæ„ dam deformitas ſpecialis occurrit, ſi corrum„ patur: tum ex parte puellæ, quæ ex hoc quod „ violatur nulla pactione conjugali præcedente, „ & impeditur a legitimo matrimonio conſequen„ do, & ponitur in via meretricandi, a qua re„ trahebatur, ne ſignaculum virginitatis amitte„ ret: tum etiam ex parte patris, qui de ejus „ cuſtodia ſolicitudinem gerit, ſecundum illud „ Eccli. 42. 11. *Super filiam luxurioſam confirma* „ *cuſtodiam, ne quando faciat te in opprobrium ve*„ *nire inimicis*. Et ideo manifeſtum eſt, quod „ ſtuprum, quod importat illicitam virginum de„ florationem ſub cura parentum exiſtentium, „ eſt determinata luxuriæ ſpecies “.

II. Ex qua S. Thomæ doctrina evidenter colligitur, ſtuprum committi etiam quando puella ſuæ conſentit deflorationi, quod tamen inficiantur Salmanticenſes, fidiſſimi ceteroquin S. Thom. diſcipuli. Nam deformitas, quam reperit D. A. in tali concubitu, non tollitur per conſenſum virginis: turpitudinem enim ſpecialem ſtupri non deſumit D. A. quia puella violatur invita, ſed quia puella & impeditur a legitimo matrimonio conſequendo, & in via meretricandi ponitur, a qua retrahebatur ne ſignaculum virginitatis amitteret, quod damnum contingit etiam ipſa virgine conſentiente, licet ſtuprator fortaſſis ad ejus reparationem non teneatur. 2. Quia parentibus irrogatur injuria tum ab ipſa filia, quæ eſt ſub patria poteſtate, tum a ſtupratore, qui eorum honorem in filia deturpat & lædit, quod pariter locum habet etiam poſito virginis conſenſu. Hanc doctrinam confirmat etiam in reſp. ad 3. duplicem hanc turpitudinem clarius examinans dum ſcribit: *Habet autem ſtuprum duplicem injuriam annexam. Unam quidem ex parte virginis, quam etſi non vi corrumpat, tamen eam ſeducit; & ſic tenetur ei ſatisfacere ...... Aliam vero injuriam facit patri puellæ: unde & ei ſecundum legem tenetur ad pœnam.* Et art. ſeq. in corp. idem repetit dicens: *Stuprum ſine raptu invenitur, quando aliquis abſque violentiæ illatione virginem illicite deflorat.* Immo verum ſtuprum cognoſcit S. Antoninus, licet virginis conſenſui & parentum ſceleſtorum accedat conſenſus; hinc ſcribit 2. par. c. 6. tit. 5. „ Nec pecca„ tum ſtupri evadunt ex hoc, quod de volunta„ te puellæ & parentum hoc agant, & ablata vir„ ginitate fornicationem cum ea committant.

III. Ipſa quoque naturalis ratio hanc veritatem confirmat. Nam uterque, ſcilicet & virgo conſentiens, & ſtuprator naturalem ordinem violant, juxta quem virginitatis ſignaculum inviolatum intactumque ſervari debet, donec matrimonio jungatur: *Habet enim*, inquit S. Th. hic ad 1. *ſpeciale impedimentum fornicarii concubitus virginitatis ſignum, quod non debet niſi per matrimonium auferri*. Quamobrem ſicut adulterii non tollitur turpitudo, licet maritus mœchiæ conſentiat, quia ſemper verum eſt, per illud conjugalem fidem violari, ita nec ſtupri aufertur deformitas, licet & ipſa virgo & ejus parentes deflorationi conſentiant, quippe quia adhuc verum eſt eam virginalis integritatis jacturam inique facere, & ordinem a lege divina & a natura conſtitutum violare.

IV. Duplici porro pacto quis poteſt conſentientem virginem violare, nimirum vel illa petente, ſive ſolis blanditiis illecta, vel dolo, metu gravi, mendacio, falſiſque pollicitationibus ſeducta. Si primum, nihil jam ipſi virgini de-

debet ſtuprator ſive pro injuria, ſive pro damno, cum ipſa volens & lubens utrumque ſubjerit, tenetur tamen ſtuprator parentibus pro injuria ſatisfacere. Ita docet loc. laud. S. Antonin. ſcribens: „ Si defloret eam voluntariam, non tene„ tur ei. Patri autem, quia injuriatus eſt ei; „ unde in aliquo ſatisfaciat, vel ſaltem eum pla„ cet “. Si vero metu, dolo, falſa promiſſione ſeduxit, „ tenetur ei ſatisfacere (verba ſunt S. „ Thom. laud. quæſt. 154. art. 6. ad 3.) unde di„ citur Exod. 22. 16. *Si ſeduxerit quis virginem „ nondum deſponſatam, dormieritque cum ea do„ tabit eam, & habebit uxorem. Si autem pater „ virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta „ modum dotis, quam virgines accipere conſueve„ runt*. Aliam vero injuriam facit patri puel„ læ: unde & ei ſecundum legem tenetur ad pœ„ nam. Dicitur enim Deuter. 22. 28. *Si in„ venerit vir puellam virginem, quæ non habet „ ſponſum, & apprehendens concubuerit cum il„ la, & res ad judicium venerit, dabit qui dor„ mivit cum ea, patri puellæ quinquaginta ſiclos „ argenti, & habebit eam uxorem: & quia hu„ miliavit illam, non poterit dimittere eam cun„ ctis diebus vitæ ſuæ*: & hoc ideo ne videatur „ ludibrium feciſſe, ut dicit Auguſtinus “. S. vero Antoninus ſcribit: „ Si autem ſeduxit, pu„ ta promiſſionibus & mendaciis, non videtur „ fuiſſe voluntaria. Invitam ergo & seductam „ ſi conſtupraverit, injungendum eſt illi quod „ ſatisfaciat ad arbitrium boni viri, vel cum ea „ componat; & ſi promiſiſſet eam ducere in uxo„ rem ut copulam extorqueat, ſervet promiſ„ ſum, & multo magis juramento firmatum “. Sed de hoc iterum, & accuratius, cum de ſponſalibus agemus.

V. Stupratores virginis ſeductæ in veteri Teſtamento cogebantur eam dotare, & uxorem habere, vel ſi pater nollet eam dare, jubebantur pecuniam juxta modum dotis, quam tales virgines accipere conſueverunt, perſolvere. Licet autem hoc præceptum judiciale fuerit, proinde cum lege ceſſaverit, adeo tamen eſt æquitati conforme, ut illud Eccleſia acceptaverit hac ſola adjecta mitigatione, ut vel in uxorem accipiat, vel dotem conferat, non utrumque, ut habetur in jure canonico. Jure autem civili puniuntur ſtupratores privatione dimidiæ partis bonorum, ſi honeſtæ fuerint conditionis, ſi vero abjectæ, fuſtigatione & exilio. Quod ſi vim adhibeant, morte plectendi ſunt, præſertim ſi puellam immaturam conſtupraverint. Si vero ſtuprator Clericus ſit, decem annorum pœnitentia in interno foro puniendus. In externo vero juxta locorum diverſitatem, vel depoſitione, vel ſuſpenſione, vel pecuniaria pœna punitur ad judicis arbitrium, qui ſi comperiat Clericum per vim virginem violaſſe, ad perpetuam agendam pœnitentiam in carcerem, vel Monaſterium juſte poterit detrudere.

§. II.

De Adulterio.

VI. Adulterii indolem, injuſtitiam, & turpitudinem egregie exponit S. Thom. hic quæſt. 154. art. 8. ſcribens: *Adulterium, ſicut ipſum nomen ſonat, eſt acceſſus ad alienum torum. In quo quidem dupliciter contra caſtitatem, & humanæ generationis bonum aliquis delinquit. Primo quidem inquantum accedit ad mulierem non ſibi matrimonio copulatam; quod requiritur ad bonum prolis propriæ educandæ. Alio modo quia accedit ad mulierem alteri per matrimonium copulatam; & ſic impedit bonum prolis alienæ. Eadem ratio eſt de muliere conjugata, quæ per adulterium corrumpitur. Unde dicitur Eccli.* 23. 32. Omnis mulier relinquens virum ſuum .... *peccabit*. Primo enim in lege Altiſſimi incredibilis fuit, *in qua ſcilicet præcipitur*, Non mœchaberis: ſecundo in virum ſuum deliquit, *in quo facit contra certitudinem prolis ejus*: Tertio in adulterio fornicata eſt, & ex alio viro filios ſtatuit ſibi, *quod eſt contra bonum propriæ prolis. Sed primum eſt commune in omnibus peccatis mortalibus; alia vero duo ſpecialiter pertinent ad deformitatem adulterii.*

VII. Triplici itaque modo committi poteſt, nimirum 1. Si ſolutus cum conjugata peccet. 2. Si conjugatus cum ſoluta. 3. Si uterque ſit matrimonio ligatus. Plures in ſe complectitur turpitudines, injuſtitiam videlicet adverſus conjugem, fidei in Matrimonio datæ violationem, ejuſdem Sacramenti injuriam, prolis legitimæ nocumentum, filiorum confuſionem, dum legitimi cum adulterinis miſcentur. Plurimorum etiam malorum in cauſa eſſe ſolet, nimirum rixarum, diffidiorum, odii, ſcandalorum, & quandoque etiam cædium, & veneficiorum. Merito itaque hoc immane ſcelus etiam agreſtiores, barbaræ & efferatæ gentes ſemper deteſtatæ ſunt, quippe quod legibus naturali, divinæ, & humanæ adverſetur.

VIII. Ab adulterii crimine immunis non eſt uxor, licet conſentiente marito alteri viro commiſceatur. Hanc propoſitionem olim plures benigniores Caſuiſtæ inficiati ſunt; ſed ejus veritatem in lucem poſuit Innoc. XI. propoſitionem 50. damnando, quæ ajebat: *Copula cum conjugata conſentiente marito non eſt adulterium; ideoque ſufficit in Confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum*. Et merito quidem, cum Apoſtolo contradicat dicenti in epiſt. ad Rom. c. 7. *Quod mulier eſt adultera, ſi vivente viro fuerit cum alio*; & cum abſolute ac indefinite loquatur, unumque excipiat caſum, ſcilicet ſi vir mortuus fuerit, clare oſtendit, Mariti conſenſum adulterii malitiam non auferre: & S. Auguſtinus lib. de fide & operib. c. 7. dicit: „ Nuptiarum non ſo„ lum vinculum, verum etiam Sacramentum ita „ commendatur, ut non liceat viro uxorem ſuam „ alteri tradere, quod in Republica tunc Ro„ mana non ſolum minime culpabiliter, verum et„ iam laudabiliter Cato feciſſe perhibeatur “.

IX. Nec ſibi contradicit S. Auguſtinus, dum lib.

1. de Serm. Dom. in monte cap. 17. de quadam Antiochena muliere, quæ ut conjugem a morte eriperet, ipſo conſentiente, ſui corporis alteri copiam fecit, a quo pecuniam acciperet redimendo Marito neceſſariam, dicit ſe dubitare, num adulterii rea foret habenda. Quandoquidem Auguſtini dubium non circa jus verſatur, ſed circa factum, ideſt hiſtoriam vel narrationem, quam ſibi de veritate ſuſpectam affirmat, dicens: *nihil hic in alteram partem diſputo, non enim de divinis auctoritatibus deprompta eſt hiſtoria*. Ceterum de doctrinæ veritate numquam dubitavit S. Præſul, quam certam inconcuſſamque habuit ſcribens: „ Sed tamen utrum quod ait „ Apoſtolus: *Mulier non habet poteſtatem ſui* „ *corporis ſed vir, ſimiliter, & vir non ha-* „ *bet poteſtatem ſui corporis ſed mulier*, poſſit „ tantum valere, ut permittente uxore, quæ „ maritalis corporis poteſtatem habet, poſſit vir „ cum altera, quæ nec aliena uxor ſit, nec a „ viro disjuncta, concumbere: ſed non ita eſt „ exiſtimandum, ne hoc etiam fœmina viro per- „ mittente facere poſſe videatur, quod omnium „ ſenſus excludit “.

X. Præterea Adulteri ſunt habendi conjuges 1. ſi vir propria fruens uxore, vel uxor proprio viro, de alio cogitent & delectentur, tunc enim, licet non opere, moroſa tamen delectatione ſunt adulteri. 2. Si vir celebrato Matrimonio, ſed nondum conſummato, cum alia muliere rem habeat, cum Matrimonium vere perfecteque conſiſtat etiam ante conſummationem, & per illud mutuo jus obtineant in alterius corpus. 3. Probabilius adulteri habendi ſunt conjuges, qui ſodomitico coitu ſe defœdant, tum quia, ut docet S. Thom. hic art. 8. ad 2. „ Ille qui „ eſt ardentior amator uxoris facit contra bonum „ matrimonii inhoneſte eo utens, licet fidem „ non violet: ideo aliqualiter poteſt adulter no- „ minari “: Tum quia Matrimonii fides per hoc immane ſcelus violatur, cum fides in illo Sacramento data ſit de conjugali caſtitate ſervanda, & de prolis procreatione procuranda: at infamis illa copula directe conjugalem violat caſtitatem, directe prolis generationi adverſatur; fidem igitur Matrimonii non ſervat; ſpeciem igitur præfert adulterii. Immo merito dici poteſt, Maritum tali pacto matrimonio abutentem, accedere ad non ſuam, cum pars illa corporis uxoris, non ſua ſit, nec ullam in eam habeat poteſtatem, utpote quæ ad prolis generationem non eſt a natura deſtinata. Ita ſentiunt Cajetanus, Sotus, Sanchezius, Salmanticenſes, Concina, aliique.

XI. Graviſſimum ſcelus eſſe adulterium oſtendit Scriptura, quæ illud execratur & maledictione ferit. Eccli. 23. *In adulterio fornicata eſt, & ex alio viro filios ſtatuit ſibi, hæc in Eccleſia adducetur, & in filios ejus reſpicietur. Non tradent filii ejus radices, & rami ejus non dabunt fructum. Derelinquet in maledictum memoriam ejus, & dedecus illius non delebitur*. De viris autem adulteris dicitur Prov. 6. *Qui adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam, turpitudinem & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur*. Pœnis etiam ſeveriſſimis ſubjacuit ſemper. In veteri Teſtamento pœna capitis plectebantur adulteri. Levit. 20. *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi ſui, morte moriantur mœchus & adultera*. In foro Civili juxta varias Regiones & populos gravioribus puniuntur ſuppliciis, & Romani adhuc Gentiles etiam morte plectebant adulteros. In jure Canonico anathemati ſubjiciuntur. Adultera dote privatur, quæ Marito adjudicatur. Jus inſuper petendi debitum amittunt adulteri. Eccleſia vero adeo hoc ſcelus abominata eſt, ut teſte S. Cypriano illis nec pœnitentiam darent epiſt. 52. Et Concilium Illiberitanum can. 47. ſtatuit: *Si quis fidelis habens uxorem non ſemel, ſed ſæpe mœchatus fuerit, in fine mortis eſt conveniendus, quod ſi ſe promiſerit ceſſaturum, detur ei communio. Si reſuſcitatus rurſum fuerit mœchatus, non edat ulterius de communione panis*. Et in Pœnitentialibus Canonibus apud S. Baſilium, 25. annorum pœnitentia plectebantur. Hæc diligenter attendant Confeſſarii, & mœchos in Sacramento Pœnitentiæ non levioribus pœnis abſolvant, ſed diuturnæ & ſeveriori ſubjiciant pœnitentiæ.

CAPUT SEXTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Stupri ſpecies eſt in Confeſſione aperienda.*
II. *Quando gravius peccetur in ſtupro.*
III. *Aliquando etiam ſine ſtupro gravis injuria virgini infertur ex juſtitia ſarcienda.*
IV. *Num ſtuprum locum habeat in viro a muliere corrupto.*
V. *Adulterium adulterio gravius eſſe poteſt.*

Conſectarium Primum.

I. FEmina, quæ ſtuprum paſſa eſt, ſicut & vir, quæ intulit, in Confeſſione virginitatis deflorationem aperire debent, licet vel illa blanditiis, precibus, promiſſis pertracta fuerit, vel ille conſentientem vel etiam provocantem virginem cognoverit; tum quia ita poſtulat Confeſſionis integritas, in qua ſunt peccati ſpecies pandendæ; tum quia vel vis in uno, vel conſenſus in altera ſtupri malitiam non tollunt, ut diximus. Idem dicendum de pravo deſiderio ſtupri, licet enim per illud reapſe virginitas non tollatur, tamen coram Deo & ex objecto totam ſtupri malitiam induit.

Conſectarium Secundum.

II. Gravius peccat qui virginem vel dolo, vel metu incuſſo ad fornicationem impellit, quam qui ſolis precibus vel blanditiis allicit, cum majorem tum ipſi puellæ, tum ejus parentibus injuriam irroget; uterque tamen ad ſarcienda damna tenetur, ut diximus ſuperius n. 4.

Con-

Conſectarium Tertium.

III. Qui Virginem conatus eſt aut vi, aut dolo, aut fraudibus, falſiſque pollicitationibus ad ſtuprum pertrahere, ſed illa acriter reſiſtente, vel prudenter declinante, pravum finem non eſt conſecutus, ad nihil tenetur quamdiu res in occulto ſit, nec infamiæ notam virgo incurrerit; at ſi ex violenti tentatoris vel loquacitate, vel imprudentia res ita innotuerit, quamobrem puella decenter nubere amplius non poſſit, impudicus tentator damnum tenebitur reſarcire ſive matrimonio, ſive dotatione, cum virgo innocens alienæ iniquitatis pœnam vel perniciem ſubire non debeat.

Conſectarium Quartum.

IV. Tametſi ſtuprum proprie locum non habeat niſi in ſequiori ſexu, cenſeo tamen impudicam mulierem, quæ innocentem puellum ad libidinem ſecum prima vice provocaret, ſcelus ſtuſtro affine perpetrare, licet enim in maribus nec materiale virginitatis extet ſigillum, nec tantum dedecus coram hominibus illi ſit fornicari, ſicut puellæ; nihilo tamen ſecius verum eſt illum pudicitia & caſtitate ſpoliari, in cœno illicitæ voluptatis mergi, a qua lue quam difficile eſt ut emergat; injuriam inferri parentibus filii, quibus cuſtodiendi pignoris cura incumbit: denique diſrupto verecundiæ fræno, laxatis concupiſdentiæ habenis audacior fit & ardentior ad libidinem, certe graviſſimi ſcandali rea eſſet habenda, in confeſſione aperiendi.

Conſectarium Quintum.

V. Adulterium eſſe poteſt alio adulterio gravius; & primo quidem ſi uterque mœchus ſit matrimonio copulatus, duplex eſt enim tunc crimen, & duplici Matrimonio infertur injuria. 2. Deterius eſt adulterium ſoluti cum conjugata, quam mariti cum ſoluta; in priori enim facile adulterina copula generationi nocet, & ſic Maritus filiis privatur, vel ſi non nocet, periculum eſt prolis incertæ: merito enim dubitari poteſt, num Mariti ſit, vel adulteri; unde & emergere poteſt legitimis filiis grave damnum, cum quibus & ſpurii miſceri poſſunt; hæc vero incommoda minime ſuboriuntur quotieſcumque uxoratus cum ſoluta mœchatur. 3. Licet gravius adulterium in muliere propter prolis incertitudinem, nihilominus S. Auguſtinus deterius cenſet adulterium viri, quam mulieris, quippe qui tum virtute tum exemplo uxorem regere debet. „ Non ſolum (ſcribit S. Auguſtinus lib. 2. de „ Adulter. conjug. cap. 8.) nihil volunt detra„ here ſeveritati, ſed iraſcuntur inſuper veritati, „ & loquuntur atque reſpondent: Sed nos viri „ ſumus, an vero ſexus noſtri dignitas hanc „ ſuſtinebit injuriam, ut cum aliis feminis præ„ ter uxores noſtras, ſi quid admittimus, in „ luendis pœnis mulieribus comparemur? Quaſi „ non propterea magis debeant illicitas concupi„ ſcentias viriliter frænare quia viri ſunt; quaſi „ non propterea magis non debeant mulieribus „ ſuis ad virtutis exemplum ſe præbere, quia vi„ ri ſunt; quaſi non propterea minus debeant a „ libidine ſuperari quia viri ſunt; quaſi non pro„ pterea minus debeant laſcivienti carni ſervire, „ quia viri ſunt. Et tamen indignantur ſi au„ diant adulteros viros pendere ſimiles adulteris „ feminis pœnas, cum tanto gravius eos puniri „ oportuerit, quanto magis ad eos pertinet & „ virtute vincere, & exemplo regere feminas. „ Chriſtianis equidem loquor, qui fideliter au„ diunt: *Caput mulieris vir*, ubi ſe agnoſcunt „ duces, illas autem comites eſſe debere, & ideo „ cavendum viro illuc ire vivendo, qua timet „ ne uxor ſequatur imitando“. 4. Tametſi Adulterium inter fideles gravius ſit, quam viri fidelis ſoluti cum infideli uxorata, quia non infertur Sacramento injuria, attamen, ut ſuperius de fornicatione diximus, hujuſmodi adulterina commixtio non eſt ſine Religionis injuria, & infidelem a converſione deterret. Quamobrem in quibuſdam Diœceſibus, ubi Epiſcopo non eſt reſervatum adulterium, copula tamen cum infideli reſervatur ob ſpecialem quam affert deformitatem, ſemper in Confeſſione aperiendam.

CAPUT SEPTIMUM.

De Inceſtu, Raptu, & Sacrilegio.

D O C T R I N A.

I. *Inceſtus definitio.*
II. *Unde deſumenda ex D. Thom. ſpecialis inceſtus turpitudo.*
III. *Linea & gradus tum conſanguinitatis, tum affinitatis ſunt in confeſſione aperienda.*
IV. *Inceſtus locum habet in cognatione etiam ſpirituali, & legali.*
V. *Quid de inceſtu Patris ſpiritualis cum ſpirituali filia.*
VI. *Pœnæ in inceſtuoſos interminatæ.*
VII. *Quid ſit raptus.*
VIII. *Quid requiratur ad raptum.*
IX. *Raptus crimen committitur etiam in violenta viri abductione.*
X. *Pœnæ Raptoribus conſtitutæ.*
XI. *Sacrilegium ſpecies eſt luxuriæ.*
XII. *Ejus Definitio.*
XIII. *Quot modis Sacrilegium perpetretur.*
XIV. *Quando ratione loci luxurioſum ſacrilegium perpetretur.*
XV. *Quibus modis per luxuriam loca ſacra polluantur.*

§. I.

De Inceſtu.

I. INceſtus eſt copula eum conſanguinea, vel affini, vel ſpirituali cognatione conjuncta. Peccatum eſt ſpecie ſua ab aliis luxuriæ vitiis diſtinctum, quippe quod ſpecialem includit deformitatem: quare in Scripturis commixtio ve-

nerea cum conſanguineis vel affinibus turpitudinis nomine deſignatur Levit. 18. *Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedet, ut, non revelet turpitudinem ejus*, &c. Et S. Auguſtinus lib. 15. de Civ. D. obſervat hanc turpitudinem & ipſi naturæ horrori eſſe, ſcribens cap. 16. „ Ineſt humanæ verecundiæ quiddam naturale ac „ laudabile, ut cui debet cauſa propinquitatis „ reverendum honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem, de qua „ erubeſcere videmus & ipſam pudicitiam conjugalem “.

II. Specialem inceſtus turpitudinem ex triplici capite deſumit S. Doctor hic art. 9. ſcribens: „ In uſu conſanguinearum, vel affinium invenitur aliquid incongruum commixtioni venereæ triplici ratione. Primo quidem quia naturaliter homo debet quamdam honorificentiam parentibus, & per conſequens aliis conſanguineis, qui ex eiſdem parentibus de propinquo originem trahunt ..... Manifeſtum eſt „ autem ..... quod in actibus venereis maxime „ conſiſtit quædam turpitudo honorificentiæ contraria: unde de his homines verecundantur. „ Et ideo incongruum eſt quod talis commixtio „ venerea fiat talium perſonarum ad invicem. „ Et hæc cauſa videtur exprimi Levit. 18. 7. „ ubi dicitur: *Mater tua eſt non revelabis turpitudinem ejus*. Et idem poſtea dicitur in aliis. Secunda ratio eſt, quia perſonas ſanguine conjunctas, neceſſe eſt ad invicem ſimul „ converſari. Unde ſi homines non arcerentur a „ commixtione venerea, nimia opportunitas daretur hominibus venereæ commixtionis; & „ ſic animi hominum nimis emolleſcerent per luxuriam. Et ideo in veteri lege illæ perſonæ „ ſpecialiter videntur prohibitæ eſſe, quas neceſſe eſt ſimul commorari. Tertia ratio eſt, „ quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum. Dum enim homo uxorem extraneam accipit, junguntur ſibi quadam ſpeciali amicitia omnes conſanguinei uxoris, ac ſi eſſent „ conſanguinei ſui. Unde Auguſtinus dicit 15. „ de Civ. Dei cap. 16. *Habita eſt ratio rectiſſima caritatis, ut homines, quibus eſſet utilis atque honeſta concordia, diverſarum viciſſitudinum vinculis necterentur, nec unus in una multas haberet, ſed ſingulæ ſpargerentur in ſingulos*. „ His addit & aliam rationem ex Ariſtotele deſumptam, qui ſcribit: *Cum naturaliter homo conſanguineam diligat, ſi adderetur amor, qui eſt ex commixtione venerea, fieret nimius ardor amoris, & maximum libidinis incentivum; quod caſtitati repugnat* “.

III. Quemadmodum plures ſunt tum affinium, tum conſanguineorum gradus, ita pariter plures ſunt in inceſtu turpitudines, quæ num peccata conſtituant ſpecie diverſa diſſentiunt Theologi, nonnulli enim etiam D. Thomæ fulti auctoritate putant crimen inceſtus non eſſe unius ſpeciei atomæ, ſed ſubalternæ, quæ alias ſub ſe ſpecies admittit: alii vero in variis gradibus non niſi majorem vel minorem agnoſcunt turpitudinem, ſed ſemper ejuſdem ſpeciei: omnes tamen conveniunt, eſſe in confeſſione aperienda, tum modum conjunctionis, videlicet num per conſanguinitatem vel affinitatem, tum gradus ſive conſanguinitatis ſive affinitatis lineæ rectæ, ſive tranſverſalis; nam ut animadvertit S. Thom. hic art. 9. ad 3. *In commixtione perſonarum conjunctarum aliquid eſt quod eſt ſecundum ſe indecens, & repugnans naturali rationi: ſicut quod commixtio fiat inter parentes, & filios, quorum eſt per ſe, & immediata cognatio: nam filii naturaliter honorem debent parentibus. Unde Philoſophus dicit 9. de animal. cap. 47. quod quidam equus, quia deceptus fuit ut matri commiſceretur, ſeipſum præcipitavit quaſi præ horrore, eo quod etiam animalibus aliquibus ineſt naturalis reverentia ad parentes. Aliæ vero perſonæ quæ non conjunguntur ſecundum ſeipſas, ſed per ordinem ad parentes, non habent ita ex ſeipſis indecentiam; ſed variatur circa hoc decentia, vel indecentia ſecundum conſuetudinem, & legem humanam, vel divinam; quia .... uſus venereorum, qui ordinatur ad bonum commune, ſubjacet legi. Et ideo, ſicut Auguſtinus dicit in 15. de Civ. Dei cap. 16.* „ Commixtio ſororum & fratrum quanto fuit „ antiquior, compellente neceſſitate, tanto poſt „ ea facta eſt damnabilior, religione prohibente “. Gradus autem prohibiti ſive a naturæ lege, ſive ab Eccleſiæ legibus ſunt omnes tum conſanguinitatis tum affinitatis ex matrimonio contractæ uſque ad quartum gradum incluſive; affinitatis vero ex illicita copula ſolum uſque ad ſecundum gradum.

IV. Præter naturalem cognationem aliæ binæ dantur cognationes, ſpiritualis ſcilicet, & legalis. Prima in duobus contrahitur Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet & Confirmatione ſolemni ritu receptis juxta Eccleſiæ leges in Tridentino Concilio ſancitas, quæ & illius limites poſuit jubens ſeſſ. 24. cap. 11. „ Statuit S. Synodus, ut unus „ tantum ſive vir ſive mulier juxta ſacrorum „ Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus & „ una baptizatum de Baptiſmate ſuſcipiant, inter quos ac baptizatum ipſum & illius patrem „ & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique Patrem & Matrem ſpiritualis cognatio contrahatur “. Et paulo poſt de Confirmatione ſic decernit. „ Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiuſque Patrem „ & Matrem ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis „ cognationis impedimentis omnino ſublatis “. Legalis vero cognatio, quæ habetur per adoptionem extraneæ alicujus perſonæ in filium, aut nepotem, vel deinceps, triplex eſt, nimirum 1. in linea recta inter adoptantem & adoptatum; 2. in linea tranſverſali inter adoptantem & filios carnales adoptati; 3. eſt affinitas legalis ad ſimilitudinem carnalis affinitatis, quæ inducitur inter adoptantem & uxorem adoptati, & viciſſim inter ipſum adoptatum & uxorem adoptantis. Harum quælibet Matrimonium dirimit, & copulam conſtituit inceſtuoſam. Sed de his iterum & enucleatius cum de Matrimonio tractabimus.

V. Spiritualem inceſtum nonnulli, vel etiam ſpi-

ſpirituale ſtuprum, cum S. Thoma appellant, immo ſacrilegium, impudicitiam confeſſarii cum ſua pœnitente, quippe quia pœnitens eſt *ſub ſpiritualis Patris cura conſtituta* ut filia. Et can. *Omnes* apud Gratianum cauſ. 30. q. 1. dicitur: „ Omnes, quos in Pœnitentia ſuſcipimus, ita „ noſtri ſunt ſpirituales filii, ut ipſi, quos vel „ nobis ſuſcipientibus vel trinæ merſionis voca- „ bulo mergentibus unda ſacri Baptiſmatis rege- „ neravit.... Omnes, quos in Pœnitentia acci- „ pimus, ita filii noſtri ſunt, ut in Baptiſmate „ ſuſcepti. Quapropter hoc ſcelus ſi quis perpe- „ traverit, non ſolum dignitatis honorem amit- „ tat, verum etiam uſque ad exitum vitæ ſuæ „ jugi pœnitentiæ ſe ſubdat “. Hæc quamvis ſolum analogice dicta ſint, non proprie, nihilominus cum commixtio & luxuria cum filia ſpirituali fœdiorem & magis horrendam afferat deformitatem, quam cum alia muliere, eſt in confeſſione aperienda, præſertim cum Epiſcopi fere omnes hoc crimen ſibi reſervent. Quid adverſus hoſce Sacramenti Pœnitentiæ indignos Miniſtros & ſacrilegos profanatores ſtatuerint Pontifices, & præſertim Bened. XIV. ſuo loco explicabimus.

VI. Inceſtuoſi in Veteri Teſtamento mortis pœna plectebantur, immo aliqui vivicomburio conſumebantur. Levit. 20. v. 11. *Qui dormierit cum noverca ſua... morte moriantur ambo... Si quis dormierit cum nuru ſua, uterque moriatur... Qui ſupra uxorem filiam, duxerit matrem ejus, ſcelus operatus eſt, vivus ardebit cum eis*. In novo Teſtamento Apoſtolus inceſtuoſum Corinthium tradidit Satanæ in interitum carnis. Sacri Canones inceſtuoſos excommunicatione feriunt, communione privant, & per plures annos in pœnitentia detinent. Legantur S. Baſilii Epiſt. ad Amphilochium cap. 66. & ſeq. nec non antiqua Pœnitentialia. Quamobrem inceſtuoſos pœnitentes confeſſarii nonniſi ſeveriori impoſita pœnitentia abſolvant.

§. II.

De Raptu.

VII. Raptus tripliciter ſpectari poteſt: 1. quatenus eſt violenta abductio perſonæ in ſervitutem redigendæ, & hoc modo raptus non luxuriæ ſpecies eſt, ſed furti, quod plagium dicitur, de quo ſuo loco. 2. Quatenus eſt Matrimonii impedimentum a Tridentino conſtitutum, atque ita ſine luxuriæ peccato eſſe poteſt, non enim aliud præſefert niſi violentam feminæ abductionem de loco ad locum matrimonii cauſa, & de hoc ſermonem habebimus in tractatu de Matrimonii Sacramento. 3. Quatenus ad luxuriæ ſpeciem pertinet, & juxta S. Thom. doctrinam definiri poteſt, violenta feminæ abductio libidinis explendæ gratia, & de hoc hic diſputabimus. Novam luxuriæ ſpeciem præſefert & conſtituit, quia ut animadvertit Ang. Præc. hic a. 7. ad 2. *Illatio violentiæ videtur procedere ex magnitudine concupiſcentiæ, ex qua aliquis non refugit periculo ſe injicere violentiæ inferendæ*.

VIII. Violentia itaque ad raptum requiritur ſive ipſi mulieri, ſive ejus parentibus, aut tutoribus, ſub quorum cura & cuſtodia detinetur; hinc optime docet S. Thom. laud. art. in corp. *Quæ quidem violentia quandoque infertur tam ipſi virgini, quam patri; quandoque autem infertur patri, ſed non virgini, puta cum ipſa conſentit, ut per violentiam de domo patris abſtrahatur. Differt etiam violentia, & raptus alio modo: quia quandoque puella abducitur a domo parentum, & violenter corrumpitur; quandoque autem etſi violenter abducatur, non tamen violenter corrumpitur... Qualitercumque enim violentia adſit, ſalvatur ratio raptus*. Ipſa quoque abductio ad raptum conſtituendum de loco ad locum ſit oportet. Si enim de uno ejuſdem domus cubiculo in aliud ſecretius abducatur femina, etiam luxuriæ cauſa, raptus non erit, vel etiam ſi per aliquot paſſus ab aperto loco in ſecretiorem violenter trahatur. Crimen tamen raptus committit qui feminam explendæ libidinis cauſa violenter de loco ad locum trahit, licet poſtea facti pœnitens nullum cum illa luxuriæ ſcelus admittat.

IX. Licet hactenus de feminæ raptu locuti ſimus utpote frequentiori, locum tamen habere poteſt hocce crimen reſpectu viri, ſi hic vel a muliere, vel ab alio viro rapiatur libidinis explendæ cauſa, cum non minus & ipſe violentiam patiatur, & juxta S. Th. doctrinam etiam hæc illatio violentiæ ex magnitudine concupiſcentiæ proficiſcatur. Ex eo tamen non ſubſequitur matrimonii impedimentum ſi a muliere vir rapiatur, ut ſuo loco dicemus.

X. Pœnæ in Raptores ab Eccleſiaſticis canonibus inflictæ & a Tridentino Concilio innovatæ, ſunt: 1. „ Inter raptorem, & raptam (inquit S. „ Synodus ſeſſ. 24. de Reform. cap. 6.) quamdiu „ ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſ- „ ſit conſiſtere Matrimonium. 2. Si rapta a ra- „ ptore ſeparata, & in loco tuto ac libero con- „ ſtituta, illum in virum habere conſenſerit, „ eam raptor in uxorem habeat, at nihilominus „ raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxi- „ lium, & favorem præbentes ſint ipſo jure ex- „ communicati, & perpetuo infames, omnium- „ que dignitatum incapaces, & ſi Clerici fue- „ rint, de proprio gradu decidant. 3. Teneatur „ raptor mulierem raptam, ſive eam uxorem du- „ xerit, ſive non duxerit, decenter, arbitrio „ judicis, dotare “. Civiles vero leges raptores capitis pœna plectunt, & eorum bona raptæ mulieri adjudicant.

§. III.

De Sacrilegio.

XII. Tametſi ſacrilegium de ſe & directe rei ſacræ temerationem importet, ac proinde directe Religioni adverſetur, quæ Dei cultum reſpicit, optime tamen animadvertit S. Thomas & caſtitati opponi poſſe, & ſpeciem luxuriæ conſtituere; ſcribit enim hic art. 10. *Actus unius virtutis, vel vitii ordinatus ad finem alterius, aſſumit ſpeciem*

ciem illius, ſicut furtum quod propter adulterium committitur tranſit in ſpeciem adulterii. Manifeſtum eſt autem quod obſervatio caſtitatis, ſecundum quod ordinatur ad cultum Dei, fit actus religionis, ut patet in illis qui vovent, & ſervant virginitatem, ut patet per Auguſtinum in lib. de virgin. c. 8. *Unde manifeſtum eſt, quod etiam luxuria, ſecundum quod violat aliquid ad divinum cultum pertinens, pertinet ad ſpeciem ſacrilegii.*

XIII. Sacrilegium itaque prout caſtitati opponitur, & luxuriæ ſpeciem conſtituit, definitur, *violatio perſonæ ſacræ per actum carnalem*; quamobrem ut docet S. Thom. ad 2. *poteſt concurrere cum diverſis luxuriæ ſpeciebus. Si enim aliquis abutatur perſona conjuncta ſibi ſecundum ſpiritualem cognationem, committit ſacrilegium ad modum inceſtus. Si autem abutatur virgine Deo ſacrata, inquantum eſt ſponſa Chriſti, eſt ſacrilegium per modum adulterii. Inquantum vero eſt ſub ſpiritualis patris cura conſtituta, erit quoddam ſpirituale ſtuprum: & ſi violentia inferatur, erit ſpiritualis raptus; qui etiam ſecundum leges civiles gravius punitur quam alius raptus.*

XIV. Cum vero ſacrilegium ſit impudicitia cum perſona Deo dicata, tripliciter committi poteſt, nimirum ſi vir voto caſtitatis obſtrictus cum ſoluta ſeu nullo pacto ſacra muliere luxurioſe peccet. 2. Si mulier voto obligata cum viro ſoluto impudice converſetur. 3. Denique ſi uterque ſit voto ligatus, & tunc non unum, ſed duplex concurrit ſacrilegium, cum duplicis diſtinctæ perſonæ Deo dicatæ habeatur impudica violatio. Quod ſi alteruter vel uterque peccans duplici ſit vinculo obſtrictus, puta quia & eſt in ſacris conſtitutus, & ſolemni voto Deo dicatus, vel duplici peccato polluitur, vel ſaltem gravius ſacrilegium committit, cum duplicem in ſe violet ſanctitatem, nimirum & illam, quæ ex conſecratione in ſacris Ordinibus conſurgit, & quæ ex voto ſolemni profluit. Quamobrem in confeſſione utrumque aperire debet. Similiter docet S. Thomas gravius peccare qui eſt ſolemni & publico voto Deo dicatus, quam qui ſimplici & privato. *Votum enim ſolemne* (inquit 2. 2. quæſt. 68. art. 11.) *habet fortiorem obligationem, quam votum ſimplex, & gravius peccat qui illud tranſgreditur.*

XV. Contingit etiam quandoque ſacrilegium in genere luxuriæ, licet qui peccant nulla ſint vel conſecratione, vel voto Deo dicati, nimirum ſi in loco ſacro impudicitia habeatur. Locus autem ſacer ille eſt habendus, qui eſt aliqua benedictione ad ſacra Myſteria, vel ad fidelium ſepulturam ab Eccleſia deſignatus. Hinc primo loco Templa loca ſacra ſunt cum omnibus ſuis partibus, nimirum Cœmeterio, Sacriſtia, Odeo, Choro, Turri quoque campanaria, ſi ſit tamen cum Eccleſia vel cœmeterio conjuncta, non vero ſi ſit penitus ſejuncta, & loco remotiori ab Eccleſia ſita. Sicut & ea ſubterranea loca, ubi Sanctorum Corpora, & Sacræ Reliquiæ aſſervantur, Altare habetur, & Miſſæ offertur Sacrificium, vel cœmeterium eſt, ubi fidelium corpora reconduntur; non vero ſi caveæ ſint ad Eccleſiam minime pertinentes quoad uſum, ſicut nec ſi ſupra tectum aliquod Menianum, vel ad procul videndum, vel ad tectum ſarciendum eſſet constructum, cum omnino extra Eccleſiam ſit. 2. Oratoria quoque publica ad Miſſam celebrandam conſtructa, quæ & benedictione donata ſunt, inter loca ſacra ſunt merito enumeranda. De Oratoriis vero privatis & domeſticis pro familiæ uſu ab Epiſcopo deſignatis ut Miſſa celebretur, non pro omnibus, ſed pro aliquibus dumtaxat, Theologi & Canoniſtæ ambigunt; plerique cenſent non eſſe inter loca ſacra recenſenda, cum nec publica ſint, nec eccleſiaſtica gaudeant immunitate, & privata etiam auctoritate dirui poſſint, & aboleri. Fateor quidem hujuſmodi Oratoria in Eccleſiaſtico externo foro non omnino ſacra haberi, nec iis gaudere privilegiis cenſentur, ſicut alia publica Deo dicata loca. At in foro conſcientiæ, & coram Deo quis non perſpicit, ea eſſe, quantum ſatis eſt, ſacra, ut ſine ſacrilegio nequeant libidinibus profanari? Nam primo ut ſacra ſunt a ceteris profanis domus cubiculis, aulis, & locis omnino ſejuncta, & proinde ab ipſa familia pro ſacris habentur. 2. inibi incruentum offertur Sacrificium, & de licentia etiam Epiſcopi ſacra adminiſtratur Communio, fideles de familia conveniunt ad Miſſam audiendam, & Sacramenta percipienda, cur ergo ſacra dicenda non erunt? Quid quod nemo non horret, audiens ad libidinem explendam delectum ab impudicis Oratorium, ut ſecretius & liberius fornicentur? Quis non percipiat loco ſacro illatam injuriam? Hoſce igitur impudicos a ſacrilegio excuſare nequaquam auderem. Monaſteria vero ſicut & eorum dormitoria, cellæ, officinæ, licet benedictione donata, inter ſacra loca non enumerant Canoniſtæ, cum nec ad Sacrificium celebrandum, nec ad defunctorum corpora ſepelienda ſint deſtinata.

XVI. Violantur vero hæc ſacra loca, & impudici profanant, qui in eis fornicantur, polluuntur, turpiter & impudice ſe tangunt, & alia exteriora libidinis opera exercent. Nec a ſacrilegio excuſantur, ut quidam nimium benigniores Caſuiſtæ putant, qui hæc occulte patrant & ſecreto, cum non minus publica quam arcana impudicitia coram Deo loco ſacro irrogetur injuria, quod ſi palam eſſet, & publicum fornicarium crimen, ſacrilegio adderetur Scandalum, & publice profanatum Templum juxta Eccleſiæ ritus foret emundandum. Num autem per licitam & maritalem copulam loco ſacro irrogetur injuria, digladiantur Theologi. Nonnulli cenſent per actum matrimonialem, utpote licitum & honeſtum, nullam injuriam loco ſacro irrogari; alii ſi occulte fiat, conſentiunt; at inficiantur ſi notus ſit; alii ſola urgente neceſſitate excuſant, quam urgere arbitrantur, quotieſcumque conjugati diu in Eccleſia permanere coguntur, vel aſyli gratia, vel urgente bello & obſidione, cum difficile arbitrentur, conjugatis diutius abſtinere, & neceſſarium ipſis, aliquando matrimonio vacare. Verum hanc neceſſitatem non video, & ſi quæ a concupiſcentia urgeat, reverentia loci ſacri cohibenda, ſicut cohibenda foret ſi conjugati vel abſentes, vel disjun-

juncti forent; quod enim impediret diſtantia loci, impedire debet ſanctitas loci, ſeque ut abſentes & disjunctos putare tenentur, & ab omni carnali commercio abſtinere, præſertim cum hoc non tam poſitivo Eccleſiæ præcepto interdictum ſit, quam naturali & divino jubente, Templo Dei cultum & reverentiam habendam. Quod oſtendit, & declarat ipſa Eccleſia, dum indicit, Eccleſiam pollutam cenſendam per humani ſeminis effuſionem, *ſive effuſio ſit ſecundum naturam, ſive contra, ſive per copulam ALIAS licitam, ſive per illicitam*. Cap. *ſi Eccleſia*. de Conſecrat. Eccl. Si ergo polluitur domus Dei, per quid indecens & irreligioſum polluitur; quomodo igitur licita eſſe poterit actio indecens & irreligioſa, quæ Eccleſiam defœdat, & polluit? Num vero ſacrilegi ſint habendi qui in Eccleſia externos actus impudicos habent, puta oſcula, tactus, amplexus &c. diximus Tract. de Decal. Præceptis Differt. 5. cap. 2. Conſect. 12.

CAPUT OCTAVUM.

Consectaria præcedentis doctrinæ.

I. *Inceſtus gravior eſt ex majori conjunctione.*
II. *Quando recedere debet a Confeſſario filia ſpiritualis.*
III. *Raptus gravior eſt, quo turpior eſt libido ad quam explendam adhibetur.*
IV. *Crimen raptui affine quale ſit.*
V. *Raptus cujuſcumque mulieris etiam meretricis pœnis ſubjicitur a Tridentino latis.*
VI. *Raptus ſponſæ quando crimen ſit, & pœnis iiſdem ſubjaceat.*
VII. *Nonnulli raptus num ſint culpandi, vel excuſandi.*
VIII. *Quando deneganda raptoribus abſolutio.*
IX. *Quando ſacrilegium in vitio luxuriæ locum habeat.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. INceſtus eo gravior eſt, quo conjunctior eſt perſona cum qua committitur. Hinc graviora ſunt inceſta inter conſanguineos, quam inter affines, quia in prioribus conjunctio proficiſcitur ex ipſo intimo naturæ nexu; in poſterioribus vero ex exteriori per matrimonium ſocietate. Pari pacto inceſtus in primo gradu conſanguinitatis lineæ rectæ & tranſverſalis gravior eſt ceteris inceſtibus ejuſdem lineæ, quæ gravitas augetur, vel minuitur juxta majorem vel minorem inter conſanguineos conjunctionem, quod eſt dicendum & de linea affinitatis. Gradus itaque conjunctionis ſunt in confeſſione patefaciendi, ut diximus, ſive quia diſtinctam conſtituant peccati ſpeciem, ſive quia peculiarem nanciſcantur deformitatem: quamobrem plerumque Epiſcopi criminis inceſtus abſolutionem in primo & ſecundo gradu tum conſanguinitatis, tum affinitatis ſibi reſervant. Inceſtus vero cum cognato, vel cognata ſpirituali, adnexam habet etiam ſacrilegii fœditatem, quia præter pietatem debitam ſpiritualibus cognatis quæ violatur, injuria etiam irrogatur Sacramentis vel Baptiſmi, vel Confirmationis.

Conſectarium Secundum.

II. Jubendum eſt mulieri, quæ cum ſuo Confeſſario actus habuit inhoneſtos, ut ab illo omnino recedat, nec niſi gravi urgente neceſſitate apud ipſum confeſſionem habeat; non enim amplius adhibendus eſt Medicus nec accerſendus, qui ægroto ſuæ curæ commiſſo loco ſalutaris pharmaci, venenum propinavit, nec proditori fidendum, qui ſemel ſub ſpecie amicitiæ fefellit, & blanda pietatis profeſſione turpiſſimam iniquitatem induxit. Ita docet S. Auguſtinus exponens verba Chriſti Domini Matth. 5. *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te*; ſcribit ſiquidem: „ Diligentius quærendum „ quod dixerit *oculum*. In qua quæſtione nihil mihi occurrit congruentius quam dilectiſſimum amicum, nam hoc eſt utique quod „ membrum recte poſſumus appellare quod vehementer diligimus, & hunc conſiliarium, quia „ oculus eſt tanquam demonſtrans iter, & *in rebus divinis quia dexter eſt*, ut ſiniſter ſit dilectus quidem conſiliarius, ſed in rebus terrenis ad neceſſitatem corporis pertinentibus, de „ quo ſcandalizante ſuperfluum eſt dicere, quandoquidem nec dextero parcendum ſit. In rebus autem divinis conſiliarius ſcandalizans eſt, „ ſi in aliquam perniciofam hæreſim (vel fœdius „ crimen) nomine Religionis atque doctrinæ „ (vel pietatis ſpecie) conatur inducere. Ergo „ & dextera manus accipiatur dilectus adjutor, „ & miniſter in divinis operibus; nam quemadmodum in oculo contemplatio, ſic in manu „ recta actio intelligitur, ut ſiniſtra manus intelligatur in operibus, quæ huic vitæ & corpori „ ſunt neceſſaria “.

Conſectarium Tertium.

III. Raptus crimen eo gravius eſt habendum, quo turpior eſt libido, ad quam explendam adhibetur. Graviſſimum propterea crimen, ſi vir virum, & mulier mulierem raperet. Inter mulierum vero raptus gravitatis crimen hoc ordine progreditur, 1. ſi virginem ſolemni voto Deo conſecratam rapiat, deinde ſi ſimplici voto obſtrictam, tertius raptus conſanguinearum vel affinium; 4. Virginum ſeu ingenuarum puellarum; 5. Viduarum. Hinc Symmachus Pontifex M. epiſt. ad Cæſarium Arelatenſem ſic decernit: „ Raptores viduarum, vel virginum ob immanitatem tanti facinoris deteſtamur, illos vehementius perſequendo, qui ſacras Virgines vel volentes, vel invitas matrimonio ſibi ſociare tentaverint. Quos pro tam nefandiſſimi criminis „ atrocitate a communione ſuſpendi præcipimus “. Quod etiam dicendum de præpotente impudica muliere, quæ Religioſum, aut Sacerdotem, ſive Clericum in ſacris conſtitutum, vel alium virum ſimplici caſtitatis voto Deo dica-

catum raperet, vel conſanguineum, vel affinem, vel conjugatum, vel ſolutum; patet enim hunc raptum conſociari aliis luxuriæ ſpeciebus, nimirum ſacrilegio, inceſtu, adulterio, ſtupro, fornicatione, ex quorum majori turpitudine & fœditate deteriorem nanſciſcitur malitiam & gravitatem.

Conſectarium Quartum.

IV. Qui per vim cognoſcit viduam, vel etiam corruptam mulierem honeſtæ famæ in domo paterna, & ſub patria poteſtate conſtitutam, crimen committit ad raptum revocandum, illique affine. Nam cum ad verum raptum requiratur, ut perſona de loco ad locum transferatur, quam translationem hic locum non habere ſupponimus, quamobrem abſolute crimen raptus dici nequit; tamen cum gravis injuria inferatur tum honeſtæ mulieri, tum ejus parentibus, conſanguineis, vel tutoribus, qui illius cuſtodiam gerunt, profecto ad ſimplicis fornicationis peccatum non eſt coarctandum, nec ſtuprum aut inceſtum dicendum, cum nec virgo ſit, nec affinis, vel conſanguinea; ad raptum igitur revocandum eſt, vel ad fornicationem quidem, ſed ſpeciali & turpiori aggravatam circumſtantia, profecto in confeſſione aperienda, quæ immo & onus affert juſtæ compenſationis ad arbitrium prudentis juſtique æſtimatoris.

Conſectarium Quintum.

V. Qui matrimonii contrahendi cauſa quamcumque mulierem ſive virginem, ſive corruptam, ſive etiam meretricem rapuerit, pœnas a Tridentino latas contra raptores incurrit, quandoquidem lex a Tridentino lata eſt, & pœnæ conſtitutæ raptoribus ad libertatem matrimonii ſartam tectamque ſervandam; quamobrem qui per raptum hac libertate mulierem ſpoliat, verum committit raptum a Tridentino vetitum, nullo habito ad raptæ conditionem reſpectu.

Conſectarium Sextum.

VI. Sponſus qui ſibi deſponſatam de futuro puellam, ſive mulierem rapit, peccat quidem graviter, at rigoroſe raptor non eſt dicendus, nec pœnas a Tridentino latas contrahit, tum quia libertati matrimonii conſultum eſt per ſponſalia, maxime ſi puella conſentiat matrimonio, tum quia, ut docet S. Thomas hic q. 154. art. 7. ad 4. „ Sponſus ex deſponſatione habet aliquod „ jus in ſua ſponſa: & ideo quamvis peccet „ violentiam inferendo, excuſatur tamen a cri„ mine raptus. Unde Gelaſius Papa dicit... „ *Lex illa præteritorum Principum ibi raptum di„ xit eſſe commiſſum, ubi puella, de cujus ante „ nuptiis nihil actum fuerat, videbatur abdu„ cta* “. Et revera etiam in antiquioribus canonibus ita conſtitutum legitur; nam cap. *Cauſam*. Extr. de raptoribus dicitur: „ Cum ibi ra„ ptus dicatur admitti, ubi ante de nuptiis agi„ tur, iſte raptor dici non debet, cum habuerit „ mulieris aſſenſum, & prius eam deſponſaverit, „ quam cognoverit, licet parentes reclament, a „ quibus eam dicitur rapuiſſe “. Si vero ſponſus ſponſam ſuam rapiat ad libidinem explendam, vel etiam ad matrimonium extorquendum, quod ſponſa juſtis de cauſis, vel abſolute, vel ad tempus detrectat, crimen raptus committit, & pœnas a Tridentino latas incurrit. Et quidem hoc certum eſt de raptu explendæ libidinis cauſa patrato, cum vis inferatur puellæ, vel ſaltem ejus parentibus, vel etiam utriſque, & hic raptus ad luxuriæ ſpeciem pertinet. Quod ſi raptus aſſumatur etiam ad matrimonium per vim extorquendum, reclamante ſponſa, jam libertas tollitur matrimonii, cui conſulere voluit S. Tridentina Synodus. Sed de his accuratius cum de Sacramento Matrimonii diſputabimus.

Conſectarium Septimum.

VII. Raptor non eſt habendus qui mulierem ſui juris, & conſentientem de domo propria ad ſuam, vel alium locum transfert, licet fratres & conſanguinei reclament, & conquerantur. Quandoquidem nulli fit injuria, non mulieri, quæ ſponte a proco ſe abduci de domo conſentit, non fratribus & conſanguineis, quorum cuſtodiæ mulier demandata non eſt, quippe quam & ſui juris ſupponimus, nec ſub illis tamquam ſub tutoribus vel curatoribus conſtitutam; raptus itaque crimen non intervenit. At e contra verus raptor ille eſt dicendus, qui puellam conſentientem etiam ad fornicandum a domo parentum rapit, clam tamen, illis omnino inſciis. Non conſentiunt quidem Salmanticenſes, qui cenſent, ad raptum parentibus injurioſum requiri, ut ipſi repugnent, & illorum obſiſtentiæ vis apponatur, quod non contingere, inquiunt, in caſu poſito, dum ipſi factum ignorantes non obſiſtunt. Verum longe probabilior mihi videtur poſita ſententia, quandoquidem ad veram injuriam, & quidem violentam ſufficit, ut invitis & non conſentientibus parentibus puella rapiatur, qui ea ſolum de cauſa actu non adverſantur, quia ſcelus ignorant, ceteroquin animo parati ad repellendam injuriam ſi noſſent. Eo vel maxime quod communiter hujuſmodi raptus clam peraguntur ad crimen perpetrandum cum minori periculo, & feliciori ac ſecuriori eventu. Fateor quidem hanc clancularium abductionem furti potius quam rapinæ ſpeciem præſeferre, & minorem continere injuriam, & impietatem, quam ſi aperta vi, & armis obſiſtentes parentes vel tutores repellerentur: nihilominus ad verum raptum revocanda foret, licet minoris quidem malitiæ, ſed atrocis & ſufficientis ad raptum. Quoad praxim attinet, ſive furtum appelles ſive raptum, certum eſt, eſſe clancularia abductionis circumſtantiam in confeſſione aperiendam tum a puella quæ clam aufugeret, tum ab amaſio, qui eam ad libidinem raperet. Hujus pariter criminis reum conſtituunt nonnulli Theologi maritum, qui propriam uxorem ante bimeſtre invitam a domo paterna abduceret, & vi opprimeret, quia illi veram injuriam inferret jus violando,

do, quod habet ad Religioſum, ſi velit, ſtatum ampleɛtendum. Verum ut quod ſentio promam, crimen quidem & iniquitatem cognoſco, raptus malitiam omnino non video: nam ſi conjugem opprimit violenter in ipſa parentis domo, deeſt ad raptum violenta abductio de loco ad locum; ſi vero ut abducat ad propriam domum, deeſt injuſtitia, cum maritus propriam uxorem cuſtodiendi jus habeat & penes ſe retinendi, & uxor maritum ſequi tenetur, & cum illo habitare, vel non niſi ex ejus conſenſu & voluntate ab eo ſejungi, vel ſejunctam commorari. Quod ſi uxor violentiam timeat conjugis, poterit quidem in Monaſterium ſe recipere, vel de Epiſcopi alteriuſve Superioris mandato alicui cuſtodiæ demandari, donec de perfectiori ampleɛtendo ſtatu deliberet; at ipſa ubi ſibi libuerit invito marito permanere, non conceſſum videtur: quamobrem injuſtitiæ crimen patrat maritus vim inferendo, & legitimum jus violando, raptorem tamen abſolute pronunciare non audeo.

Conſectarium Octavum.

VIII. Deneganda eſt raptoribus abſolutio, donec raptam mulierem ad quos pertinet non reſtituerint. Manifeſta eſt hujus corollarii veritas, tum quia res injuſte ablata eſt ſtatim reſtituenda, ne peccato iniquæ ablationis addatur crimen injuſtæ detentionis; tum quia periculum imminet, & quidem proximum, luxuriandi, multo magis ſi mulier cum raptore libenter habitet; quod ſi invita detinetur, perſeverat violentia: quamobrem ſemper eſt deneganda raptoribus abſolutio donec reſtituerint. Ita etiam docet S. Thom. hic a. 7. ad 3. dicens: *Aliter eſt dicendum de raptu puellarum, quæ ſunt aliis deſponſatæ, & aliter de raptu illarum, quæ non ſunt aliis deſponſatæ. Illæ enim, quæ ſunt aliis deſponſatæ, reſtituendæ ſunt ſuis ſponſis, qui in eas ex ipſa deſponſatione jus habent; illæ autem, quæ non ſunt aliis deſponſatæ, primo reſtituendæ ſunt patris poteſtati; & tunc de voluntate parentum licite poſſunt eas in uxores accipere. Si autem aliter fiat, illicite matrimonium contrahitur: tenetur enim qui quamcumque rem rapit, ad ejus reſtitutionem.*

Conſectarium Nonum.

IX. Sacrilegium perpetrat qui voto caſtitatis obſtrictus, vel ſacra ordinatione Deo conſecratus, alium ad luxuriæ peccatum hortatur, vel inducit. Hoc ſiquidem peccatum eſt ſcandali, & quidem directi: porro ſcandalum præter propriam quam habet contra caritatem malitiam, proximo ſpiritualis ruinæ occaſionem præbendo, aliam etiam induit malitiam, illius ſcilicet peccati, ad quod proximum inducit, & pertrahit. Porro qui alium ad luxuriæ peccatum hortatur, jam luxurioſi criminis reus efficitur: peccatum autem luxuriæ in voto caſtitatis obſtricto, vel ſacra ordinatione donato ſacrilegium eſt; ſacrilegus itaque eſt dicendus, licet nonnulli benigniores Caſuiſtæ immerito reclament. Quamobrem etiam ſacrilegii reus eſt habendus, qui alium actibus impudicis polluerit, licet ipſe nullam (ſi tamen fieri poteſt) libidinoſam experiretur delectationem, & qui ſolis interioribus actibus luxuriæ contaminaretur, cum non minus voto repugnent caſtitatis, & ſacræ Ordinationi exteriores, quam interiores actus libidinoſi; & ea luxuriæ peccata, quæ in ſolutis ab omni voto nonniſi caſtitati adverſantur, in Religioſis, vel in ſacris conſtitutis etiam Religioni repugnant, & ſacrilegii turpiorem contrahunt malitiam. Pari pacto immunis non eſſet a ſacrilegio, qui Sacramenta adminiſtrans, puta Communionem, vel Extremam Unctionem, vel Corpus Chriſti geſtans, libidinoſe peccaret actibus ſive internis ſive externis; gravem enim injuriam irrogaret hiſce Sacramentis: ſicut qui ſacris indutus veſtibus Altari miniſtraturus externo ſe fœdaret impudicitiæ peccato, vel poſt ſumptam communionem fornicaretur, vel ſe pollueret, cum hæc omnia ſpecialem præſeferant erga ſacra irreligioſitatem & irreverentiam. Irreligioſus pariter eſt qui ſacras geſtans apud ſe Reliquias præſertim SS. Crucis lignum, ſcortatur, vel aliud fortaſſis fœdiſſimum ſcelus admittit; nec obtendat ſe vel non advertere, vel non ad contemptum iſta peragere; nam & advertere tenetur, & ſin aperto & formali contemptu, tacito tamen & implicito injuriam ſacris rebus irrogat.

REFLEXIO.

Quid mirum, ſi adeo libidinis torrens exundet, & dilatetur in more quod totum obruit Orbem, cum jam etiam penes Chriſtianos illicitis carere voluptatibus & impoſſibile videatur, & illis habenas laxare glorioſum! Hoc eſt quod ſui temporis fidelibus exprobrabat Auguſtinus, & de quo acriter conquerebatur. „ Fœdum eſt „ (ſcribit ſerm. 9. de decem chordis) ut vir „ dicat non poſſe fieri quod facit femina, ſcelus eſt, ut vir dicat non poſſum. Quod „ poteſt femina, vir non poteſt? Quid enim il„ la carnem non portat? Prior a ſerpente dece„ pta eſt. Caſtæ uxores veſtræ oſtendant vobis „ fieri poſſe quod non vultis facere, & dicitis „ fieri non poſſe. Sed forte dices. Ideo illam „ facilius facere poſſe, quia multa illi cuſtodia „ eſt, legis præceptum, diligentia maritalis, ter„ ror etiam legum publicarum, eſt etiam vere„ cundiæ & pudoris illius magnum munimen„ tum. Multæ cuſtodiæ faciunt feminam caſtio„ rem, verum caſtum facit ipſa virilitas. Nam „ ideo mulieri major cuſtodia, quia major in„ firmitas. Illa erubeſcit viro, tu non erube„ ſcis Chriſto? Tu liberior quia fortior, quia „ facile vincis, tibi committeris. Super illam & „ diligentia viri, & terror legum, & conſuetu„ do morum, & verecundia major, & Deus ſu„ per te tantum Deus. Invenis enim facile pa„ res viros, quibus non timeas erubeſcere, quia „ faciunt illud multi. Et tanta eſt perverſitas „ generis humani, ut aliquando metuendum ſit, „ ne caſtus erubeſcat inter impudicos.... Si „ quis inter vos faciat homicidium, quod avertat

„ tat Deus, pellere illum vultis de patria, &
„ continuo, ſi fieri poteſt, excludere. Si quis
„ facit furtum, odiſtis illum, nec videre vultis.
„ Si quis dicat falſum teſtimonium, abominami-
„ ni, nec vobis homo videtur. Si quis volu-
„ tatur cum ancillis ſuis, amatur, blande accipi-
„ tur, convertuntur vulnera in joca. Si quis
„ autem exiſtat, qui dicat ſe caſtum non facere
„ adulterium, notum autem ſit, quod non fa-
„ ciat, erubeſcis accedere ad illos non tui ſimi-
„ les, ne inſultent, ne irrideant, ne dicant non
„ eſſe virum. Ad hoc delapſa eſt humana per-
„ verſitas, ut vir habeatur victus a libidine, &
„ vir non habeatur victor libidinis. Triumphan-
„ tes exultant, & non ſunt viri, jacent proſtra-
„ ti, & viri ſunt. Si ſpectares, illene tibi vide-
„ retur fortior qui jaceret ſub beſtia, an qui pre-
„ meret beſtiam?

Accedit ad libidinis malitiam ſanitatis conſe-
quendæ, & emergendi a cœno difficultas, & pe-
ne dixerim impoſſibilitas. Hinc ſcribit S. Baſilius
in Pſal. 1. „ Vidi ego quoſdam juvenes in car-
„ nis affectus facile ruentes, & uſque ad mortem
„ in vitii conſuetudine durantes “. Quod con-
firmat & S. Jo. Chryſoſt. hom. 59. in Gen. „ Cum
„ ſemel a malitia fuerint occupati juvenes,
„ quaſi in captivitatem eſſent abducti, quo Dia-
„ bolus juſſerit eunt. Conſuetudo enim mali-
„ tiæ proceſſu temporis invaleſcens tantum fa-
„ cit malum, ut poſtea non poſſit aliqua admo-
„ nitione vinci “. Aſſentitur & S. Cyprianus
lib. de bono pudicitiæ: „ Malum omne faci-
„ lius vincitur, quam voluptas, quia illud,
„ quidquid eſt, horridum eſt, hoc blandum eſt “.
Et ſane, ut piiſſimus Auctor animadvertit, ipſa
Peccatricis Evangelicæ converſio inſanabilitatem
oſtendit morbi. „ Sanabili pharmaco (ſcribit)
„ cetera vitia curata, ſed quanto labore, & im-
„ pendio impudicitiæ facta medicina? Publica-
„ no quid ſceleſtius? Viduas opprimit, pau-
„ peres torquet, divites ſpoliat, tot tamen
„ tantaque piacula delicate feſtiveque inter e-
„ pulas expiantur. Vocatur a telonio Mat-
„ thæus, Jeſum convivio excipit, ſtatimque ab
„ uſuris & rapinis ad evulgandum Evangelium
„ deſtinatur, ex Publicano repente Apoſtolus.
„ Non ita ſane medicamentum ſortita eſt vulne-
„ ri ſuo Peccatrix. Irrumpit amore faucia in do-
„ mo Phariſæi nobilis femina non epulatura, ſed
„ ploratura, non accumbit ſed procumbit, non
„ calicem haurit, ſed alabaſtrum exhaurit, non
„ bibit, ſed gemit, non jocatur, ſed rugit.
„ Effundit unguentum, lacrymas, ſpargit co-
„ mam, oſculatur pedes, convivantium dicteria
„ patitur, opum, famæ, ruboris prodiga. Quid
„ officiorum omiſit pientiſſima pœnitentiæ ho-
„ ſtia? Nihilominus poſt victimas labiorum &
„ cordis, poſt lacrymas & unguenta, amaſſe qui-
„ dem dicitur, ſed dimittitur, *vade in pace*,
„ Matthæo autem, *ſequere me*. Petrus negat
„ Chriſtum, pejerat, & reſpicitur, vix plorat,
„ & Princeps Eccleſiæ conſtituitur, ex transfu-
„ ga fidei fit cœlorum claviger. Latro ſcelera
„ quibus crucem meritus blaſphemiis accumu-
„ lat, nihilominus vix memorem ſui eſſe Chri-
„ ſtum cupit, & Regni hæres inſtituitur. Tho-
„ mas incredulus ream dexteram non alio reclu-
„ dere ergaſtulo juſſus quam amoris ærario, pro
„ carcere lateris Domini ſortitur domicilium.
„ Multi peccarunt, ſed nemo difficilius quam
„ peccatrix curatur “. Quamobrem optime a-
jebat S. Laurent. Juſtin. Opuſc. de inter. Confl.
cap. 3. „ Laborioſa prorſus, & ad ſuperandum
„ difficilis eſt carnis illecebra .... nunquam ſupe-
„ rata quieſcit, ſemper floret, ſemper viget,
„ ſemper ſua importunitate decertat, ſerpit conti-
„ nuo ut cancer, ſævit ut ignis, rugit ut leo, tu-
„ met ut coluber, inſidiatur ut latro, cœno volu-
„ tatur ut aper, ſat nunquam dicit ut Infernus “.

Denique radicata & inveterata luxuria plane
manifeſtum eſt reprobationis argumentum & pi-
gnus. Per eam ſiquidem maxime impudicus ab
ultimo fine elongatur, ad ſenſibilia maxime rapi-
tur, & a puro, ſummo, & intelligibili bono,
quod eſt Deus, abſtrahitur, & ſi tota prædeſti-
natio fit per conformitatem ad Chriſtum, ut
ſcribit Apoſtolus Rom. 8. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imagini filii ſui*,
Chriſtus vero Crucem dilexit, luxurioſi nonniſi
carnem deperiunt, carnem amant, voluptates ſe-
ctantur, pœnitentiam oderunt, & fugiunt. Qua-
mobrem eos merito terret S. Zeno, ſive Auctor
ſerm. ſuper *Attende tibi* clamans & vociferans:
„ Valete Adulteri, valete deteſtabiles impii;
„ vos vexandæ jam Tartarorum fauces excipiunt,
„ vos Inferorum fornacum clauſtra in æternum
„ jam coercent, ululant, excruciant. Detru-
„ duntur illuc vale dicentes rerum naturæ, ultra
„ neſciuntur a Deo, qui Deum neſcierunt “.

CAPUT NONUM.

De Luxuriæ peccatis contra naturam in communi.

DOCTRINA.

I. *Peccati contra naturam definitio.*
II. *Quot modis committi poſſit.*
III. *Graviſſima ſunt contra naturam flagitia.*
IV. *Et quidem ſpecie diverſa. Propoſitio damnata.*
V. *Ac unum alio turpius & fœdius.*

I. DUpliciter, inquit S. Th. hic art. 11. aliquis
actus eſſe poteſt contra naturam, nimirum
1. communi modo, quia videlicet rectæ rationi
repugnat, & hoc pacto non ſolum omne luxuriæ
vitium, ſed omnia etiam peccata ſunt contra na-
turam hominis. Alio modo, *quia etiam repugnat ipſi ordini naturali venerei actus, qui convenit humanæ ſpeciei*; & hoc peculiariter & proprio no-
mine dicitur *vitium contra naturam*. Generatim
itaque inſpectum hocce abominabile vitium defi-
niri poteſt ex S. Tho. ex 3. arg. *actus carnalis, ex quo non poteſt ſequi generatio.*

II. Pluribus modis hoc contingere poſſe oſten-
dit S. Doctor ſubdens: *Uno quidem modo, ſi abſque omni concubitu cauſa delectationis venereæ pollutio procuretur*; quod pertinet ad peccatum im-
munditiæ, *quam quidam mollitiem vocant. Alio modo ſi fiat per concubitum ad rem non ejuſdem*
ſpe-

ſpeciei, *quod vocatur* beſtialitas. *Tertio ſi fiat per concubitum ad non debitum ſexum, puta maſculi ad maſculum, vel feminæ ad feminam, ut Apoſtolus dicit ad Rom.* 1. *quod dicitur* Sodomiticum vitium. *Quarto ſi non ſervetur naturalis modus concumbendi aut quantum ad inſtrumentum non debitum, aut quantum ad alios monſtruoſos, & beſtiales concumbendi modos.* Et jure merito, quia cum ordo a natura ad humanam propagationem inſtitutus quatuor neceſſario poſtulet, nimirum 1. ut ſit duorum copulatio, huic opponitur pollutio, ſive immunditie; 2. ut ſint diverſi ſexus, & huic opponitur Sodomia; 3. ut ſint ejuſdem naturæ, ſeu ſpeciei, & huic adverſatur beſtialitas; 4. ut fiat in debito vaſe, naturalibus ſervatis inſtrumentis, & huic omnes alii pravi adverſantur modi, queis generatio impeditur.

III. Hæc crimina eſſe in genere luxuriæ graviſſima indicat ipſa Scriptura, quæ ea *infanda nec nominanda peſſima* appellat: unde Apoſtolus ad Epheſ. 5. hæc ſcelera indicans, ſcribit: *Quæ enim in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt & dicere.* Et Tertullian. de Pudicitia cap. 5. ſcribit: „ Reliquas libidinum furias impias, & in corpora „ & in ſexus ultra jura naturæ non modo limine, ſed omni Eccleſiæ tecto ſubmovemus, cum „ non ſint delicta, ſed monſtra “. S. Auguſtinus lib. 3. Confeſs. cap. 8. ſcribit: „ Flagitia, quæ „ ſunt contra naturam, ubique ac ſemper deteſtanda, atque punienda ſunt . . . quæ ſi omnes „ Gentes facerent, eodem criminis reatu divina lege tenerentur: quæ non ſic fecit homines, ut ſe illo uterentur modo. Violatur quippe ipſa ſocietas, quæ cum Deo nobis eſſe debet, cum eadem natura, cujus ille auctor eſt, „ perverſitate polluitur “. Ratione vero Theologica evincit S. Thomas hic a. 12. ſcribens: *In quolibet genere peſſima eſt principii corruptio, ex quo alia dependent. Principia autem rationis ſunt ea, quæ ſunt ſecundum naturam: nam ratio præſuppoſitis his quæ ſunt a natura determinata, diſponit alia ſecundum quod convenit. Et hoc apparet tam in ſpeculativis, quam in practicis. Et ideo ſicut in ſpeculativis error circa ea, quorum cognitio eſt homini naturaliter indita, eſt graviſſimus, & turpiſſimus; ita in agendis agere contra ea, quæ ſunt ſecundum naturam, eſt graviſſimum, & turpiſſimum.* Quod confirmat in reſp. ad 1. dicens: *Sicut ordo rationis rectæ eſt ab homine, ita ordo naturæ eſt ab ipſo Deo. Et ideo in peccatis contra naturam, in quibus ipſe ordo naturæ violatur, fit injuria ipſi Deo ordinatori naturæ.* Et iterum in reſp. ad 2. non veretur affirmare, gravius eſſe hoc peccatum contra naturam ipſo ſacrilegio, dicens: *Vitia contra naturam ſunt contra Deum..... & tanto ſunt graviora quam ſacrilegii corruptela, quanto ordo naturæ humanæ inditus eſt prior, & ſtabilior quam quilibet alius ordo ſuperadditus.*

IV. Vitia contra naturam eſſe ſpecie inter ſe diſtincta, licet olim negarint Caramuel aliique Theologi, modo tamen nullus eſt qui ambigat, poſtquam Alexander VII. propoſitionem in ordine 24. damnavit, aſſerentem: *Mollities, ſodomia, beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideo ſufficit dicere in Confeſſione procuraſſe pollutionem.* Et revera ipſa naturalis ratio oſtendit; ubi enim eſt ſpecialis deformitas, & ſpecialis turpitudo adverſa caſtitati, & generationi prolis, ibi eſt ſpeciale peccatum: porro quælibet ex recenſitis impudicitiis ſpecialem præſefert turpitudinem, & deordinationem, cum prima conjugali opponatur copulationi, quam rejicit; altera ſexum non ſervet; tertia ſpeciem pervertat; quarta ad generationem impediendam ordinetur; ergo peccata conſtituunt ſpecie diverſa.

V. Non omnia tamen ſunt in malitia & turpitudine paria hæc flagitia, ſed aliud alio turpius & fœdius, quanto magis ab ordine naturæ recedit. Quamobrem optime docet S. Tho. hic a. 12. ad 4. *Gravitas in peccato magis attenditur ex abuſu alicujus rei quam ex omiſſione debiti uſus. Et ideo inter vitia, quæ ſunt contra naturam, infimum locum tenet peccatum immunditiæ, quod conſiſtit in ſola omiſſione concubitus ad alterum. Graviſſimum autem eſt peccatum* beſtialitatis: *quia non ſervatur debita ſpecies. Unde ſuper illud Gen.* 37. Accuſavit fratres ſuos crimine peſſimo, *dicit Gloſſa* (*interl.*) *quod, cum pecoribus miſcebantur “. Poſt hoc autem eſt* vitium ſodomiticum, *cum ibi non ſervetur debitus ſexus. Poſt hoc autem eſt peccatum ex eo, quod non ſervatur debitus modus concumbendi; magis autem ſi non ſit debitum vas, quam ſi ſit inordinatio ſecundum aliqua alia pertinentia ad modum concubitus.* Et hæc de vitiis contra naturam generatim, nunc de ſingulis dicemus diſtinctis capitibus claritatis gratia.

CAPUT DECIMUM.

De peccatis contra naturam in particulari, & primum quidem de immunditia, ſive mollitie.

D O C T R I N A.

I. *Mollities voluntaria ſemper eſt lethale peccatum.*
II. *Et quidem jure naturæ, ut ex ſcriptura conſtat.*
III. *Confirmant SS. Auguſtinus & Thomas.*
IV. *Nec licita ad vitam ſervandam.*
V. *Poteſt tamen aliquando eſſe ſine peccato.*
VI. *Quando alterius peccati ſibi malitiam conſciet.*
VII. *Pollutio non directe volita poteſt eſſe peccatum in ſua cauſa. Regulæ ſtatuuntur.*
VIII. *Regula* I. IX. *Regula* II. X. *Regula* III. XI. *Regula* IV.
XII. *Regula* V. XIII. *Regula* VI. XIV. *Regula* VII. XV. *Regula* VIII.
XVI. *Regula* IX. XVII. *Regula* X. XVIII. *Regula* XI.

I. MOllities ſive pollutio eſt in humani ſeminis effuſione ſita, quod contingere dupliciter poteſt, nimirum a natura in ſomnis ſe

ſe exonerante, vel etiam in vigilia repugnante voluntate, ſive ab ipſa hominis malitia ſe ob delectationem polluentis: prior omni culpa caret, cum nullus adſit nec directus, nec indirectus, nec explicitus, nec interpretativus voluntatis conſenſus. Altera vero ſemper eſt lethale peccatum, & quidem graviſſimum, & contra naturam, nullo proinde caſu permiſſum. Hanc veritatem inficiati ſunt nonnulli benigniores Theologi, & præſertim Caramuel, qui non eſt veritus ſcribere: *Multa ſexto Decalogi præcepto interdicta reperio, quæ præciſa a præcepto non ſolum dicerentur indifferentia, ſed & bona*. Et de mollitie loquens, *ſeminis etiam effuſionem*, ſcribit, *inhibet Deus, non quod ipſa ſit mala ante præceptum, ſed quod ipſe ſit Dominus, nos ſervi, ipſe Creator, nos creatura, ipſi competat præcipiendi auctoritas, nobis obediendi gloria relicta ſit*: & tertio forſitan dubitans, ne ſatis clare peſtilentem doctrinam expoſuiſſet, aperte pronuntiat: *Si Deus mollitiem non interdixiſſet, nunquam eſſet mala, ſed bona, & aliquando obligatoria ſub mortali*. Unum adhuc illi ſupererat dicendum, quod ſerpens antiquus Protoparentibus dixit, nimirum, cur Deus præcepit nobis, ne nos mollitie, ſodomia, beſtialitate oblectemur? cur tantas delicias & voluptates vetuit, quæ natura ſua minime malæ ſint, immo quandoque bonæ & neceſſariæ? Seh vah blaſphemias nedum Theologo, nedum Chriſtiano, ſed & honeſto Philoſopho indignas. Jure igitur meritoque poſtrema propoſitio ab Innoc. XI. anathemate confixa fuit, & binæ priores tamquam blaſphemæ & impiæ deteſtandæ omnino & rejiciendæ.

II. Mollitiei inſitam & naturalem turpitudinem & malitiam indicant ſacræ ſcripturæ, tum Gen. cap. 28. ubi dicitur de Onam, qui ſemen ſuum fundebat in terram, *percuſſit eum Dominus, quod rem deteſtabilem* (non mere poſitivo præcepto vetitam) *faceret*. Et Apoſtolus molles cum adulteris, immo & idolorum cultoribus jungit, ſcribens ad Corinth. 6. *Neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores regnum Dei poſſidebunt*. Et rurſum ad Gal. 5. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, idolorum ſervitus, veneficia ...... qui talia agunt regnum Dei non poſſidebunt*. Quapropter ſicut illa eſſe jure naturæ vetita, nemo inficiabitur, idem eſt dicendum & de immunditia, quam illi aſſociat Gentium Doctor.

III. Confirmant SS. Auguſtinus & Thomas, ille quidem lib. 14. de Civ. Dei cap. 6. tum lib. 4. cont. Jul. cap. 5. ſic ſcribens: „ Male utitur homo membris bonis quando conſentit eis, quæ in nobis habitant, cupiditatibus malis, in quibus libido præ ceteris turpis eſt, cui niſi reſiſtitur, horrenda immunda committit, quo malo bene non utitur niſi pudicitia conjugalis “. Et priori loco ſic ratiocinatur. „ Ex actu venereo tanta voluptas ſequitur, qua major in corporis voluptatibus nulla eſt; ita ut momento ipſo temporis, quo ad ejus pervenitur extremum, pene omnis acies & quaſi vigilia cogitationis obruatur: quis autem amicus ſapientiæ ſanctorumque gaudiorum conjugalem agens vitam, non mallet ſi poſſet ſine hac libidine procreare “? Si ergo hanc voluptatem, quæ ita mentem abſorbet, ab ipſa matrimoniali pudicitia exulare optandum eſſet, quia mentis aciem obruit, quanto magis indigna eſt per ſe turpis, cum percipitur non generationis cauſa, ſed ſolius voluptatis gratia? S. vero Tho. pluribus argumentis hanc veritatem confirmat, & 1. quidem hic quæſt. 154. art. 12. ad 1. ut ſuperius vidimus, oſtendit: „ In peccatis contra naturam, in quibus ipſe ordo naturæ violatur, fit injuria ipſi Deo ordinatori naturæ: porro quod Deo injurioſum eſt, de ſe malum ſit oportet “. Quod rurſum confirmat in Diſputatis quæſt. 15. de malo art. 1. ſcribens: *Omnis uſus prædictorum membrorum, qui non eſt proportionatus generationi prolis, & debitæ ejus educationi, eſt ſecundum ſe inordinatus. Quicumque autem actus prædictorum membrorum eſt præter commixtionem maris & feminæ, manifeſtum eſt quod non eſt accommodus generationi prolis*. Legatur etiam totus art. 3. At preſſius adhuc lect. 8. in c. 1. Epiſt. ad Rom. urget: „ Peccata contra naturam dicuntur *paſſiones*, ſecundum quod proprie paſſio dicitur ex eo, quod aliquid trahitur extra ordinem ſuæ naturæ, puta cum aqua calefit, aut cum homo infirmatur. Unde quia per hujuſmodi peccata homo recedit ab ordine naturali, convenienter dicuntur paſſiones infra cap. 7. *paſſiones peccatorum*. Dicuntur autem *paſſiones ignominiæ*, quia non ſunt nomine dignæ, ſecundum illud ad Epheſ. 5. *quæ ab eis aguntur in occulto, turpe eſt dicere*. Si enim peccata carnis communiter exprobabilia ſunt, quia per ea homo deducitur ad id quod eſt beſtiale in homine, multo magis peccatum contra naturam, per quod homo a natura etiam beſtiali decedit “.

IV. Cum itaque pollutio de ſe mala ſit, nunquam licita eſſe poteſt nec ad vitam ſervandam. Audiatur D. Auguſtinus lib. 22. cont. Fauſtum cap. 27. „ Quod eſt cibus ad ſalutem hominis, hoc eſt concubitus ad ſalutem generis, & utrumque non eſt ſine delectatione carnali .... Quod eſt autem in ſuſtentanda vita illicitus cibus, hoc eſt in quærenda prole fornicarius vel adulterinus concubitus, & quod eſt in luxuria ventris & gutturis illicitus cibus, hoc eſt in libidine nullam prolem gerente illicitus concubitus .... Sicut ergo ſatius eſt mori fame quam idolothytis veſci, ita ſatius defungi ſine liberis, quam ex illicito coitu ſtirpem quærere “. Porro qui dicit ſatius eſt mori fame, quam idolothytis veſci, proculdubio cenſet ſatius eſſe & centies mori, quam libidine nullam prolem gerente pollui.

V. Pollutio licet de ſe mala, quandoque tamen eſſe poteſt ſine peccato, quando omnino eſt præter voluntatem, ut contingit in dormiente. Ita docet S. Th. q. 154. art. 5. ſcribens: *Omne peccatum dependet ex judicio rationis: quia etiam primus motus ſenſualitatis non habet quod ſit peccatum, niſi inquantum judicio rationis reprimi poteſt: & ideo, ſublato judicio rationis, tollitur ratio peccati. In dormiente autem ratio non habet liberum ju-*

judicium. Nullus enim eſt dormiens, qui non intendat aliquibus ſimilitudinibus phantaſmatum, velut rebus ipſis ... & ideo id quod agit homo dormiens, qui non habet liberum judicium rationis, non imputatur ei ad culpam, ſicut nec illud quod agit furioſus, aut amens.

VI. Pollutio directe volita non ſolum ſemper eſt peccatum, ut diximus, ſed aliquando malitiam induit alterius peccati ex objecto de quo delectatur; hinc in adulterium tranſit, ſi ſit cum complacentia de uxore alterius, in inceſtum ſi ſit de conſanguinea, vel affine, in ſtuprum denique, ſacrilegium, aliaſque luxuriæ ſpecies juxta objectorum indolem atque naturam. In ſua vero ſpecie ſiſtit, ſi ob ſolam delectationem omni ſecluſo objecto perpetretur. Sunt itaque in confeſſione explicandæ iſtæ pollutionum concomitantes turpitudines, atque malitiæ.

VII. Pollutio licet non directe volita, poteſt tamen eſſe vel lethale vel veniale peccatum in cauſa, & indirecte. Quod ut clarum fiat apertumque, cauſarum in pollutionem confluentium genera ſunt diſtinguenda. Siquidem aliæ ſunt cauſæ, quæ directe & per ſe ad pollutionem inducendam aptæ ſunt, & ordinatæ, cujuſmodi ſunt inhoneſti & turpes tactus, obſcœnæ cogitationes, aſpectus partium verendarum mulieris, & ſimilia: aliæ vero quæ non per ſe, ſed per accidens pollutionem excitare poſſunt, & hæ vel proxime diſponunt, vel remote, vel ſunt in linea luxuriæ, ut aſpectus mulieris pulchræ, tactus manus feminæ, & ſimilia; vel in alia claſſe omnino diſparata, ut equitatio, certus accumbendi modus, cibi & potus abundantia, & vel ſunt graves vel leves, ideſt multum vel parum in pollutionem influunt, & quidem ſive abſolute, ſive reſpective ad perſonam, quæ eſt vel fortior vel fragilior. Ad dignoſcendum itaque quando criminoſa ſit pollutio vel graviter, vel leviter in cauſa, ſequentes ſtatuimus Regulas.

Regula Prima.

VIII. Qui vult cauſas directas pollutionis, & ipſam pollutionem velle convincitur, proinde lethaliter peccat. Manifeſta eſt hujus Regulæ veritas; nam ſicut qui alteri venenum propinat, ejus mortem velle convincitur, quippe quæ neceſſario ex illo conſequitur, ita pari pacto qui cauſam vult, ex qua ſecuturam ex natura rei prævidet pollutionem, illam velle deprehenditur: quod verum eſt, licet ille pollutionem non intendat, ſed alium effectum ex ipſa pollutione, ut qui ad conſequendam ſanitatem calidis uteretur cibis, qui pollutionem pariunt, ut inde gravi levetur incommodo, quandoquidem hic vellet effectum bonum, videlicet ſanitatem, ſed pravo & iniquo medio, cujus cauſam poneret; proinde reus foret lethalis peccati.

Regula Secunda.

IX. Qui cauſam ponit ad bonum aliquem effectum conſequendum, ſed quem prævidet cum pollutione conjungendum, ſi gravis urgeat neceſſitas, nec ipſe aut pollutionem intendat, aut illi conſentiat, non peccat. Deſumpta eſt hæc regula ex D. Th. qui 2. 2. q. 54. a. 7. docet: nihil prohibet unius actus duos eſſe effectus, quorum alter ſit in intentione, alius vero præter intentionem; quod confirmat exemplo illius, qui ad ſui neceſſariam defenſionem alium occidit: ipſe enim non intendit niſi propriæ vitæ conſervationem, aggreſſoris vero necem omnino non intendit. Pari pacto contingere poteſt, ut medicus ad periclitanti medendum feminæ etiam in ſecretioribus partibus, ex quo prævidet ſecuturam pollutionem, vocetur, præſertim ſi vel feminæ non adſint ad curationem idoneæ, vel alii Medici ſeniores, ad medicinam manus admovere poterit ſanitatem feminæ intendendo, & ſecuturam pollutionem deteſtando, ſeque opportune piis actibus, & in divinæ gratiæ ſubſidio fidens muniendo. Notandum tamen ſola urgente neceſſitate id licere, qua remota jam ipſa pollutio evaderet voluntaria, cum ejus cauſam non ponere libere poſſit & teneatur.

Regula Tertia.

X. Qui opus facit lethaliter malum, ex quo ſecuturam pollutionem prævidet, licet ſit cauſa per accidens illius, tamen mortaliter peccat, & voluntarie eſt in cauſa mollitiei. Hanc regulam inficiantur plures Probabiliſtæ, qui putant, pollutionem in ebrietate voluntaria prævisam non eſſe ſub mortali vitandam (ex capite luxuriæ) quia inquiunt; eſt cauſa per accidens, quæ ad ipſam luxuriam non pertinet, nec malitia effectus malitiam non auget cauſæ. At certe fallunt & falluntur. Nam 1. oppoſitum aperte docet S. Th. hic q. 154. a. 5. ſcribens: *Poteſt conſiderari nocturna pollutio per comparationem ad ſuam cauſam, Quæ poteſt eſſe triplex. Una quidem corporalis. Cum enim humor ſeminalis ſuperabundat in corpore, vel cum facta eſt humoris reſolutio, vel per nimiam calefactionem corporis, vel per quamcumque aliam commotionem, ſomniat dormiens ea quæ pertinent ad expulſionem hujuſmodi humoris abundantis, vel reſoluti; ſicut etiam contingit quando natura gravatur ex aliqua alia ſuperfluitate, ita quod quandoque formantur in imaginatione phantaſmata pertinentia ad emiſſionem talium ſuperfluitatum. Si igitur ſuperabundantia talis humoris ſit ex cauſa culpabili, (puta cum cauſata eſt ex ſuperfluitate cibi, vel potus) tum nocturna pollutio habet rationem culpæ ex ſua cauſa. Si autem ſuperabundantia, vel reſolutio talis humoris non ſit ex aliqua cauſa culpabili, tunc nocturna pollutio non eſt culpabilis nec in ſe, nec in ſua cauſa.* Ratio etiam id evidenter oſtendit, quandoquidem effectus malus cum in ſua cauſa prævidetur quam omittere poteſt, immo tenetur, profecto eſt in ipſa cauſa implicite volitus, licet enim illa cauſa per accidens & remote ſe habeat ad effectum, revera influit in effectum eumque parit; ergo qui cauſam vult, & effectum velle convincitur. Et licet cauſa cum effectu non niſi per accidens conjungatur in genere phyſico, conjungitur tamen per ſe in genere moris, quotieſcumque ille cum iſta conjunctus prævideatur: ſolum igitur hæ cauſæ per accidens in effectum non influunt, quando non prævidetur effectus; tunc enim nulla eſt connexio inter utrumque; non phyſica, quia effe-

effectus per accidens ſequitur; non moralis, quia cum præcognita non ſit nec prævisa, non poteſt eſſe volita. Sicut nec verum abſolute eſt, malitiam effectus cauſæ malitiam non augere; nam non raro contingit, effectum pravum ita refundere ſuam malitiam in cauſam ut hæc lethaliter interdicta evadat, ſic c. ex. tactus inter conjuges liciti ſunt, qui ſi tamen pollutionem inducant, illiciti evadunt. Vide quæ diximus Tr. 3. de Officiis hominum cap. 4. n. 15.

Regula Quarta.

XI. Cauſas leves in pollutionem remote de ſe influentes, licet de ſe veniales, ponere, non ſemper lethale peccatum eſt, quandoque tamen in lethale peccatum tranſire poteſt. Et quidem non ſemper eſſe lethale peccatum docet S. Antoninus part. 2. tit. 6. cap. 5. „ Si quis comedit nimis, vel „ nimis calida, ex quo dubitat ſibi ex hoc ſequi „ pollutionem in ſomnis, quia alias expertus eſt „ hujuſmodi, non tamen propter hoc illa ſumit, „ ſed ut ſatisfaciat gulæ, non propter hoc eſt „ mortale ". In quibus tamen S. Præſulis verbis duo ſunt notanda; 1. eum loqui de pollutione, quæ non certe ſit ſecutura, ſed ſolum de qua dubitatur; 2. non de quacumque pollutione, ſed de ea, quæ in ſomnis contingit. Quamobrem ut pollutio ex his levibus cauſis dimanans non ſit lethale peccatum, duo puto eſſe neceſſaria, nimirum 1. quod certum non ſit ex tali levi peccato, puta aſpectu mulieris, tactu levi manus, lectione curioſa pollutionem ſequi; 2. ut ſi quando ex infirmitate naturæ contingat, procul ſit omnis conſenſus. Nam ſi pollutio certo futura prævideatur ex illa etiam levi cauſa, ſub lethali omittere tenetur, licet enim in ſe levis, eſt tamen cauſa lethalis inordinationis, & criminis contra naturam, proinde ſub lethali vitanda, niſi forte tanta eſt imbecillitas patientis, ut ex quacumque vel leviſſima cauſa, puta pedis vel manus etiam aſpectu, vel levi attactu in illo ſequeretur mollities; tunc enim non concupiſcentiæ, ſed infirmitati foret tribuendum, & difficillimum foret, immo impoſſibile ab omni levi peccato cavere.

Regula Quinta.

XII. Levitas vel gravitas cauſæ, etiam remote influentis in pollutionem, non ſolum eſt ſpectanda ſecundum ejus naturam, & efficacitatem, ſed præſertim ex diſpoſitione ſubjecti magis vel minus in luxuriam propenſi. Nam non infrequenter contingit, cauſam aliquam in ſe levem, reſpectu alicujus gravem evadere, utpote qui maxime commovetur a tali objecto; e contra vero in alio, ſive ex natura ipſa, ſive ex virtute, etiam vehementiores cauſæ nullam excitant libidinoſam commotionem. Proinde peritus Miniſter pœnitentis conditionem, indolem, & pronitatem ad libidinem perpendere debet, & juxta eam de gravitate, vel levitate peccati dijudicare, & quos ad libidinem pronos cernet, & facile conſentientes delectationi, ut ſibi maxime caveant monere debet, niſi enim & libidini graviter obſiſtant, & omnes vitent provocantes occaſiones, a cœno fœdiſſimæ voluptatis nunquam emergent; at ſi quos vident caſtitatis cuſtodes, & ſerio ab hoc infami vitio abhorrentes, qui tamen ex fragilitate quandoque ex aliqua levi occaſione graviter ſe commoveri ſentiunt, eos quidem moneat de periculo vitando, non tamen terreat, nec ſtatim lethalis criminis accuſet. Hinc libenter communi Theologorum etiam rigidiorum doctrinæ & regulæ ſubſcribo, nimirum pollutionem ortam ex remotis & levibus cauſis, etiam in materia luxuriæ, non majorem culpam contrahere, quam ſit ipſa cauſa, dummodo tamen nec pollutio certo prævideatur ſecutura, nec id experientia conſtet; tunc enim illa cauſa, quæ alias remota & levis eſt, jam ratione ſubjecti proxima ſit & gravis, ut mox diximus, & inferius explicabimus.

Regula Sexta.

XIII. Cave, ne inter leves cauſas a peccato lethali excuſantes inde ſecutam pollutionem, eas enumeres, quas nonnulli benigniores Caſuiſtæ conſtituunt, & præſertim Sporerius, cujuſmodi ſunt tactus, oſcula, amplexus inter juvenes & procos habitos ſolius levitatis cauſa, vel ad ſenſibilem captandam delectationem. Quandoquidem hæ non leviter, ſed graviter, & per ſe in veneream influunt delectationem, præcipue reſpectu adoleſcentis & puellæ ſe invicem amantium; & revera quod tales ſint, ipſa per ſe oſtendit quæ ſubſequitur pollutio. Præterea nonne damnata eſt ab Alex. VII. propoſitio 40. in ordine quæ aſſerebat: *Probabilis eſt opinio, quæ dicit, eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis?* Quando igitur ex oſculo ad ſenſibilem captandam delectationem habito ſequitur pollutio, jam non amplius probabile eſt eſſe veniale peccatum, ſed lethale ob inordinatum effectum prævisum & prævolitum in cauſa ex qua conſequitur. Nec dicas, in propoſitione dici *ob carnalem delectationem*, quam ab oſculis ob ſenſibilem delectationem libatis vis excluſam, nam delectatio ſenſibilis jam eſt carnalis phyſice, oritur enim ex contactu carnis cum carne, oris cum facie, nec ex aliqua oritur virtute, puta caritate, dilectione, pietate, & honeſta amicitia, ſed ex deſiderio animali, terrenoque ſenſibilis voluptatis capiendæ: nam ſi nomine *carnalis* vis intelligi libidinoſam delectationem, quis unquam dicet, hanc etiam a pollutione ſejunctam peccatum eſſe veniale, multoque minus ſi cum mollitie jungatur?

Regula Septima.

XIV. Cauſas vel licitas vel indifferentes, ex quibus per accidens ſequitur pollutio, procul omni conſenſu, ponere, etiam voluntarie, non eſt illicitum, quando neceſſaria, juſta, & honeſta adſit cauſa ponendi. Hujuſmodi cauſæ eſſe poſſunt confeſſiones audire, feminis mederi, medicinæ ſtudere, & anatomiæ, vel equitare, tali ſitu in lecto cubare, & ſimilia. Cum enim hæ actio-

actiones & honeſtum finem habeant, ad quem tendunt, & in quem collineant, jam & juſta adeſt cauſa eas ponendi, & pollutio inde non niſi per accidens conſequitur, & ab ipſo operante nec quæſita nec volita antequam fiat, nec amata cum adeſt. Cave tamen ne inter neceſſarias, honeſtas, licitaſque cauſas operandi enumeres exercitium libertatis, tum enim non libertate uteris, ſed abuteris, cum nulla urgente neceſſitate, vel poſtulante utilitate, vel commoditate cauſam ponis, ex qua prævides pollutionem, tunc enim ipſam pollutionem te libenter velle convinceris, cui licet non conſentias, vitare tamen teneris cum facile poſſis, faciliſſime autem potes actionem omittendo, ad quam nulla neceſſitate, nulla utilitate, nullo commodo impelleris. Hanc tamen cauſam utendi jure ſuo locum habere puto in meticuloſis & ſcrupuloſis ſive viris ſive femellis, qui anxii ſemper ſunt, & timent nullam ſibi fuiſſe cauſam licitam & honeſtam talis actionis, vel timent latenter malitiam adfuiſſe in tali actione ponenda: quamobrem torquentur, anguntur, ambigunt, num neceſſitatem habuerint, num convenientiam, num commoditatem, num facile potuerint abſtinere. Porro hujuſmodi puſillanimes ſunt omnino erigendi, & jubendum ut libere operentur, & id ſemper efficiant quod ſibi lubet, & quod apertum & patens eſſe peccatum non vident: tunc enim juſta adeſt ita agendi, immo neceſſaria cauſa præter uſum libertatis, nimirum ſe a ſcrupulis eximendi, & confeſſario præcipienti obediendi.

Regula Octava.

XV. Diſtillatio, quæ ſita eſt in quodam humore, qui ex virili, vel muliebri ſexu egreditur, & ſtillat, dupliciter contingere poteſt, nimirum abſque ulla carnis commotione, & turpi cogitatione, & vix cum ſenſu patientis, qui non niſi ex madore in veſtibus illam percipit, & ob hoc piæ Deumque timentes perſonæ turbari nequaquam debent, licet & ipſis vigilantibus contingat, & in aſpectu vel alterius ſexus, vel actionis turpis forte ante oculos occurrentis, & ſimilibus diffluat; tunc enim libidinoſa actio non eſt, ſed mera infirmitas ac debilitas. Quandoque contingit cum delectatione, pruritu, & commotione libidinoſa, ſed ex quacumque levi cauſa, & tunc hæ ſervandæ ſunt Regulæ; 1. non licet de eo voluptatis ſenſu utpote libidinoſo nec ſibi complacere, nec gaudere, multoque minus illum promovere. 2. Cavere debet ne illi cauſam præbeat, vel blandis alloquiis, vel levioribus tactibus, vel aliis actionibus, ex quibus eam commotionem profluere expertus eſt. 3. Removere debet quantum poteſt cauſas in eam influentes, quotieſcumque juſta de cauſa vel honeſta ad eas ponendas non impelletur. Quod ſi hæc non præſtet, licet fortaſſis ipſa diſtillatione lethaliter non peccet, magno tamen ſe exponit peccandi periculo, ac propterea ſibi cavere debet quam maxime tum illius cauſas removendo, tum quando conſurgit deteſtando.

Regula Nona.

XVI. Pollutio, quæ omnino vigilanti præter voluntatem occurrit, eſt cohibenda pro viribus. Hæc regula eſt de ſe manifeſta, nam ſicut quilibet tenetur obſiſtere motibus concupiſcentiæ inſurgentibus, eoſque a ſe repellere, multo magis reſiſtere, & cohibere debet immunditiam, docente Apoſtolo ad Rom. 8. *Debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Præterea qui pollutioni non reſiſtit, nec eam pro virili cohibet, ſed negative ſe habet, jam clarum eſt eam interpretative velle, & latenter pravæ voluptati aſſentiri. Ulterius dum non reſiſtit, in proximo periculo eſt voluptati libidinoſæ conſentiendi, immo jam conſenſiſſe convincitur, qui libidinoſam voluptatem cum potuit non cohibuit. Quamobrem non ſolum tutam, ſed & unice veram puto Natalis Alexandri doctrinam Tract. de peccatis lib. 3. cap. 8. art. 3. Regula 55. ſcribentis: „ Cum vigilanti præter voluntatem contingit illa obſcœnitas, non ſolum rejiciendæ & abnegandæ turpes cogitationes, non ſolum mortificatio adhibenda, & divinæ auxilium gratiæ implorandum, ſine qua nemo poteſt eſſe continens: ſed ſiſtenda & cohibenda ſeminis fluxio, quoniam (inquit piiſſimus Gerſonius) etſi hæc retentio nocere debeat corpori, proderit animæ. Addit: Naturam alio forte modo ſe alleviare. Exemplo puerperarum mulierum rem illuſtrat, quibus areſcunt ubera cum lac elici deſinit, alioquin jugiter ſcaturit, & fluere paratum eſt, ſic pollutiones iſtæ & pruritus tutius obſiſtendo vincuntur “.

Regula Decima.

XVII. A pollutione, quæ in ſomnis expergiſcenti contingit, cohibenda eſt delectatio, & ſi fieri poteſt, ipſa ſeminis effuſio. Et quidem cohibendam delectationem de ſe patet, cum hæc ſit opus voluntatis, non corporis, & delectatio de re turpi ſit lethale peccatum. Rem declarat S. Thom. in IV. ſent. diſt. 9. q. 1. art. 4. ad 5. ſcribens: *Dicendum, quod corporales motus non pertinent ad meritum, vel demeritum, niſi ſecundum quod a voluntate quaſi a principio cauſantur: & ideo nocturna pollutio magis judicatur quantum ad rationem meriti, vel demeriti, ſecundum principium quod eſt in dormiendo, quam ſecundum terminum qui eſt in vigilando: quia ex quo in dormiendo excitatus eſt motus carnis, non ſubjacet voluntati vigilantis ulterius motus ille, nec reputatur evigilaſſe, quouſque perfectum uſum liberi arbitrii recuperavit. Poteſt tamen contingere quod in ipſa evigilatione peccatum oriatur, ſi quidem pollutio propter delectationem placeat: quod quidem erit veniale peccatum, ſi ſit ex ſurreptione talis placentia; mortale autem, ſi ſit cum deliberante conſenſu, & præcipue cum appetitu futuri. Iſta autem placentia non facit præteritam pollutionem peccatum, quia ipſius cauſa non eſt, ſed ipſa in ſe*

peccatum eſt. Quod vero & ipſam ſeminis effuſionem, ſi fieri poteſt, debeat impedire, ea omnia confirmant argumenta, quæ pro ſuperiori Regula dedimus; nam ſi perfecte evigilet a ſomno ante pollutionem, jam idem eſt ac ſi vigilanti præter intentionem occurrat; ſi vero non perfecte vigilet, jam illi non imputatur ad culpam. Quod ſi expergiſcat jam inchoata pollutione, cum difficile omnino ſit abrumpere, non auderem lethalis peccati damnare illum, qui voluntate inferioris partis rebellionem deteſtaretur, omnemque a ſe delectationis conſenſum abjiceret, Dei vel Sanctorum auxilium invocando, licet ex pigritia e lecto etiam media hyeme non proſiliret ad eam impediendam, quod acre remedium tunc ſolum neceſſario adhibendum cenſerem, cum periculum vel experiretur, vel expertus alias fuiſſet conſenſus in libidinoſam voluptatem.

Regula Undecima.

XVIII. Non licet nec pollutionem in ſomno habendam procurare, nec eam deſiderare, nec de illa gaudere vel ad ſanitatem recuperandam, vel ad ſedandas carnis tentationes. Pollutio, quæ in ſomno contingit, omni quidem culpa vacat ſi ab ipſa exoriatur natura, non autem ſi a voluntate procedat: porro qui pollutionem in ſomno procurat, jam ipſam pollutionem vult, non igitur amplius involuntaria eſt, ſed voluntaria. Voluntaria, inquies, eſt, at non in ſe ſed in ſomno, ubi ab omni eſt ſejuncta peccato, & naturalis naturæ effectus. Falleris, non ipſa pollutio ſive in ſomno contingat, ſive in vigilia, de ſe mala eſt, & naturali ordini adverſa, nec ideo mala, quia ab homine volita, ſed ideo homo malus, qui rem peſſimam vult, & operatur, eam proinde etiam tali modo habendam nefas eſt, & lethale peccatum procurare. Ita quidem omnes Theologi, qui tamen de deſiderio non ita communiter ſentiunt, & plurimi ſunt etiam Probabilioriſtæ, qui arbitrantur, licere ſaltem inefficaciter pollutionem in ſomnis appetere; immo & S. Antoninus illis favere videtur, dum 2. Part. tit. 6. cap. 5. inquit: *Appetere habere pollutionem propter alleviamentum naturæ tantum ſine peccato, ideſt ſine hoc quod det operam, ſed ſua via naturali, non eſt peccatum*. Hanc autem proferunt ſuæ opinionis validam rationem. Quia, inquiunt, pollutio in ſomnis omni vacat culpa, cum ſit merus effectus phyſicus, & naturalis naturæ exoneratio, cur ergo illam deſiderio ſaltem inefficaci non licebit appetere? Verum a tradita doctrina recedendum non puto, quæ mihi nedum tutior, ſed & probabilior habetur, quam tuentur plures nobiliores Theologi, & ſic oſtenditur. 1. Ex S. Auguſtino, qui tantum abeſt, ut putaret poſſe nocturnam appeti pollutionem, quin immo enixe a Deo efflagitat, ut omnino auferatur ab eo, ſcribens lib. X. Confeſſ. cap. 30. „ Sæpe etiam in ſomnis reſiſtimus, noſtrique propoſiti memores, atque in eo caſtiſſime permanentes, nullum talibus illecebris adhibemus aſſenſum? Et tamen tantum intereſt, ut cum aliter accidit, evigilantes ad conſcientiæ requiem redeamus, ipſaque diſtantia reperiamus nos non feciſſe, quod tamen in nobis quoquo modo factum doleamus. Nunquid non potens eſt manus tua, Deus omnipotens, ſanare omnes languores animæ meæ, atque abundantiore gratia tua laſcivos motus etiam mei ſoporis extinguere? Augebis Domine magis magiſque in me munera tua, ut anima mea ſequatur me ad te, concupiſcentiæ viſco expedita, ut non ſit rebellis ſibi: atque ut in ſomnis etiam non ſolum non perpetret iſtas corruptelarum turpitudines per imagines animales, uſque ad carnis fluxum, ſed ne conſentiat quidem ". 2. Quod non licet petere, non licet deſiderare; porro quis audeat a Deo petere ut per nocturnam pollutionem vel infirmitatem auferat, vel tentationum moleſtiam? Profecto nullus chriſtianus qui Deum timeat, præſertim qui ſciat immo e contra Eccleſiam quotidie a Deo petendum jubere, ut *procul recedant ſomnia, & noctium phantaſmata, hoſtemque noſtrum comprime* (quo nomine deſignatur non ſolum Dæmon, ſed & concupiſcentia) *ne polluantur corpora*. 3. Pollutio in ſomnis eſt ſemper de ſe mala ſaltem materialiter, cum ſit effuſio ſeminis extra conjugium, & uſum conjugii, & ſolum non imputatur ad culpam, quia omnino involuntaria: rem igitur de ſe malam deſiderare & appetere non licet. Nec dicas, naturalem in ſomnis ſeminis effuſionem nec materialiter malam dici poſſe, cum ſit phyſica & naturalis ſuperflui humoris expulſio, ut ſudoris, urinæ, ſputi, aliorumque excrementorum, quandoquidem talis effuſio etiam materialiter inſpecta & phyſice non eſt effectus naturæ in ſtatu quo a Deo creata fuit, ſed naturæ per peccatum corruptæ rebellantis & inordinata æſtuantis concupiſcentiæ. Præterea quid minus naturæ repugnans quam ſimplex fornicatio, in qua quantum ad prolis generationem naturalis ordo ſervatur, & nihilominus nullus deſiderare audebit fornicationem in ſomno, quanto minus igitur pollutionem pati, per quam ordo naturæ pervertitur? Hæc ſunt argumenta, quæ mihi probabiliorem reddunt hanc ſententiam, proinde a doctrina recedendum S. Antonini cenſeo, præſertim cum ratio ab adverſæ ſententiæ Theologis allata non omnino conveniat; ſemper enim & in phyſica emiſſione ſeminis deordinatio concupiſcentiæ intervenit, & ordo naturæ violatur. Tertiam quoque partem oppugnant non inferioris notæ Doctores, qui etiam auctoritate ſe muniunt S. Doctoris loc. ſuper. cit. ex Sent. ad 5. dicentis: *Si autem placeat naturæ exoneratio, vel alleviatio, peccatum non creditur*. Verum noſtra aſſertio confirmatur & auctoritate S. Gregorii, qui reſpondens ad interrogationes Auguſtini, Inter. 11. de pollutione mere *naturali ex ſuperfluitate naturæ, vel infirmitate*, dicit: *Hanc animus neſciens pertuliſſe magis dolendus eſt, quam feciſſe*. Et argumentis mox recitatis, quæ æqualiter urgent & contra deſiderium pollutionis, & contra gaudium de ſecuta immunditia, cum ſem-

ſemper utriuſque objectum ſit de re per ſe mala, & abominabili. Verba autem S. Thomæ plures interpretantur de complacentia & gaudio effectus pollutionis, ideſt de ipſa exoneratione, & alleviatione naturæ, quæ eſt res in ſe licita & honeſta; & hoc modo explicant S. D. verba Natalis Alexand. Ballerinus, Concina, aliique. Quod ſi urgeas, & velis S. Thom. loqui de ipſa mollitie jam ſecuta, attende verba S. D. & perſpicies ipſum ſubdubitanter loqui, non aſſertive, & rem non tamquam certam tradere, ſed ut ſuſpectam, ait enim, *peccatum non creditur*, quibus verbis potius quid alii ſentiunt dicit, quam ipſe affirmet, vel adprobet. Caute igitur locutus eſt S. D. cum facile in hoc gaudio venenum lateat, & facile ſit, ut dum de ſanitate ex mollitie conſequente gaudeas & de ipſa cauſa & immunditia læteris. In hoc itaque dubio Gerſonis amplectenda cauta monitio, ſcribentis de Poll. propoſit. 11. *Videat homo præſertim novitius, ne hujuſmodi complacentia ſe ſeducat, pretendens unum, & agens alterum. Salubrius eſt itaque cogitationes circa hanc rem divertere, quam habere.*

CAPUT UNDECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Falſa rejicitur doctrina Vaſquezii.*
II. *Aliæ rejiciuntur Caſuiſtarum laxæ opiniones.*
III. *Qui alieno contactu ſe polluit, gravius peccat.*
IV. *Num liceat ad corruptum ſemen expellendum ſe tangere.*
V. *Non admittenda ignorantia invincibilis malitiæ pollutionis.*
VI. *Qui pollutioni conſentit, ceſſare debet ab opere etiam licito & honeſto, ex quo illa ſequitur.*

Conſectarium Primum.

I. FAlſa habenda eſt Vaſquezii doctrina in 1. 2. D. Th. q. 73. a. 4. ſcribentis: „ Peccata „ luxuriæ contra naturam, etiamſi magis turpia „ appareant, & majori nota infamiæ digna, ex „ genere tamen ſuo minora ſunt quam peccatum „ furti “. Huic opinioni adverſatur S. Thom., qui hic art. 12. q. 154. oſtendit & probat vitium contra naturam graviſſimum eſſe & turpiſſimum inter luxuriæ ſpecies, & antea art. 3. probaverat, ſimplicem fornicationem eſſe gravius crimen furto, ſcribens: „ Dicendum, quod gravi„ tas alicujus peccati poteſt attendi dupliciter: „ uno modo ſecundum ſe, alio modo ſecundum „ accidens. Secundum ſe quidem attenditur gra„ vitas peccati ex ratione ſuæ ſpeciei, quæ con„ ſideratur ſecundum bonum, cui peccatum opponi„ tur. Fornicatio autem eſt contra bonum hominis „ naſcituri. Et ideo eſt gravius peccatum ſecun„ dum ſpeciem ſuam peccatis, quæ ſunt contra „ bona exteriora, ſicut eſt furtum, & alia hujuſ„ modi; minus eſt autem peccatis quæ ſunt dire„ cte contra Deum, & peccato quod eſt contra vi„ tam hominis jam nati, ſicut eſt homicidium “. Immo hic a. 12. ad 2. non dubitat aſſerere eſſe ipſo ſacrilegio graviora ſcribens: „ Vitia contra na„ ram ſunt contra Deum... & tanto ſunt gravio„ ra quam ſacrilegii corruptela, quanto ordo natu„ ræ humanæ inditus eſt prior, & ſtabilior quam „ quilibet alius ordo ſuperadditus.

Conſectarium Secundum.

II. Rejiciendæ ſunt ut falſæ & laxæ ſequentes nonnullorum Caſuiſtarum propoſitiones. Eſcobarii in ſumma tract. 1. Ex. 8. c. 3. n. 80. „ Scio ex verbis amatoriis ſecuturam pollutio„ nem, vel in curioſo feminæ aſpectu, vel ex „ nimia comeſtione, aut ebrietate “. Num ſit mortale? Docet Vaſquez non eſſe etſi prævifa. Sanchezii Joannis in Diſp. Selectis diſp. 21. num. 3. „ Habens delectationem veneream, ceſ„ ſante tamen periculo conſenſus in eam, vel pe„ riculo in pollutionem conſenſus, nullo mo„ do peccabit, ne quidem venialiter, ſi ſolum „ permittat appetitum delectari, negative ſe ha„ bendo“. Et n. 13. pag. 106. „ Qui ederet ca„ lida, ut ſomnia immunda haberet, non pec„ caret, quia ſomnium impudicum in cauſa, „ nullo jure eſt prohibitum “. Et ſequentes, quæ a Torrecilla referuntur. „ Pollutio prævifa „ ſecluſo periculo conſenſus & intentionis erga „ ipſam, non eſt ſufficienter voluntaria, nec im„ putabilis ad culpam, ſi proveniat ex cauſa, quæ „ etſi nec utilis nec neceſſaria ſit, remote tamen „ ad pollutionem ſe habet, vel in illam notabi„ liter non influat. Pollutio ſecluſo periculo con„ ſenſus, & intentionis quoties cauſa, ex qua „ provenit, non eſt graviter peccaminoſa in ma„ teria luxuriæ, etſi illa in ſe ſit graviter pecca„ minoſa in alia ſpecie, & in illa prævideatur „ futura, non eſt peccatum mortale. Pollutio ab„ ſtrahendo a voluntaria & involuntaria intrinſe„ ce mala non eſt “. Hæc vero poſtrema propoſitio non ſolum falſa & laxa, ſed Pelagiana mihi videtur, utpote quæ rebellionem concupiſcentiæ non peccato Originali tribuit, ſed ipſi naturæ hominis. Hæc omnia iis, quæ diximus regula tertia, adverſantur, & allatis ibidem argumentis refelluntur.

Conſectarium Tertium.

III. Qui alieno contactu ſe polluit, licet cum femina dormiente, vel cum puero nondum rationis compote, vel peccatum ſpecie diverſum perpetrat, vel gravius peccat quam ſi ſe ſolum pollueret; proinde hanc circumſtantiam tenetur in confeſſione aperire. Nam ſemper eſt conjuncta vel cum deſiderio objecti, vel ſaltem cum aliqua erga illud delectatione; proinde pollutio malitiam induit objecti, vel ſi (quod vix fieri poſſe videtur) nullum habeat ab objectum vel deſiderium, vel delectationem, adhuc gravius peccare convincitur, tum quia alienum corpus inique commaculat, tum quia illi injuriam infert, tum denique quia hujuſmodi pollutio eſt veluti inchoata copula, ad quam de ſe ordinatur, quamobrem malitiam induit objecti.

Conſectarium Quartum.

IV. Non licet ſive ad expellendum corruptum ſemen, ſive ad ſedandos importunos carnis pruritus talibus uti tactibus & incitamentis, ex quibus ſequatur mollities. Oppoſitum plures docent Probabiliſtæ, ſed noſtra aſſertio nedum tutior eſt, ſed & probabilior. Nam cum pollutio ſit de ſe mala, & adhibiti tactus & incitamenta de ſe eam promovere apta ſint, ipſa ratio oſtendit eſſe ab illis abſtinendum, & tolerandum potius incommodum illud leve ſpe æternæ remunerationis. Accedit periculum conſenſus in delectationem veneream. Prudentes tamen Confeſſarii animadvertant, ne nimis auſtere ſe gerant cum meticuloſis ſive puellis ſive præſertim Monialibus, quæ ſemper ſi ſecretioribus partibus neceſſitatis vel commoditatis gratia manus admoveant, vel ſedaturæ moleſtum pruritum ſe ſcalpant, de pollutione timent, illas doceant, ut rem peragant modeſte, non nudis manibus, ſed induſio tectis, celeriter, & quantum ſufficere ſatis eſt ad levamen, ſi quid pravi motus inſurgat deteſtentur, ſi urgeat ceſſent, ſed non facile eos criminis arguant, timor ipſe quo torquentur, & puritatis amor, quam fœdare vel leviter timent, per ſe ſatis eas munit atque cuſtodit. Secus tamen dicendum de illis, qui huic libidini proni excuſationem ſuarum immunditiarum inde deſumunt, & obtentu ſedandi moleſtias, comprimendi pruritus, quos exagerant, ſuas libidines vel tegere, vel minuere tentant. Eos ſevere increpent, falſam excuſationem rejiciant, concludant omnia potius eſſe in hoc ſæculo toleranda mala, quam animæ detrimentum. Uno verbo, lumen a Deo implorent, omnia bona circumſpiciant, qualitatem perſonæ, pronitatem, vel fugam ab hujuſmodi abominatione penſent, omnem erga perſonam amorem, affectum etiam caſtum, & ſpiritualem exuant, unice Deum reſpiciant, & quod ipſi coram Deo rectum judicaverint, intrepide decernant.

Conſectarium Quintum.

V. Ignorantiam invincibilem malitiæ pollutionis, quam frequenter allegant adoleſcentes in ſuæ turpitudinis excuſationem, nunquam admittat Confeſſarius, ſed repellat, oſtendens, in latenti corde conſcientiam illis facinus exprobraſſe, quippe qui ad hæc prava facienda latebras tenebraſque quærebant, nec unquam voluiſſent a parentibus, a magiſtris, a dominis vel videri, vel ſciri eos hæc turpia perpetrare; multoque minus timore ne a vitio non ceſſantes formaliter peccent, illos inſtruere omittat. Abunde de hac re diximus Tract. 2. de Ratione humana Diſſert. 1. c. 8. Confect. 9. & 10. quamobrem rem hic indigitaſſe ſufficiat.

Conſectarium Sextum.

VI. Quando quis pollutioni conſenſum præbet, & voluptate carnali ſe abripi ſinit, licet nec tam velit, aut intendat, & ſequatur ex cauſa licita & honeſta, tenetur omnino cauſam tollere, & ab illa abſtinere. Rem exemplo illuſtro. Medicus, vel Chirurgus medicinam adhibens feminis, Confeſſarius confeſſiones audiens mulierecularum, pollutionem patiuntur, cui miſere conſentiunt, & lethaliter peccant, tenentur & ille a cura, & iſte a confeſſionibus mulierum abſtinere. Ratio eſt manifeſta, quia tunc officia illa & miniſteria ſunt illis proxima occaſio, & manifeſtum periculum peccandi, ut experientia luctuoſa illis oſtendit. Damnata eſt autem propoſitio 62. ab Innoc. XI. quæ ajebat: *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis aut honeſta non fugiendi occurrat.* Tenentur igitur ab officio & miniſterio ceſſare. Nec illos excuſat vel lucrum quod amittitur ſi a medendo ceſſet, vel utilitas & bonum etiam ſpirituale proximi, quod ab iſto ex auditis Confeſſionibus reſultat; nam priori *quid prodeſt ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* Et in altero ordo caritatis poſtulat, ut prius ſaluti ſuæ ſpirituali & æternæ conſulat, quam alterius etiam ſpirituale bonum procuret. Hinc merito idem SS. Pontifex & 63. propoſitionem conficit, quæ aſſerebat: *Licitum eſt quærere directe occaſionem peccandi pro bono ſpirituali noſtro, vel proximi.* Quamobrem Confeſſarius abſtinere debet ab excipiendis feminarum confeſſionibus, & ſi Parochus ſit, Beneficio renuntiare, præſertim ſi per alium ſupplere non poſſit. Nec adverſatur hæc doctrina regulæ ſeptimæ ſuperius traditæ, quæ ſola locum habet quotieſcumque omne abſit periculum conſenſus & illicitæ complacentiæ in pollutione, quæ per accidens ſequitur ex juſta honeſtaque actione vel cauſa. Nequeunt igitur Confeſſarii, illis qui pollutionibus conſentiunt abſolutionis impartiri beneficium, niſi prius miniſterio abrenuntiaverint, præ oculis habentes propoſitionem 61. ab eodem Pontifice diris devotam, quæ affirmabat: *Poteſt aliquando abſolvi qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt & vult omittere, quinimmo directe, & ex propoſito quærit, aut ſe ingerit*; ſe ingerit autem qui præfata miniſteria ſibi noxia exercere pergit, atque ab eis ceſſare recuſat.

Lubet ad tam difficilis materiæ uberiorem claritatem nonnulla expendere, quæ clariſſimus Franzoja veritatis amator, & ſanæ doctrinæ morum ſtrenuus propugnator hic habet, quæ vel ego bene mente non percipio, vel veritati minus proxima mihi videntur. Inquirit itaque Animad. 20. in 6. Decal. præceptum, utrum culpa venialis in genere luxuriæ, ut curioſus mulieris aſpectus, otioſum cum ea colloquium, pollutionem, quæ inde in ſomno oriri putatur, mortalem noxam efficiat. Pro cujus quæſtionis deciſione doctrinam affert S. Thomæ hic q. 154. art. 5. ſcribentis: *Quod nocturna pollutio dupliciter poteſt conſiderari. Uno modo ſecundum ſe: & hoc modo non habet rationem peccati. Omne enim peccatum dependet ex judicio rationis: quia etiam primus motus ſenſualitatis non habet quod ſit peccatum, niſi inquantum judicio rationis reprimi poteſt: & ideo, ſublato judicio rationis, tolli-*

litur ratio peccati. In dormiendo autem ratio non habet liberum judicium.... & ideo id quod agit homo dormiens, qui non habet liberum judicium rationis, non imputatur ei ad culpam, ſicut nec illud quod agit furioſus aut amens, Alio modo poteſt conſiderari nocturna pollutio per comparationem ad ſuam cauſam. Quæ poteſt eſſe triplex. Cauſas ipſe enumerat, ſcilicet 1. ſpermatis abundantiam. 2. Peccatorum carnis cogitationem. 3. Dæmonem phantaſmata commoventem. Deinde animadvertit, quamlibet harum cauſarum vel culpabilem eſſe, vel culpa vacare. Si culpabilis eſt (ſcribit), nocturna pollutio ex S. Doctore culpæ rationem habet ex ſua cauſa, vel ex parte ſuæ cauſæ. Deinde infert, ergo majorem culpam habere non poteſt, quam ſua cauſa.... Hanc conſecutionem libenter admitto, quotieſcumque nocturna pollutio per accidens ſequatur, vel quis ſecuturam neſcit, vel etiam ſolum ſuſpicatur ſecuturam, tunc enim cauſa illa tum de ſe, tum ratione ſubjecti non niſi remote in pollutionem influit. At ſi certo ſciat, & experientia illi compertum ſit, ſemper ex tali culpa veniali, præſertim in luxuriæ ſpecie, ſequi pollutionem, ab illa ſub gravi teneri abſtinere puto; nam quando quis certo prævidet peſſimum effectum, & gravem inordinationem, quæ de ſe ſit culpa lethalis, etiam ex levi actione & peccato ſolum veniali exorituram, cauſam amovere tenetur, alioquin effectus illi imputabitur ad culpam, & voluntarius cenſebitur in cauſa, præſertim ſi nulla ſit juſta ponendæ cauſæ ratio, immo ex alio capite ab ea abſtinere teneatur. Rem exemplo illuſtro. Maritus ex benevolentia & amore conjugali uxorem oſculatur & attrectat ſine animo dandi operam matrimonio, profecto hæc agens vel leviter peccat, vel omnino non peccat; at ſi certus ſit, & experientia illi compertum, ex his actibus pollutionem fluere, nullus puto dicet, illa oſcula & tactus vel nulla vel nonniſi veniali culpa coinquinari, & pollutionem inde ſecutam non majorem nanciſci culpam quam ſit ipſa cauſa. Urget Franzoja. Si pollutio ex culpa veniali in genere luxuriæ profecta mortalis dicatur, mortalis quoque eſſet, ſi ex levi peccato alterius generis oriretur..., quia inter cauſas ad luxuriam, & ad aliud peccati genus pertinentes, quoad malitiam cauſarum nullum diſcrimen. Nec hoc quidem uſquequaque verum puto; nam adhuc magnum eſt diſcrimen inter peccata venialia in genere luxuriæ, & leviora peccata in alio genere. Illa enim nata ſunt ex ſua ſpecie in pollutionem directe influere, licet leviter; iſta vero omnino per accidens, & plane indirecte. Attamen ſit ut lubet clariſſimo Auctori. Hoc igitur eſt inferendum ceteris paribus, agens, operam illam omittere, & cauſam non ponere tenebitur, quotieſcumque certo ſciat & experientia compertum, inde pollutionem fluere, & ſi non omittat vel voluntarie ponat, jam ipſam pollutionem velle & amare convincitur. Sit exemplum. Quis certo ſit & experientia compertum, ex uſu leviter intemperato vini, vel cremati, vel alterius calidioris liquoris ſequi pollutionem; quilibet prudens & cordatus non ambiget, illum teneri a tali potu abſtinere, alioquin velle convincitur immunditiam. Ut ſi quis certus & expertus ſciat, ex uſu etiam levi ſpiritus vini, vel cremati ſemper febrim ſubſequi, quis non dicet, illum bibere volentem, febrim ſibi voluntarie adſciſcere, & veluti parata pecunia ſibi comparare? Prætarea nonne Theologi docent mulierem teneri abſtinere ab aſpectu & colloquio etiam honeſto cum viro, a quo ſe ſcit inhoneſte amari, & concupiſci, & hoc ex lege caritatis? Cur igitur ex lege caſtitatis non tenebitur iſte abſtinere ab opere, ex quo ſequitur gravis læſio caſtitatis, & violatio fœdiſſima naturalis ordinis.

Pergit Franzoja, & auctoritatem allegat Concinæ ſcribentis: „ Ex curioſo & familiari aſpe„ ctu, vel etiam otioſo colloquio cum muliere „ experiris pollutionem (nocturnam); nulla pror„ ſus cauſa adeſt talem ſive ſpectandi ſive allo„ quendi mulierem; quod ſi nihiloſecius eam a„ lioqui, & videre voluntarie pergas, hoc in ca„ ſu gravi culpæ tibi pollutionem verterem; quia „ cauſa illa quæ abſolute eſt levis, evadit tibi „ gravis reſpective, & comparate ad naturæ tuæ „ conditionem. Accedit quod, ut ſupra di„ ctum eſt, qui hujuſmodi cauſas nec utiles, nec „ neceſſarias non evitat, animi ſui propenſionem „ in pollutionem manifeſtat ". Quibus recitatis Concinæ verbis duo ſubdit Franzoja, nimirum 1. ſecum convenire Concinam, *quia fatetur cauſam illam ad luxuriam pertinentem levem eſſe, etſi inde nocturna pollutio extiterit.* Alterum ſe cum Concina convenire, & concedere, *quod dum cauſam ponere pergis, non eam tantum. ſed effectum ipſum velle videris, in qua voluntate gravitas culpæ ineſt.* Non eſt igitur ſemper verum, quod ajebat Franzoja (ipſo fatente, ſi tamen mentem ſuam bene perſpicio) pollutionem majorem culpam habere non poſſe quam ſua cauſa, nec mortale peccatum eſſe ſi cauſa ſit ſolum venialis, cum in veniali cauſa latere poſſit non quidem directa, ſed indirecta pollutionis volitio.

Progreditur idem Auctor, & regulam recitat a Concina ſtatutam ad dignoſcendam majorem vel minorem culpam in pollutione his verbis: „ Et, ut paucis rem comprehendam, & ſcru„ puli omnes, ac perplexitates abigantur, ſta„ tus perſonæ bene moratæ aut depravatæ regu„ la erit ſecurior, unde erruere valeas, quando „ nec ne pollutio dicenda lethalis erit ". Ex qua regula, quam ego rectam cenſeo, & oppotunam, quamobrem adoptavi ſuperius n. 5. ſic ratiocinatur Franzoja: „ Si nocturna pollutio juxta P. „ Concinam ex veniali luxuriæ noxa or„ ta lethalis ex ſe eſſet, talis foret, ſive ex be„ ne morato, ſive ex depravato homine profici„ ſceretur, & regula ab ipſo tradita ſupervaca„ nea foret ". Bene. Optime. Aſſentior. At quis unquam docuit, ſemper pollutionem eſſe lethalem culpam, ſi ex levi cauſa etiam in genere luxuriæ oriatur, & quidem *de ſe?* Nullum fateor vidi, nulluſque occurrit mihi Theologus, qui adeo rigidam, & certe falſam doctrinam poſuerit. Supervacanea tamen non eſt Concinæ doctrina,

immo opportuna. Cum enim contingere poſſit, ut in aliquo ſubjecto ex quibuſdam etiam venialibus culpis ſequatur pollutio, ut diſcernere prudens Confeſſarius queat, num fuerit etiam in illa levi cauſa indirecte & latenter volita, inſpicienda conditio Pœnitentis, qui ſi ſit ita libidini addictus, ut eam explendi quamcumque anſam arripiat, cenſendum erit pollutionem ab ipſo volitam etiam in levi cauſa, quippe quia ita animo affectus eſt, ut nunquam vel libidini reſiſtat, vel etiam occurrentem non amet & amplectatur. E contra vero ſi pœnitens ſit bonæ conſcientiæ, & Deum timens, qui ab immunditia abhorret, & ſolum quandoque gravi urgente tentatione, vehementi impellente occaſione labitur, non eſt præſumendum in leviori cauſa volitam ab ipſo, quæ inde conſequitur, pollutionem, licet de ea ſuſpicetur, certum tamen neſcit futuram. Fieri poteſt igitur, ut quandoque in levi cauſa grave lateat volitæ pollutionis virus non de ſe, ſed ex ſubjecti conditione.

At quod me maxime commovet, & vix percipio, eſt, quod ſubdat, quæſtionem inſtituens, utrum pollutio ex mortali cauſa, vel ebrietate exiſtens, mortalis ſit, & allata reſponſione Natalis Alexandri, & Concinæ affirmantium juxta S. Thom. doctrinam, eorum opinionem ſic refellit ſcribens: „ Articuli S. Thomæ contex„ tus a me ob oculos poſitus mox fuit, ex „ quo malitiam effectus ex malitia cauſæ argui „ ex S. D. non poſſe puto, eo ſenſu ut in no„ cturnæ pollutionis mortali cauſa, duplex mor„ talis ſit culpa, altera cauſæ, altera ipſius „ pollutionis. Id certe ex ratiocinatione D. „ Thom. non colligitur, multoque minus ex „ concluſionis verbis, quæ ſunt, tunc *noctur„ na pollutio habet rationem culpæ ex ſua cauſa*, „ *& ſic patet, quod nocturna pollutio habet ra„ tionem culpæ ex parte cauſæ ſuæ* “. Profecto vix capio, quomodo hæc conſiſtere poſſint & convenire cum doctrina, quam tradit Franzoja ibid. Animad. 19. ſcribens: “ Qui prævidet ex ſua e„ brietate rixas & blaſphemias, non ſolum ebrie„ tatis, ſed rixarum & blaſphemiarum reus eſt, „ ergo ſi ex ſua ebrietate luxuriam, puta pollu„ tionem prævidet, pollutionis reus erit “. An venialiter tantum peccat qui pollutionis reus eſt? Quamobrem puto clariſſimum Virum de pollutione loqui, quam qui inebriatur nec prævidet nec prævidere poteſt, utpote qui nunquam expertus, in quo certe non duplex eſt peccatum pollutionis & ebrietatis, ſed unum tantum, & in quo pollutio, ut poſtea ſubdit ex S. Thom. *Non eſt peccatum*, *ſed ſequela peccati*. At, ut ego arbitror, Nec natalis Alexander, nec Concina unquam docuerunt in hujuſmodi ebrio pollutionem vel voluntariam eſſe, vel lethaliter culpabilem; & certe Daniel Concina mentem ſuam aperit clare, & diſerte non uno in loco, nam hic in loco a Franzoja cit. num. 39. ſcribit: „ Paucis rem concludamus. Quando cauſa, ex qua „ oritur pollutio PRÆVISA, mortalis eſt, pol„ lutio quoque lethalis reputanda eſt, quidquid „ in oppoſitum dicant Salmanticenſes “. Et rurſum n. 44. ubi S. Thomæ doctrinam exponit, repetit: „ Quando in cauſa mortali PRÆVIDE„ TUR effectus, tum illa cauſa, licet abſolute „ per accidens ſit reſpectu luxuriæ, tamen ſpe„ ctatis omnibus reipſa luxuriam parit, quam„ obrem qui eam vult, velit & effectum neceſ„ ſe eſt “. Diſputationem itaque claudens ajo, vel doctus Auctor de pollutione prævиſa loquitur, & tunc Danieli Concina, Natali Alexandro, communique Theologorum choro conſentit, ut patet ex ejus verbis de ebrioſo rixante & blaſphemante, & optime docet. Vel de illo loquitur, qui inebriatur, ſed pollutionem nec prævidet, nec prævidere poteſt, & hic quoque egregie inſtruit, & fruſtra paginam argumentis onerat, ut ſuam adſtruat ſententiam, cui nullus eſt nec rigidior Theologus licet (ut ad invidiam loquuntur Caſuiſtæ) Janſeniſta qui obſiſtat, vel ſi qui foret adeo imprudens, unico ac quidem breviſſimo principio refelleretur, nimirum regerendo: *Nihil volitum, quin præcognitum*.

CAPUT DUODECIMUM.

De Sodomia.

DOCTRINA.

I. *Sodomiæ infandum ſcelus quando habeatur*.
II. *Tripliciter committi poteſt*.
III. *Alia crimina ſodomiæ conſociari queunt*.
IV. *Hujus ſceleris gravitas*.
V. *Pœnæ in Sodomitas latæ*.
VI. *Quid ſit beſtialitas*.
VII. *Quid inordinatus concubitus*.
VIII. *De imperfectæ libidinis actibus*.
Reflexio.

I. SOdomiæ infandum ſcelus, quod ab urbe Sodoma ob hocce infame vitium flammis e cælo delapſis cum ſuis incolis conſumpta nomen accepit, a D. Thom. hic q. 154. a. 2. definitur: *Concubitus ad non debitum ſexum*, ſcilicet maſculi ad maſculum, & feminæ ad feminam; per hoc igitur a ceteris diſtinguitur luxuriæ ſpeciebus, quæ vel in ſua turpitudine ſaltem ſexus diverſitatem ſervant, & in hoc naturæ ordinem minime perturbant, vel pejus perturbant nedum ſexum, ſed & ſpeciem permutando, ut in beſtialitate.

II. Tripliciter committi poteſt hoc crimen, nimirum ſi vir cum viro concumbat, ſi cum femina femina, vel vir cum femina ſed præpoſtero vaſe. Quamobrem Theologi ſodomiam in perfectam & imperfectam diſtinguunt. Perfecta eſt nullo refragante, quando concubitus eſt inter maſculum & maſculum, ſive ſequatur ſeminis effuſio, ſive non, cum hæc ad ſodomiæ eſſentiam non pertineat, non enim ad generationem tendit, ſed ſat eſt vaſis penetratio. Nec minus perfecta cenſenda eſt, ſi femina cum femina congrediatur, cum adhuc habeatur concubitus contra debitum ſexum; ſive igitur concumbat in vaſe poſteriori, ſive in anteriori, ſive medio inſtru-

inſtrumento aliquo, vel ſine ullo, ſodomiticum perpetrat ſcelus. Imperfecta vero eſt ſodomia, ſi diverſus adhibeatur ſexus, ſcilicet ſi vir mulierem cognoſceret in vaſe præpoſtero, cum juxta S. Thom. ſodomia de ſua ſpecie concubitum importet ad non debitum ſexum; negandum tamen non eſt hujuſmodi copulam & affectum ſodomiticum importare, & quantum ad effectum illi æquiparari, cum æque generationem impediat.

III. Cum ſodomiæ ſcelere tam perfectæ quam imperfectæ alia commiſceri poſſunt peccata, ſicut in fornicatione juxta ſubjecti ſpeciem; ſi enim perpetretur ſcelus cum conſanguineis, inceſtus gravitatem induit, licet impedimentum dirimens matrimonium non inducat, proinde explicandi ſunt in confeſſione gradus conſanguinitatis, vel affinitatis; ſicut & explicandum, ſi perſona ſacra fuerit, vel voto caſtitatis ligata, ſi matrimonio juncta, immo & ſi virgo ſit, licet nonnulli Caſuiſtæ negent, quia licet virginitas materialis non auferatur, corpus tamen virginis polluitur, & fœdius quid ipſo ſtupro committitur. Similiter ſi conjux cum ſua uxore ſodomitice concumbat, Sacramento injuriam irrogat, fidemque conjugii frangit, quæ eſt de copula maritali ad filiorum procreationem, non de ſodomitica tali propagationi infeſta. Hinc ſcribit S. Auguſtinus de bono conjugali cap. 11. „ Nam cum ille naturalis uſus quando non prolabitur ultra pacta nuptialia ultra propagandi neceſſitatem venialis ſit in uxore, in meretrice damnabilis, iſte qui eſt contra naturam, execrabiliter fit in meretrice, ſed execrabilius in uxore. Cum vero vir membro mulieris non ad hoc conceſſo uti voluerit, turpior eſt uxor ſi in ſe quam ſi in alia fieri permiſerit “. Circumſtantia quoque agentis & patientis eſt in confeſſione aperienda, licet inficietur Concina, aſſerente tamen Natale Alexandro, qui ſcribit, *gravius peccat qui turpiter agit, eo qui turpiter patitur*; & ratio ipſa oſtendit, quia nimirum ex ſe mollitiem habet adnexam, quæ nec eſt de ſe a ſuccubo intenta, & ſi etiam in patiente contingat, agenti adhuc imputatur, qui ei iniqua & nefanda ſua actione cooperatur, & etiam excitat. Cum ferme in omnibus Diœceſibus ſodomiæ ſcelus reſervatum ſit, reſervatio eſt intelligenda de ſodomia perfecta, in qua diverſitas ſexus non intervenit, quamobrem ſi inter feminam ſit & maſculum, non cenſetur reſervata, niſi aliter Legislator diſponat; ut tamen reſervationi ſubſit, ſufficit ſi vas penetretur, licet non ſequatur pollutio, ut enim ſuperius diximus, concubitus ſodomiticus ad generationem non pertinet.

IV. Quam horrendum ſit hoc crimen, quam infame, quam execrandum dicere vix poſſumus. Sic in illud tonat Chryſoſtomus adverſus vituperatores vitæ Monaſticæ cap. 7. „ Amor quidam novus & nequiſſimus noſtra ætate in noſtrum genus irrupit, & late dominatur, morbus irruit acerbus atque inſanabilis, peſtis teterrima, atque omni pernicie immanior & gravior invecta eſt, ſcelus quoddam novum & intolerabile excogitatum eſt. Non enim ſcriptæ & conſtitutæ modo, verum ipſæ quoque naturæ pervertuntur leges. Nihil jam fere ad impudicitiæ rationem fornicatio eſſe exiſtimatur. Cæterum ut in doloribus cum paſſio incumbit violentior, prioris doloris ſenſum omnem ſua magnitudine intercipit, ſic hujus quoque magnitudo flagitii facit, ut quod ſuapte natura tolerabile non eſt, non jam videatur eſſe intolerabile, obſcœna ſcilicet cum mulieribus libido ... Cur cum admittantur ſodomorum ſcelera, non tamen contingunt ſodomorum clades? Quia manet iſtos ignis alius longe illo gravior, cruciatuſque finem nullum habens “.

V. Severiſſimæ proinde pœnæ immani crimini a divinis, civilibus, eccleſiaſticiſque legibus ſunt conſtitutæ. In veteri Teſtamento mortis pœna lata fuit in maſculorum concubitores. Levit. c. 20. v. 13. indicitur: *Qui dormierit cum maſculo coitu femineo, uterque operatus eſt nefas, morte moriantur, ſit ſanguis eorum ſuper eos*. Civiles Leges non quamcumque mortem, ſed vivicomburium indicunt ſceleſtis iſtis. In Cod. Theo. ad Leg. 9. tit. 17. habetur: *Hujuſmodi ſcelus ſpectante populo flammæ vindices expiabunt*. Antiquiores Eccleſiæ canones ſtupratoribus puerorum nec in fine dandam eſſe communionem decreverunt, & Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. Laicos hujus ſceleris reos excommunicatione plectendos ſtatuit. Clericos vero a Clero dejiciendos, & in Monaſterium ad agendam pœnitentiam detrudendos juſſerunt ejuſdem Concilii Patres. S. vero Pius V. in Clericos ſodomitas ſua Conſtitutione has pœnas ſtatuit. 1. Omni privilegio clericali, omnique officio, dignitate & beneficio eccleſiaſtico privat. 2. Degradatos per Judicem Eccleſiaſticum poteſtati ſeculari tradendos mandat. 3. Ab iſtis puniendos eodem ſupplicio in laicos hoc in vitium devolutos legitimis ſanctionibus conſtituto. Licet autem has pœnas SS. Pontifex præſertim in Clericos ſodomiam exercentes tulerit, quibus proinde obnoxius non ſit, qui ſemel vel bis ex paſſionis impetu ac repentina urgente tentatione hoc crimen perpetravit, neceſſe tamen non eſt, ut diutina conſuetudine & pluribus repetitis actibus in hocce crimine ſordeſcat ad eas incurrendas. Nec eas pęnas vitat qui in ſodomitico crimine agens ſemen non effudit, aut patiens ſolum eſt, nam in utroque caſu verum & completum habetur infandum crimen pęnis proinde obnoxium. Pari pacto cum hujuſmodi pęnæ dicantur ipſo facto incurrendæ, non expectata judicis ſententia, non propterea tenetur reus, ſi occultus eſt, ſe pandere; aut diffamare; tamen ſi ejus crimen ita innoteſcat, ut publicum fiat, is pęnitentiæ etiam publica argumenta præbere debet ad horrendum ſcandalum ſubmovendum. Debet ſe ab omni officio clericali abdicare, & Superiori pęnas infligenti ſe ſubmittere.

VI. Beſtialitatis crimen ex S. Thoma definiri poteſt: *Coitus cum individuo alterius ſpeciei*. Parum intereſt ad hujuſce flagitii gravitatem ſpeciei diverſitas in animali quo abutitur. Inordinationem importat, per quam omnia alia crimina contra naturam excedat, ut docet S. Thom. hic art. 11.

II. ad 4. ſcribens: *Graviſſimum autem eſt peccatum beſtialitatis, quia non ſervatur debita ſpecies.* Ad hoc ſceleris genus revocatur etiam coitus cum dæmone, ſive hoc reapſe contingat, ſive in ſola ſpurciſſima Magorum & Sagarum phantaſia locum habeat, in quo tamen duæ ſunt circumſtantiæ, quæ malitiam augent, nimirum 1. quia commercium initur cum infami & infenſiſſimo hoſte tum Dei, tum hominum, quamobrem etiam Religionem ipſam violat. 2. Quod malitiam induit ejuſdem ſpeciei, quam exhibet ſpectrum, quod phantaſiæ agentis objicitur, nimirum inceſtus ſi conſanguineam, adulterii ſi conjugatam, ſacrilegii ſi perſonam Deo dicatam repræſentet; & ſic de ceteris. Pęna labentibus in hoc crimen a lege divina in veteri Teſtamento inflicta erat mortis, etiam ipſius beſtiæ. Levitici cap. 20. *Qui cum jumento & pecore coierit, morte moriatur, pecus quoque occidite. Mulier, quæ ſuccubuerit cuilibet jumento, ſimul interficietur cum eo, ſanguis eorum ſit ſuper eos.* Pari pęna quoque & tunc a judicibus puniri debent, ut ſtatuunt utrumque jus & Canonicum & Civile.

VII. Inordinatus concubitus ille dicitur, qui vel ad prolem impediendam adhibetur, vel ad explendam libidinem, quamobrem ut docet S. Thom. in IV. Sent. diſt. 31. *Vel debitum vas prætermittitur, vel debitus modus a natura inſtitutus quoad ſitum; & in primo ſemper eſt mortale peccatum, quia proles ſequi non poteſt, unde totaliter intentio naturæ fruſtratur, ſed in ſecundo modo non ſemper eſt peccatum mortale, ut quidam dicunt, ſed poteſt eſſe ſignum mortalis concupiſcentiæ.* Ad quod autem genus libidinis propudioſum illud facinus revocem, quod fellationem appellant Latini, & exercentes Fellatores, profecto ignoro. Hos merito etiam prophanus Poeta *lingua maritos, ore mœchos* appellavit. Hoc crimen Minucius Felix in Octavio ſic Gentilibus exprobrat, ſcribens: „ Ille qui de adoratis Sacerdotis virili„ bus adverſus nos fabulatur, tentat in nos con„ ferre quæ ſua ſunt. Iſta enim impudicitiæ eo„ rum forſitan ſacra ſunt, apud quos ſexus o„ mnis, membris omnibus proſtat, apud quos „ tota impudicitia vocatur urbanitas, qui ſcorto„ rum licentiæ invident, qui medios viros lam„ bunt, libidinoſo ore inguinibus inhæreſcunt, „ homines malæ linguæ etiamſi tacerent quos prius „ tædeſcit impudiciæ ſuæ quam pudeſcit. Proh „ nefas! Id in ſe mali facinoris admittunt, quod „ nec ætas poteſt pati mollior, nec cogi ſervitus „ durior. Hæc & hujuſmodi propudia nobis non „ licet nec audire “.

VIII. De his vero quæ imperfectæ libidinis actus ſunt, nimirum oſcula, tactus, obſcęna verba, cantiones turpes, & ſimilia, jam diximus in Tract. de peccatis Capitalibus diſſ. 4. cap. 5. & ſeq. ibi proinde repetendum.

REFLEXIO.

1. Dum hæc, Chriſtiane Lector, perpetuis damnanda tenebris & profundo involvenda ſilentio humanæ libidinis propudia exponentem legis, fęda denota humanæ turpitudinis facta, non verba noſtræ neceſſitatis, in quibus docenti facillime pudicus & religioſus lector, vel auditor ignoſcet... Legit enim hæc ſine offenſione qui non exhorret Apoſtolum horrenda feminarum flagitia reprehendentem, quæ *commutaverunt naturalem uſum in eum uſum, qui eſt contra naturam.* Præcipue cum verba ſicut ille obſcęna vitamus. Interim perpende quam opportuna ſint & neceſſaria Doctoris Gentium monita, qui nos carnis ſpurcitias vitare, & corporis aſſidua mortificatione vel emundare, vel coercere ſolicite hortatur & urget. *Mortificate* (ſcribit ad Coloſſ. 3.) *membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam... propter quæ venit ira Dei ſuper filios incredulitatis, in quibus & vos ambulaſtis aliquando cum viveretis in illis.* Et rurſum ad Galat. 5. *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis... Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria... quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non conſequentur... Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis. Si ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus.* Idem regerit & ad Rom. 8. *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu, ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus... Ergo fratres debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

2. Revera tanta eſt irrequietæ concupiſcentiæ vehemens atque effrænis delectatio, ut rationem prorſus abſorbeat, ac veluti ſubmergat, nec ſapientiæ locum relinquat, quod & ipſos Gentium Philoſophos agnoviſſe teſtatur Auguſtinus lib. 4. contr. Julianum libidinis Patronum, qui ſic illum urget: „ Obſecro te non ſit honeſtior Philoſo„ phia Gentium, quam noſtra Chriſtiana, quæ „ una eſt vera Philoſophia. Vide enim quid in „ Hortenſii Dialogo dicat Tullius: *An curo, in„ quit, voluptates corporis expetendæ, quæ vere & „ graviter a Platone dictæ ſunt illecebræ eſſe uti„ que, atque eſcæ malorum? Quæ enim confectio „ eſt valetudinis, quæ deformatio coloris & corpo„ ris, quod turpe damnum, quod dedecus, quod „ non evocetur, atque eliciatur voluptate? Cujus „ motus ut quiſque eſt maximus, ita eſt inimiciſ„ ſimus Philoſophiæ. Congruere enim cum cogita„ tione, magna voluptas corporis non poteſt. Quis „ autem tantus eſt gurges, qui dies & noctes ſine „ ulla minimi temporis intermiſſione velit ita move„ ri ſuos ſenſus, ut movetur in ſummis volupta„ tibus? Quis autem bona mente præditus non „ mallet nullas omnino nobis a natura voluptates „ datas?* “ Quibus recitatis Ciceronis verbis merito ſubdit Auguſtinus: „ Erubeſcamus interim „ vanis diſputationibus impiorum, qui didici„ mus in vera veræ pietatis ſanctaque Philoſo„ phia, & contra ſpiritum carnem, contra car„ nem concupiſcere ſpiritum “.

3. Quod ſi hoc verum eſt etiam quando ad concupiſcientiam cum bona intentione, hoc eſt cauſa propagandæ prolis, acceditur, quid erit dicendum

dum cum carnalis delectationis cupidine & illa violatur ſocietas, quæ cum Deo nobis eſſe debet, cum eadem natura, cujus ille auctor eſt, libidinis perverſitate polluitur? Hoc ſanne vitium (ſcribit S. Petrus Damiani in libro Gomorriano cap. 16.) „ mors eſt corporum, interitus animarum, „ carnem polluit, mentis lumen extinguit, ſpiritum Sanctum de templo humani corporis ejicit, incentorem luxuriæ diabolum introducit, „ mittit in errorem, ſubtrahit deceptæ menti funditus veritatem, eunti laqueos parat, cadenti in „ puteum, ne egrediatur oppilat, Infernum aperit, Paradiſi januam claudit, cæleſtis Jeruſalem civem tartareæ Babilonis facit hæredem, „ de ſtella cęli ſtipulam exhibet ignis æterni, abſcindit membrum Eccleſiæ, & in vorax projicit gehennæ æſtuantis incendium. Hoc vitium „ ſupernæ Patriæ muros conatur evertere, & rediviva exuſtæ Sodomæ ſatagit męnia reparare ... „ Omnia fędat, omnia maculat, omnia polluit, „ & quantum ad ſe nihil purum, nihil a ſordibus „ alienum, nihil mundum eſſe permittit. *Omnia* „ *enim*, inquit Apoſtolus, *munda mundis*, *contaminatis autem & infidelibus nihil mundum* “.

4. Optime itaque concludit Auguſtinus lib. 22. cont. Fauſtum cap. 28. „ Quapropter hominis actio ſerviens fidei ſervienti Deo refrænat omnes „ mortales delectationes, & eas coercet ad naturalem modum, meliora inferioribus ordinata dilectione præponens. Si enim nihil delectaret illicitum, nemo peccaret. Peccat qui delectationem illicitam relaxat potius quam refrænat ... „ Quod ſi perturbatum rectorem carnales voluptates „ in totam voraginem perditæ conſuetudinis mergant, ut vel inultas fore credens Confeſſionis „ Pęnitentiæ negligat medicinam, qua correctus „ emergat, vel pejore morte cordis contra illam „ æternam Providentiæ legem blaſphemum ei patrocinium defenſionis adhibeat, atque ita diem „ fungatur extremum, jam non emendatione, „ ſed damnatione dignum lex illa irreprehenſibilis „ cenſet “.



TRA-

TRACTATUS V.

DE PRÆCEPTIS DECALOGI

PARS SEPTIMA.

DE SEPTIMO DECIMOQUE PRÆCEPTO

Non furtum facies. Non concupiſces domum proximi tui, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia, quæ illius ſunt. Exod. 20.

POSTQUAM Deus, ut obſervat S. Thomas 1. 2. *q.* 100. *a.* 5. *vetuit quinto Præcepto*, ne nocumentum inferatur proximo in propriam perſonam quantum ad conſtitutionem perſonæ *jubendo*, non occides, *& ſexto, ne pari nocumento proximum læderemus in* perſonam conjunctam quantum ad propagationem prolis *præcipiendo*, non mœchaberis; *etiam a rebus ab ipſo poſſeſſis, quæ & bona fortunæ dicuntur, omnem avertit perniciem, mandando ne res alienas injuſte ſurriperemus ſeptimo Præcepto*, non furtum facies, *a quo malo ut magis magiſque arceret homines, & decimum adjecit, quo & deſiderium alienæ rei injuſte occupandæ vetitum indixit, jubens*, non concupiſces domum proximi tui, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia, quæ illius ſunt. *Immo Concilii Tridentini Catechiſmus optime animadvertit, duas hocce præceptum complecti partes; „ quarum altera, „ quæ furtum vetat, aperte eſt enunciata, alterius ſententia & vis, qua jubemur benignos & „ liberales eſſe, in priore occulta eſt & involuta ". Verum cum de hac poſteriore implicita præcepti parte ſatis diſputaverimus tum Diſſert.* 4. *de vitiis Capitalibus Tom.* 2., *tum Diſſert. de actibus exterioribus Caritatis Tom.* 3. *totum conatum ad primam explicandam partem convertimus, quæ ampliſſimam nobis diſſerendi materiam ſuppeditat, quandoquidem res & bona proximi ſpectari poſſunt,* 1. *ut ab ipſo injuſte ablata, quod vitium conſtituit, & crimen furti;* 2. *quatenus ſunt in ejus dominio, uſu, & poſſeſſione conſervanda;* 3. *quatenus legitimis mediis de uno ad alterum tranſire poſſunt per pacta, conventiones, & contractus;* 4. *denique quatenus injuſte ablata ſunt domino reſtituenda. Quamobrem ne tanta rerum copia obruamur, & ſingula accurate, & recta tradantur methodo, in hac ſeptima de Decalogi Præceptis parte ſolum de furto diſputabimus. Deinde ne Decalogi explanationem nimium abrumpamus, octavi Præcepti ſubjiciemus explanationem. Diſſertationes vero de Dominio, Contractibus, & Reſtitutione in fine tamquam Appendicem reſervabimus. Et ne tempus moroſius quam par eſt præfando teramus; illico manum operi admovemus.*

DISSERTATIO PRIMA

DE FURTO, RAPINA, ALIISQUE MODIS REM ALIENAM INJUSTE OCCUPANDI.

CAPUT PRIMUM.

Furti definitio, ejuſque genus & modi explicantur.

DOCTRINA.

I. *Definitio Furti a Juriſconſultis tradita.*
II. *Melior eſt quam exhibent Theologi.*
III. *Quid rei alienæ nomine deſignetur.*
IV. *Quot modis furtum committatur, & num ſpecie differant.*
V. *Rapina a furto ſpecie diſcernitur.*
VI. *Furtum ex ſe eſt lethale peccatum.*
VII. *Quanta eſſe debeat materia furti ad lethale peccatum, difficile definire.*
VIII. *Quid ſentiant Theologi.*
IX. *Diſtinguendum ad furti gravitatem decernendam, & damnum illatum, & rei ablatæ valor.*
X. *Quomodo minuta furta in grave peccatum coaleſcant. Nonnullæ Regulæ.*

XI.

XI. *Regula* 1. XII. *Regula* 2. XIII. *Regula* 3. XIV. *Regula* 4. XV. *Regula* 5. XVI. *Regula* 6. XVII. *Objecta ſolvuntur*.

I. FUrtum, quod D. Iſidorus lib. 10. Etymologiarum, *a furvo* deducit, quia plerumque fit in tenebris, & ſemper domino non vidente, ſed verius a verbo *aufero* derivatur, non uno modo definiunt Juriſconſulti & Theologi. Illi ſiquidem in lib. 4. Inſtit. Juſtin. tit. 1. dicunt: *Furtum eſt contrectatio fraudulosa rei alienæ mobilis, lucri faciendi gratia, vel ipſius rei, vel etiam uſus, poſſeſſioniſve, quod lege naturali prohibitum eſt admittere*. In qua definitione multa merito ſunt culpanda, 1. quia longior eſt & redundans, cum nedum ipſam furti notionem complectatur, ſed & varias ſpecies deſignet, ut obſervat Dominicus Soto ſcribens: „ Eſt juris doctoribus in more, dum genus aliquod definiunt, ſpecies omnes in definitionibus ſubnotare “. 2. Dum dicunt *lucri faciendi cauſa*, quædam videntur a furti ratione excludere, quæ tamen vera ſunt furta; auferri etenim res a domino poſſunt vero furto, licet non ea mente ut qui ſurripit, ea poſſideat, vel lucretur; ſed ſolum ut alium ob odium invidiamve re ſua privet; ut ſi quis annulo vel pretioſo monili dono accepto a Principe alium privet & in flumen projiciat, ne illo fruatur, proprie furtum committit, quin tamen fur quid lucretur. 3. Non recte etiam furtum in rei mobilis ablatione conſtituunt, quamvis enim plerumque mobilia rapi ſoleant, & occupari, nihil tamen vetat, quod etiam clam & occulto immobilia ſurripiantur, ut cum quis agrum proximi ſui agro ſuo conterminum pedetentim & ſenſim ſine ſenſu ſuo adjungit. 4. Denique redundantia omnino ſunt, & ſupervacanea verba *uſus*, *poſſeſſioniſve*, cum hæc in illis verbis contineantur *rei alienæ*, ſicut & poſtrema verba, *quod lege naturali prohibitum eſt admittere*, quæ quid extrinſecum ipſi furto denotant, & commune omnibus operibus, Decalogi præceptis, vetitis.

II. Melius itaque Theologi cum S. Thoma 2. 2. q. 66. art. 3. furtum definiunt, *occultam acceptionem rei alienæ invito domino*. Et primo quidem dicitur *acceptio*, ut diſtinguatur furtum ab aliis actionibus, per quas damnum infertur proximo, etiam in bonis fortunæ, & tamen furta non ſunt, ut cum quis vicini domum vel evertit, vel incendit vindictæ cauſa, qui & graviſſime peccat, & juſtitiam lædit, & ad reſtitutionem tenetur, nec tamen furtum committit. 2. In acceptione rei alienæ continetur & injuſta occulta detentio, ut idem S. Thom. explicat l. l. ad 2. ſcribens: *Detinere id, quod alteri debetur, eamdem rationem nocumenti habet cum acceptione injuſta: & ideo ſub injuſta acceptione intelligitur etiam injuſta detentio*. Secundo loco dicitur *occulta*, ut furtum a rapina diſtinguatur, qua quis non occulte & fraudulenter, ſed aperte & per vim rem alienam ſibi uſurpat, ut infra dicemus. 3. Dicitur *rei alienæ* ad diſcrimen furti ab aliis injuriis in proximum; furtum eſt enim proprie de rebus, quæ ſunt in alterius poſſeſſione, ut explicat D. A. l. l. ſcribens: *Si quis accipiat id quod eſt alterius, non quaſi poſſeſſio, ſed quaſi pars (ſicut ſi amputet membrum) vel ſicut perſona conjuncta (ut ſi auferat filiam, vel uxorem) non habet proprie rationem furti*. Denique dicitur *invito domino*, quæ verba licet non legantur in præfata quæſt. S. Thom. tamen & continentur in verbo *occulta*, & ipſe S. Th. clare exprimit & exponit q. 62. art. 8. ubi docet: *Sicut accipere rem alienam eſt peccatum contra juſtitiam, ita etiam detinere eam: quia per hoc quod aliquis detinet rem alienam invito domino, impedit eum ab uſu rei ſuæ, & ſic ei facit injuriam*.

III. Item rei alienæ nomine ea omnia deſignantur, quæ ad alium quocumque nomine pertinent ſive dominii, ſive uſus, ſive uſusfructus, ſive commodati, ſive depoſiti, ſive meræ cuſtodiæ titulo, immo licet res ad ipſum auferentem aliquo modo pertineat, ut docet S. Thom. l. l. a. 3. dicens: *Nihil prohibet id quod eſt ſimpliciter unius, ſecundum quid eſſe alterius; ſicut res depoſita eſt ſimpliciter quidem deponentis, ſed eſt ejus apud quem deponitur, quantum ad cuſtodiam*. Et rurſum art. 5. ad 3. repetit: *Ille qui furtim accipit rem ſuam apud alium depoſitam, gravat depoſitarium, qui tenetur ad reſtituendam eam, vel ad oſtendendum ſe eſſe innoxium: unde manifeſtum eſt quod peccat, & tenetur ad relevandum gravamen depoſitarii*.

IV. Furtum multipliciter committi poteſt. 1. Cum res aliena occulte aufertur, & ſimplex furtum dicitur. 2. Cum res furto ablata homo eſt, tunc enim furtum Plagium dicitur, & committitur hocce crimen, quotieſcumque homo liber vel ſervus alienus in ſervitutem adducitur, venditur, donatur, vel permutatur. 3. Si res ablata ſit publica pecunia, furtum proprio nomine peculatus vocatur. 4. Si res ablatæ ſint oves, boves, equi, aliaque genera animalium, proprio nomine abigeatus dicitur illorum injuſta & doloſa abductio. Quamobrem Abigei illi vere & proprie dicuntur, qui pecora ex paſcuis, vel ex armentis ſubtrahunt, & deprædantur equos de gregibus, vel boves de armentis abducentes. Si quis vero bovem oberrantem, vel equos in ſolitudine relictos abſtulerit, non eſt abigens, ſed fur potius. Porro hæc furta non ſpecie diſtinguuntur, ſed ſolum ratione materiæ furto ablatæ, & ratione legum, quæ hæc furta qualificata vocant, & graviori pœna plectunt. Specie tamen diſtinguitur ſacrilegium, per quod res ſacræ eripiuntur, quia præter malitiam furti juſtitiæ adverſam, etiam Religio violatur, ut obſervat S. Auguſtinus tract. 50. in Joannem, ubi de Juda ſic ſcribit: *Ecce fur Judas, fur & ſacrilegus. Non qualiſcumque fur, fur loculorum, ſed dominicorum loculorum, ſed ſacrorum*. Triplici modo hoc crimen committitur. 1. Si res ſacra, puta calix vel veſtis ſacra de loco non ſacro auferatur. 2. Si eadem res ſacra etiam de ſacro tollatur. 3. Si quis rem non ſacram in loco tamen ſacro furetur, ut eleemoſynas Deo oblatas, vel crumenam in Templo, ut diximus Tract. de vitiis Religioni oppoſitis Diſſ. 5. cap 2. n. 11.

V.

V. Rapina quoque, quæ ex D. Thom. hic q. 164. art. 4. definiri poteſt, *injuſta & violenta ablatio rei invito domino*, ſpecie ab ipſo furto diſtinguitur, & rationem reddit S. D. l. l. ſcribens art. 4. „ Furtum, & rapina ſunt vitia juſtitiæ „ oppoſita, inquantum aliquis alteri facit inju„ ſtum. Nullus autem patitur injuſtum volens... „ Et ideo furtum, & rapina ex hoc habent ra„ tionem peccati quod acceptio eſt involuntaria „ ex parte ejus, cui aliquid ſubtrahitur. Invo„ luntarium autem dupliciter dicitur, ſcilicet per „ ignorantiam, & violentiam ... Et ideo aliam „ rationem peccati habet rapina, & aliam fur„ tum. “ *Ergo propter hoc differunt ſpecie*. Et in reſp. ad 2. objectionem ſolvit deſumptam ex fine & materia, quæ idem ſunt in utroque, ſcilicet injuſta ablatio rei alienæ, quamobrem differre ſpecie non deberent, ſcribens: „ Finis remotus rapinæ, „ & furti idem eſt. Sed hoc non ſufficit ad iden„ titatem ſpeciei, quia eſt diverſitas in finibus pro„ ximis: raptor enim vult per propriam poteſtatem „ obtinere, fur vero per aſtutiam “. Quod & alia ratione confirmat art. 9. oſtendens, duplicem in rapina reperiri injuſtitiam, quia (*ſcribit*) „ per rapinam non ſolum infertur alicui damnum „ in rebus, ſed etiam vergit in quamdam perſo„ næ ignominiam, ſive injuriam; & hoc præpon„ derat fraudi, vel dolo, quæ pertinent ad fur„ tum.

VI. Furtum ex ſpecie ſua eſſe lethale peccatum, quippe quod humanam ſocietatem labefactat & peſſundat, oſtendit D. Th. hic a. 6. docens: „ Peccatum mortale eſt quod contrariatur „ caritati, ſecundum quod eſt ſpiritualis animæ „ vita. Caritas autem conſiſtit principaliter qui„ dem in dilectione Dei, ſecundario vero in di„ lectione proximi: ad quam pertinet ut proxi„ mo bonum velimus, & operemur. Per furtum „ autem homo infert nocumentum proximo in „ ſuis rebus: & ſi paſſim homines ſibi invicem „ furarentur, periret humana ſocietas. Unde fur„ tum, tamquam contrarium caritati, eſt pecca„ tum mortale “. Immo ſubdit idem Angelicus, omne furtum licet levius ſemper tamen peccati fœditatem ſecum afferre, a qua expoliari nequit; nam ſcribit art. 5. „ Si aliquis conſideret furti ra„ tionem, duas rationes peccati in eo inveniet. „ Primo quidem propter contrarietatem ad juſti„ tiam, quæ reddit unicuique quod ſuum eſt: & „ ſic furtum juſtitiæ opponitur, inquantum fur„ tum eſt acceptio rei alienæ. Secundo ratione „ doli, ſeu fraudis, quam fur committit, occul„ te, & quaſi ex inſidiis rem alienam uſurpando. „ Unde manifeſtum eſt, quod omne furtum eſt „ peccatum “. Quamobrem in levioribus furtis lethalem quidem culpam excludit, at venialem noxam agnoſcit, quam & lethalem evadere poſſe docet, ſi cum pravo conjungatur graviter nocendi animo, quare ſcribit art. 6. ad 3. „ Illud, quod „ modicum eſt, ratio apprehendit quaſi nihil. „ Et ideo in his, quæ minima ſunt, homo non „ reputat ſibi nocumentum inferri: & ille qui „ accipit, poteſt præſumere hoc non eſſe contra „ voluntatem ejus cujus eſt res. Et pro tanto ſi „ quis furtive hujuſmodi res minimas accipiat, „ poteſt excuſari a peccato mortali; ſi tamen habet animum furandi, & inferendi nocumentum „ proximo, etiam in talibus minimis, poteſt eſ„ ſe peccatum mortale, ſicut & in ſolo cogitatu „ per conſenſum “.

VII. Quanta autem eſſe debeat rei ablatæ quantitas, ut furtum ſit lethale peccatum, non facile eſt definire. Nam ut ſapientiſſime animadvertit S. Auguſtinus, difficile admodum eſt non in ſolo furto, ſed in aliis quoque peccatis tales limites figere & ſtatuere, citra quos non niſi leve peccatum committatur, & quos ſi quis tranſiliat certe lethali fœdetur culpa; nam ut inquit Propheta, *delicta quis intelligit*? & neminem puto tam exquiſita & perfecta donatum lance, qua peccatorum pondus & gravitatem ita librare poſſit, ut affirmare queat, uſque huc conſiſtit venialis culpa, hic mortale incipit peccatum; & certe S. Auguſtinus ſe hac perfectiſſima libra carere confeſſus eſt, licet diligentiſſime quæſita: ſcribit enim lib. 21. de Civ. Dei cap. 27. „ Sed quis ſit „ iſte modus, & quæ ſint iſta peccata, quæ ita „ impediunt perventionem ad Regnum Dei, ut „ tamen Sanctorum amicorum meritis impetrent „ indulgentiam, difficillimum eſt invenire, peri„ culoſiſſimum definire. Ego certe uſque ad hoc „ tempus cum inde ſatagerem, ad eorum indagi„ nem pervenire non potui. Hoc tamen nec pu„ ſillanimes terrere debet, nec audaces confirma„ re. Nam in illis ex hoc ſalutari timore ſtu„ dium augetur, ut ſcribit Auguſtinus l. l. in „ meliora proficiendi, orationi inſtando, vigilan„ do, & ſimul faciendi de mammona iniquitatis „ ſanctos amicos cura non ſpernitur “. Iſti vero horrere debent ne, dum ſecure ſe ambulare arbitrantur, miſere cadant, & dum rectam viam tenere exiſtimant, longe ſint a ſemitis juſtorum, & in præceps miſere ruant, nam, ut ſcribit S. Greg. lib. 9. epiſt. epiſt. 114. „ Si pravæ rei adi„ tus antequam diu pateſcat, non clauditur, uſu „ fit latior, & erit conſuetudine licitum, quod „ ratione conſtat eſſe prohibitum “.

VIII. Verum ut ad ſemitam, a qua tantiſper, at non fortaſſis inutiliter ſumus digreſſi, revertamur. Quanta ſit oporteat materia furti ad certum lethale peccatum conſtituendum ut ſtatuant Theologi, plura diſtinguunt, obſervant, perpendunt, claſſes diſcriminantur Perſonarum, Principes, Nobiles, Mercatores, Artifices, Pauperes, damnum illatum perpendendum volunt, quantitatem materiæ quoque ablatæ in lance ponunt. Nonnulli materiæ gravitatem etiam in levi ſumma pecuniæ conſtituunt, putantes binas aut ternas libellas venetas furtum grave conſtituere; alii duos vel tres nummos aureos poſtulant: nonnulli quod ad quotidianum victum ſufficere reſpective poteſt, ſi occulte ſurripiatur, furem reum lethalis peccati conſtituunt.

IX. Inter tam diverſas & diſſitas opiniones quid mihi probabilius videatur libere proferam, ſapientum tamen judicio ea ſubmittendo. Primo itaque certum eſt, talem dari rei quantitatem, quæ ſi furto auferatur, abſolute grave peccatum conſtituit; & rurſum tam tenuem eſſe poſſe furti materiam, ut nonniſi venialem culpam inferat.

rat. 2. Diſtinguendam puto a furto damnificationem, nam fieri poteſt, ut quis levem ſurripiat materiam & grave inferat damnum, & rurſum magnum aliquid auferatur, ex quo tamen non niſi leve oriatur damnum. Prioris exemplum habes in illo, qui pauperi furaretur paucos obulos, ſuo tamen hodierno victui neceſſarios, vel artis inſtrumentum, puta acum, vel calamum, cujus carentia ille victum ſibi nequit comparare. Alterius vero exemplum ſit in divite, a quo ſi decem etiam & viginti auferantur aurei nummi, vel exiguum, vel nullum ſentit detrimentum. Quamobrem damni quidem gravitatem arbitror reſpectivam eſſe, & ex ipſo gravitatem criminis commenſurandam, at furtum non ſolum ex damno illato, ſed etiam ex ipſa rei ablatæ quantitate eſſe penſandum; alioquin qui a Principe, vel viro prædivite decem aut viginti aureos nummos furaretur, nequaquam graviter peccaret. Quapropter jam ſtatim quiſque deprehendit duarum opinionum oppoſitarum falſitatem, alteram Sylvii, qui cenſet, furtum duorum juliorum, ſive duarum libellarum grave eſſe etiam reſpectu Principis & divitis; & Bannezii ex adverſo, qui putat, Miniſtrum auferentem a Rege, qui multorum millium ducatorum diſpenſationem, vel adminiſtrationem illi concedit, centum aut ducentos, non peccare lethaliter. Nam in priori Sylvii opinione res ablata ſive reſpective ad talem dominum, ſive in ſe, tanta non eſt, ut gravem culpam valeat conſtituere. In poſteriori vero Bannezii licet fortaſſis damnum grave non exurgat Principi, qui tantam pecuniam vel uno jactu ludo exponit, vel ex prodigalitate donat; nihilominus nemo non videt ipſam pecuniæ ſummam adeo communiter exiſtimari, ut ejus ablatio gravis reputetur, præciſo etiam quocumque damno. Quamobrem ſi furtum reſpective ſpectetur, ſcilicet damnum, & detrimentum ex furto proveniens, puto illud conſtituere grave peccatum, quod dominum privat pecunia ad unius diei ſuſtentationem juxta ſuam conditionem requiſita; nam cum res exteriores & bona fortunæ ordinentur ad vitæ conſervationem, pro qua quotidianus cibus eſt neceſſarius, cenſetur proximo graviter nocere, qui illum tali privat ſubſidio; ideoque qui nobili & diviti quatuor julios, ſive libellas venetas auferret, mercatori tres, artifici duas, pauperi unam, a lethali peccato non excuſarem. Si vero abſolute & in ſe materiam ablatam ſpectare velimus, cenſeo unum aureum etiam ditiſſimo, etiam Principi ſurripere grave peccatum eſſe, cum talis quantitas communi omnium ſenſu magna exiſtimetur, & notabilis.

X. Quandoque vero etiam minutiora furta in lethale peccatum creſcere poſſunt, ſi ex pravo graviter nocendi animo procedant, vel ſi gravem proximo afferant moleſtiam, qui impatienter fert etiam rei levis, ſed ſibi admodum caræ & dilectæ, privationem, multoque magis ſi prævideantur inde orituræ vel inter domeſticos rixæ, vel innocenti gravis moleſtia, & damnum, vel blaſphemiæ, jurgia, & ſimilia. Minutiora furta, immo quandoque & minima, ita augeri & creſcere poſſunt, ut lethale peccatum conſtituant, quotieſcumque ad notabilem & gravem ſummam aſcendant, quod tribus modis contingere poteſt, 1. ſi quis ſucceſſive uni plures nummos etiam minimos ſurripiat. 2. Si a pluribus furetur bona, quæ ſingulis quidem leve damnum pariunt, ſed furi magnam afferunt utilitatem. 3. Denique ſi plures ab uno ſinguli quidem non niſi levem auferant materiam, ſed quæ in grave damnum cedit domini. Pro quibus bene dignoſcendis ſequentes ſtatuuntur Regulæ.

Regula Prima.

XI. Qui ab uno pauca furatur, ſed animo pedetentim ad magnum quid perveniendi, ipſo primo etiam levi furto peccat lethaliter ob pravam quam animo concipit voluntatem gravem ſurripiendi materiam, ut docet S. Thom. hic q. 66. art. 6. ad 3. ſcribens: *Si habeat animum furandi, & inferendi nocumentum proximo, etiam in talibus minimis, poteſt eſſe peccatum mortale, ſicut & in ſolo cogitatu per conſenſum.* At ſi animum deponat antequam gravem abſtulerit ſummam, non tenetur ſub gravi ad reſtitutionem, cum detentio ſit rei in ſe, ut ſupponimus, levis, proinde non niſi leve inducens reſtitutionis onus.

Regula Secunda.

XII. Qui ab uno modicum quid furatur, ſed non animo progrediendi, poſtea repetit hæc leviora furta, tunc lethaliter peccat, quando notabilem & gravem ſummam ſurripuit. Hoc quoque omnino certum eſt, tum quia licet pedetentim, & ſenſim ſine ſenſu rem alienam accipiat, vere tamen repetitis furtulis & grave intulit damnum, & gravem ſurripuit materiam. Num autem peccet ratione injuſtæ ablationis, vel injuſtæ detentionis digladiantur Theologi, quam tamen quæſtionem parum ad praxim conferre arbitror; nihilominus cenſeo probabilius peccare ratione injuſtæ ablationis, quia licet poſtremum furtum, quod gravem complet materiam, & leve ſit, & a ceteris tempore disjunctum, moraliter tamen cum præcedentibus conjungitur, & quid unum cum illis conflat, ut contingit etiam in ceterorum præceptorum violatione, ut ſi quis in die feſto per plura intervalla totius diei modicum quid operis efficiat, tunc peccabit lethaliter cum ultimum opus efficiet, per quod dicatur notabile tempus ſurreptum ſanctificationi Feſti; & ſimiliter qui in die jejunii plura modica comedit, peccat cum in poſteriore comeſtione gravem complet materiam. Tunc vero cenſerem hunc furem peccare ſolum titulo injuſtæ detentionis, quando deteſtans in Confeſſione anteriora modica furta emendationem propoſuiſſet, & poſtea cupiditate pellectus furta multiplicaſſet uſque ad gravem conflandam materiam; videtur enim per confeſſionem culpæ, & propoſitum ceſſandi abrupta moralis conjunctio cum præcedentibus furtis, ſed cum jam detineat rem alienam in gravi quantitate, reus eſt lethalis peccati, niſi ſtatim cum poteſt, reſtituat, & ita utramque doctorum opinio-

nionem conciliari poſſe puto, ideoque & locum habeat in aliquibus injuſtæ ablationis peccatum, in aliis vero ſolum injuſtæ detentionis. Qui vero tenuioribus furtis ad gravem jam pervenit materiam, ſi poſtea iterum nova proſequatur furtula, lethaliter peccabit non ratione rei ablatæ, ſed pravi animi & diſpoſitionis, quam retinet & ſervat inferendi grave damnum proximo, qui animus & diſpoſitio in ipſa ſerie furtulorum apparet, quando jam ad gravem ſummam pervenit. Solum igitur tunc a peccato gravi excuſaretur, quando depoſito animo furandi, & facta rei ablatæ reſtitutione, novam exordiretur furtulorum ſeriem.

Regula Tertia.

XIII. Qui modicis furtis, pluribus magnam rei ſurripit quantitatem, licet ſingulis nonniſi leve inferat damnum, gravis tamen criminis reus efficitur, quando ad notabilem rei ſummam pervenit. Ratio eſt manifeſta, nam furti gravitas non ſolum ex damno penſatur, quod domino provenit, alioquin qui falſis ponderibus & menſuris non niſi leviora pluribus furantur, quamobrem nulli ſigillatim grave inferunt detrimentum, nec lethaliter peccarent, nec ſub gravi ad reſtitutionem tenerentur, ut docuere Auctores propoſitionis 38., merito damnatæ ab Innoc. XI. aſſerentis; *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis*; cujus propoſitionis falſitas eſt cuique luculenta; ſed etiam ex ipſa rei ablatæ quantitate & exiſtimatione, per quam & communi bono detrimentum infertur, & rectus ordo violatur: accedit detentio rei alienæ in gravi quantitate, quæ urget ad reſtitutionem quantocius faciendam; quæ detentio cum ſit rei in ſe notabilis, & gravis, lethale conſtituit peccatum.

Regula Quarta.

XIV. Quando plures uni eidemque perſonæ modica quidem ſinguli furantur, quæ tamen collective accepta, vel grave inferunt damnum, vel gravem conſtituunt materiam, ſi ſimul in furto conveniant, & conſpirent, ſinguli peccant lethaliter, & ſinguli in ſolidum ad reſtitutionem tenentur, ut ſuo loco oſtendemus. Et quidem quod omnes lethaliter peccent etiam in levi furto, conſentiunt & conveniunt omnes Theologi, & ratione manifeſta, quoniam ſinguli ad grave damnum cooperantur, & in illud conſpirant, unumque morale corpus efficiunt, cujus ſingula membra in idem facinus conjurant; nec major eſt ratio cur uni potius quam alteri crimen imputetur, quapropter vel æqualiter omnes rei erunt, vel nullus.

Regula Quinta.

XV. Qui plura modica ab uno furantur, nulla tamen habita vel notitia, vel conſpiratione, vel conſenſu, licet magnam omnes abſtulerint rei quantitatem, nullus tamen lethaliter peccabit, nec ſub lethali ad reſtitutionem tenebitur. Quandoquidem nec ſinguli quid magnum aut abſtulerunt, aut retinent, nec moraliter alter in alterius furtum conſenſu, conſpiratione, vel notitia eſt cooperatus; nulla eſt igitur ratio cur gravis culpæ arguantur.

Regula Sexta.

XVI. Qui licet non conſpiret, non conſentiat, non conveniat, advertit tamen a pluribus aliis modica ſurripi, vel fuiſſe ſurrepta, quæ jam in gravem exſurgunt materiam, peccat lethaliter ſi & ipſe leve furtum adjungat. Antequam hanc explicem, & confirmem regulam, cui obluctantur non pauci Theologi, operæ pretium puto eam prius declarare, & in bona luce ponere. Cum itaque dico, aliquem advertere modica furta ab aliis commiſſa grave intuliſſe damnum, non de quacumque advertentia, & obſervatione loquor mere ſpeculativa, remota, confuſa, ſed de advertentia practica, actuali, manifeſta, qua quis videt c. ex. vineam recenter a pluribus racemis depopulatam, agrum ſegetibus per plures expoliatum, arborem pomis denudatam, in quibus pauci adhuc ſuperſunt racemi, ſpicæ, poma; de hac itaque advertentia loquor in conſtituta Regula, cujus veritatem ſic invicte oſtendo. Dominus, qui rebus ſuis per leviora furta expoliatur, grave revera ſubit damnum, & quilibet fur rei levioris lubens & volens ad hoc grave damnum eſt cooperatus, quippe qui advertit, notavit, vel facile animadvertere poterat, & obſervare ab aliis jam tot fuiſſe patrata furtula, ut grave emerſerit domino detrimentum; cum illis igitur non verbis, non pacto, ſed facto conjungitur ad grave damnum inferendum. 2. Tunc qui leve aliquid furatur, non peccat lethaliter, quotieſcumque grave non inferat proximo detrimentum; at in caſu noſtro hæc leviora furta grave inferunt damnum, ergo ſaltem per accidens grave evadit peccatum. 3. Si hæc regula vera non eſſet, ſequeretur, ut quis multa pecunia, pluribuſque rebus expoliari poſſet, & ad paupertatem redigi, quin aliquis furto peccaret, nec ſub lethali ad reſtitutionem teneretur; nam fingamus, plures nulla inita conventione, nullo pacto, ſed occaſione vel viciniæ, vel vineæ ſecus viam poſitæ, eam omnibus pene racemis expoliare, jam patet grave illatum domino damnum, quin ullus vel peccaverit graviter racemos aliquot ſurripiendo, vel ad reſtitutionem teneatur: quod profecto abſurdum eſſe nemo non videt. 4. Qui pluribus furtulis rem alienam ſibi uſurpat, quando poſtremum committit furtulum, quo gravem complet materiam, peccat juxta omnes lethaliter, & ſub gravi peccato rem totam parvis furtis ablatam reſtituere tenetur: ergo a pari, quando quis rem parvam furatur, qua videt vel compleri vel augeri grave damnum proximi, peccabit lethaliter, & ad reſtitutionem tenebitur: & revera ita ſentiunt nedum rigidiores Theologi, ſed & benigniores, cujuſmodi ſunt Bonacina, Filliucius, Felix Poteſtas, immo & ipſi Diana & Sporerius hanc ſententiam communem eſſe affirmare non dubitant, licet oppoſitam probabiliorem appellent.

XVII.

XVII. Opponunt tamen adverſæ ſententiæ Theologi nimium hujus ſententiæ rigorem, ex qua plura ſequerentur abſurda; nimirum fraudantem Principis vectigalia, vel ab eo quid exiguum auferendo peccare lethaliter, cum jam quiſque ſciat & ab aliis vectigalia fraudari, & Principibus plura ab aliis modica auferri; & ſimiliter qui vel unum racemum ex vinea ſurriperet, peccaret lethaliter, & ad illius racemi reſtitutionem ſub gravi teneretur; pari pacto, inquit Sporerius, „ qui a Titio auferret duos Pacios, ideſt „ tenuiores obulos, ſciens ab alio jam octodecim ſurreptos, qui omnes ſimul gravem conflant materiam, cui duos furatur, peccaret „ lethaliter, dum interim qui octodecim furatus eſſet, nonniſi venialiter". Verum hæc levia ſunt, quæ noſtræ ſententiæ probabilioritatem non minuunt; nam falſo rigoris accuſant; cum ſatis firmis innitatur argumentis, & plurimorum Theologorum etiam benigniorum gaudeat adprobatione. Abſurda vero quæ obtrudunt, vel abſurda non ſunt, vel locum non obtinent. Nam primo qui Principum vectigalia in re leviori fraudat, ſcit quidem & hoc ab aliis fieri, ſed ſcientia obſcura, ſpeculativa, confuſa, quæ ad plura ſe porrigit tempora, nec moralem habet cum hac præſenti fraude conjunctionem; & jam prænotavimus, hanc ſcientiam tunc ſolum influere in grave præſens damnum, quando determinato loco, tempore, & materia infertur, quod furunculus advertit & videt. Abſurdum vero quod opponitur ex ablatione vel unius racemi tale non eſſe, ſed legitimum veritatis conſectarium agnoſcit & admittit vel ipſe Sylvius, ceteroquin non rigidus Theologus, qui 2. 2. quæſt. 62. art. 7. ſcribit: „ Quando plures eamdem vineam ſpoliant, non tamen de communi conſilio, diſtinguendum eſt: ſi enim quilibet ipſorum videbat „ alios multos accipere ſingulas partes, & ſic „ magnum damnum ſecuturum, ſinguli peccant „ mortaliter, & ſub pœna peccati mortalis tenentur omnes reſtituere ſuam partem, etiamſi illa „ ſecundum ſe fuerit exigua"; quod iterum paulo poſt confirmat, repetens: „ Simul atque „ noverit dominum per ſe ſuique ſimiles magnam jacturam paſſum, ſub mortali obligantur „ ſuam partem ſinguli reſtituere". Exemplum quoque a Sporerio adductum non evincit; nam qui vel duos obulos furatur, ſciens jam ab alio ablatos octodecim, peccat lethaliter non per ſe, nec ratione materiæ ablatæ, ſed ratione gravis damni per hanc ablationem illati; & per accidens alter, qui octodecim abſtulit, venialiter peccavit, quia gravem non abſtulit materiam, nec grave complevit damnum; quod autem per accidens contingit, regulam per ſe rectam & firmam non convellit; & revera, nonne crudelitatem præſefert & ſævitiam, ab illo qui jam majori parte rei ſuæ ſpoliatus eſt, & minorem, quæ ſola illi ſupereſt, ſurripere? & detrimentum, quod adhuc grave non erat, grave efficere? Franzoja, quem plurimi facio, & honoris gratia compello, noſtram doctrinam probabiliorem pronunciat ſpectata auctoritate, at num etiam ratione inſpecta dubitat, & ſibi aquam hærere fatetur; at cur hic non intulit, ut ſuperius Animadv. 4. *Sapiens timet, & declinat a malo*, & quod tutius eſt eligit? cur in dubiis ob modicum furtum æternæ ſalutis negotium periclitari non erit timendum? Quod vero ſubdit, non omnes furunculos ad totius damni reparationem teneri, ſed ſatis eſſe ſi ſinguli quod abſtulerunt reſtituant, verum omnino eſt, & ita revera docent etiam qui noſtram amplectuntur ſententiam, ut in Sylvii verbis vidimus, & ratio ipſa evincit; cum enim ſolum per accidens lethaliter peccaverint rem modicam furando, & per accidens ad rei modicæ reſtitutionem ſub lethali adſtringantur, non generali ſubjacent regulæ, quæ ſtatuit, cooperantes juſſione, conſenſu, conventione damno alterius teneri omnes & ſingulos, licet modica abſtulerint, ad integram reſtitutionem, cum omnes & ſinguli per ſe in damnum conſpirent, & illud per ſe inferant: quamobrem egregie docet S. D. tunc ſolum ex conſenſu quempiam ad integram reſtitutionem adſtringi, quando *conſenſus eſt in eo, ſine quo rapina fieri non poteſt*.

CAPUT SECUNDUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Rem alienam per jocum furari peccatum eſt*.
II. *Falſa rejicitur doctrina*.
III. *Definitioni furti inepte additur domino* rationabiliter *invito*.
IV. *Furti rei non ſunt qui rem alienam accipiunt ex judicis ſententia*.
V. *Eadem quantitas, quæ ſimul ſumpta gravem efficit materiam, ſufficit ad lethale peccatum, etſi paulatim ſurripiatur*.
VI. *Nonnullæ Theologorum furti excuſationes refutantur*.
VII. *Rei furti ſunt qui mutuum accipiunt, vel æs alienum contrahunt, ſcientes ſe non eſſe ſolvendos*.
VIII. *Et qui aliena quam tractant pecunia utuntur*.
IX. *Plures merito a Catechiſmo Romano inter fures enumerantur*.
X. *Furti rei eſſe poſſunt, qui & rem propriam ab alio detentam ſurripiunt*.
XI. *Quinam rapinæ rei dicendi ſint*.

Conſectarium Primum.

I. QUI rem alienam per jocum vel conſumit vel aufert, ut ſibi retineat, reus eſt furti, vel venialiter vel lethaliter pro materiæ gravitate. Ratio eſt manifeſta, nam jocus malitiam non tollit criminis, & ſcelera per jocum admiſſa eſſe ſcelera non deſinunt; alioquin furta, quæ a ſagacioribus furunculis non ſine aſtutia committuntur, deſinerent eſſe furta. Immo hæc furta fortaſſis plus dominis diſplicent, qui præter damnum & ſe irriſos vident. At ſi quis rem alienam occulte accipiat non ut ſibi retineat, ſed domino ſervet, & de parva rerum ſuarum cura illum tali occultatione admoneat, non eſſet furti redarguendus; ſicut qui vinum celaret, chartas luſorias abſconderet, ne alter inebriaretur, vel pecuniam ludo inſumeret, re tamen domini intacta, a furti peccato immunis eſſet.

Conſectarium Secundum.

II. Falſa eſt doctrina Sà V. *Furtum* docentis: *Qui damnum nullum dedit rem aliquam accipiens, quia ea dominus non utebatur, non tenetur reſtituere, ſi nulli eſt domino uſui futura.* Nam & qui hanc rem ſurripit, vere furatur, & rem alienam ſibi uſurpat invito domino, quamobrem ad reſtitutionem tenetur. Nec excuſatur quia nullum ſupponitur domino damnum inferri, præceptum enim divinum abſolute pronuntiat *non furtum facies*, nulla facta damni mentione; nec ex ſolo proximi detrimento furti ſcelus vel conſtituitur vel exiſtimatur, ſed ex ipſius rei ſurreptæ pretio & valore: & revera ſive damnum ſequatur, ſive omnino non ſequatur, rectus perturbatur ordo, & via aperitur domeſticis furtis ſervorum divitibus inſervientium, qui plura vident a dominis vel flocci fieri, vel negligi, adeo ut quandoque inutiliter pereant, vel corrumpantur. Hinc merito ſcribit Auctor ſerm. 283. inter opera Auguſtini: „ Forte & hoc cogitat „ aliquis & dicit, multi ſunt Chriſtiani divites „ avari, vel cupidi, non habeo peccatum ſi il- „ lis abſtulero, & pauperibus dedero, unde enim „ illi nihil boni faciunt, mercedem habere po- „ tero, & ego eleemoſynas dedero. Etiam in „ hac re parcat unuſquiſque animæ ſuæ, quia „ hujuſmodi cogitatio diabolica calliditate ſugge- „ ritur. Nam etiamſi totum tribuat quod abſtu- „ lit, addit potius peccata, quam minuat “.

Conſectarium Tertium.

III. Inepte addunt cum Turnelio nonnulli Theologi definitioni furti *domino rationabiliter invito*, ut inde inferant, furtum non eſſe occultam rei alienæ acceptionem domino invito quidem, ſed irrationabiliter. Quis enim judicare debet num dominus ſit rationabiliter vel irrationabiliter invitus? Num ipſe dominus? Non poteſt, nam occulta eſt ablatio, illique ignota. Num qui furatur? Et quis æquus eſſe poteſt judex in propria cauſa? Philautia, privata utilitas, proprium commodum facile oſtendent furi, dominum eſſe irrationabiliter invitum, & ſic patens aperietur oſtium domeſticis furtis & occultis compenſationibus. Nec quæ afferunt exempla rem evincunt. Nam qui in extrema neceſſitate furantur, non ideo non peccant quia dominus eſt irrationabiliter invitus, ſed quia tunc ceſſat privatum dominium, & reſpectu indigentis res communis evadit. Pari pacto, qui ſpicas tempore meſſis colligit, non furatur, non quia dominus ſit irrationabiliter invitus, ſed quia poſitive conſenſum præbet, & libere ſinit pauperes illo frui beneficio. Quod ſi dominus illud beneficium alicui pauperi ex ſua familia reſervatum vellet, profecto non poſſunt ceteri pauperes occulte ſurripere, quandoquidem non amplius adeſſet domini conſenſus, ſed res eo invito ſurriperetur.

Conſectarium Quartum.

IV. Minime rei furti vel rapinæ ſunt qui rem alienam occupant etiam invito & reclamante domino, ſi id fiat ex ſententia legitimi judicis. Tunc enim non jam rem alienam ſed ſuam ſententia judicis occupat. Hoc pacto S. Auguſtinus, quæſt. 39. in Exod. juſte occupata dicit & ablata ab Iſraelitis vaſa & ſpolia Ægyptiorum; juſſerat enim illis Dominus ut peteret vir a proximo, & mulier a proxima vaſa aurea & argentea & veſtem. Non quidem, ſubdit Auguſtinus, ut „ hinc quiſquam ſumendum exemplum puta- „ re debeat ad expoliandum iſto modo proxi- „ mum, ſed hoc juſſit Deus qui noverat quid „ quemque pati oporteret. Nec Iſraelitæ furtum „ fecerunt, ſed Deo jubenti miniſterium præbue- „ runt “. Quod confirmat & D. Th. hic q. 66. art. 5. ſcribens: „ Multo minus furtum fuit, „ quod filii Iſrael tulerunt ſpolia Ægyptiorum „ ex præcepto Domini hoc decernentis pro af- „ flictionibus, quibus Ægyptii eos ſine cauſa af- „ flixerant: & ideo ſignanter dicitur Sap. 10. 20. „ *juſti tulerunt ſpolia impiorum* “.

Conſectarium Quintum.

V. Eadem rei ſublatæ quantitas, quæ gravem conflat furti materiam, peccati mortalis reum conſtituit furem, ſive totam ſimul ſurripiat, ſive pluribus vicibus. Adverſantur huic doctrinæ non pauci Theologi, qui putant majorem requiri quantitatem rei ablatæ ad conſtituendam gravem materiam, quando hæc paulatim tenuioribus furtis ſurripitur, quam cum tota ſimul aufertur, præſertim ſi longum decurrat temporis ſpatium. Ita ſentiunt Turnelius, Salmanticenſes, Sporerius, & Navarrus, qui in ſuo Manuali cap. 7. num. 139. ſic ſcribit: „ Si furaris ab „ eodem aliquot diebus unius menſis, & poſtea „ tranſacto alio aut duobus menſibus totidem, „ & poſt aliquot dies totidem, ita quod in fine „ trium vel quatuor annorum conflaretur ſum- „ ma, etiam duplo major quam ſit illa, quæ ſi- „ mul accepta induceret peccatum mortale, nec „ acceptio, nec retentio illa eſſet peccatum mor- „ tale, ſi non fuit ex intentione perveniendi ad „ quantitatem notabilem “. Immo ab hac ſententia, quæ majorem quantitatem ad lethale peccatum furti conſtituendum poſtulat in minutioribus furtis, quam in uno, non abhorrere videtur Concina Diſſert. Unica de Furto cap. 4. n. 3. Et tota ratio in eo ſita eſt, quia damnum diviſum, inquit Turnelius, ex communi hominum ſenſu non ita nocet. Verum hæc ratio non evincit, & oppoſitam quam ſtatui doctrinam a ſua probabilioritate non dejicit. Nam 1. Gravitas furti, ut alias diximus, non ſolum ex damno illato eſt penſanda, ſed ex ipſa pretioſitate, valore, quantitate rei ablatæ; quando igitur materia eſt de ſe gravis, pretioſa, & juſti valoris, ſive parvulis furtis, ſive unico furto ablata ſit, peccati lethalis reum efficit furem, cum modus ablationis rei pretioſitatem & valorem

non

non minuat. 2. Verum eſt quod ablatio fit pedetentim, & ut ita dicam ſenſim ſine ſenſu, at detentio rei alienæ, pretioſæ, juſti valoris in materia gravi tota ſimul habetur, & ſtatim urget reſtitutionis præceptum, & quidem ſub gravi, ergo licet fortaſſis, & ſi lubet, non peccaverit lethaliter paulatim rapiendo, peccabit ſaltem lethaliter injuſte detinendo, & rem juſti valoris ſtatim cum poteſt domino non reſtituendo. Fateor quidem hanc rei pretioſitatem, valorem, & quantitatem non abſolutam eſſe & in indiviſibili poſitam, ſed repetendam, ut cap. ſuperiori diximus, ex qualitate perſonæ, a qua furripitur; certum tamen eſt reſpectu unius ejuſdemque perſonæ pretioſitatem non minui rei ablatæ, quia paulatim ſurrepta eſt, ſed eamdem conſiſtere ac ſi uno furto ſublata fuiſſet. Hinc libenter concedo, majorem quantitatem ad furtum requiri, quando res modicæ ablatæ ſint a pluribus, tunc enim pretioſitas rei ejuſque valor non eſt uni commenſurandus, ſed pluribus, & quod notabile eſt reſpectu unius, non eſt æque pretioſum reſpectu plurium. Item fateor neceſſe eſſe, ut hæc furtula ad lethalem materiam conſtituendam ſimul moraliter conjungantur ſin intentione (nam tunc etiam in primo furtulo lethale peccatum haberetur, ut diximus), ſaltem executione & rerum morali conjunctione: quamobrem qui ſingulis annis racemum uvæ vel binos e vinea furripiens ederet, non eſſet reus lethalis peccati poſt viginti vel triginta annos, quibus triginta vel ſexaginta racemos abſtulit & abſumpſit, cum hæc minutiora furta nimis diſſita ſint ut unum morale conſtituant: & idem dicerem de famulo, qui ſingulis menſibus unum cyathum vini domini ſui bibit, licet decem annorum decurſu cadum conficiant. Sed quænam temporis quantitas requiratur ad hanc moralem conjunctionem, non conveniunt Theologi. Nonnulli ſeriem furtulorum abrumpi putant, ſi per quadriennium diſtent, alii ſi ſolum per biennium, nonnulli per annum, denique aliqui ſex menſes ad interruptionem arbitrantur ſufficere. Puto nihil certi conſtitui poſſe, ſed rem penſandam arbitror ex conditione furis, & ex rei ablatæ qualitate. Si enim ille qui furatur, ita eſt iſtis aſſuetus furtis, ut quotieſcumque ſe ſe offerat occaſio, eam præterlabi non ſinat, licet hæc occaſio non frequenter contingat, nec illa furta utpote leviora nunquam deteſtetur, nec ab illis ceſſare proponat, putarem ſeriem furtulorum continuari nec unquam abrumpi, proinde accedente gravi materia, furti lethalis reum eſſe pronunciandum. Sit exemplum in famulo, qui quotieſcumque dominus ligna, vinum, triticum, farinam, oleum ad annuum familiæ uſum emit, ipſe ſibi furripit nonnulla ligna, modicam vini, farinæ, olei quantitatem, licet hoc non faciat niſi ſemel in anno, quia ſemel in anno hæc in uſum providet Pater familias, cenſeo coadunari hæc furtula, & accedente gravi materia fieri furtum lethale, etiamſi plures labantur anni. E contra ſi furunculus non ſit hiſce furtulis aſſuetus, ſed ſolum data occaſione, & cupiditate impellente, aliquando ſe abripi ſinat ad furtum, quod poſtea deteſtatur, & a quo ceſſare proponit, & revera aliquando abſtinet, licet poſtea relabatur, ſi longum labatur tempus, & plures interceſſerint anni, ad gravem conflandam materiam putarem ea non valuiſſe, nec moraliter continuata eſſe cenſenda. Hæc tamen ſapientum judicio lubens ſubmitto.

Conſectarium Sextum.

VI. Non excuſantur a peccato furti venditores, qui vel in pondere, vel in menſura quid modicum furripiunt 1. vel ut ſe ſervent indemnes, vel quia nihil lucrantur, & ſi pretium augerent, non reperirent emptores, vel denique quia alias non habent unde ſe & ſuos alant. Hiſce excuſationibus venditores a furti peccato liberat Buſembaum in diminutione juſti ponderis vel menſuræ, ſed falſo & laxe; illis enim, innumeris furtis & fraudibus latiſſimum aperit campum. Quamobrem illum optime refellit ſtrenuus Chriſtianæ Moralis aſſertor Franzoja. Et revera prima excuſatio flocci facienda eſt. Quis enim non percipit ad proprium damnum avertendum non licere alteri damnum inferre, nec licitum fieri furtum, quia aſſumitur tamquam medium ad proprium ſive reparandum ſive præcavendum detrimentum? Alioquin liceret omnibus egentibus levia a pluribus ſurripere, ut proprium egeſtatis & neceſſitatis detrimentum vel avertant vel præveniant. Nec damnum, quod quis ſubit in negotiatione, illi jus concedit ad res alienas occulte ſurripiendas. Multoque minus hoc jus illis confert titulus ceſſantis lucri, ſcilicet quia nihil in venditione lucraretur, lucrum enim furtum licitum reddere non valet, nec quis furari poteſt ut inde lucretur, cum ideo furtum vetitum ſit ne quis lucretur alieno damno: quis itaque dicet vel furtum licitum eſſe cum quis aliter lucrari non poteſt, vel ſaltem furando graviter non peccare? Denique neceſſitas ſe ſuoſque alendi a crimine furti hujuſmodi venditores non excuſat; nam ſi tali arte vivere non poſſunt, aliam amplectantur, & ſi non ſuppetunt vel vires vel aptitudo, eleemoſynas petant, & Dei providentiæ ſe committant, ac piorum ſubſidia poſtulent; alioquin liceret & meretricibus in ſua arte perſeverare, quippe quæ, ut ipſæ ſemper Confeſſariis eas ab iniquitate revocantibus reſpondent, ſe paratas eſſe ad lupanar deſerendum, dummodo neceſſaria unde vivant illis ſuppeditarentur, non enim alia via ſe vivere poſſe proteſtantur. Porro ille idem Decalogus, qui fornicationem vetat, & furtum prohibet, & ſicut ad ſuam ſuſtentandam vitam & ſuorum nunquam licet fornicari, quomodo ob eamdem cauſam furari licebit? Falſæ ſunt itaque injuſtæ & laxæ excuſationes furti ab Auctore adductæ.

Conſectarium Septimum.

VII. Furti rei ſunt, qui mutuum petunt, vel æs alienum contrahunt optime ſcientes, ſe non eſſe ſolvendo, ſicut qui dolo fingunt ſe totum æs

alienum ſolvere non poſſe, ſoluturos autem partem ſi totum remittatur, cum hi revera rem alienam invito domino ſibi ſurripiant, & furto dolum & fraudem addant. Hos injuſtos creditorum fraudatores ſic arguit S. Ambroſius lib. de Tobia cap. 21. „ Debere verecundum eſt, non „ reddere inverecundum. Poſtulabis dilationem „ cum cœperis conveniri in tempore præſcriptæ „ ſolutionis, pro pecunia offeres tædia, cauſabe„ ris de tempore, excuſationes ſtrues, & cum „ totum promiſeris, ne in univerſum fraudare „ videaris, vix dimidium reſtitues. De amico „ inimicum facies, pro honore referes contume„ liam, pro benedictione maledictionem. Quam „ hæc opinionem lædant conſidera, quam a viro „ bono diſcerpent recognoſce “. Secus vero de iis dicendum, qui neceſſitate urgente, vel mutuum petunt, vel æs alienum contrahunt ſcientes ſe poſſe reddere, & bona fide pollicentes ſtatuto tempore ſolutionem, licet poſtea aliquo ſuperveniente impedimento datam fidem liberare non valeant. Idem & de illis dicendum, qui cum totum non valeant, partem debiti ſolvunt, integrum parati reddere, niſi vel ſponte, vel rogatus creditor remittat.

Conſectarium Octavum.

VIII. Fures ſunt habendi, qui alienam pecuniam tractantes partem ſibi retinent tanquam a domino mutuo acceptam, quamobrem & pecuniam in ſuo libello notant & diem acceptionis, animo poſtea reſtituendi, hæc tamen omnia domino celantes. Nam hoc eſt rem alienam accipere invito domino, qui interpellandus eſt, num velit pecuniam ſuam mutuam dare, & noſſe debet quinam ſint ſibi debitores; animus autem reſtituendi a furto non excuſat, ſicut & adnotatio, cum hæc ſint ad fucum faciendum, & ad conſcientiæ latratus compeſcendos conficta: certum enim eſt, unicuique rem alienam accipienti onus incumbere reſtitutioni ſub pœna damnationis æternæ. Secus tamen dicendum de illis, qui alienam tractantes pecuniam cum ſua commiſcentes, ea utuntur parati reddere domino quotieſcumque ille poſtulaverit, & accepti rationem petierit, & ſi quid ipſis deeſt, domino manifeſtant, ſeque debitores & fatentur & conſtituunt, niſi tamen dominus ipſis ſuæ pecuniæ uſum interdixerit.

Conſectarium Nonum.

IX. Merito Catechiſmus Concilii Tridentini 3. p. cap. 8. num. 9. & ſeq. inter fures eos annumerat „ qui furto ſublatas res emunt, vel ali„ quo modo inventas, occupatas, aut ademptas „ retinent ...... qui in emendis vendendiſque „ rebus fraudes adhibent, & vanitatem oratio„ nis .... qui fallaces, & corruptas merces ven„ dunt pro veris & integris; quive pondere, „ menſura, numero, & regula decipiunt empto„ res ..... Furtum etiam apertum eſt operario„ rum, & artificum, qui totam & integram mer„ cedem exigunt ab iis, quibus ipſi juſtam ac „ debitam operam non dederunt. Nec vero diſtin„ guuntur a furibus ſervi dominorum, rerumque „ cuſtodes infidi: quin etiam eo ſunt deteſtabilio„ res, quam reliqui fures, qui clavibus excludun„ tur, quod furaci ſervo nihil domi obſignatum, „ aut occluſum eſſe poteſt. Furtum præterea fa„ cere videntur, qui fictis ſimulatiſque verbis, „ quive fallaci mendicitate pecuniam extorquent: „ quorum eo gravius eſt peccatum, quod furtum „ mendacio cumulant. Illi quoque in furum „ numero reponendi ſunt, qui cum ad priva„ tum aliquod, vel publicum officium conducti „ ſunt, nullam, vel parvam operam navantes, „ munus negligunt, mercede tantum, ac pretio „ fruuntur “.

Conſectarium Decimum.

X. Contingere poteſt, ut quis furti, vel injuſtitiæ reus ſit, licet rem propriam ex alterius manu eripiat. Ita docet S. Thom. hic quæſt. 66. art. 3. ad 3. ubi animadvertit „ quod nihil prohi„ bet id quod eſt ſimpliciter unius, ſecundum „ quid eſſe alterius; ſicut res depoſita eſt ſimpli„ citer quidem deponentis, ſed eſt ejus, apud „ quem deponitur, quantum ad cuſtodiam “. Hinc qui rem ſuam apud aliquem depoſuit, nequit ſine injuſtitia eam a depoſitario ſurripere ipſo ignorante, ut optime docet S. Thom. art. 5. ad 3. *Ille, qui furtim accipit rem ſuam apud alium depoſitam, gravat depoſitarium, qui tenetur ad reſtituendam eam, vel ad oſtendendum ſe eſſe innoxium: unde manifeſtum eſt quod peccat, & tenetur ad relevandum gravamen depoſitarii.* Quod ſi res furto ſublata ſit penes ipſum furem, nemo occulte eam ſurripere poteſt: nam, ut ſubdit S. D. art. 3. ad 3. *Quod eſt per rapinam ablatum, eſt rapientis,* non quidem *ſimpliciter, ſed quantum ad detentionem,* niſi forte ſine violentia auferat, ut Domino reddat. *Si vero,* proſequitur S. D. art. 5. ad 3. *quis furtim accipiat rem ſuam apud alium injuſte detentam, peccat quidem: non quia gravet eum qui detinet, & ideo non tenetur ad reſtituendum aliquid, vel ad recompenſandum; ſed peccat contra communem juſtitiam, dum ipſe ſibi uſurpat ſuæ rei judicium, juris ordine prætermiſſo. Et ideo tenetur Deo ſatisfacere, & dare operam, ut ſcandalum proximorum, ſi inde exortum fuerit, ſedetur.* Quamobrem vulgare illud effatum quo dicitur, Domino licere rem ſuam ubicumque repertam ſibi accipere, eſt ita temperandum, ut nullum inde ſequatur ſcandalum, & juſtitiæ ordo minime perturbetur.

Conſectarium Undecimum.

XI. Rapinæ rei merito declarantur a Catechiſmo Romano loc. ſup. laud. „ Qui debitam ope„ rariis mercedem non perſolvunt, qui quæ Ec„ cleſiæ Præſidibus, & Magiſtratibus debentur „ vectigalia, tributa, decimas, reliqua hujus ge„ neris non diſſolvunt, vel intervertunt, & ad „ ſe transferunt. Huc etiam referuntur Fœnera„ tores, in rapinis acerrimi, & acerbiſſimi, „ qui miſeram plebem compilant, ac trucidant

„ uſu-

„ uſuris .... Item rapinas faciunt nummarii judices, qui venalia habent judicia, & pretio „ muneribuſque deliniti, optimas tenuiorum, & „ egentium cauſas evertunt. Fraudatores creditorum, & inficiatores, quique ſumpto temporis ſpatio ad ſolvendum, ſua, vel aliena fide „ merces emunt, neque fidem liberant, damnabuntur eodem rapinarum crimine. Quorum „ etiam delictum gravius eſt, quod mercatores, „ illorum deſtitutionis, & fraudationis occaſione, magno detrimento civitatis, carius vendunt omnia.

CAPUT TERTIUM.

De aliquibus peculiaribus furtis.

D o c t r i n a.

I. *Quando filii-familias rei ſint furti.*
II. *Quando graviter peccent res domeſticas furando.*
III. *Et parentes rei furti fiunt, ſi filiorum bona ſurripiant.*
IV. *Quando filii-familias a furto excuſentur.*
V. *Uxores reæ furti, ſi de rebus mariti, iis invitis, diſponant.*
VI. *Quibus in caſibus a furto excuſentur uxores.*
VII. *Opifices rei furti ſunt aliquid ſurripiendo de re ſibi ſuppeditata ad aliquod opus faciendum.*
VIII. *Ruſtici quando rei furti fiunt.*
IX. *Furtum non committunt qui ſpicas & racemos relictos colligunt.*
X. *De furtis Religioſorum quid ſit ſentiendum.*
XI. *Num ſint filiis-familias æquiparandi.*

I. CRiminis furti rei ſunt filii-familias, qui res domeſticas furantur, vel quovis modo contra parentum voluntatem dilapidant, & inſumunt. Ratio eſt manifeſta, nam rerum domeſticarum dominium non habent filii, ſed parentes, ut docet S. Thom. in IV. diſt. 15. art. 5. quæſt. 4. ad 1. quamvis filius familias ſit hæres, non tamen adhuc eſt dominus rerum: quamobrem illas occulte ſurripientes, vel diſſipantes furtum non vitant: hinc Proverb. 28. dicitur: *Qui ſubtrahit aliquid a patre ſuo & matre, & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps eſt homicidæ.*

II. Ad grave tamen furtum communiter Theologi majorem poſtulant ſive pecuniæ ſive rerum quantitatem ſurripi a filio, quam ab extraneo, & quidem hoc evincunt duplici ratione; 1. quia parentes vel minus inviti, vel omnino inviti non ſunt, ſi quæ a filiis-familias ſibi ſurripi ſciant, quam ſi noſſent ab extraneis: 2. cum plerumque inviti ſint non quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum, quia nimirum clanculum accipiunt quod ab ipſis petitum non denegaſſent. Verum hæc rationum momenta ſi quid evincunt, hoc unum meo videri probant, filios-familias a furto quandoque excuſari, quippe qui rem ſurripiunt domino non abſolute, nec omnino invito & reluctante; quod & ipſe verum puto, quotieſcumque de minutioribus furtis agatur, quæ familiæ non nocent, & pecuniæ ſive res ablatæ a filiis non diſſipantur, ſed in uſus ſibi opportunos & convenientes inſumuntur, puta ad decentiores veſtes comparandas, ad abundantiorem ſupellectilem, & ſimilia. At poſito quod furtum filii tale ſit, ut inſpectis familiæ divitiis, filiorum numero, expenſis in familia alenda, ceteriſque adjunctis, ſit tantæ quantitatis, quam ſibi ſurripi juſte parentes ſint inviti, non video cur major requiratur quantitas in furto filii-familias, quam in extraneo, cum pater hujuſmodi furtum ægre & invitus patiatur, & res in ſe ſit abſolute gravis, quippe quæ in extraneo lethale peccatum foret. Quod multo magis verum puto, ſi filius pecuniam vel res domeſticas clam ſublatas diſſiparet in luxu, in comeſſationibus, ludis, aliiſque turpioribus vitiis, tunc enim pater eſſet quammaxime invitus, & quidem non ſolum ratione rei ablatæ, ſed perverſi finis, ob quem furatur, & juſte filio indignaretur, qui tunc ſuo furto non ſolum juſtitiam læderet, ſed & pietatem.

III. Furti etiam rei eſſe poſſunt parentes, ſi filiorum bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, quorum dominium & adminiſtratio penes ipſos filios eſt, clam ſurripiant, & ſibi approprient in notabili quantitate. Putarem tamen hic locum habere epikiam, nec putandum filios de facili invitos eſſe, ſi Parentes de præfatis bonis ita diſponant, ut grave ipſis nocumentum non afferant, quod tamen ſi revera afferrent, a gravi furti peccato non forent excuſandi, licet ipſi filii ob reverentiam & modeſtiam non conquerantur.

IV. Non licere filiis cum Patre laborantibus, & ipſi in operibus, artefactis, mercimoniis adjuvantibus, vel ejus negotia gerentibus ſibi clam ſurripere quod Pater daret extraneo, jam diximus, & oſtendimus in 4. Decal. Præc. Diſs. unic. cap. 5. conſect. 3. Furti tamen non reos dicemus filios, qui ad vitam, veſtitum, & ad proprii ſtatus decentiam, congrua & neceſſaria a Patre non ſuppeditata vel ob avaritiam, vel ob incuriam, ſibi ex bonis paternis acciperent, quippe qui ad illa filii jus habent, & paterna bona huic oneri ſunt obnoxia.

V. Uxores ſi bona habeant propria, quæ paraphernalia dicuntur, nec dominio aut mariti ſubſunt adminiſtrationi, libere ac licite de illis diſponere poſſunt; licet illorum curam & adminiſtrationem marito relinquant: cenſentur enim eo uti tamquam miniſtro, non tamquam domino, & adminiſtrationem non juridicam eſſe, ſed precariam. De bonis vero communibus & dotalibus diſponere non poteſt, docente S. Auguſt. in epiſt. 199. ad Ediciam: „ Nihil de tua veſte, nihil de tuo auro vel argento, vel quacumque „ pecunia, aut rebus aliis terrenis tuis ſine arbitrio viri facere debuiſti". Et jure meritoque, quia ut docet S. Thom. 2. 2. quæſt. 32. art. 8. ad 2. *Quamvis mulier ſit æqualis viro in actu matrimonii, tamen in his, quæ ad diſpoſitionem domus pertinent, vir caput eſt mulieris, ſecundum Apoſtolum* 1. ad Corint. 11. Peccant proinde lethaliter, & furti reæ ſunt uxores, quæ de communibus, & dotalibus bonis invito marito diſponunt

nunt in magna quantitate, quæ juxta ea quæ ſuperius diximus de filiis-familias eſt dimetienda.

VI. Furti tamen non ſunt arguendæ uxores, quæ quibuſdam in caſibus de bonis communibus & dotalibus, etiam inſcio marito, diſponunt. Nimirum 1. ad eleemoſynas elargiendas, juxta tamen ea quæ diximus Tract. 4. de Virt. Theol. diſſ. 3. cap. 15. Conſect. 11. 2. Ad grave aliquod vitandum familiæ damnum, ut feciſſe legimus 1. Reg. cap. 25. prudentiſſimam Abigail, quæ, ut domus Nabal perniciem averteret, David ſtragem molienti copioſa obtulit munera, eumque in maritum furentem placavit; & ſic mariti negotium geſſit. 3. Ad familiæ ſuſtentationem, ſi forte maritus vel neceſſarios & conſuetos ad alimoniam, victum, & veſtitum, ſumptus ob avaritiam deneget, vel in ludis, compotationibus, ſcortationibus bona dilapidet, & inſumat. 4. Ad ſuppeditanda neceſſaria & congrua filiis ad militiam, vel ad ſtudia, ſive ad artes addiſcendas procul a paterna domo miſſis, quando hæc præbere vel recuſet, vel negligat Pater. Dixi tamen neceſſaria tantum & congrua, non vero quæ ad luxum, & oſtentationem a filiis petuntur. 5. Ad alendos etiam proprios filios ex alio marito progenitos, ſi bona paraphernalia non habet, & illi vere indigentes ſint, & neceſſaria ſuo ſtatui non habeant, quamobrem vel mendicare cogerentur, vel a ſuo ſtatu notabiliter decidere. 6. Permittunt etiam nonnulli Caſuiſtæ, ut de bonis mariti in eleemoſynas & ſacrificia diſponere poſſit ad ipſius conjugis ſpirituale bonum, nimirum ut a via perditionis convertatur, & a pravo ſtatu reſipiſcat. Habeat tamen præ oculis ſacer Miniſter in his concedendis eleemoſynis uxoribus S. Auguſtini in laud. ad Ediciam epiſtola monitum: „ Cum de faciendis eleemoſynis loqueretur, ait Apoſtolus, *non ut aliis refectio ſit, vobis autem anguſtia*. Pariter ergo conſilium de omnibus haberetis, pariter moderemini, quid theſaurizandum eſſet in cælo, quid ad vitæ hujus ſufficientiam vobis, & veſtris, veſtroque filio relinquendum, ne aliis eſſet refectio, vobis autem anguſtia. Et in his diſponendis atque faciendis, ſi quid tibi forte melius videretur, ſuggereres viro reverenter, ejuſdemque auctoritatem tamquam tui capitis ſequereris obedienter, ut omnes qui ſanum ſapiunt, ad quos poſſet hoc bonum veſtrum fama perferre, de domus veſtræ fructu ac pace gauderent, & adverſarius revereretur, nihil habens de vobis dicere pravi ".

VII. Furti rei ſunt opifices, qui de re & materia ſibi ad opus perficiendum a dominis ſuppeditata aliquid occulte ſurripiunt, ut ſartores, textores, molitores, aliique ſimiles, niſi forte quæ ſibi retinent nullius ſint uſus, uti ſunt minutiſſima fragmenta. Ita docet S. Antoninus 3. P. cap. 8. §. 6. ſcribens: „ Si quod ſibi reſtat de ſerico, vel panno, vel tela, vel aliis ſibi datis pro fiendis veſtibus retinet, ſubfuratur illud ". Ratio eſt manifeſta, quippe rem alienam & occulte accipiunt, & invito domino ſibi retinent. Nec excuſantur vel inducta conſuetudine, quam artifices etiam qui probi, & timoratæ conſcientiæ apparent ſine ſcrupulo ſequuntur, quippe quia nulla conſuetudo, nullum exemplum hominum etiam proborum derogare poteſt naturali legi de re aliena non uſurpanda aut retinenda. Sicut nec præſumendus eſt tacitus dominorum conſenſus, cum hujus præſumptionis nullum eſſet argumentum, immo oppoſita urgeat præſumptio, nimirum quemlibet nolle privari, ſe inſcio, re ſua. Num autem locum habere poſſit occulta compenſatio, infra expendemus.

VIII. Ruſtici rei ſunt furti, qui hiemali tempore ligna vites ſuſtinentia furripiunt, qui arborum ramos in alienis agris cædunt, qui fructus ab arboribus ventorum vi, vel alia de cauſa in terram lapſos ſibi attribuunt. Quandoquidem res alienas furantur, & quidem invito domino, cui damnum infertur, quem & lignis & ramis ſibi neceſſariis ſpoliant, & ipſi fructus decidui, licet immaturi, cedere poſſunt domino, niſi in familiæ alimoniam, ſaltem in animalium pabulum; quod ſi dominus hujuſmodi acerbos fructus negligat, nec colligere curet, cum pro derelictis habeantur, furtum non erit eos occupare.

IX. Licet abſque furti piaculo pauperibus ſpicas metentis manus effugientes, & racemos ſive olivas in arboribus poſt vindemiam remanentes colligere. Ita enim fert totius pene chriſtiani orbis conſuetudo, quæ legem adoptaſſe videtur a Deo latam Deuter. 24. *Quando meſſueris ſegetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reverteris ut tollas illum: ſed advenam, & pupillum, & viduam auferre patieris .... Si fruges collegeris olivarum, quidquid remanſerit in arboribus, non reverteris ut colligas, ſed relinques advenæ, pupillo, & viduæ .... Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, ſed cedent in uſum advenæ, pupilli, & viduæ*. Duo tamen puto hic adnotanda, primum advenas, pupillos, & viduas vere non indigentes nec pauperes, non poſſe illa ſibi uſurpare, cum illis nominibus non perſonarum conditio, ſed egeſtas denotetur. 2. Poſſe dominum agrorum & vinearum alicui determinato pauperi racemationem & collectionem illam velle reſervatam, quia licet illa ſint univerſim pauperibus conceſſa, non tamen huic vel illi determinato pauperi, quamobrem a fundi domino poteſt cui ſibi libuerit pauperi elargiri. De herba vero, quæ in proprio alicujus agro collectis frugibus reſtat, vel poſtea enaſcitur, optime advertit Sylvius 2. 2. q. 66. art. 2. „ num ſit communis omnibus illius territorii civibus, ex locorum legibus & conſuetudine pendere, plerumque tamen communem cenſeri ".

X. Regulares rei ſunt ſacrilegi furti, ſi res communitatis ſibi clam, inſcio Superiore, uſurpent. Quandoquidem præfati Regulares nec dominium obtinent, nec proprietatem rerum communitatis vi voti paupertatis, quo obſtricti ſunt, ſed meri uſus ſunt capaces ad nutum Superioris vel concedendi, vel interdicendi. Quoad quantitatem vero ad lethale peccatum conſtituendum in Religioſo fure non conveniunt Theologi: quidam enim cenſent, eos filiis-familias eſſe coæquandos, in quorum furtis majorem poſtulant rei quantitatem ad lethale conſtituendum peccatum; alii vero

re putant eam ſufficere quantitatem in Religioſis, quæ in ſecularibus ſufficit ad grave peccatum. Nonnulli diſtinguunt in Religioſo quod ad juſtitiam pertinet, & quod paupertatis opponitur voto; & ex primo capite putant, quid majus requiri in Religioſo ad grave furtum, quam in ſeculari; ex ſecundo vero capite, vel eamdem quantitatem ſufficere arbitrantur, vel etiam minorem. Ita cenſet de Lugo tract. de juſt. & jure cap. 3. n. 172. ubi ſic ſcribit. „ Fateor, Religioſum non „ conſiderari omnino ut extraneum, ſed ut par- „ tem conventus, adeoque benignius agendum „ cum illo ad deſignandam materiam gravem fur- „ ti, quam cum extraneis. Hoc tamen moderan- „ dum eſt alia conſideratione damni ſpiritualis. „ Sicque judicandum in ſingulis materiis juxta „ uſum ac ſenſum cujuslibet Ordinis, an Præla- „ tus ſit graviter invitus, nec ne; & quidem in „ primis ſpectata qualitate actionis, per quam „ violatur votum paupertatis, nam aliæ de ſe „ habent magis de proprietate, aliæ minus, qua- „ tenus per illas, magis aut minus aliquid extra- „ hitur a communi uſu ".

XI. Ad me quod attinet cenſeo 1. non eſſe Regulares filiis-familias æquiparandos in eo quod ſuperius diximus, nimirum poſſe aliquando præfatos a furti crimine excuſari, licet clam aliquid ſurripiant, quia parentes non cenſentur inviti, quandoquidem cum parentes ſint ſuarum rerum domini, conſentire poſſunt, ut filii ex rebus domeſticis aliquid ſibi uſurpent; at Prælati Regulares cum non ſint rerum communitatis domini, ſed ſolum adminiſtratores, concedere non poſſunt ſubditis, ut aliquid ſibi uſurpent, ipſo neſciente, contra votum paupertatis. 2. Licet æquiparandi ſint filiis-familias, cum tamen ſuperius dixerimus & iſtos lethaliter peccare, quotieſcumque rem in ſe gravem reſpectu extranei ſurripiant, manifeſtum eſt, hoc idem fortius in Religioſo urgere. 3. Cum ad res communitatis non ſibi accipiendas teneantur Religioſi nedum virtute juſtitiæ, & præcepto Decalogi, non furaberis, ſed & ſolemni paupertatis voto; contingere quandoque poteſt, ut quod juſtitiæ non graviter adverſatur & præceptum non lethaliter violat, graviter tamen voto paupertatis repugnet, & amorem ac ſpiritum ejuſdem paupertatis minuat & labefactet: quamobrem Superiores ægerrime etiam minutiora Religioſorum furta, præſertim ſi ſint in pecunia, ferunt, & ſunt graviter inviti, ut revera eſſe debent, ſi Religionis ſpiritum habeant, ne paupertas, & rerum communitas ubi præſertim viget, eorum conniventia ullo modo laxetur. Quamobrem ſibi caveant Regulares, dum de pecuniis & de rebus communitatis, inſcio vel obluctante Superiore, diſponunt, facilius enim quam ſeculares in lethale crimen labi poſſunt.

CAPUT QUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Peccant filii-familias contra juſtitiam, ſi res a parentibus ſuppeditatas diſſipent.*
II. *Non licet uxoribus pecuniam clam ſurripere ad ludendum.*
III. *Quando rei ſint furti famuli & famulæ.*
IV. *Et domini reſpectu ſuorum ſervorum.*
V. *Nec non artifices in materia ſui operis comparanda.*
VI. *Ruſtici num ligna cædere in ſylvis Communitatis licite poſſint.*
VII. *Num in alienis.*
VIII. *Quinam rapinæ rei ſint.*

Conſectarium Primum.

I. PEccant, & quidem lethaliter contra juſtitiam filii, qui pecuniam a patre ſuppeditatam ad honeſtos uſus, puta ad alimoniam, ad veſtitum, ad ſtudium, vel ad artem addiſcendam, inſumunt in compotationibus, aleis, ſcortationibus, aliiſque pravis modis dilapidant, multoque magis, ſi parentibus hæc ignorantibus, fictitias obtrudant neceſſitates, unde novam & abundantiorem accipiant pecuniam, qua luxurioſe vivant, & ſua vitia foveant, cum præfati filii-familias non aliud jus obtineant in pecuniam ſibi a patre ſuppeditatam præter illud, quod parentes dare intendunt, qui profecto præfatis impenſis & pecuniæ dilapidationi maxime obſiſtunt, & inviti ſunt: juſtitiam ergo violant, & niſi parentes conſcii de pravo pecuniæ uſu condonent, tenentur aliis fratribus reſtituere, vel in partitionem deducere, ut ſuo loco dicemus.

Conſectarium Secundum.

II. Falſa eſt doctrina nonnullorum Caſuiſtarum, qui docent, poſſe uxorem viro ſurripere pecuniam etiam ad ludendum, ſi mulier talis ſit conditionis, ut ludus honeſtus pari loco cum alimentis ac victu habeatur: contra quam merito hanc tulit cenſuram Clerus Gallicanus: „ Hæc „ propoſitio temeraria eſt, ſcandaloſa, & fami- „ liarum pacem perturbat ". Quod autem de ludo alimentis æquiparando additur, furti iniquitati peſſimas fallendi artes adjungit, & in vitam humanam neceſſitates inducit a chriſtiana ſimplicitate & honeſtate abhorrentes. Et jure merito: vix enim Patres concedunt uxoribus, ut de bonis mariti eleemoſynas faciant; quamobrem tamquam principium omnino certum ſtatuit S. Auguſtinus in epiſt. ad Ediciam: *Nihil de tua veſte, nihil de tuo auro, vel argento, vel quacumque pecunia, aut aliis rebus terrenis tuis ſine arbitrio viri facere debuiſti:* multo ergo minus licebit uxori de bonis mariti, vel communibus accipere ad ludum, quem non vitæ neceſſitas, nec honeſtas poſtulat, ſed otium, lucri cupiditas, & voluptatis amor invexit. Et profecto quis non miretur chriſtianos Theologos, qui a ludis omnibus chriſtianas feminas avocare deberent, illas potius impellere, permittendo, ut bona mariti furari valeant ad ludendum?

Conſectarium Tertium.

III. Peccant, & rei ſunt furti famuli, famu-

læque, qui panem, vinum, carnes, caſeum, alia eſculenta & poculenta clam dominis ſurripiunt, ut lautius epulentur, vel conſanguineis aut affinibus ſuis etiam pauperibus donent, vel ſutoribus, ſartoribus, aliiſque in operis mercedem largiuntur; nam ea occupant injuſte & invito domino. Excipiuntur tamen menſæ reliquiæ, ſi hæc ex uſu familiæ, vel ex conventione in eorum uſum cedant; & ſimiliter ſi a dominis determinatam accipiant panis, vini, obſonii quantitatem in eorum alimoniam; tunc enim de illis libere queunt diſponere, & ſibi ſubtrahere, vel ut pauperibus, & ſibi affinibus in eleemoſynam erogent, vel opificibus pro mercede largiantur.

Conſectarium Quartum.

IV. Furti rei ſunt domini, qui famulis vel famulabus congruam non tribuunt alimoniam eorum ſtatui convenientem, ſed ex avaritia attenuant, vel inſalubres putreſque cibos diſtribuunt, ſicut qui pactam mercedem non ſolvunt, vel juſto minorem paciſcuntur, ſive mercedis ſolutionem diutius cum ſervorum detrimento differunt. Hæc enim omnia perficientes juſtitiam violant, & rem alienam ſibi vel omnino vel ex parte attribuunt, & pauperes oppr munt, & vexant: nec excuſantur ſilentio vel famulorum patientia, cum iſti urgente neceſſitate has tolerent vexationes, & nonniſi ex timore taceant, nec conquerantur.

Conſectarium Quintum.

V. Artifices, qui materiam emunt nomine aliorum ad ſua perficienda opera, puta Sartores, qui pannum emunt ad veſtes conficiendas; Sutores corium vel pellem ad calceos compingendos; Textores lanam vel filum ad contexendas telas, nequeunt rei emptæ pretium augere, vel obtentu vilioris pretii, quo ſua induſtria, vel donante venditore emiſſe autumant, vel ad tempus & laborem in emptione redimendum, & compenſandum; quandoquidem hoc onus vel ſponte aſſumunt, ut habeant unde poſtea ex ſuo opere lucrentur, vel ab alio impoſitum libenter eadem ratione aſſumunt, & quidem gratis præſtandum: ſi enim & pro hoc labore mercedem voluiſſent, de ea paciſci debuiſſent, & cum mandante convenire: quamobrem mercedem petere deberent, non clam, aucto rei emptæ pretio, ſibi ſurripere. Nec præſumendum eſt, Mercatores iſtis artificibus infimo pretio vendere, ut ipſi poſtea majori vendant; ſunt enim ſemper in animo diſpoſiti Mercatores, parata pecunia, omnibus ſuas merces etiam infimo pretio concedere. Quamobrem verum perpetrant furtum, & pretii augmentum ſibi injuſte uſurpant, quod vel reſtituere debent, vel diminuto operis juſto pretio ſarcire.

Conſectarium Sextum.

VI. Ruſtici in ſuæ Communitatis ſylva ligna cædere pro ſuo uſu poſſunt, non tamen in magna quantitate, quin furti rei fiant. Primæ partis ratio eſt manifeſta, quæ enim communia ſunt, in uniuſcujuſque Communitatis membri utilitatem cedere debent; jus habent proinde ruſtici ligna in proprium uſum decerpere, quod licitum putat Sylvius, etiamſi a Communitate vetitum ſit: ſcribit enim 2. 2. quæſt. 66. art. 3. „ Neque „ refert quod hujuſmodi lignorum raſio ſit pro- „ hibita, ideo enim prohibetur, ne alioquin „ ſylvæ deſtruantur “. Verum attendendæ ſunt cauſæ legis, & finis ipſius, necnon conſuetudo & praxis, & juxta ea pronunciandum. Altera vero pars pariter patens eſt; nam quilibet de Communitate non aliud jus habet ad bona communia, niſi quod ſervata proportione & aliis competit: porro qui ligna ſibi uſurpat in magna & notabili quantitate, hanc proportionem minime ſervat, ſed quod & aliis commune eſt ſibi attribuit; proinde furti reus fit, & ad æqualitatem inducendam tenetur.

Conſectarium Septimum.

VII. Non licet ruſticis ligna cædere in ſylvis, quæ privati juris ſunt, non ſolum titulo plantationis, ſed alio quocumque juſto titulo, ſive emptionis, ſive hæreditatis, ſive donationis. Ita optime docet laudatus Sylvius loc. cit. art. 2. ſcribens: „ Qui ligna cædit in ſylva alicujus „ privati poſſidentis eam titulo plantationis, „ præter peccatum quod committit, reſtitutio- „ ni eſt obnoxius, quia ſurripit alienum, invi- „ to domino. Et quamvis alii aliter ſentiant, „ idem tamen cenſemus dicendum de cædente „ ſylvas particularium dominorum abſque facul- „ tate eorum; immo & de cædente ſylvas Re- „ gum & Principum hæreditarias, aut aliter ju- „ re acquiſitas, eo quod hujuſmodi ſylvæ, quam- „ vis neque per ipſos, neque per ipſorum Præ- „ deceſſores plantatæ fuerint, ſunt in ipſorum „ dominio; arbores autem ſunt fructus ipſarum „ ſylvarum “.

Conſectarium Octavum.

VIII. Rapinæ reæ ſunt privatæ perſonæ, quæ per vim & violentiam rem alienam occupant, non vero Principes, licet vi utantur, dummodo juſtitiam ſervent. Ita S. Thom. hic quæſt. 66. art. 8. ſcribens: *Quicumque per violentiam aliquid alteri aufert, ſi ſit privata perſona, non utens publica poteſtate, illicite agit, & rapinam committit, ſicut patet in latronibus. Principibus vero poteſtas publica committitur ad hoc quod ſint juſtitiæ cuſtodes. Et ideo non licet eis violentia, & coactione uti, niſi ſecundum juſtitiæ tenorem; & hoc vel contra hoſtes, pugnando: vel contra cives, malefactores puniendo: & quod per talem violentiam aufertur, non habet rationem rapinæ, cum non ſit contra juſtitiam. Si vero contra juſtitiam aliqui per publicam poteſtatem violenter abſtulerint res aliorum, illicite agunt, & rapinam committunt, & ad reſtitutionem tenentur.* Et clarius rem explicat, & mentem ſuam aperit in reſp. ad 3. ſubdens: „ Si Principes ſubditis exigant quod eis ſecundum juſtitiam debe-

„ tur

„ tur propter bonum commune conſervandum, „ etiamſi violentia adhibeatur, non eſt rapina. „ Si vero aliquid Principes indebite extorqueant „ per violentiam, rapina eſt, ſicut & latroci- „ nium. Unde dicit Auguſtinus in 4. de Civ. „ Dei c. 4. *Remota juſtitia quid ſunt regna niſi* „ *magna latrocinia? quia & latrocinia quid ſunt* „ *niſi parva regna?* Et Ezech. 22. 27. dicitur: „ *Principes ejus in medio ejus, quaſi lupi rapien-* „ *tes prædam.* Unde ad reſtitutionem tenentur, „ ſicut & latrones: & tanto gravius peccant quam „ latrones, quanto periculoſius, & communius „ contra publicam juſtitiam agunt, cujus cuſto- „ des ſunt poſiti ".

CAPUT QUINTUM.

De neceſſitate a furto excuſante, & de occulta compenſatione.

§. I.

De neceſſitate a furto excuſante.

D o c t r i n a.

I. *Triplex neceſſitas diſtinguenda.*
II. *In communi neceſſitate non licet rem alienam ſurripere.*
III. *Immo nec in gravi. Propoſitio damnata.*
IV. *In extrema neceſſitate licet, quod ad neceſſitatem levandam opus eſt, etiam clam ſurripere.*
V. *Non ſunt in extrema neceſſitate conſtituti, qui ſtipem petendo poſſunt ſuæ neceſſitati ſubvenire.*
VI. *Non eſt admittenda diſtinctio neceſſitatis gravis extremæ vicinæ & affinis, in qua liceat rem alienam occupare.*
VII. *Non ſemper dominium obtinetur rei in extrema neceſſitate ſurreptæ.*
VIII. *Quid ſit occulta compenſatio.*
IX. *Occultæ compenſationis conditiones a Theologis ſtatutæ ut licita ſit.*
X. *Doctrina, quæ licitam ſtatuit occultam compenſationem, recens eſt.*
XI. *S. Auguſtini doctrina occultæ compenſationi contraria.*
XII. *Reſponſio Franzojæ refellitur.*
XIII. *Aliud S. Auguſtini teſtimonium.*
XIV. *Occulta compenſatio ſæpiſſime juſtitiæ commutativæ adverſatur.*
XV. *Semper vero juſtitiæ legali ſive communi infenſa.*
XVI. *Doctrina nonnullorum Theologorum refellitur.*
XVII. *Eorumdem reſponſio refutatur.*
XVIII. *Quid pro generali regula ſtatuendum ſit.*

I. Triplex neceſſitatis genus optime diſtinguunt Theologi, extremam ſcilicet, gravem, & communem. Priorem ſic deſcribit S. Thom. hic quæſt. 66. art. 7. *Si tamen adeo ſit evidens, & urgens neceſſitas, ut manifeſtum ſit inſtanti neceſſitati de rebus occurrentibus eſſe ſubveniendum (puta cum imminet perſonæ periculum, & aliter ſubveniri non poteſt).* In quibus verbis tria ad extremam neceſſitatem exigit S. D. 1. ut ſit *evidens*, non probabilis, non dubia, non incerta. 2. Ut ſit *urgens*, nimirum actu premat, & vitæ periculum inferat, *cum imminet perſonæ periculum.* 3. Ut alio modo averti non poſſit, niſi rem alienam occupando, *& aliter ſubveniri non poteſt.* Altera vero in iis reperitur, qui licet rebus non careant ad vitam ſuſtentandam neceſſariis, quamobrem nec fame ac ſiti nec miſeria de vita periclitantur, coguntur tam miſeram traducere vitam cum egeſtate conflictando, & licet nobiles ſint, vel divites fuerint, ex proprio ſtatu tamen ita ſunt dilapſi, ut ad ſtipem & eleemoſynam petendam cogantur. Tertia vero in illis reperitur pauperibus, qui oſtiatim mendicando vitam alunt, vel tenui labore ſibi victum comparant.

II. In communi neceſſitate non licere alienam rem occupare ad unum omnes docent Theologi: nam cum paupertas communis innumeros pene premat, ſi in tali neceſſitate liceret furari, jam humana Reſpublica tota perturbaretur, & nullus in ſuorum bonorum poſſeſſione tutus eſſet, innumeriſque furtis latiſſimus pateret campus. Quare optime docet S. Thom. l. l. *Quia multi ſunt neceſſitatem patientes, & non poteſt ex eadem re omnibus ſubveniri, committitur arbitrio uniuſcujuſque diſpenſatio propriarum rerum, ut ex eis ſubveniat neceſſitatem patientibus.* Præterea cum pauperum, & divitum diſtinctio divinæ providentiæ ordini ſubjaceat, quæ poſt Adæ peccatum divites ſalutem conſequi voluit eleemoſynis, & miſericordiis pauperum, & pauperes ad beatam vitam pervenire patientia & egeſtatis tolerantia: hic ordo omnino perturbaretur, ſi cuique pauperi divitum opes ſurripere, & ſuperabundantiam minuere propria auctoritate liceret. Denique ſi non licet aliena ſurripere non in proprium lucrum & utilitatem, ſed ad eleemoſynas faciendas & pauperibus ſubveniendum, licet auferantur a divitibus avaris, cupidis, qui de opibus ſuis nihil boni agunt, ut ſcribit S. Auguſtinus ſup. cap. 2. laudatus, non licebit nec pauperibus ea ſibi arripere.

III. Nec in gravi neceſſitate licitum eſſe rem alienam clam ſurripere, definivit Innoc. XI. proſcribendo propoſitionem 36. aſſerentem: *Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.* Et Clerus Gallicanus eam doctrinam falſam, temerariam, & Reipublicæ pernicioſam declaravit. Ita docuerunt etiam antiquiores Theologi. S. Raymundus lib. 2. cap. de furtis §. 10. dicens: „ Si tamen non patitur ita magnam neceſſitatem peccat, attenuatur tamen peccatum propter neceſſitatem, & „ in tali caſu intelligitur Decretalis extra de „ furtis. *Si quis propter neceſſitatem famis aut* „ *nuditatis fuerit cibaria furatus, vel veſtem* „ *vel pecus, pœniteat hebdomadas tres* ". Quam Decretalem D. Thom. pari modo explicat de neceſ-

ceſſitate gravi, non extrema, nec urgente, ſcribens l. l. ad 1. *Decretalis illa loquitur in caſu, in quo non eſt urgens neceſſitas*. Et revera quis gravem ſuam non exiſtimat neceſſitatem, quotieſcumque ex abundantia in inopiam incidit, & ex nobiliore vel commodiore ſtatu ad humiliorem ſe vergere ſentit, & experitur? Quapropter æque ac in communi neceſſitate aditus furtis aperiretur latiſſimus.

IV. Extrema autem neceſſitate laborantibus res alienas ad eam avertendam occupare licitum eſt. Ita docent Theologi præeunte S. Thom., qui eamdem tradit doctrinam, & ratione confirmat. Scribit ſiquidem l. l. art. 7. „ Si adeo ſit urgens, „ & evidens neceſſitas, ut manifeſtum ſit inſtanti „ neceſſitati de rebus occurrentibus eſſe ſubve„ niendum (puta cum imminet perſonæ pericu„ lum, & aliter ſubveniri non poteſt) tunc li„ cite poteſt aliquis ex rebus alienis ſuæ neceſſi„ tati ſubvenire, ſive manifeſte, ſive occulte ſub„ latis: nec hoc proprie habet rationem furti, „ vel rapinæ". Suæ autem doctrinæ probationem præmiſerat ſcribens: „ Ea, quæ ſunt juris huma„ ni, non poſſunt derogare juri naturali, vel ju„ ri divino. Secundum autem naturalem ordi„ nem ex divina providentia inſtitutum, res in„ feriores ſunt ordinatæ ad hoc quod ex his ſub„ veniatur hominum neceſſitati. Et ideo per „ rerum diviſionem, & appropriationem ex jure „ humano procedentem, non impeditur quin ho„ minis neceſſitati ſit ſubveniendum ex hujuſmo„ di rebus. Et ideo res, quas aliqui ſuperabun„ danter habent, ex naturali jure debentur pau„ perum ſuſtentationi ". Quomodo autem rem alienam occulte ſurripere furtum non ſit, explicat idem S. D. in reſp. ad 2. dicens: „ Uti re „ aliena occulte accepta in caſu neceſſitatis ex„ tremæ, non habet rationem furti, proprie lo„ quendo: quia per talem neceſſitatem efficitur „ ſuum id, quod quis accipit ad ſuſtentandam „ propriam vitam ".

V. In extrema neceſſitate conſtituti dicendi non ſunt, qui aliquo modo, puta mendicando, & eleemoſynam petendo ſuæ poſſunt neceſſitati conſulere; quandoquidem, ut ſuperius vidimus n. 1. ex D. Thom. ad extremam neceſſitatem requiritur, ut egens non alio modo valeat ſibi proſpicere niſi alienæ rei ſurreptione, quod profecto in illis non reperitur, qui petendo eleemoſynam queunt prementem avertere neceſſitatem, quæ tunc voluntaria eſt, non extrinſecus urgens. Hinc nobili viro, vel feminæ non licet ob pudorem, vel verecundiam, quam experirentur mendicando, rem alienam ſurripere; licet fortaſſe morte acerbius illis videatur mendicare, hoc enim ex philautia oritur, & ſui inordinato amore, qui vitioſus eſt & mundanus, ex ſuperbia emergens, quem proinde compeſcere debent, & a ſe abjicere, & ſuæ neceſſitati licito, qui illi præſto eſt, modo ſuam avertere neceſſitatem. Fateor tamen, quod ſi quis in diſcrimine vitæ conſtitutus rem alienam clam ſurriperet, quam obtinuiſſet ſi petiiſſet, peccaret quidem, quia rectum ordinem inverteret; at hæc inverſio non eſſet cenſenda lethale peccatum, cum enim in extrema neceſſitate omnia fiant communia, jus habet neceſſitate preſſus, quod ſibi ad vitam conſervandam neceſſarium eſt, ſurripiendi; quapropter abſolute juſtitiam non violaret, licet rectum ordinem, non petendo, non cuſtodiret.

VI. Non ſunt audiendi illi Theologi, qui talem comminiſcuntur neceſſitatem gravem, quæ licet extrema non ſit, extremæ tamen proximam dicunt, qua proinde premente licitum cenſent aliena clam ſurripere. Licet enim quælibet neceſſitas ſive extrema, ſive gravis, ſive communis in indiviſibili conſtituta non ſit, ſed latitudinem admittat, eapropter dari poſſunt in ipſa extrema neceſſitate, in qua egens de vita, vel mortali infirmitate periclitatur, gradus quidem magis & minus urgentes, ſemper tamen verum eſt extremam urgere neceſſitatem. Ita pariter & in gravi tales haberi poſſunt gradus neceſſitatis, ut unus præ alio magis gravetur, acriuſque prematur, ſemper tamen citra mortis, vel mortalis infirmitatis periculum, proinde omnino extra caſum extremæ neceſſitatis; quandiu igitur neceſſitas in hoc gradu conſiſtit, non eſt conceſſum rem alienam ſurripere, alioquin vera foret damnata propoſitio, quæ dicebat, *licere nedum in extrema, ſed & in gravi neceſſitate furari*, qua damnatione non diſtinguitur gradus neceſſitatis valde gravis, vel non tam gravis, ſed abſolute declaratur, neceſſitatem quamcumque, quandiu metas non tranſilit gravis neceſſitatis, & in extremam non tranſit, jus non præbere ad alienas res uſurpandas. Nec obtrudant, pauperes aliquos tam gravi aliquando premi neceſſitate, ut licet ab illis mors non timeatur, vita tamen ducitur ipſa morte acerbior, amariorque; quamobrem cum Eccleſiaſtico cap. 30. dicere merito poſſint: *Melior eſt mors, quam vita amara*, quandoquidem hoc pene omnibus hominum generibus commune eſt: hinc enim non inepte dixit Seneca: „ Stratage„ ma eſſe naturæ, homines ſine ratione naſci, nam „ ſi ratione inter vitæ primordia pollerent, qua „ poſſent calamitates futuras prævidere, quis la„ chrymabilem vitam diligeret "? Quot enim ſunt inter nobiles, qui vitam morte amariorem ſe ducere conqueruntur, quia reditibus carent, quibus juxta ſui ſtatus conditionem vitam honeſte traducere non poſſunt, ſed coguntur ære alieno gravari, ad abjectiora miniſteria ſe dimittere? Quot ſunt puellæ nobiles, quæ vitam morte amariorem ducere ſancte teſtantur, quia deficientia dotis nubere non poſſunt, ſed clauſæ domi non voluntariam caſtitatem ſervare coguntur? Quot artifices vita premi morte amariore conqueruntur, quia lucra ipſis deſunt, quibus ſe, & copioſam ſobolem alant? Quot viduæ prole onuſtæ, deſolatæ, pauperes, litibus exagitatæ, vitam trahunt morte amariorem? Ne quid dicam de graviter ægrotantibus, de diuturno inſanabili morbo vexatis, de exilio pulſis, de carceribus incluſis, de ad triremes damnatis, aliiſque hominum claſſibus ærumnoſam vitam ducentium. Profecto hi omnes non quacumque gravi, ſed valde gravi premi neceſſitate conqueruntur, vociferantur, lacry-

crymantur. Porro ſi his omnibus aliena occupare concedatur, jam ea omnia ſequentur incommoda & humanæ Reipublicæ detrimenta, quæ ſuperius ad excludendam in communi neceſſitate rei alienæ ſurreptionem enumeravimus, & expoſuimus. Merito igitur damnata fuit abſolute propoſitio concedens furari nedum in extrema, ſed & in gravi neceſſitate. Optime igitur Bannezius 2. 2. q. 66. a. 5. in ſumma articuli hæc tanquam omnino certa dogmata poſuit, ſcribens: „ Prima Concluſio. Bona, quæ ſuperfluunt divitibus, naturali jure debentur pauperum ſuſtentationi. Secunda Concluſio. Nemo citra extremam neceſſitatem poteſt hujuſmodi bona ſibi accipere palam, vel occulte. Tertia Concluſio. In extrema neceſſitate licitum eſt cuilibet occulte vel palam hujuſmodi bona accipere ad uſum ſibi neceſſarium“. Sicut autem licitum eſt extrema indigentia preſſo rem alienam ſibi accipere, ita licet alteri idem præſtare ad ſubveniendum conſtituto in extrema neceſſitate, ut aperte docet S. Thom. l. l. ad 3. ſcribens: *In caſu ſimilis neceſſitatis etiam poteſt quis occulte rem alienam accipere, ut ſubveniat proximo ſic indigenti.*

VII. Optime autem ſtatuit loc. mox cit. Bannezius, licere in extrema neceſſitate bona proximi ſurripere *ad uſum* neceſſaria, ut indicaret, non ſemper rei in tali neceſſitate ſurreptæ dominium concedi, ſed quandoque ſolum uſum. Nam ſi res accepta talis ſit, quæ ipſo uſu conſumatur, profecto & dominium translatum eſt, proinde qui abſtulit, ad reſtitutionem non tenetur, licet ad meliorem ſtatum tranſeat; at ſi res poſt uſum ſuperſit, ceſſante extrema neceſſitate, eſt domino reſtituenda. Pecuniam accepiſti, quam tibi neceſſariam putabas ad extremam neceſſitatem depellendam, a qua liberatus es ſola conſumpta parte pecuniæ acceptæ, quæ tibi ſupereſt pars eſt domino reſtituenda; equum accepiſti, ut fuga vitæ tuæ periclitanti proſpiceres, teneris in tuto conſtitutus domino reſtituere, quod ſi in fuga equum amiſiſti ſine tua culpa, vel ipſe periit, non teneris reddere, cum res tua fuerit pro eo tempore, quo extrema premebaris neceſſitate. Recolantur ea quæ diximus de Eleemoſyna cap. 14. n. 12. & cap. ſeq. n. 8.

De occulta Compenſatione.

VIII. Occulta compenſatio ita communiter a Theologis definiri ſolet: *Occulta acceptio, vel detentio rei alienæ ſibi debitæ, inſcio debitore, quantum ſatis eſt ad recuperandum totum id quod ille tibi debet.* Hanc latentem compenſationem non abſolute licitam pronuntiant etiam benigniores Caſuiſtæ, ſed quibuſdam conſtrictam coarctatamque conditionibus, quas nonnulli ad paucas coarctant, alii ad plures extendunt. Probabilioriſtæ vero & nobiliores Theologi tot addunt, quæ ſi in praxi ſervarentur, nedum difficilem, ſed ferme impoſſibilem redderent occultam compenſationem licitam; quod factum puto caute & prudenter, nimirum & ad nimii rigoris declinandam invidiam & criminationem in reprobanda abſolute occulta compenſatione, & ſimul ad eam in praxi adeo difficilem reddendam, ut nunquam locum obtineat.

IX. Hæ conditiones ſic a recentiori Theologo Probabilioriſta conſtituuntur. 1. Si debitum ſit omnino certum, liquidumque. 2. Non alius pateat modus creditori ad quod ſuum eſt recuperandum, vel ſine gravi damno manifeſto adhiberi non poſſit. 3. Ne compenſatio fiat ex bonis debitoris vel creditori commodatis, vel penes ipſum depoſitis a debitore, ne fidelitas violetur. 4. Compenſatio fiat in bonis ejuſdem ſpeciei, puta pecuniam pro pecunia, & triticum pro tritico occulte accipiendo, quando tamen moraliter hæc identitas ſervari poteſt, & permittat indigentia creditoris: monet tamen curandum ſemper, ut compenſatio fiat in bonis debitoris, de quibus minus ille ſolicitus creditur. 5. Non adſit periculum vel ſcandali, vel alienæ infamiæ, quando ſcilicet innocens in ſuſpicionem veniret rei ablatæ. 6. Non fiat compenſatio cum detrimento vel damno alterius, rem ſcilicet occupando alteri jam conceſſam titulo vel commodati, vel locationis, vel depoſiti &c. vel alteri debitam ſive potiori titulo, vel ſuo æquali. 7. Ut caute moneatur debitor de facta compenſatione, ne bis idem reddat, & ab erronea liberetur conſcientia gravis obligationis. 8. Ut fiat ex conſilio docti probique Confeſſarii. His poſitis conditionibus putat, immo aperte affirmat non injuſtam occultam compenſationem, utpote minime adverſam juſtitiæ ſive commutativæ, ſive legali, quod tamen non probat, ſed præſupponit oſtenſum in poſitis conditionibus, quas in praxi impoſſibilem reddere occultam compenſationem licitam, ſi exacte ſerventur, in Corollariis oſtendemus. Sed in quæſtione magni momenti, ut ea, quæ mihi non ſolum probabiliora, ſed omnino certa videntur, promam, nonnullas ſtatuo propoſitiones.

X. Dico itaque 1. Doctrina, quæ licitam affirmat & ſtatuit occultam compenſationem, etiam quibuſcumque coarctatam conditionibus, omnino nova eſt, & recenter in doctrina motum invecta, ignota proinde veteribus Eccleſiæ Patribus, Doctoribus, Juriſtis, Theologis, qui ante ſeculum decimum quintum ſcripſere. Rimati ſunt quidem antiquiores Doctores & Magiſtri, num contingere aliquo modo poſſit, ut quis rem alienam ſibi ſurripiat abſque furti crimine, nec alium adinvenere vel protulere titulum præter extremam neceſſitatem, ut videre eſt in S. Thoma, S. Raymundo, S. Bonaventura, Scoto, aliiſque; compenſationis vero occultæ titulum non invenere, vel docuere. Fateor quidem in vetuſtioribus Canonum Doctoribus, & Juriſperitis ſermonem haberi de compenſatione, ſed de ea quæ juridica eſt, & publica, & fit vel judicis auctoritate, vel exceptionis loco in judicio adducitur, vel privata initur conventione, non vero de furtiva, occulta, & clandeſtina. Antiquiorem quem vidi Theologum, eſt S. Antoninus, qui occultam compenſationem aliquando licitam dicit, at tot coarctat, & coanguſtat conditionibus, ut in praxi vix ac ne vix quidem locum valeat obtinere, ut optime adnotarunt Editores Summæ S. Antonini, prælect. 3. T. 2. §. 4. ſcribentes: *Hæ*

autem conditiones cum rariſſime concurrant, *hinc rariſſime ſatisfactio ſive compenſatio privata licet*. Citat quidem S. Antoninus Hoſtienſem loco non deſignato, at licet diligenter ejus Summam auream excuſſerim, nihil de hac re reperire potui. Porro quis inficiabitur prioribus quatuordecim Eccleſiæ ſeculis non defuiſſe, qui juſtam mercedem artificibus, ſervis, operariis vel denegarent, vel juſto minorem ſolverent, qui in contractibus & pactionibus proximum fallerent, qui promiſſis non ſtarent, qui depoſitum non redderent, qui injuſtas moverent lites, aliiſque innumeris pene modis in rebus ſuis proximo nocerent; & tamen nullus unquam vel excogitavit, vel docuit, licere artificibus, famulis, operariis, deceptis, injuſte vexatis occulta compenſatione ſuæ indemnitati conſulere. Nova eſt igitur hæc doctrina, & licet probabiliſmo antiquior, ab ipſo tamen alta, & educata, & propagata; at novitas ipſa ſuſpicionem inducit erroris, præſertim in rebus tum ad fidem, tum ad Chriſtianos mores pertinentibus, in quibus *nove* quidem dicere licet, at *nova* omnino non licet.

XI. In S. Auguſtino doctrina invenitur, quæ occultam compenſationem omnibus etiam munitam conditionibus illicitam oſtendit. Sanctiſſimus Præſul lib. 22. adv. Fauſtum Manichæum cap. 72. aperte docet, Iſraelitis licet inique ab Ægyptiis oppreſſis, & ſuorum laborum juſta mercede fraudatis, nequaquam tamen licuiſſe in compenſationem denegatæ juſtæ mercedis vaſa, & ſupellectilem Ægyptiorum ſibi ſurripere, niſi hoc illis Dominus juſſiſſet, & conceſſiſſet, quod ſi hoc vel propria auctoritate feciſſent, vel ex ſola Moyſis poteſtate, utique peccaſſent; & tamen quis inficiabitur in tali compenſatione omnes adfuiſſe a Theologis requiſitas conditiones? ſcilicet certitudinem debitæ mercedis, moralem, immo phyſicam impotentiam aliter eam obtinendi, omnimodam æqualitatem tum laboris, tum mercedis, immo fortaſſis longe majores labores in Iſraelitis; res ablatæ aliis obnoxiæ vel debitæ non erant, nullum aderat ſcandalum, niſi Phariſaicum, nec alterius innocentis infamiæ, vel detrimenti periculum, non deerant docti & pii Theologi, qui juſtitiam compenſationis ſua poſſent auctoritate munire, ſcilicet Moyſes & Aaron. Deerant quidem duæ conditiones, nimirum compenſationem non fuiſſe in eadem ſpecie, & ex rebus factam commodato acceptis: at primæ conditionis neceſſitatem excludit Theologus Probabilioriſta laudatus, quando moraliter obſervari non poteſt, vel aliter poſtulat creditoris indigentia: alteram vero præterquam quod nec communiter adſtruitur, tanti non videtur facienda, ut per eam integer populus per plures annos innumeris laboribus per ſummam iniquitatem oppreſſus ſua fraudaretur mercede. Sed præſtat S. Auguſtinum audire, ſic itaque ſcribit: „ Quid abſurdum eſt, ſi „ Ægyptii ab Hebræis, homines inique domi„ nantes, ab hominibus liberis, quorum etiam „ mercedis pro eorum tam duris, & injuſtis la„ boribus fuerunt debitores, rebus terrenis, qui„ bus etiam ritu ſacrilego in injuriam Creatoris „ utebantur, privari meruerunt “? Quid vero huic interrogationi reſponderent Theologi recentiores? profecto una voce clamarent: nihil abſurdi, omnino licitum, omnino juſtum. Sed audiant Auguſtinum ſibi reſpondentem: „ Quod ta„ men ſi Moyſes ſua ſponte juſſiſſet, vel hoc He„ bræi ſua ſponte feciſſent, profecto peccaſſent, „ quamquam illi non quidem faciendo quod vel „ juſſerat, vel permiſerat Deus, ſed tamen talia „ fortaſſe cupiendo peccaverunt “. Quibus extremis verbis oſtendit S. Auguſtinus, ſe non ſolum compenſationem occultam, ſed & deſiderium illius reprobare. Sed ſequitur Auguſtinus: „ Quod „ autem hoc facere divina diſpenſatione permiſ„ ſi, illius judicio juſto bonoque permiſſi ſunt, „ qui novit & pœnis coercere improbos, vel e„ rudire ſubjectos, & præcepta validiora dare ſa„ nioribus, & quoſdam medicinales gradus infir„ mioribus ordinare. Moyſes vero nec cupidita„ tis arguendus eſt in illis rebus deſideratis, vel „ contumaciæ in divinis imperiis quibuſcumque „ contemptis “.

XII. Ut hujus ineluctabilis teſtimonii vim, & doctrinæ Auguſtinianæ univerſalitatem enervet, & labefactet Franzoja, Tract. 3. c. 2. animad. 4. reſpondet, non reprobatam ab Auguſtino abſolute compenſationem, ſed hanc peculiarem Hebræorum, ſi privata facta fuiſſet auctoritate, quippe quia *merces* (ſcribit) *Hebræis quidem evidenter debita erat*, *non tamen a ſubditis Pharaonis*, *ſed ab ipſo Rege*, *cujus imperio duris & iniquis laboribus fuerant vexati*. *Hebræi autem vaſa aurea & argentea a ſubditis Pharaonis acceperunt*. At hanc reſponſionem apertæ falſitatis redarguit Scriptura, quæ non Pharaonem ſolum, ſed & Ægypti populum ad opprimendos Hebræos conſpiraſſe, narrat. Exod. 1. dicitur: *Surrexit interea Rex novus ſuper Ægyptum .... & ait ad POPULUM ſuum.... venite*, *ſapienter opprimamus eum* (Iſraelem) ... *præpoſuitque eis Magiſtros operum*, *ut affligerent eos oneribus .... quantoque opprimebant eos .... oderant filios Iſrael Ægyptii*, *& affligebant illudentes eis*, *atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris*, *omnique famulatu*, *quo in terræ operibus premebantur*. Præterea eamdem reſponſionem falſitatis arguit Auguſtinus, qui in adducto teſtimonio non Regem ſolum, ſed & Ægyptios ſubditos debitores dicit juſtæ mercedis. Fateatur igitur oportet Franzoja reprobatam ab Auguſtino compenſationem Hebræorum ſi facta fuiſſet privata auctoritate, non ob peculiarem illam injuſtitiam, quam comminiſcitur ipſe, ſed ob illam univerſalem, quæ omnem ſequitur compenſationem, nimirum ut privatus ſibi jus dicat, & privata auctoritate proximum re ſua ſpoliet.

XIII. Eamdem doctrinam confirmat, & repetit Auguſtinus in Exod. quæſt. 39. ubi narrato divino mandato, *petat vir a proximo*, *& mulier a proxima vaſa aurea & argentea*, ſtatim ſubdit: „ Non hinc quiſquam ſumendum exemplum pu„ tare debet ad expoliandum hoc modo proxi„ mum, hoc enim Deus juſſit, qui noverat quid „ quem peti oporteret. Nec Iſraelitæ furtum fe„ cerunt. Sed Deo jubenti miniſterium præbue„ runt. Quemadmodum cum miniſter judicis oc„ ci-

„ cidit eum, quem judex juſſit occidi, profecto „ ſi id ſponte faciat, homicida eſt, etiamſi eum „ occidat, quem ſcit a judice occidi debuiſſe “.

XIV. Dico 2. Occulta compenſatio ſæpiſſime immo fere ſemper commutativæ adverſatur juſtitiæ. Nam 1. occulta compenſatio tota a creditoris judicio, exiſtimatione, voluntate pendet. At „ omnes homines (inquit S. Hiero- „ nymus epiſt. 147.) vitiis noſtris favemus, & „ quod propria facimus voluntate, ad naturæ re- „ ferimus neceſſitatem “. Et S. Iſidorus Peluſiota lib. 5. epiſt. 234. ſubdit: „ Amor ſui rectum „ labefactat, corrumpitque judicium, atque iiſ- „ dem oculis noſtra, alienaque conſiderare non „ ſinit “. Et rurſum lib. 4. epiſt. 25. „ Com- „ mune hoc ſane (inquit) malum videtur, ut „ homines non ſolum in rebus propriis cæcu- „ tiant, proximorum autem delicta acute cer- „ nant, ſed etiam ſibi ipſis excuſationes, de- „ fenſioneſque quaslibet invitas accerſunt “. 2. Compenſatio illi naturali principio adverſatur, non alteri facias quod tibi nolles fieri. Porro quis eſt qui velit occultæ compenſationis obtentu re ſua privari? Quis unquam cum aliquo paciſcens de ſervitio præſtando, de opere perficiendo, de mandato implendo dicat, ſi merces, ſi ſalarium, ſi præmium, ſuper quo convenimus, tibi minus juſto videatur, vel a me non prompte & integre ſolvatur, ſupple, vel ſurripe illud occulte ex bonis meis uſque ad æqualitatem, vel tuo judicio, vel tui Confeſſarii arbitrio taxandum. Profecto nemo ſapiens ita paciſcetur, nullus igitur vult, vel probat occultam compenſationem. Hinc Concina Principis cujuſdam illuſtri Adminiſtro narranti ſibi a Theologis etiam magni nominis concedi, & adprobari occultam compenſationem expenſarum, quas in Principis utilitatem facere cogebatur, quippe quia diminutum a Principe ſtipendium aſſequeretur, acute ſapienterque reſpondit: Theologi, qui veſtræ dominationi occultam compenſationem probant, licitam eam quoque faciunt famulis, & miniſtris veſtris. Obſtupuit ille ſtatim, & cum quid reſponſi daret non haberet, in Theologos compenſationem concedentes excanduit. Nolebat ſibi fieri, quod tamen ipſe alteri facere poſſe voluiſſet. 3. Præterea ſi occultus compenſator deprehendatur, & de occulta compenſatione arguatur, nonne ſtatim erubeſcit, & pudore ſuffunditur, & verum oſtendit Chriſti Domini effatum: *Qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus?* 4. Conditiones quidem plures aſſignant Theologi, quibus compenſationem velut aggeribus & vallis muniunt, ne juſtitiæ commutativæ terminos tranſiliat; verum in praxi hæ negliguntur, vel vanis interpretationibus & diſtinctiunculis eluduntur, vel tamquam ſupervacaneæ, & nimium rigidæ ex aliorum Theologorum ſententia contemnuntur, ut ex Corollariis patebit: quod ſi exacte omnes ſerventur, in praxi jam occulta compenſatio redditur impoſſibilis. 5. Denique Sedis Apoſtolicæ judicio occulta compenſatio in famulis & ſervis damnata eſt in propoſitione 37. ab Innoc. XI. proſcripta, quæ ajebat: *Famuli, & famulæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant, ſalario, quod acceperunt.* In qua propoſitione profecto reprobata eſt compenſatio occulta, etiam quando juſtitia commutativa non læditur; non enim illius doctrinæ Magiſtri cenſuerunt, licere ſervis occulta uti compenſatione, quando judicio erroneo, falſo, injuſto judicarent ſalarium minus eſſe & inæquale operibus ſervitioque præſtito; quis enim adeo vel inſipiens, vel improbus hæc doceat? ſed quando recto, vero, juſtoque judicio ita cenſuiſſent. Nec dicant, in famulis adeſſe periculum ne recte judicent, nam hoc de omnibus ſuſpicari & timeri merito poſſumus, qui de rebus propriis ſemper in ſui favorem judicant, ut ſuperius ex S. Hieronymo, & Iſidoro Peluſiota oſtendimus.

XV. Dico 3. Occulta compenſatio ſemper juſtitiæ legali ſive communi adverſatur. Ita aperte & luculenter docet & probat S. Thom. laud. q. 66. art. 5. ubi poſtquam ſtatuit, furtum, cum ſemper juſtitiæ adverſetur, ſemper eſſe peccatum, tertio loco hoc ſibi objicit argumentum: „ Ille, „ qui accipit rem ſuam, non videtur peccare, „ cum non agat contra juſtitiam “; & ita profecto dicunt qui occultam compenſationem concedunt: ſed proſequitur S. D. „ Furtum commit- „ titur, etiamſi aliquis rem ſuam occulte acci- „ piat; ergo videtur, quod furtum non ſemper „ eſt peccatum “. Huic argumento ſic reſpondet S. Th. illudque his verbis ſolvit: „ Dicen- „ dum, quod ille, qui furtim accipit rem ſuam „ apud alium depoſitam, gravat depoſitarium, „ qui tenetur ad reſtituendam eam, vel ad oſten- „ dendum ſe innoxium: unde manifeſtum eſt quod „ peccat, & tenetur ad relevandum gravamen „ depoſitarii. Qui vero furtim accipit rem ſuam „ apud alium injuſte detentam, peccat quidem: „ non quia gravet eum qui detinet, & ideo non „ tenetur ad reſtituendum aliquid, vel ad recom- „ penſandum; ſed peccat contra communem ju- „ ſtitiam, dum ipſe ſibi uſurpat ſuæ rei judi- „ cium, juris ordine prætermiſſo. Et ideo te- „ netur Deo ſatisfacere, & dare operam, ut „ ſcandalum proximorum, ſi inde exortum fue- „ rit, ſedetur “. Porro qui occulta utitur compenſatione, etiam omnibus vallata conditionibus, ſemper accipit privata auctoritate rem ſuam apud alium injuſte detentam; ergo ſemper peccat contra communem juſtitiam.

XVI. Hoc libenter confitemur, inquiunt occultæ compenſationis Patroni, ſed dicimus, hunc juſtitiæ ordinem non gravem inducere obligationem, præſertim ſi ſine damno creditoris ſervari non poſſit, quippe qui & graves deberet expenſas ſubire, & amicitiæ vel patrocinii debitoris ſui jacturam facere, quamobrem non peccabit violando, vel prætermittendo. Legum igitur vis & poteſtas, & juſtitiæ ordo a ſubditorum utilitate pendebit, adeoque ſervandæ leges, cuſtodiendus juſtitiæ ordo tunc ſolum cum utilis eſt ſubditis, & ſi hæc utilitas ſubditorum cum Principum legibus, cum ordine juſtitiæ conſociari non poterit, cedere leges, interturbari ordinem juſtitiæ oportebit, ut ſubditi utilitas ſervetur indemnis?

Quis

Quis ſapiens & intelliget hæc? Præterea, hac poſita doctrina jam pro maxima parte populi inutiliter ſtatutæ leges, conſtituti judices, Fora, & Tribunalia ſupervacanea, nam cum in lite facienda vel graves ſint neceſſariæ expenſæ, vel hæ licet in ſe leves, graves ſint ſive reſpectu creditoris pauperis, vel reſpectu levioris crediti, & ſemper lites reo diſpliceant, qui contra actorem iraſcitur, illi hoſtis evadit, eumque ſua gratia, benevolentia, favore privat, nunquam famuli, mercenarii, operarii, mercatores, opifices, & ex plebe homines ad judices confugere tenebuntur, ſed privata auctoritate poterunt ſibi jus dicere, & ex bonis creditoris, ſi poſſint, occulte compenſare; & ſic, ut optime animadvertit Concina, tota perturbatur Reſpublica, & furtis, dolis, fraudibus latiſſimum oſtium aperitur.

XVII. Minime, reponunt compenſationis Patroni, nam ipſam compenſationem non debitoris judicio relinquimus, ſed poſtulamus ut probi, pii, doctique Confeſſarii conſilium adhibeat, judicium expectet. Ita ne vos, qui a Deo conſtitutos judices prætermitti minime adiri, ſi qua occurrat difficultas, conceditis, novos poſtea veſtra poteſtate conſtitutis judices, nova erigitis Tribunalia? At quodnam majus jus habet in aliena bona pius, doctus, ſapiens Confeſſarius, quam habeat ipſe creditor? Si igitur non licet creditori ſuo privato judicio rem ſui debitoris ſibi adjudicare, nec licebit alieno privato judicio ſive Confeſſarii, ſive Theologi, ſive Juriſperiti, qui poſſunt quidem rationes creditoris expendere, & ſi lubet etiam ut juſtas probare, at jus aliena ſibi accipiendi non valent impertiri. Et revera ſi debitor hoc ſciret, nonne Theologo, Confeſſario, Juriſtæ regerere poſſet, quis te conſtituit judicem & diviſorem inter me & creditorem meum? Quamobrem nobiliores Theologi, qui compenſationem licitam, ſaltem in aliquo caſu, arbitrantur, tamen monent Confeſſarios, ut conſulenti an licita ſit, reſpondeant, „ Theologos communiter affirmare, ſed hanc boni ſui recuperandi „ rationem eſſe periculi plenam, ideoque ſe eam „ conſulere non poſſe ". Ita docet Habertus; & Beſombes ſubdit art. 3. „ Nunquam ſuadebis com„ penſationem occultam propter periculum ſcan„ dali ": & Boranga repetit. „ Confeſſarius nun„ quam eam ſuadebit, & ſi quæratur num ſit li„ cita, affirmabit utique licitam eſſe in præfatis „ circumſtantiis, ſed periculoſiſſimam ". Et revera quis cordatus audeat una tantum audita parte, unius & quidem ſuſpecti criminatoris teſtimonio judicium de re aliena occupanda proferre? Ipſe certe fateor non auderem.

XVIII. Denique poſito etiam in aliquo raro admodum, immo, ut Ballarini loquuntur, *rariſſimo* eventu contingere, occultam compenſationem omni culpa vacare, & nec commutativæ, nec communi adverſari juſtitiæ, licebit ne per hoc generalem ſtatuere regulam, occultam ſcilicet compenſationem licitam eſſe? Num univerſales regulæ ſtatuendæ ſunt pro rarioribus eventibus, an non potius juxta id quod frequentius communiuſque contingit? Cum itaque frequentius eveniat, occulta compenſatione vel commutativam vel communem juſtitiam violari, ex oppoſito ſtatuendum eſt, generatim non licere occulta compenſatione ſuæ indemnitati conſulere, & ſolum appendicis loco docere, fieri quidem poſſe, ſed *rariſſime*, ut aliquando occulta compenſatio omni careat crimine, ſicut contingere poteſt, ut quis alium occidat, quin reus ſit homicidii. Sed quantum habenas humanæ cupiditati laxaverint Theologi per occultam compenſationem, & quam frequenter iniqua ſit, patebit ex Conſectariis capite ſeq. ſtatim exponendis.

CAPUT SEXTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Res furto ablata eſt ſemper reſtituenda, licet conſumpta in extrema neceſſitate.*
II. *Nunquam docuit S. Thomas licere extra caſum extremæ neceſſitatis aliena occupare.*
III. *Debitum rite ſolvit, qui creditori ſuo in extrema neceſſitate, quod illi debet, reddit.*
IV. *Iniqua eſt occulta compenſatio ſi fiat pro debito incerto, vel ſolum probabili, vel futuro.*
V. *Quando famulis non liceat uti compenſatione.*
VI. *Illicita compenſatio ex bonis debitoris apud aliquem depoſitis.*
VII. *Etſi fiat in alia ſpecie.*
VIII. *Et quando fieri non poteſt ſine ſcandalo & damno innocentis.*
IX. *Similiter & quando intra vel extra judicium recuperari poteſt.*
X. *Si fiat cum damno aliorum creditorum.*
XI. *Monendum debitorem de habita occulta compenſatione docent Theologi.*
XII. *Compenſatio occulta publico bono infenſa.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. QUI rem alienam injuſte furatus eſt, licet poſtea in extrema neceſſitate conſtitutus eam conſumat, ab onere reſtitutionis minime liberatur. Oppoſitum plane ſentiunt plures benigniores Theologi, Diana, Tamburinus, Caſtropalaus, aliique, qui ſaltem probabilem exiſtimant opinionem a debito reſtitutionis hujuſmodi furem exonerantem. At falſa eſt hæc doctrina, quandoquidem ex injuſta rei alienæ ablatione debitum conſurgit reſtitutionis, a quo nunquam liberatur latro; ſuſpenditur quidem obligatio reſtituendi quamdiu urget neceſſitas extrema retinendi, at nunquam tollitur onus reſtitutionis; alioquin fur ex propria iniquitate lucrum reportaret. Ita docent Soto, Sylveſter, Medina, Vaſquezius, aliique plures nobiliores Theologi.

Conſectarium Secundum.

II. Nunquam S. Thomas docuit licere extra caſum neceſſitatis extremæ rem alienam ſurripere. Poſita eſt hæc aſſertio adverſus recentiorem Probabilioriſtam, qui putat S. Thomam duas aſſignare neceſſitates, in quibus videtur concedere rebus alienis uti, altera ſcilicet, quam vocat *urgen-*

gentem, ſecundam *extremam*, & confirmat 1. quia in titulo articuli quæſtionem non movet de neceſſitate extrema, ſed de neceſſitate abſoluta. 2. Quia in corpore articuli vocavit neceſſitatem, in qua furari concedit, *evidentem*, & *urgentem*, *ſi adeo ſit evidens*, & *urgens*, & non dixit *extremam*, quod facile dicere poterat; & præterea addit, S. Th. urgentem neceſſitatem pro extrema ſumere non potuiſſe, cum nec a ſemitheologo hæ voces pro eodem ſignificando uſurpentur. Et ut ab hoc poſtremo incipiam, licet S. Thomas ſemitheologus non ſit, extremam tamen neceſſitatem urgentem dixit, nec unam ab alia diſtinxit; nam quid nomine urgentis neceſſitatis intelligeret, ſtatim explicavit dicens, *puta cum imminet perſonæ periculum*, non dixit ſtatui & conditioni perſonæ, quæ ex divite fiat pauper, ex ſana fiat infirma, ſed quæ de ſuo eſſe amittendo periclitetur; porro hæc neceſſitas eſt vere extremam, quippe quæ vitæ periculum affert. Præterea reſp. ad 2. rationem reddens, cur rei alienæ ſurreptio in caſu extremæ neceſſitatis non ſit furtum dicenda, ait, quia *per talem neceſſitatem efficitur ſuum id, quod accipit ad ſuſtentandam propriam vitam*. Duo igitur hic declarat S. Thom. nimirum ſolam neceſſitatem extremam jus conferre in res alienas, hanc extremam vero neceſſitatem ſolum urgere cum de propria vita ſuſtentanda agitur; extra igitur vitæ periculum extremam neceſſitatem non agnoſcit S. Th. cum ergo in corp. art. dixit: *Si urgens ſit neceſſitas .... tunc licite poteſt aliquis ex rebus alienis ſuæ neceſſitati ſubvenire*, non de alia urgente loquitur neceſſitate, niſi de illa, quæ omnia reddit communia, quæ vitæ periculum affert; urgentem igitur neceſſitatem pro extrema uſurpavit. Ceteræ vero Auctoris animadverſiones leves omnino ſunt, & futiles: ideo enim in titulo articuli de neceſſitate in generali diſputationem inſtituit, quia in corp. articuli plures neceſſitatis gradus erat declaraturus, & communem neceſſitatem ab extrema diſtinguere ſibi in animo propoſuerat, quemadmodum & præſtitit in doctrina articuli; quod autem uno in loco *urgentem* dixerit, in altero *extremam*, parum refert, cum in priore loco ubi primum adhibuit verbum *urgens*, quod minus obvium eſt, declarationem adjecit explicando, quid urgentis neceſſitatis nomine intelligeret; in poſteriore vero nullam adjecit explicationem, quia ea non indigebat verbum *extrema*, quod de ſe facile intelligitur, non ſolum a ſemitheologo, ſed & a ſemigrammatico; ſemper tamen duplici vocabulo idem omnino ſignificare voluit. Ita D. Thomam explicat Juveninus, ſive Auctor Reſolutionum Caſus Conſcientiæ To. 3. tract. 18. cap. 12. quæſt. 4. & emendavit Auctor caſtigatæ editionis ejuſdem recentioris Probabilioriſtæ.

Conſectarium Tertium.

III. Qui debitum creditori ſuo in extrema neceſſitate conſtituto ſolvit, licet pecuniam acceptam in ea repellenda conſumat, non tenetur debitor iterum ſolvere, tametſi debuiſſet illi tantumdem ſuppeditare titulo vel juſtitiæ, vel caritatis, ut ab extrema neceſſitate levaret, quandoquidem extrema revera non fuiſſet; non enim extrema premitur neceſſitate, qui accepta a creditore debita ſibi pecunia, ſuæ poteſt indigentiæ proſpicere.

Conſectarium Quartum.

IV. Iniqua eſt occulta compenſatio 1. ſi fiat pro debito non certo ſed probabili, & etiam pro babiliſſimo; 2. ſi pro debito futuro; 3. ſi pro debito quod ſibi privato judicio creditor conſtituit. Prima, quam nobiliores Theologi ad juſtam compenſationem poſtulant conditionem, eſt, ut debitum omnino certum ſit, & liquidum. Verum hanc conditionem penitus ſuſtulerunt, & tenues evaneſcere in auras perfecere ſuis conceſſionibus benigniores Theologi. Cardinalis de Lugo, Diana, & Salmanticenſes nonnullis argumentis conantur oſtendere, etiam pro debito probabili licitam eſſe occultam compenſationem, quod pluribus confirmare nituntur argumentis, & exemplis; hæredis ſcilicet ex teſtamento minus ſolemni, qui poteſt hæredi ab inteſtato ſurripere bona defuncti, quia probabile eſt Teſtamentum etiam minus ſolemne validum eſſe. Sicut e contra poteſt hæres ab inteſtato uti compenſatione occulta contra legatarium poſſidentem bona ex teſtamento minus ſolemni, quia probabile eſt teſtamentum minus ſolemne nullum eſſe; & ſimilia. Verum falſam eſſe hanc opinionem, & evincit ceterorum omnium pene Theologorum talem doctrinam reprobantium conſenſus, & ipſa naturalis ratio, quæ dictat, neminem eſſe certo re ſua ſpoliandum pro debito incerto, quamdiu autem probabile eſt, vel etiam probabiliſſimum debitum, ſemper incertum eſt, & per compenſationem occultam certo res aliena ſurripitur. Quamobrem falſa etiam eſt, & rejicienda illorum Theologorum opinio, qui dicunt ſi probabilius ſit debitum, non in toto ſed pro parte licitam eſſe occultam compenſationem, pro ratione ſcilicet majoris probabilitatis; quandoquidem hæc major probabilitas certitudinem nec in toto, nec in parte debiti inducit, quemadmodum compenſatio certo damnum inducit, dum re ſua proximum ſpoliat. Pro debito quoque futuro licitam compenſationem occultam docent Diana, & de Lugo, & Machados, ab ipſo Diana citati, & qui viciſſim Dianam citant, & illis aſſentitur Sporerius, qui affirmat, præoccupari poſſe debitum in futurum quando morale periculum eſt quod quis poſtea rem ſuam non ſit recuperaturus. Verum quam falſa ſit hæc doctrina ex eo patet, quia nec judex cogere poteſt debitorem, ut ante tempus liquidum debitum perſolvat; quanto minus igitur licebit privato, debitum quod adhuc in rerum natura non exiſtit, prævie ad ejus exiſtentiam compenſare? Doctrinam, quam tertio loco poſuimus, docuerunt non ſolum Auctores & Patroni propoſitionis 37. ab Innocentio damnatæ: *Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam, quam majorem judicant ſalario quod recipiunt*, ſed & pergunt docere plures benigniores Theologi, qui putant licere famulis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, ſi hanc majorem ſalario

rio

rio non *ipſi*, ſed *viri docti*, prudentes, verſati in re morali ita cenſeant & judicent. At quis privatos homines judices conſtituit conventionum & contractuum, qui ſententiam proferant altera inaudita parte? Quis cordatus, prudens, pius ſententiam proferre audeat ea tantum audita parte, quæ ſe læſam dicit, & compenſationem poſtulat? *Non ea eſt conſuetudo* (gloriabantur Gentiles Romani Act. 25.) *nobis*, *damnare aliquem hominem priusquam is qui accuſatur præſentes habeat accuſatores*, *locumque defendendi accipiat ad abolenda crimina*: & apud Chriſtianos licebit alterum damnare vel furti vel rapinæ, vel injuſtitiæ, & compenſationem indicere ex ſola accuſatoris teſtificatione? Sed hæc omnia adeo aperte falſa ſunt, ut communiter etiam ab ipſis benignioribus Theologis rejiciantur.

Conſectarium Quintum.

V. Qui neceſſitate compulſus ad ſuæ miſeriæ levamen operam, miniſterium, famulatum ſuum locavit pretio juſto minore, non poteſt compenſatione uti, ſicut nec qui laboribus & oneribus ultra pacta & conventiones gravatum ſe ſentit. Oppoſitum docent Salmanticenſes Tract. 3. de Reſtitut. cap. 1. punct. 19. §. 2. num. 317. ſcribentes: „ Si ex neceſſitate cum ſtipendio inferio-„ ri famulus ſe conduxit, quia illi amplius no-„ lebat Dominus concedere, poteſt quod deficit „ compenſare, ſi id abſque animo condonandi fe-„ cit, ſed ne amitteret illam commoditatem, „ vel etiam ſi condonavit, ſi tamen pactum fuit „ injuſtum excedens limites juſti pretii, quia eſt „ obligatio reducendi illud ad æqualitatem “. Falſa certe ſunt quæ hic traduntur. Nam nonne de mercede & ſalario convenit cum domino? cur igitur initum pactum violare debet, & res domini ſibi ſurripere? Quia, inquiunt, ex neceſſitate convenit, & ne illam commoditatem amitteret. At quis neſcit, ſervos ex neceſſitate ſervire, quia non alio modo ſibi victum valent comparare? Si commodum reportat ex tali ſua locatione, cur ſibi compenſare debet? nonne contractus & pactum in ſui commodum cedit, cur igitur in damnum domini redundare debet? Sed quod ſubdunt, intolerabile eſt, nimirum, licet majus ſtipendium illi condonaverit, poſſe tamen compenſare, ſi ſit extra limites juſti pretii: at quænam iniquitas, ſi quis rem ſuam donet in toto vel in parte? condonat autem partem juſti ſtipendii ſui, quomodo ergo poterit quod donavit occulta compenſatione repetere? Juſtitia, inquiunt, obligat, ut omnis inæqualitas ad æqualitatem reducatur; utique. Sed volenti & conſentienti nulla fit injuria; volens & conſentiens partem ſtipendii juſti condonavit, nulla igitur intervenit injuſtitia. Numero vero præced. 316. docent: „ Si dominus occupet famulum vel a-„ liis horis, vel in aliis miniſteriis, quam con-„ ventum eſt, poteſt famulus uti compenſatio-„ ne... quia illud obſequium eſt pretio æſtima-„ bile, ad quod famulus ex vi conventionis non „ obligatur “. Non ſufficit, ut quod præſtatur obſequium, ſit pretio æſtimabile, ſed neceſſe ut alter illud emere velit; dum igitur dominus a famulo miniſterium vel obſequia ſupra pactum poſtulat, hæc ſibi gratis præſtari intendit; ſi alter detrectet, vel miniſterium recuſet, vel de pretio conveniat, nec vendat occulte quod alter emere recuſat. Profecto ſi hæ doctrinæ locum haberent, furta inſtar diluvii totum occuparent orbem, & nihil jam tutum eſſet, quod multo magis verum erit, ſi & alia vera foret, quam ibi tradunt, doctrina, nimirum „ ſi tacite vel ex-„ preſſe promiſſus eſt aliquis labor vel diligentia „ in officii vel beneficii conſecutione, vel alte-„ rius rei ipſi utilis, quod a domino non præ-„ ſtatur, poterit famulus occulte recipere illud „ in quo promiſſum æſtimatur, quia talis pro-„ miſſio eſt pretio æſtimabilis “. Hinc etiam ex tacita promiſſione jus oritur compenſationis? Num promiſſiones mere gratuitæ, factæ titulo caritatis, aut gratitudinis furta, & occultas rerum ſurreptiones licitas reddunt? Ubinam gentium ſumus?

Conſectarium Sextum.

VI. Non eſt licita compenſatio, ſi fiat in rebus quidem debitoris, ſed apud te, vel apud alium depoſitis. Ita quidem ſtatuunt compenſationis occultæ Patroni, qui tamen ſtatim hanc juſtam conditionem evertunt docentes, eam locum ſolum habere in foro externo, in foro vero interiori negligi poſſe: quamobrem Sporerius ſcribit: *eas leges ſolum locum habere in foro externo*, *aut intelligendas eſſe*, *ſi aliter compenſatio fieri poſſit*, *alioquin in foro conſcientiæ . . . non eſſe damnandum peccati*. Hinc abſolute ſtatuit: *Rem tui debitoris apud te depoſitam in compenſationem debiti tui ſine ſcrupulo retinebis*, *quia etiam rem tui debitoris apud alium tertium nunc depoſitam in compenſationem tui debiti alio modo non impetrandi licite auferes*, *quia dummodo res ſit tui debitoris*, *nec ad alium pertineat*, *parum refert*, *ubi materialiter inveniatur*. Utrum parum referat, petat a Magiſtratibus & judicibus Sporerius, qui hunc furem rei apud alium depoſitæ publica per manus carnificis fuſtigatione punirent. Sed & recentior Probabilioriſta poſtquam ad licitam compenſationem ſexto loco ſtatuit, ut *fiat ſine injuria tertii*, paulo poſt concedit, ut ille, cui a Cajo debitore tuo tradita ſunt ſcuta triginta, ſed Titio reddenda, viginti ſibi debita retinere poſſit; at nonne hoc cum injuria tertii, qui merito conqueri poteſt, pecuniam ſibi debitam, ſibi a debitore miſſam eo nomine acceptam, proinde jam ad ſe multiplici titulo pertinentem Cajum ſibi retinuiſſe? Minime, reſpondet, nam cavendum ut Titius *omnino inſcius ſit talis rei*. At quare? Profecto ne de injuria conqueratur? Illi ergo irrogatur injuria. Fingamus itaque Titium pecunia ſibi miſſa a Cajo fraudatum, de fraude a debitore certiorem fieri, proinde injuriæ memorem, ab alio Caii creditore accipere viginti ſcuta illi tradenda, nonne licitum putabit eam pecuniam ſibi retinere, & Cajo regerere: tu tibi retinuiſti pecuniam mihi per te a Titio miſſam, quam ego non-

nondum recuperavi, & ego retineam pecuniam tibi miſſam, donec meam pecuniam recuperem, quam ne haberem tua compenſatione impediviſti, & ſic ex compenſatione jus ad aliam compenſationem, ideſt, a fraude ad fraudem, a furto ad furtum exoritur. Hæc libenter oculis Miniſtrorum Eccleſiæ objicio, ut videant quinam ſint fructus, quinam ſurculi, qui ex doctrina licitæ compenſationis occultæ dimanant, & quomodo conditiones appoſitæ in praxi eludantur.

Conſectarium Septimum.

VII. Illicita eſt compenſatio, niſi fiat in re ejuſdem ſpeciei, puta ſurripiendo triticum pro tritico, vinum pro vino, pecuniam pro pecunia. Ita quidem ſtatuunt, qui licitam tuentur occultam compenſationem, ſed ſimul ad eam enervandam duo addunt, 1. quando moraliter obſervari poteſt. 2. Niſi aliter exigat indigentia creditoris. Porro cum occulta compenſatio fieri debeat inſcio debitore, difficile eſt tempus reperire, occaſionem nanciſci opportunam, ut hæc qualitas ſervetur; quamobrem communiter & moraliter impoſſibilis fere ſemper habetur. Similiter cum creditor ſemper ſua re indigeat, & nonniſi ægre ferat ea privari, ſi occaſionem expectare voluerit hanc ſervandi materialem æqualitatem, diu ſua re carebit, & in ſua permanebit indigentia: & ſic iterum ſuperflua erit hæc conditio. Denique addunt ſi etiam prætermittatur, cum per hoc juſtitia commutativa non violetur, non eſt peccati lethalis arguendus, qui etiam per rem plane diverſam ſe compenſaret. Quid quod adeo hanc conditionem ſupervacaneam cenſent, ut plures benigniores Doctores doceant, licere contumelias, læſionem famæ occulta compenſatione ſarcire. Te Caius infamavit, & famam pertinaciter ſarcire recuſat, potes ipſe uti compenſatione vel debitam offenſori tuo pecuniam denegando, vel occulte etiam accipiendo quantum ſatis videtur, ſervata *quantum fieri poteſt æqualitate*. Ita docet Molina de juſt. & jur. Tr. 4. diſp. 49. n. 5. ſcribens: „ Quando unus alterum injuſte infamavit, ne„ que . . . vellet eam famam ei reſtituere, tunc „ injuſte infamatus . . . . poſſet in pecunia com„ penſare damnum famæ in quo eſt, idque non ſolum „ non ſolvendo debitum antiquum occultum quan„ tum ad æqualitatem ſufficere judicaretur ad com„ petentem compenſationem famæ, in quo eſt, ſed „ etiam occulte accipiendo de novo quantum ſa„ tis eſt ad eamdem compenſationem, dummodo „ non interveniat ſcandalum, & alter commodam „ obtinere non poſſit reſtitutionem famæ “. At nonne ſcandalum ingerit hæc doctrina Evangelio plane contraria, in quo dum Chriſtus jubet ut oremus pro calumniantibus nos, & docet quotidie petere, ut *nobis dimittantur peccata*, *ſicut nos dimittimus debitoribus noſtris*, iſti benigniores Theologi docent, immo ex oppoſito licitum eſſe calumnias, contumelias, & infamiam occulta compenſatione, & alienæ pecuniæ ſubreptione vindicare, ſeu ut ipſi dicunt ſarcire?

Conſectarium Octavum.

VIII. Illicita eſt compenſatio, quando fieri non poteſt ſine ſcandalo, aut alicujus infamia, nimirum ſi ſuſpicio ſuboriri poſſit contra innocentem, qui furti accuſaretur, & ad reſtitutionem cogeretur. Hæc quoque una eſt ex conditionibus a Patronis occultæ compenſationis conſtituta, quam tamen ſtatim extenuant, immo penitus tollunt, docentes cum Sporerio „ ad id ſolum „ teneri ex caritate, non ex juſtitia, quia ute„ ris jure tuo, & damnum tertii per accidens, „ & præter intentionem tuam ſequitur actionem „ tuam, ut notat Lugo, ideoque ad id non obli„ gaberis, niſi facile & ſine tuo gravi incommo„ do poſſis. Poteris autem, & certe ex carita„ te teneberis damnum proximi præcavere, ſal„ tem omittendo interim compenſationem, ſi „ tuum debitum exiguum ſit, v. g. paucorum „ aureorum, & probabile ſit furtum alteri impu„ tandum eſſe cum periculo graviſſimi damni, in„ famiæ, pœnæ, fuſtigationis, & maxime mor„ tis; tunc enim ſi non præcaveas, etſi non pec„ ces contra juſtitiam, graviter tamen peccas „ contra caritatem, quæ præcipit, ne ob parvam „ tuam commoditatem graviſſimum proximo da„ mnum inferas “. Vide, chriſtiane Lector, quo tandem recidat appoſita conditio vitandi ſcandali, & damni innocentis in occulta compenſatione, nimirum primo non peccare contra juſtitiam, qui ſua occulta compenſatione eſt in cauſa, ut innocens infametur, puniatur, publica fuſtigatione laceretur, & morti etiam damnetur. 2. Si debitum non ſit exiguum, v. g. paucorum aureorum, ſed ſit magnum, puta, plurium aureorum, nec contra caritatem peccas, licet occulta compenſatione grave inferas innocenti proximo malum, immo & mortis cauſa ſis, quia ſemper uteris jure tuo. Vah trucem, barbaram, & evangelicæ lenitati adverſam doctrinam. Fatendum tamen Sporerium aliam ſeveriorem, immo tutiſſimam inibi docere ſententiam, ideſt qui occulta compenſatione uti velit, *evitet ſui periculum*, *&* *propriæ infamiæ*, *ne forte deprehenſus in foro externo fur cenſeatur*, *aut tanquam rei alienæ violentus invaſor puniatur*: quod confirmat auctoritate S. Thomæ, *uti etiam notat D. Thomas*. Papæ! quam opportune res confirmatur tanti Doctoris teſtimonio, ne quis fallatur! Interim tamen fateri cogitur ab ipſo abſolutum ab omni crimine in occulta compenſatione, a juſto judice ut furem punitum iri ſi deprehenderetur; proinde ut ſibi caveat ſaluberrime monet.

Conſectarium Nonum.

IX. Nec licita compenſatio, quando res alia via recuperari poteſt intra, vel extra judicium. Ita quidem ſtatuunt, ſed ad fucum faciendum ſupremis Poteſtatibus; nam quod una manu ædificant, altera deſtruunt. Et primo quidem inepte ſtatuunt, non licere uti compenſatione, quando res extra judicium *commode* recuperari poteſt, ideſt petendo vel per ſe, vel per alium ſolutionem a de-

debitore, vel ei ad ſolvendum dilationem concedendo, vel permutationem exhibendo; nullus enim niſi ſtupidus cum facile poſſit rem ſuam recuperare tali pacto, compenſatione utetur, quæ & ſpeciem injuſtitiæ habet, & infamia aſpergit utentem, qui ſi deprehendatur, furti ab omnibus arguetur; inepta igitur ex hac parte poſita conditio. Dum vero dicunt, nec fieri poſſe compenſationem, ſi commode in judicio res obtineri poſſit, ſecus vero, ſi non abſque incommodo, moleſtia, expenſis, amiſſione favoris aut benevolentiæ ipſius debitoris, fucum faciunt. Hoc enim pacto inutilia efficiunt forenſia judicia, Magiſtratus, Præſides, quandoquidem nunquam Forum adiri poteſt ſine incommodo, relinquenda ad hoc propria negotia, expectandum tempus opportunum judicis, ac propterea lucrum illius temporis amittendum, citandus debitor per juſtitiæ adminiſtros, quod ſine expenſis fieri non poteſt: quod ſi ſagax debitor, vel aſtutus Rabula negotium turbet, judicem fallat, iterum inſtaurandum judicium, iterum adeundum Tribunal, novæ moleſtiæ, augentur expenſæ, debitor vocatus contra ſuum creditorem indignatur, ſe ad Tribunal rapi conqueritur, uno verbo ejus deperditur amicitia, atque ita cum nunquam creditor, qui de ſuo jure certus eſt, ſine incommodo & moleſtiis quod ſuum eſt valeat obtinere, liberabitur ab onere adeundi judicis, & occulta compenſatione ſibi conſulere poterit. Porro quis non videat, quantum hæc doctrina Reipublicæ, ſocietati, communi bono infenſa ſit? Leges, quæ jubent, ne quis privata auctoritate ſibi jus dicat, ne res alienas privata auctoritate occupet, juſtiſſimæ ſunt, ſanctiſſimæ, & ad bonum publicum inſtitutæ. Optime ajebat M. Portius Cato apud Livium lib. 34. cap. 2. *Nulla lex ſatis commoda omnibus eſt, & modo quæritur ſi majori parti & in ſummam prodeſt*: cum itaque lex bono publico prodeſt, & eſt ab iis ſervanda, quibus incommoda eſt, & onerosa, nec leges ſubditorum privatæ utilitati accommodandæ & temperandæ, ſed privatorum utilitas & commoda juxta leges ſunt perpendenda, nec utile dicendum, quod honeſtum non eſt, nec honeſtum quod communi bono adverſatur. Nonne & leges, quæ præſcriptionem adprobant, incommodæ ſunt dominis, ad quos res niſi præſcriptæ forent pertinerent? Licebit ne propterea illis contra legem præſcriptionis ſibi incommodam alienam rem occulte ſurripere, vel de re jam præſcripta iniquam litem movere? Pari pacto licet lex, quæ jubet adeundum judicem, a Prætore petendam ſolutionem pecuniæ vel alterius rei ſibi debitæ, non ſatis ſit commoda illi, qui ſine incommodo nequit Prætorem adire, eſt tamen ſervanda, & ab illo cuſtodienda ob bonum commune. Quamobrem benigniores Theologi dupliciter in bonum commune peccant, 1. dum docent compenſationem licitam eſſe, quando non *commode* judex adiri poteſt. 2. Cum pejus docent, eum qui talem ordinem non ſervat, licet *commode* ſervare poſſit, adhuc graviter non peccare, cum nec *grave ſcandalum*, *nec gravis perturbatio inde communiter oriatur*, ut ſcribit Sporerius. Quinimmo & graviſſimum ſcandalum, & graviſſima perturbatio oriretur, ſi compenſationis doctrina in praxi locum obtineret.

Conſectarium Decimum.

X. Illicitam compenſationem dicunt Theologi, ſi fiat cum nocumento aliorum creditorum, qui eſſent præferendi. Verum hanc quoque conditionem minime neceſſariam putant Comitolus, Diana, & Sporerius, qui etiam docet creditorem ad ordinem caritatis cuſtodiendum poſſe prius ſuæ conſulere indemnitati, quam aliorum; hinc ſcribit: „ Idem dicendum (licere ſcilicet compenſationem occultam) in caſu quo debitor tuus „ ob tuam occultam compenſationem fiat impotens ad ſolvendum aliis anterioribus etiam magis privilegiatis debitis ac creditoribus ſuis, „ quia id damnum aliorum creditorum per accidens ſequitur ad tuam compenſationem, & res, „ quam accipis, non eſt adhuc eorumdem creditorum, ſed debitoris tui, ideoque *ordine caritatis* tibi præ aliis proſpicere poteris ſine injuſtitiæ peccato“. Quod & repetit & confirmat n. 82. Et hoc pacto caritas omnium virtutum regina fit juſtitiæ inimica, cujus jura violare permittit. Nam priores creditores jus habent in illa bona, quæ ſibi ex caritate compenſator ſurripit, & leges hoc vetant, dum jubent, ordinem eſſe ſervandum in debitorum ſolutione.

Conſectarium Undecimum.

XI. Qui occulta compenſatione ſuæ indemnitati vult proſpicere, tenetur *cauto modo* debitorem ſuum certiorem facere de habita occulta compenſatione, ne ipſe erronea conſcientia peccet, putans ſe teneri ad ſolutionem, & ne iterum idem debitum ſolvat. At hanc quoque conditionem facile prætermitti poſſe docet Sporerius, ſcribit enim: „ Cum ad hoc ſolum tenearis ex caritate, non ex juſtitia, & quia neutrum damnum „ (ſcilicet erroneæ conſcientiæ peccatum, & repetitam ſolutionem) intendis, ſed tuo jure uſus es. Unde ſolum teneberis ita cavere, ſi facile, & ſine tuo incommodo poſſis, & tunc „ negligendo peccabis; at certe non grave peccatum contra caritatem, at non contra juſtitiam“. Hæc adeo falſa & laxa ſunt, ut confutatione non egeant.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Ex his omnibus patet, quam falſa ſit, pernicioſa, & communi bono infenſa doctrina de occulta compenſatione. Falſa quidem, quia tot neceſſe erat coerceri limitationibus, tot conditionibus veluti vallis & aggeribus circumſepiri, ne ipſius virus latius diffunderetur, & Chriſtianum Orbem furtis, fraudibus, dolis repleret, & invaderet. Pernicioſa vero, quia dum una ex parte doctrina de licito uſu occultæ compenſationis tanquam communis, certa, a plurimis Theologis confirmata traducitur, adeoque qui illam oppugnare velit Rigoriſta, Janſeniſta, & ſi quid pe-

pejus audiat; dum ex altera vero appoſitæ limitationes negliguntur, & contemnuntur, vel tamquam ſupervacaneæ, vel ſaltem ſub veniali obſervandæ, vel quæ juſtitiæ inimicam non efficiunt compenſationem, vel locum non obtinent in foro conſcientiæ, vel de facili cuſtodiri non poſſunt, & ſine incommodo, jam omnibus ſtatibus, conditionibus, perſonarum qualitatibus licita & conceſſa creditur. Quamobrem compenſatione utuntur famuli adverſus dominos; artifices, & mercatores contra emptores; emptores contra artifices; Ruſtici contra Cives; Cives contra Ruſticos; Milites adverſus Duces; Duces contra Principem; Miniſtri adverſus populum; Clientes contra Patronos; ejus obtentu Principum vectigalia fraudantur, officia carius emuntur, contractus doloſe celebrantur. Omnes ſiquidem conqueruntur res nec juſto pretio vendi poſſe, labores & mercenariorum ſudores juſta mercede fraudari. Officia non amplius gratis concedi, ſed pretio emenda; ſtipendia exigua eſſe, vel diminuta; in foro auctoritatem & potentiam, non veritatem & juſtitiam prævalere; quod ſuum eſt petere, idem eſt ac debitorem ſibi hoſtem efficere, ejus invidiam ſubire; quæ omnia mala beneficio occultæ compenſationis ſarciri poſſe arbitrantur, & ita impune graſſantur furta, latrocinia, fraudes. Quamobrem Confeſſarii nunquam pœnitentibus occultam compenſationem vel conſulant, vel approbent, immo ab ea tanquam a re bono communi infenſa arceant. Si de ea jam effecta confiteantur, ab illis quærant, cur de ea ſe accuſent, quam honeſtam licitamque reputaverunt, & oſtendant intus in corde conſcientiam illis crimen ſuum exprobrare, & ſolum ad ejus latratus & morſus retundendos adprobationem Confeſſarii expoſcere, cui neceſſitatem faciendæ compenſationis exaggerant. Moneant ut de compenſatione propria auctoritate perfecta doleant, propoſitumque concipiant ab ea omnino abſtinere. Solum ſi commutativam juſtitiam nullo pacto læſam reperierint, nullumque periculum adſit etiam futuræ læſionis, onus reſtitutionis illis non imponant.

REFLEXIO.

De avaritiæ inſania, fœditate, & malitia, ex qua fraudes omnes, doli, furta velut a radice germinant, & prodeunt, jam plura abunde diximus in Reflex. adjecta cap. 4. Diſſ. 4. quæ huc eſſent revocanda. Nonnulla hic addere placet ad avaritiæ ſitim, omnino ſi fieri poteſt, extinguendam, & præcipue eam, quæ neceſſitatis velo obtegitur. Nullus ſiquidem eſt avarus, qui ſe pluribus carere neceſſariis, ſibi multa deeſſe non doleat, atque hoc pacto avaritiam ſuam vel non agnoſcit, vel tegit. Dum hæc tamen dicunt avari, non mentiuntur, teſte Auguſtino, qui ipſam avari abundantiam egeſtatem parere animadvertit, Enarr. 2. in Pſal. 29. ſcribens: „ Sed divites habent abundantiam? Plus egent quanto plus habent “. Et enarrat. in Pſal. 122. acute infert: „ Non ſunt ergo illæ divitiæ, ſed mendacitas, „ quia quanto magis abundant, tanto creſcit inopia, & avaritia “. Et ſerm. 61. Avaros hydropicis aſſimilat, qui quo magis bibunt, eo vehementius ſitiunt. „ Habes aurum, habes argentum, & concupiſcis aurum, & concupiſcis argentum. Et habes & concupiſcis, & plenus es & ſitis. Morbus eſt, & non opulentia. Sunt homines in morbo, humore pleni ſunt, & ſemper ſitiunt. Humore pleni ſunt, & humorem ſitiunt “. Eamdem veritatem confirmat S. Hieronymus epiſt. 50. ad Paulinum animadvertens: „ Avaro tam ea deeſſe quæ habet, quam quæ non habet, quia aut non habita concupiſcit, vel habita metuit ne amittat “. Et S. Ambroſius lib. 6. in Hex. cap. 8. ſcribit: „ Quantis abundant (avari) vides, quanti egeant non vides “. Oſtendens ſemper pluribus egere qui paucis non eſt contentus: quod confirmat exemplo Achab, qui licet Rex eſſet divitiis affluens, opibus abundans, vineam tamen Naboth expetebat. „ Rex ſibi egere viſus eſt, quia vineam habebat pauper vicinus. Quis igitur tibi pauper videtur, qui contentus eſt ſuo, an qui concupiſcit alienum? .... *Da mihi* inquit. Quæ alia vox egentis eſt? Quæ vox alia ſtipem publicam poſtulantis niſi *da mihi*? Hoc eſt *da mihi*, quia egeo “. Quamobrem egregie concludit Auguſt. enarr. in pſal. 122. „ Chriſtianus homo non debet abundare, ſed pauperem ſe debet cognoſcere, & ſi habet divitias, ſcire debet, quia non ſunt illæ veræ divitiæ, ut alias deſideret “. Nec æſtimandum (ſubdit S. Bernardus ſerm. 21. in Cantic. n. 7.) pauperes ſpiritu ſola cæleſtia poſſidere, quia ea ſolum audiunt in promiſſione, *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum*. Poſſident & terrena, & quidem tamquam *nihil habentes, ſed omnia poſſidentes*, non mendicantes ut miſeri, ſed ut domini poſſidentes. Et pro certo magis domini quo minus cupidi .... Ergo avarus terrena eſurit ut mendicus, fidelis contemnit ut dominus. Ille poſſidendo mendicat, iſte contemnendo ſervat.

At quænam denique eſt illa neceſſitas, qua adeo ſe premi dolent & conqueruntur Avari? Plurimæ, inquiunt, & quidem graves urgenteſque neceſſitates. Familia alenda, filiæ nuptui tradendæ, filiis conſulendum, futuris neceſſitatibus proſpiciendum, fortuitis humanæ viciſſitudinis infortuniis præcavendum. Ita profecto loquentes inducunt Avaros SS. Auguſtinus & Chryſoſtomus, ille quidem ſerm. 86. de Verb. evang. ſcribens „ Quid dicit avaritia? Serva tibi, ſerva filiis tuis. Si egebis, nemo tibi dabit: Noli ad tempus vivere, conſule tibi in futurum “. Hic vero ſerm. de Verb. Apoſt. T. 5. pag. 279. „ Quæ eſt igitur illa vulgarium hominum frigida & inutilis defenſio? Alendi ſunt, inquit, liberi, rei familiaris gerenda eſt cura, uxorem alo, neceſſarios ſumptus multos ſuſtineo “. At ineptas haſce avaritiæ excuſationes ſic Auguſtinus refellit l. l. n. 8. „ Serva tibi, inquit avaritia. Pone te velle obtemperare. Interroga ubi ſerves. Illa tibi monſtratura eſt munitum locum, muratum cubiculum, arcam ferream. Omnia

„ muni: forte domeſticus fur etiam interiora præ„ rumpet, & cum pecuniæ tuæ conſulis, vitæ „ tuæ timebis. Forte dum multum ſervas, qui „ vult arripere, cogitat & occidere. Poſtremo „ adverſus fures licet quocumque munimine the„ ſaurum tuum & veſtem tuam communias, „ communi eam adverſus rubiginem & tineam. „ Quid facturus es, non eſt foris hoſtis auferens, „ ſed eſt intus abſumens .... Dicit, conſule in „ poſterum. In quantum poſſeſſurum? In dies „ paucos & incertos. Dicit, conſule in poſterum „ homini fortaſſis victuro nec in craſtinum. Sed „ ecce vivat quantum putat avaritia, non quan„ tum oſtendit, non quantum dicit, non quan„ tum fidit, ſed quantum putat vixerit, ſenuerit, „ finierit, adhuc ſenex incurvus, baculo innixus „ lucrum quærit, & audit avaritiam dicentem, „ Conſule in poſterum. In quod poſterum? Jam „ expiranti loquitur. Propter filios ſuos ... Sed „ videamus illos, qui filios habent, utrum certi „ ſint, filios ſuos poſſeſſuros eſſe, quæ relique„ runt. Intendant cum vivunt filios aliorum, a„ lios alienis improbitatibus quod habuerunt a„ mittentes, alios propria nequitia quod poſſede„ runt conſumentes, & remanent inopes filii di„ vitum. Parcite naſci ſervi avaritiæ.

Audiant igitur Avari S. Baſilium hom. de avaritia ſic ipſos alloquentem, & ad reſipiſcendum exhortantem: „ Recordare illius diei, in quo *re„ velabitur ira Dei*, veniat tibi in mentem glorio„ ſus adventus Chriſti; cum *qui bona egerunt*, „ *reſurgent in reſurrectionem vitæ*, *qui vero mala* „ *in reſurrectionem judicii* .... Quomodo flectam „ te? Quid dicam? Regni non teneris deſiderio, „ non times gehennam, unde ſanitas animæ tuæ „ conciliabitur? Etenim ſi non terrent horrenda, „ ſi læta ac hilaria non extimulant, lapideum „ cor alloquimur. Vellem te ab injuſtitiæ ope„ ribus paululum reſpirare, o avare, & cogita„ tionibus tuis otium dare, tecum ut reputes „ ad quem finem ſtudium ejuſmodi rerum ten„ dat. Habes tot jugera terræ arabilis, totidem „ terræ arboribus conſitæ, montes, campos, ſal„ tus, fluvios, prata. Quid igitur poſt hæc? „ Nonne tres terræ cubiti te expectant? Nonne „ paucorum lapidum onus miſero corpori cuſto„ diendo erit ſatis? ... Quid manibus infructuo„ ſam ſterilitatem atque inextinguibili perpetuo„ que igni materiam coacervas? Num tandem „ reſipiſces ab hac ebrietate? ... Num ad te re„ dibis? Num Chriſti judicium tibi pones ob „ oculos? Quam allaturus es excuſationem? .... „ quos conduces patronos? quos teſtes duces? „ Quomodo illudes judici, qui nullis artibus deci„ pi poteſt? Nullus ibi adeſt Rhetor, non ſunt ver„ ba ſuaſoria, quæ judici veritatem ſuffurari poſ„ ſint: non ſequuntur adulatores, non pecuniæ, „ non faſtus dignitatis, deſertus ab amicis, de„ ſtitutus fautoribus, ſine patrocinio, citra de„ fenſionem, pudore ſuffuſus relinqueris, triſtis, „ mœſtus, ſolitarius; fiducia ac libertate loquen„ di carens ... Inſurgent adverſum te omnia; te „ tuarum actionum malarum chorus pravus ſtipa„ bit. Nullus eſt illi negandi locus, ſed obtura„ tur omne os impudens. Nam ipſa teſtimonium „ in unumquemque ferunt opera, non quidem „ vocem emittentia, ſed talia apparentia, qualia „ a nobis peracta ſunt. Fugiamus igitur totis „ viribus graviſſimum avaritiæ vitium: fugia„ mus, inquam, ut & indicta nobis ſupplicia vi„ temus, & æternorum bonorum participes effi„ ciamur “.

TRA-

TRACTATUS V.

DE DECALOGI PRÆCEPTIS

PARS OCTAVA.

DE OCTAVO DECALOGI PRÆCEPTO.

Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.

Poſtquam Deus vitæ & bonis proximi conſultum voluit quinto & ſeptimo Decalogi præcepto, octavo famæ, honori, bono nomini, bonæque ejus exiſtimationi proſpexit, jubendo, ne falſum unquam teſtimonium contra ipſum loqueremur. Quo mandato non illud vetuit ſolum quod verba ſonant proximi nocumentum, ſed omnes etiam locutiones, immo & mentis cogitationes, quæ honori, famæ, & exiſtimationi proximorum nocere quocumque modo poſſunt. Immo ut optime animadvertit Tridentini Concilii Catechiſmus, huic negativo præcepto & aliud poſitivum adjungitur, quo jubemur ſemper abſque fuco, & fallaciis veritatem pandere, proinde omne mendacium vitare. „ In hoc præcepto (inquit Catechiſmus Par. 3. de 8. Decal. Præcepto) animadvertendæ duæ leges, altera prohibens ne falſum dicatur teſtimonium, „ jubens altera, ut ſimulatione fallaciiſque ſublatis dicta & facta noſtra ſimplici veritate metiantur ". Quamobrem optime monet Apoſtolus ad Epheſ. 4. v. 25. Deponentes omne mendacium, loquimini veritatem, unuſquiſque cum proximo ſuo, quoniam eſtis invicem membra. *Porro pluribus, immo infinitis propemodum modis hocce præceptum violare poſſumus, nimirum 1. actibus interioribus, mala ſcilicet ſuſpicione, & temerario judicio. 2. Exterioribus actibus, videlicet falſo teſtimonio tum intra tum extra judicium, contumelia, murmuratione, detractione, ſuſurratione, convicio, imprecatione, ſeu maledictione, fraude, dolo, & fallacia. De nonnullis hiſce vitiis plura diximus, de nonnullis aliqua attigimus, de aliis vero hic tractare polliciti ſumus Tom. 2. Diſſ. 4. de Vitiis Capitalibus. Fidem igitur ibi datam ſolventes, quæ ad hujuſce præcepti explanationem ſuperſunt unica Diſſertatione in plura capita diſtributa clare dilucideque exponemus.*

DISSERTATIO UNICA

DE VITIIS ET PECCATIS OCTAVO PRÆCEPTO OPPOSITIS.

CAPUT PRIMUM.

De interioribus actibus famam proximi lædentibus, ſcilicet mala ſuſpicione, & temerario judicio.

D O C T R I N A.

I. *Quid ſit ſuſpicio, & quale peccatum.*
II. *Judicium temerarium quale peccatum.*
III. *Quando judicium ſit vere temerarium dicendum.*
IV. *Quænam ſint gravia mala, quæ de proximo judicare lethale peccatum ſit.*

I. Suſpicio a D. Thom. 2. 2. q. 60. art. 3. definitur: *Opinio incerta de aliquo malo, qua homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipit.* Ex qua definitione patet, ſuſpicionem ſitam eſſe in inclinatione quadam mentis ad aſſentiendum uni potius parti, quam oppoſitæ, abſque tamen abſoluto judicio, & poſitivo aſſenſu. Hanc itaque ſuſpicionem, quæ ſi ſit de malo proximi, ut ſubdit idem Ang. Præc. *Vitium quoddam importat*, de ſe ſpectatam nonniſi veniale eſſe peccatum docet, & confirmat Quodlib. 12. art. 34. ſcribens: *Suſpicio eſt quid imperfectum in genere judicii, & ideo eſt imperfectus motus, & ideo non eſt mortale ex genere.* Quod & confirmat 2. 2. l. l. ubi triplicem diſtinguens ſuſpicionis gradum, ſic ſubdit: „ Primus quidem gradus eſt, ut homo ex levibus „ indiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat: & hoc eſt veniale, & leve peccatum: „ pertinet enim ad tentationem humanam, *ſine* „ *qua vita iſta non ducitur*, ut habetur in Gloſſa ... ſuper illud 1. ad Cor. 4. *Nolite ante tem-* „ *pus judicare* ". Addit tamen fieri poſſe lethale peccatum, quando nimirum *provenit* (verba ſunt S. Thom. art. 3.) *ex hoc, quod aliquis male afficitur ad alterum: cum enim aliquis contemnit, vel odit aliquem, aut iraſcitur, vel invidet ei, ex levibus ſignis opinatur mala de ipſo: quia unuſquiſque faciliter credit quod appetit:* & confirmatur ex Apoſtolo, qui ad Timoth. 1. cap. 6.

6. inter gravia peccata & malas enumerat ſuſpiciones ex ſuperbia prodeuntes, & contentione, *ex quibus*, ſcribit, *oriuntur invidiæ*, *contentiones*, *blaſphemiæ*, *ſuſpiciones malæ*; quare optime ſcribit S. Auguſtinus epiſt. 137. *Ne malevolo animo de ſervis Dei falſa ſuſpicando peccetis*, *illud Apoſtolicum recordamini*, Nolite ante tempus judicare.

II. Quod ſi ſuſpicio mala limites tranſeat meræ opinionis, & intellectus firmetur in malo credendo, jam in temerarium vergit judicium, & tunc ſi ſit de gravi aliquo proximi malo, peccatum eſt mortale, ut docet l. l. S. Th. ſcribens: „ Cum „ aliquis pro certo malitiam alterius æſtimat ex „ levibus indiciis; & hoc ſi ſit de aliquo gravi, „ eſt peccatum mortale, inquantum non eſt ſine „ contemptu proximi: unde Gloſſa ibid. ſubdit: „ *Si ergo ſuſpiciones vitare non poſſumus*, *quia ho*„ *mines ſumus*; *judicia tamen*, *ideſt definitivas*, „ *firmaſque ſententias continere debemus* “. Multoque magis ſi ex tali temerario judicio etiam ad proximo malum aliquod inferendum progrediamur, ut ſtatim ſubdit D. Th. *Cum aliquis judex ex ſuſpicione procedit ad aliquem condemnandum*: *& hoc directe ad injuſtitiam pertinet*, *unde eſt peccatum mortale*. Et jure merito, nam binas continet perverſitates & inordinationes. Nam 1. ſibi de proximo judicium adrogat, quod a lege naturæ & divina vetatur. Illa ſiquidem indicit, ne quis in ſibi æquales, multoque minus in ſuperiores munus judicis attribuat; manifeſtum eſt enim (inquit S. Th. q. 67. art. 1.) „ quod nullus pot„ eſt judicare aliquem, niſi ſit aliquo modo ſub„ ditus ejus, vel per commiſſionem, vel per po„ teſtatem ordinariam “: & Doctor Gentium hanc iniquitatem temere judicantibus merito exprobrat ad Rom. 14. *Tu quis es*, *qui judicas alienum ſervum*? *Domino ſuo ſtat*, *aut cadit*. In ſcriptura vero hæc judicii uſurpatio interdicitur Matth. 1. *Nolite judicare ut non judicemini*; *in quo enim judicio judicaveritis*, *judicabimini*; *& in qua menſura menſi fueritis*, *remetietur & vobis*. Et Jacob. 4. *Qui judicat fratrem ſuum*, *detrahit legi & judicat legem*: *tu autem quis es qui judicas proximum*? 2. Affert contemptum proximi, & illi injuriam irrogat, ut ex D. Th. vidimus: quilibet enim jus habet, ut bonus habeatur uſquedum ejus iniquitas vel malitia manifeſtis deprehendatur & teſtimoniis & argumentis.

III. Ad hocce temerarium judicium requiritur, ut argumenta, quæ ad judicandum movent, levia ſint, imbecillia, nec apta ad virum cordatum movendum; nam ſi firma ſint, manifeſta, & urgentia, jam temeritatem a judicio auferunt, & licet malum, quod de proximo mente firma concipitur, falſum fortaſſis ſit, a peccato excuſatur, qui malum judicat, ut docet S. Thomas quodlib. laud. dicens: „ Judicium de perſonis li„ cet quandoque ſit falſum, non tamen ſemper „ eſt peccatum, niſi quando eſt omnino temera„ rium; unde Auguſtinus in ſerm. Domini in „ monte: *Si erramus in judicio perſonarum*, *non erremus in judicio rerum* “. Quænam autem firma & ſolida ſint dicenda argumenta, quænam vero infirma & imbecillia, facile non eſt definire. Sed attendendæ ſunt circumſtantiæ 1. tum judicantis, tum judicati, quod enim grave eſt argumentum reſpectu unius, infirmum eſt reſpectu alterius. Si enim qui judicat hoſtis eſt, animo averſus, male affectus erga proximum de quo judicat, facile eſt ut ex levioribus argumentis ad temerarie judicandum progrediatur, quod locum non habet in eo, qui nullo pravo animo affectus de re judicat prout eſt, vel ſibi prudenter videtur. Pari pacto, ſi ille, de quo judicatur, jam ſit tali vitio addictus, etiam leve argumentum anſam præbere poteſt judicium efformandi de illius malitia; ut ſi quis videat meretricem clam juvenem alloquente, illique blandiente, non temere judicabit, eam honeſtati adoleſcentis inſidiari; ſecus dicendum de honeſta muliere juvenem alloquente, vel etiam illi arridente. 2. Tempus etiam eſt attendendum, ſi enim quis ſcalam ſecrete, muro apponere nocturno tempore videatur, temerarium non erit judicium putare & credere illum vel furtum, vel fornicationem moliri, ſecus vero ſi iſta interdiu & palam fiat. 3. Loci quoque circumſtantia temeritatem vel æquitatem judicii comprobare poteſt, qui enim ea loca frequentat, ubi non niſi male agitur, criminis ab ipſo vel patrati, vel patrandi validum præbet argumentum; qui enim lupanaria frequentant, officinas aleatorias, choreas, & ſimilia, argumentum non leve exhibent ſuæ pravitatis; ſecus vero dicendum de illo, qui ſolum per accidens iſta loca ingreditur. Uno verbo, ea ſunt habenda firma & idonea ad judicandum argumenta, quæ virum cordatum, prudentem, omni prava affectione carentem movere poſſunt, ſecus vero quæ non niſi ſuſpicioſum, imbellem, & animo male affectum valent pertrahere.

IV. Gravia vero mala, quæ de proximo judicare ex levibus conjecturis lethale peccatum efficiunt, ſunt 1. omnia illa lethalia peccata, quæ hominis famam, honorem, juſtamque exiſtimationem læderent, ſi de illo dicerentur, ſicut enim perverſe judicans graviter læderet exterius aliis illa manifeſtando, quia famam & bonum nomen minueret apud illos, ita graviter lædit interius in animo ſuo, dum de illo hujuſcemodi malum judicat. Hinc ſi qua ſunt lethalia peccata, quæ licet Deo hominem inimicum efficiunt, tamen nullam apud homines afferunt infamiam & dedecus, de illis judicare etiam ex levibus indiciis lethale peccatum non erit, ut ſi quis meribibulum, ebrium judicet, militem ad duellum hoſtem provocaſſe pro certo teneat, a lenone adoleſcentem ad lupanar adductum fuiſſe cenſeat, grave peccatum non erit, cum in hujuſcemodi perſonis inebriari, ad duellum provocare, & ad meretricem accedere dedecus & infamiam apud homines non afferant. 2. Aliquando judicium temerarium de habitudine peccandi etiam venialiter juxta conditionem perſonæ lethale eſſe poteſt peccatum, quando hæc habitudo manifeſtata illius perſonæ bonum nomen & exiſtimationem corrumperet; ut ſi quis diceret, vel animo ex levibus indiciis judicaret, Epiſcopum, Presbyterum, Religioſum eſſe mendaces, luſores, vanos; Sanctimonialem

eſſe

eſſe ſui ſtatus oblitam, quia munditiam in veſtitu affectat, libenter cum ſecularibus loquitur, libros legit vanos, inutiles &c., quia hæc vitia, licet in ſe levia, hujuſmodi tamen perſonas contemptibiles reddunt, & non leviter dehoneſtant.

CAPUT SECUNDUM.

Conſectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quando temeraria ſuſpicio ſit lethale peccatum.*
II. *Quando ſit ſolum veniale.*
III. *Num ut judicium temerarium grave peccatum reputetur, eſſe debeat de determinata & nota perſona.*
IV. *Quænam requiratur advertentia ad peccandum in temerario judicio.*
V. *Judicii temeritas num a veritate vel falſitate judicii pendeat.*
VI. *Rumor & fama de aliquo delicto non ſemper a temerario judicio excuſat.*
VII. *Diſtinctio judicii de rebus, & de perſonis. Doctrina S. Thomæ.*
VIII. *Dubia indicia de proximi malitia, ſunt in meliorem partem interpretanda.*
IX. *Præceptum de dubiis indiciis in meliorem partem interpretandis, & poſitivum eſt, & negativum.*
X. *Quando liceat dubia in deteriorem partem interpretari.*
XI. *Quomodo cum meticuloſis agendum circa ſuſpiciones, & temeraria judicia.*

Conſectarium Primum.

I. Ipſa ſuſpicio & dubitatio temeraria de re gravi, & proximo noxia, ſi ſit cum plena advertentia, eſt lethale peccatum. Nam licet ad judicium uſque non perveniat, adhuc tamen gravem proximo irrogat injuriam de ejus probitate vel ſolum dubitando: & revera quis non graviter doleret & conquereretur, ſi ſciret alterum malum de ipſo ſuſpicari, de ejus fidelitate, probitate, juſtitia dubitare? Profecto temerarium hunc ſuſpicatorem non ſibi amicum, ſed infenſum reputaret. Et revera fingamus, hunc ab alio interrogari, quid ſentiat de ſuo Epiſcopo, Paroco, domino, conſanguineo, amico, & ipſe ſuam internam ſuſpicionem manifeſtet dicens, ſe revera nihil mali certo judicare, ſibi tamen valde ſuſpectos eſſe, & levia hujus ſuæ temerariæ ſuſpicionis indicia panderet, nonne interroganti ſcandalo eſſet, & ſi illi in ſuſpicione adhæreret, gravem injuriam illis irrogaret? Talis igitur ſuſpicio temeraria etiam animo retenta a lethali peccato excuſari non poterit. Immo ſi res penitius introſpiciatur, a temerario judicio non longe abeſt hujuſmodi ſuſpicio, licet enim directe non judicet proximum pravum eſſe, directe tamen judicat ejus probitatem, honeſtatem, juſtitiam &c. incertam eſſe, & ambiguam, quod profecto ſine proximi injuria & quidem gravi, concipi non poteſt. Ita ſentiunt Juveninus, Antoine, aliique nobiliores Theologi. Nec adverſatur hæc propoſitio Doctrinæ S. Thomæ, quam tradidimus cap. præced. num. 1. quia ibi S. Th. loquitur de ſuſpicione & dubio ſolum inchoato, repentino, & indeliberato, *quod pertinet ad tentationem humanam, ſine qua vita iſta non ducitur*, ut ipſemet S. D. ſe explicat. Falſam igitur & laxam habendam cenſeo propoſitionem a Torrecilla allatam: *Suſpicio de crimine quantumvis enormi de perſona honeſta, etiamſi ſit temeraria, nunquam eſt grave peccatum, licet de crimine hæreſis, inceſtus, & ſimilium ſuſpicio ſit.*

Conſectarium Secundum.

II. Contingere poteſt, ut quis nonniſi venialiter peccet, qui etiam grave malum de proximo ſuſpicetur, vel dubitet ex ſolo intellectus errore, quippe qui ſuæ ſuſpicionis argumenta ex errore intellectus putat ſatis firma ad ſuſpicionem inducendam, animo tamen paratus ad omnem deponendam ſuſpicionem, cum melius adverterit, nec ullo odio vel malo animo movetur ad talem ſuſpicionem; tunc enim, ut patet, non ex malitia, ſed ex errore ſuſpicatur, & temeritas in ſuſpicando non eſt illi plene voluntaria, quin immo putat non adeſſe, cum argumenta ſibi videantur apta & idonea ad ſuſpicionem inducendam; & revera reſpectu ſuæ imbecillitatis talia ſunt, quippe quæ penſantur non ex animo prave affecto, ſed ex ipſorum pondere & exiſtimatione.

Conſectarium Tertium.

III. Ad grave peccatum in temerario judicio poſtulant Cajetanus & poſt illum Salmanticenſes, ut ſit de determinata & nota perſona, quapropter ſi ſit de perſona prorſus ignota, non ſit reputandum lethale peccatum, licet judicium ſit de gravi ſcelere. Huic doctrinæ ſubſcribit & P. Daniel Concina Diſſ. 2. lib. 10. in Decal. cap. 8. n. 10. ubi hæc habet: ſi judices mulierem larvatam, velatam, tibique omnino incognitam eſſe meretricem, aut hominem longius occurrentem, adeoque prorſus ignotum, eſſe furem, non peccas lethaliter, quia nulli determinatæ perſonæ injuriam irrogas. Ne huic opinioni lubens ſubſcribam, hæc me movent argumenta. Nonne caritas urget nos, ut omnes amemus tanquam proximos ſive cognitos ſive ignotos, ne cuiquam ſive noto, ſive ignoto injuriam faciamus? quare ergo non violatur caritas, dum proximum etiam ignotum ante oculos tamen verſantem non amamus, & illi injuriam facimus? 2. Si perſonæ illi ignotæ malum aliquod grave imprecaremur, nullum certo illi inferremus damnum reale & phyſicum, nam tota pravitas in noſtro malo deſiderio ſiſteret, & adhuc perſona nobis eſſet ignota, & tamen quis a lethali peccato nos excuſaret? Firmo itaque judicio, & quidem temerario, pronuntiare, etiam de perſona ignota, eſſe furem, vel meretricem, vel graſſatorem non ſta-

ſtatim mihi apparet tantum veniale peccatum. Sapientiores videant, & judicent. Fateor etiam vel nullum, vel leve peccatum eſſe ſuſpicari, vel etiam judicare in hac, vel illa Civitate, Communitate, univerſitate aliqua gravia crimina perpetrari nulla deſignata perſona, quandoquidem hoc non eſt temerarium judicium; certum eſt enim in quacumque Communitate, arte, profeſſione ſuos reperiri fictos, & bonos eſſe malis mixtos; immo longe plures eſſe malos quam bonos: addo tamen, ſi ſermo ſit de atrocioribus criminibus, a gravi culpa non excuſandum qui firmo & temerario judicio hæc mente teneret de aliqua Communitate, cum hoc in infamiam redundet Communitatis, nec ſine peculiaribus argumentis juſte queant judicari; ſic a culpa temerarii judicii non excuſarem qui de aliquo Cœtu Religioſo pro certo haberet abſque ulla peculiari ratione, ſed ſolum ex generali corruptione, aliquos eſſe vel Atheos, vel Hæreticos, vel Sodomitas, licet nullus in particulari deſignetur; quia hæc atrociora crimina præſumi non poſſunt, niſi adſint gravia momenta, & ut dixi, infamia ipſam Communitatem aſpergunt.

Conſectarium Quartum.

IV. Ut quis lethaliter peccet in temerario judicio, neceſſe non eſt ut advertat ſe ad illud moveri levioribus indiciis. Ita quidem docent Salmanticenſes, qui putant ad lethalem noxam in judicio temerario non ſufficere, ut quis advertat ſe grave malum judicare de proximo, ſed neceſſe eſſe ut advertat, vel ſaltem dubitet de ſufficientia momentorum ad tale judicium; quia ad lethale peccatum requiritur, ut mens actu advertat ad malitiam actionis. Verum hæc doctrina falſa eſt, nam nec actualem advertentiam neceſſariam eſſe ad lethale peccatum certum eſt, alioquin nulla darentur ignorantiæ peccata, ut late probavimus Tract. de Peccatis cap. 5. & præterea qui advertit ſe grave malum de proximo judicare, jam ſe malum patrare cognoſcit, nec neceſſe eſt ut mentem convertat ad conſiderandam levitatem ſive gravitatem conjecturarum, ut a temerario judicio abſtineat; jam enim in culpa eſt qui malum de proximo judicat ſine momentoſis rationibus, licet ad eorum imbecillitatem non attendat.

Conſectarium Quintum.

V. Non excuſatur a judicii temerarii crimine, qui grave malum de proximo judicat ex levibus conjecturis, licet quod judicat verum ſit, ſicut e contra immunis eſt a gravi culpa qui gravioribus momentis permotus malum judicat, licet poſtea ſe falſo judicaſſe deprehendat. Ita communiter Theologi, & quidem jure & merito; nam culpa non ex falſitate, vel veritate rei in judicio oritur, ſed ex temeritate in judicando, quando hæc igitur adeſt, culpa quoque adſit oportet, ſicut e contra ea minime exiſtente vel tollitur, vel minuitur culpa. Confirmat & S. Th. quodlib. 12. n. 34. dum dicit, *judicium de perſona licet quandoque ſit falſum, non tamen eſt peccatum, niſi quando eſt omnino temerarium.*

Conſectarium Sextum.

VI. Non ſemper excuſatur a temerario judicio qui ex rumore & fama de gravi crimine proximi judicium efformat. Si enim rumor ab aliquo teſte prodierit, certo, deſignabili, & fide digno, poterit eſſe ſufficiens argumentum ad ſuſpicandum vel dubitandum, vel etiam ſi teſtis ſit de viſu, etiam judicandum; at ſi rumoris & famæ ignotum ſit initium, aut ex levi ortum fundamento, vel a teſte minime fide digno, non eſt ſufficiens motivum, non dicam judicandi, ſed nec ambigendi: quapropter a crimine temerarii judicii non excuſatur qui ex tali rumore judicaret; & hoc eſt diligenter notandum: frequentiſſime enim nihil magis falſum, quam quod ex hujuſmodi incertis rumoribus pervulgatur.

Conſectarium Septimum.

VII. Diſtinguendum eſt judicium de rebus, & judicium de Perſonis. Nam ut optime docet S. Thomas q. 60. a. 4. ad 2. „ Aliud eſt judicare de „ rebus, aliud de hominibus. In judicio enim, „ in quo de rebus judicamus, non attenditur bo„ num, vel malum ex parte ipſius rei, de qua „ judicamus, cui nihil nocet qualitercumque ju„ dicemus de ipſa; ſed attenditur ibi ſolum bo„ num judicantis, ſi vere judicet, vel malum, „ ſi falſo, quia *verum* eſt bonum intellectus, „ *falſum* autem eſt malum ipſius, ut dicitur in „ 6. Ethic. c. 20. & ideo unuſquiſque debet niti „ ad hoc quod de rebus judicet, ſecundum quod „ ſunt ". Quamobrem quotieſcumque argumentis hinc inde penſatis aliquis contractus vel illicitus, vel uſurarius apparet, prudenter de ejus juſtitia dubitare debemus, & vel ab eo abſtinere, vel quod tutius eſt amplecti: quod ſi quis judicet injuſtum contractum, quem alii paſſim ſine ſcrupulo celebrant, licet hoc eſſet etiam ex levibus conjecturis, tunc temerarium eſſet judicium reſpectu operis, non vero reſpectu perſonæ, ac proinde nullo modo peccatum. „ At in judicio „ quo judicamus de hominibus (ſequitur S. Th. „ l. l.) præcipue attenditur bonum, & malum „ ex parte ejus, de quo judicatur: qui hoc ipſo „ honorabilis habetur, quod bonus judicatur, & „ contemptibilis, ſi judicetur malus. Et ideo ad „ hoc potius attendere debemus in tali judicio „ quod hominem judicemus bonum, niſi manife„ ſta ratio in contrarium appareat. Ipſi autem „ homini judicanti falſum, judicium quo bene „ judicat de alio, non pertinet ad malum intel„ lectus ipſius, ſicut nec ad ejus perfectionem „ pertinet ſecundum ſe cognoſcere veritatem „ ſingularium contingentium; ſed magis pertinet „ ad bonum affectum ". Ex qua S. Th. Doctrina hæc ſequuntur conſectaria.

Con-

Conſectarium Octavum.

VIII. Dubia judicia de alterius malitia ſemper ſunt in meliorem partem interpretanda. Ita docet D. A. art. cit. in corp. *Ex hoc quod aliquis habet malam opinionem de alio abſque ſufficienti cauſa, injuriatur ei, & contemnit ipſum. Nullus autem debet alium contemnere, vel nocumentum quodcumque inferre abſque cauſa cogente. Et ideo ubi non apparent manifeſta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium eſt*. Doctrinam hanc hauſerat S. Thomas ex PP. qui eamdem conſtanter docuere. S. Auguſtinus ſerm. in monte, explicans verba Chriſti Domini: *Nolite judicare, ut non judicemini*, ſic ſcribit: „ Nihil aliud nobis præcipi exiſtimo, niſi ut ea „ facta, quæ dubium eſt quo animo fiant, in „ meliorem partem interpretemur .... quod e„ nim ſcriptum eſt *ex fructibus eorum cognoſcetis eos*, de manifeſtis dictum eſt, quæ non „ poſſunt bono animo fieri, ſicut ſtupra vel blaſ„ phemiæ, vel furta, & ſi quæ ſunt talia, de „ quibus nobis judicare permittitur". Et Sanct. Bernardus ſerm. 40. in Cant. dicit: „ Etiamſi „ perperam quid actum deprehendas, nec ſic „ judices proximum, magis autem excuſa. Ex„ cuſa intentionem, ſi non potes opus, puta i„ gnorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum". Idem confirmant & ipſæ juris Canonici Regulæ. Innocentius III. C. ex parte de *ſcrutinio* ſtatuit: *Illum, quem indignum eſſe non noſti, debes dignum exiſtimare*; & Regula 11. tamquam certum ſtatuitur: *Cum ſunt partium jura obſcura, reo favendum eſt potius, quam actori*. Immo & ipſum jus naturale confirmat dum jubet, ut alteri faciamus quod nobis fieri vellemus; quilibet autem jure vellet, ne in ſui detrimentum quod dubium eſt, ſed potius in ſui favorem accipiatur; eſt ergo & idem erga proximos faciendum. Recolantur, quæ diximus Tom. 2. Tract. 3. de Off. Hom. cap. 5. 7. 8. & ſeq.

Conſectarium Nonum.

IX. Præceptum de dubiis indiciis in meliorem partem interpretandis & eſt poſitivum & negativum. Negativum quidem, quia nunquam debemus quæ dubia ſunt in malam partem detorquere, nam cederet in injuriam & damnum proximi; ac proinde hoc præceptum, ſicut cetera negativa mandata, obligat ſemper, & pro ſemper. Poſitivum vero, quatenus jubet, ut ſemper bonum de proximo cogitemus, & quod dubium eſt, poſitive in ejus favorem interpretemur, & hoc non obligat ſemper, & pro ſemper, ſed ſi gravia urgeant dubitandi de probitate proximi motiva, ſatis erit aſſenſum ſuſpendere, nullum judicium proferre, nec in unam nec in aliam partem propendere, ſed Deo judicium relinquere. Tunc vero tenemur poſitive in favorem proximi judicare, quando dubitandi motiva levia ſunt, & imbecillia; iniquum enim foret pro levibus argumentis de probitate proximi dubitare. 2. Si neceſſe ſit in aliquem actum prorumpere, & judicium proferre, tunc enim in favorem proximi judicare debemus, ne periculum ſubeamus inſonti nocendi. 3. Denique cum ex judicii ſuſpenſione animus judicantis erga proximum mutari deberet, & illum, quem ut probum amplectebatur, tamquam malum fugere vel vitare teneri putaret; nam quiſque jus habet, ne benevolentia & recta exiſtimatione privetur, quoaduſque de ejus malitia, & pravitate clare evidenterque conſtet.

Conſectarium Decimum.

X. Non eſt illicitum, cum de proprio agitur damno, vel de proximi bono procurando, dubia in deteriorem partem interpretari, non quidem judicando, vel ſuſpicando, ſed cautionem adhibendo, & rebus noſtris ac bono proprio conſulendo, ac ſi malum, quod veremur, poſſet contingere. Ita docet S. Th. laud. art. 4. ad 3. ſcribens: *Interpretari aliquid in deteriorem, vel meliorem partem, contingit dupliciter. Uno modo per quamdam ſuppoſitionem: & ſic, cum debemus aliquibus malis adhibere remedium ſive noſtris, ſive alienis, expedit ad hoc ut ſecurius remedium apponatur, quod ſupponatur id quod eſt deterius: quia remedium quod eſt efficax contra majus malum, multo magis eſt efficax contra minus malum. Alio modo interpretamur aliquid in bonum, vel malum, definiendo, ſive determinando: & ſic in rerum judicio debet aliquis niti ad hoc ut interpretetur unumquodque, ſecundum quod eſt; in judicio autem perſonarum, ut interpretetur in melius, ſicut dictum eſt*. Quamobrem licet proprias res cuſtodire, arcas claudere, etiam in propria domo, quin ulla ſit ſuſpicio vel judicium de domeſticorum & familiarium juſtitia, & honeſtate. Pari pacto licet ab homine nobis ignoto res noſtras ita caute cuſtodire ac ſi fur eſſet, quin tamen ullam de illo efformemus vel ſuſpicionem, vel judicium. Superioribus pariter licet ita caute ſe gerere, & ſubditos ſuos ita regere, ut ab omni peccandi periculo avertant; ſic licet Parentibus filium, vel filiam cuſtodire, nec nimiam ipſis libertatem concedere, hinc prohibere filio, ne talem ingrediatur domum, nec cum tali ſocio converſetur, quin nihil judicet de pravitate ſive commorantium in illa domo, ſive illius ſocii; vitare, ne filia cum adoleſcente, etiam illi deſponſato, ſola, vel latenter confabuletur, aut commoretur. Idem dicendum de Dominis, de Magiſtris, de Prælatis, tum ſecularibus tum Regularibus reſpectu ſervorum, diſcipulorum, ſubditorum, clericorum, quibus ita caute moderari debent, ut ſi quid minus rectum in ipſis videant, quin de eorum pravitate, vel malitia judicent, vel ſuſpicentur, ſtatim remedium adhibeant, ac ſi ipſorum malum, vel perniciem timerent. Diſcretione tamen opus eſt & prudentia, ne vel ſubditos vexent, ne ſe ſuſpicioſos oſtendant, & ne fortaſſis malum ipſum quod avertere curant, imprudentia ſua accerſant. A Deo itaque conſilii donum petant, ejus auxilium implorent, & a pruden-

dentibus expertiſque viris, ſi opus eſt, conſilium quærant.

Conſectarium Undecimum.

XI. Cum perſonis meticuloſis, ſcrupuliſque laborantibus, ac præcipue Sanctimonialibus non nimium ſint moroſi ſacri Miniſtri, cum eas audiunt confiteri ſuſpiciones malas, judicia temeraria de proximis; credibile enim eſt, & probabiliſſimum meras eſſe tentationes & involuntarios motus in earum infirma mente inſurgentes, quin ipſis ullum præſtent aſſenſum; illas igitur conſolentur, puſillanimem earum animum erigant, iſta aſpernari & contemnere doceant, præſertim cum perſpiciant hujuſmodi perſonas vere Deum timentes, omnia fugere peccata etiam venialia, Dei & proximi caritatem in corde tenere, erga proximos, de quibus prave judicant, vel ſuſpicantur, nedum male non eſſe affectos, ſed eos ſincero corde diligere, & de his dictum habetur, quod docet Auguſtinus Tract. 90. in Jo. „ Ignoſcatur nobis quod de occultis hominum aliquando, immo aſſidue non vera ſentimus: hoc enim ad humanam tentationem arbitror pertinere, ſine qua duci iſta non poteſt vita, itaut Apoſtolus diceret, *tentatio vos non apprehendat niſi humana*. Quid enim tam humanum quam non poſſe inſpicere cor humanum, & ideo non ejus latebras perſcrutari, ſed plerumque aliud quam id quod ibi agitur ſuſpicari? . . . Quando ergo non erratur in rebus, ut recta ſit improbatio vitiorum, virtutumque probatio, profecto ſi erratur in hominibus, venialis eſt humana tentatio. Per has autem humanorum cordium tenebras res multum miranda, & multum dolenda contingit, ut eum, quem nonnunquam injuſtum putamus, & tamen juſtus eſt, & juſtitiam in eo ſcientes diligimus, devitemus, averſemur, & a noſtro prohibeamus acceſſu, communem cum illo vitam, victumque habere nolimus, eumque etiamſi diſciplinæ imponendæ neceſſitas cogit, ſive ne aliis noceat, ſive ut fiat ipſe correctior, aſperitate ſalubri perſequamur, & hominem bonum tamquam malum affligamus, quem neſcientes amamus.

CAPUT TERTIUM.

De Calumnia, Falſo teſtimonio, & Detractione.

DOCTRINA.

I. *Quid ſit calumnia.*
II. *Quale peccatum.*
III. *Falſum teſtimonium dicere quale peccatum ſit.*
IV. *Nec in alterius favorem falſum teſtimonium dicere licet.*
V. *Falſi teſtes quam graviter peccent, & quomodo puniantur.*
VI. *Detractionis definitio traditur, & explicatur.*
VII. *Detractio de ſe eſt lethale peccatum.*
VIII. *Plures detrahendi modi.*
IX. *Primus omnium peſſimus fit per calumniam.*
X. *Quando detractio vel nullum, vel nonniſi leve peccatum ſit.*
XI. *Regulæ ad detractionis gravitatem dignoſcendam. Regula I.*
XII. *Regula* 2. XIII. *Regula* 3. XIV. *Regula* 4. XV. *Regula* 5. XVI. *Regula* 6. XVII. *Regula* 7. XVIII. *Regula* 8. XIX. *Regula* 9. XX. *Regula* 10. XXI. *Regula* 11. XXII. *Regula* 12.

I. Calumnia definitur a S. Thoma q. 68. a. 3. *falſi criminis impoſitio*: quamobrem calumnia ferme ſemper eſt mendacio conjuncta; requiritur enim, ut ille, qui proximum calumniatur, ſciat ſe falſa dicere, ſi enim putat verum dicere, temerarius quidem accuſator erit, non vero calumniator. Ita S. Th. l. l. ad 1. ſcribens: *Nec qui falſum crimen alicui imponit, calumniatur, ſed ſolum qui ex malitia in falſam accuſationem prorumpit. Contingit enim quandoque ex animi levitate ad accuſationem procedere, quia ſcilicet aliquis faciliter credit quod audivit: & hoc temeritatis eſt.* Fieri tamen poteſt, ut quis calumniator audiat, licet ſe verum dicere putet, nimirum quando ex præconcepto pravo affectu levibus fundamentis innixus de crimine temerarium jam concipit judicium, quod poſtea aliis communicat, tunc enim hocce temerarium judicium per exteriorem manifeſtationem in calumniam tranſit, licet qui calumniatur ſe verum dicere putet: nam ſicut illud temerarium judicium peccatum eſt lethale, quia levioribus innixum argumentis, quorum imbecillitatem advertere tenebatur; ita dum illud pandit, calumniatur, quia ſui dicti falſitatem agnoſcere debebat, & vitare. Hoc indicare videtur S. Th. art. laud. dum ſubdit: *Aliquando autem ex juſto errore movetur aliquis ad accuſandum. Quæ omnia ſecundum prudentiam judicis debent diſcerni, ut non pronuntiet eum calumniatum fuiſſe qui ex levitate animi, vel ex juſto errore in falſam accuſationem prorupit.* Quibus verbis ſolum *juſtum errorem* a crimine calumniæ excuſare dicit, quando nimirum ex ſolidis oritur argumentis, non vero quando ex pravo affectu & perverſo ortum ducit. Primo modo calumniatores fuerunt & uxor Putifaris, quæ adoleſcentem Joſephum apud Maritum de vi ſibi inlata accuſavit, & duo ſenes apud Danielem, qui Suſannam de adulterio criminati ſunt. Poſteriori autem modo vere calumniatores fuerunt Scribæ & Phariſæi, qui Chriſtum dicebant in Beelzebub principe Dæmoniorum ejicere dæmonia, & apud Pilatum de ſeditione illum accuſabant dicentes: *Commovet univerſam Judæam*, quia licet fortaſſis ita mente putarent, erroneum tamen eorum judicium ex ſolo odio in Chriſtum, tamquam ex peſſima radice conſurgebat, nulloque nitebatur momento; quamobrem eorum accuſatio, & criminatio calumniæ malitiam induebat.

II. Calumnia de ſe grave peccatum eſt, cum adverſetur caritati, veritati, & juſtitiæ, ut de mendacio pernicioſo docet S. Th. & inferius oſtendemus; ſolum vero veniale eſſe poteſt peccatum,

tum, ſi vel leve ſit crimen, quod proximo imponitur, vel leve damnum inferatur. Calumnia in ſe ſpectata gravius peccatum eſt detractione, quia illa ſemper mendacium involvit; hæc autem, ut mox dicemus, quod verum eſt ſed occultum pandit. Fieri tamen quandoque poteſt, ut detractionis malitia nequitiam calumniæ ſuperet, nimirum quotieſcumque majus ex detractione quam ex calumnia damnum proximo proveniat, ut egregie docet S. Tho. q. 73. a. 3. ſcribens: *Peccata, quæ committuntur in proximum, ſunt penſanda per ſe quidem ſecundum nocumenta, quæ proximo inferuntur, quia ex hoc habent rationem culpæ. Tanto autem eſt majus nocumentum, quanto majus bonum demitur*. Inter calumnias tamen eæ atrociores ſunt reputandæ, quibus doctrinæ, vel honori, vel pietati detrahitur illorum, qui in vinea Domini laborant, & præſertim ſi a viris prodeant, qui magna gaudeant apud audientes calumnias, fama & exiſtimatione. Hi enim Scribas & Phariſæos æmulantur, qui omni quo poterant modo mendacio & falſitate Chriſti Domini operibus, doctrinæ, & miraculis detrahebant odio & ira perciti, quia illorum errores perverſaſque doctrinas, quibus legem Dei corruperant, & detegebat, & illis exprobrabat. Hujus horrendæ infamiſque calumniæ exempla his poſtremis annis non ſine Chriſtianorum horrore nobis videre contigit, & publice redarguere ac confutare.

III. Lege caritatis & juſtitiæ homines aliquando teneri teſtimonium dicere ſive in judicio ſive extra judicium late oſtendimus doctrina S. Tho. innixi T. 2. in Append. ad Tract. de Officiis hominum cap. 8. §. 1. ubi omnia, quæ ad judiciale ſpectant teſtimonium, expoſuimus. Unum igitur hic ſupereſt explicandum, gravitatem ſcilicet criminis in falſo teſtimonio. Et quidem S. Th. docet, falſum dicere teſtimonium in judicio ſemper eſſe peccatum mortale; extra judicium vero non ſemper eſſe mortale. Sed qualitas mendacii eſt tunc in falſo teſtimonio expendenda. Sic itaque ſcribit S. D. q. 70. a. 4. „ Falſum teſtimonium „ habet triplicem deformitatem. Uno modo ex „ perjurio, quia teſtes non admittuntur niſi jurati: & ex hoc ſemper eſt peccatum mortale. „ Alio modo ex violatione juſtitiæ: & hoc modo eſt peccatum mortale in ſuo genere, ſicut „ & quælibet injuſtitia. Et ideo in præcepto Decalogi ſub hac forma interdicitur falſum teſtimonium, cum dicitur Exo. 20. 16. *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*: „ non enim contra aliquem facit, qui eum ab „ injuria facienda impedit, ſed ſolum qui ei „ ſuam juſtitiam tollit. Tertio modo ex ipſa falſitate, ſecundum quod omne mendacium eſt „ peccatum: & ex hoc non habet falſum teſtimonium quod ſemper ſit peccatum mortale “. Ex qua S. Tho. doctrina colligitur; 1. falſum teſtimonium in judicio dicentem ſemper peccare mortaliter, quoties juramentum de veritate dicenda præſtatur. 2. Licet nullum præſtet juramentum, adhuc lethalis criminis reum eſſe, qui in damnum proxi falſum teſtatur, peccat enim contra juſtitiam, & hoc eſt quod per ſe in hoc octavo vetatur præcepto, *non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*. Si vero nec juſjurandum adhibeatur, nec juſtitia violetur, non erit ex ſe lethale crimen, ſed mendacii ſola inquinabitur malitia. Obſervat etiam S. Th. illum non ſolum falſum teſtimonium dicere, qui falſum pro vero teſtatur, ſed etiam qui certum pro dubio, ſicut & ille qui ſine debita ſollicitudine in veritate quærenda, putat ſe verum dicere cum falſum deponat, nam ipſa falſitas jam eſt ipſi in ſua negligentia veritatem inquirendi voluntaria; quod ſi debitam adhibuerit ad cognoſcendam veritatem diligentiam, & tamen adhuc fallatur & erret, a culpa excuſabitur. Audiatur D. Th. l. l. in reſp. ad 1. *In teſtimonio ferendo non debet homo pro certo aſſerere, quaſi ſciens, id de quo certus non eſt; ſed dubium debet ſub dubio proferre, & id de quo certus eſt, pro certo aſſerere. Sed quia contingit ex labilitate humanæ memoriæ quod reputat ſe homo quandoque certum eſſe de eo quod falſum eſt, ſi aliquis cum debita ſolicitudine recogitans, æſtimet ſe certum eſſe de eo quod falſum eſt, non peccat mortaliter hoc aſſerens: quia non dicit falſum teſtimonium per ſe, & ex intentione, ſed per accidens contra id quod intendit*.

IV. Falſi quoque teſtimonii reus eſt, qui in favorem rei, ut eum a morte vel a pœna liberet, in judicio mentitur; & quidem 1. peccat ratione violati juramenti. 2. Licet nullum interſit juramentum, adhuc tamen lethaliter peccat, quia legalem juſtitiam violat, judicem decipit, & a recta ferenda ſententia impedit; & ut inquit S. Th. q. 68. art. 3. Reipublicæ damnum infert, *cujus bonum principaliter intenditur in accuſatione, dum aliquis impedit malitioſe punitionem peccati*. Quod ſi judex judicium pervertat, & iniqua perverſitate innocentem perire, vel damnare velit, adhuc peccat qui falſum teſtimonium dicit cauſa juramenti præſtiti; quod ſi nullum præſtetur juramentum, a peccato lethali excuſatur, quia illud nec eſt judicium, nec judex munus ſuum legitime exercet. Nihil dictum quod a S. Th. non ſit deſumptum q. 70. a. 4. ad 2. *Injuſtum judicium non eſt judicium: & ideo ex vi judicii falſum teſtimonium in injuſto judicio prolatum, ad injuſtitiam impediendam, non habet rationem peccati mortalis, ſed ſolum ex juramento violato*.

V. Hujus criminis gravitatem oſtendit Scriptura, & Proverb. 6. ubi inter ea, quæ maxime odit Deus, enumeratur falſus teſtis: *Sex ſunt quæ odit Dominus . . . cor machinans cogitationes peſſimas . . . proferentem mendacia, teſtem fallacem*. Et cap. 19. *Teſtis mendax peribit*. Et cap. 25. *Jaculum, & gladius, & ſagitta acuta homo qui loquitur contra proximum ſuum falſum teſtimonium*. In antiquis Canonibus excommunicationis in laicos, & depoſitionis in Clericos falſum teſtimonium dicentes pœna lata eſt, & homicidis comparantur. Concilium Agathenſe can. 37. decernit, *homicidas & falſos teſtes a Communione Eccleſiaſtica ſubmovendos, niſi pœnitentiæ ſatisfactione crimina diluerint*. Et Conc. Epaonenſe can. 12. *Si quis Clericus falſo teſtimonio convictus fuerit, reus capitalis criminis cenſeatur*.

VI.

VI. Detractio definitur a S. Tho. q. 73. art. 1. *Denigratio alienæ famæ per verba*. Diſtinguit autem S. D. eodem loco famam ab honore, dum docet per contumeliam derogari honori, per detractionem vero famæ. Et revera, licet communiter honor, & fama, ſive bonum nomen confundi ſoleant, & pro eadem re accipi, nihilominus tamen optime diſtinguuntur. Nam honor, ut docet S. D. 2. 2. q. 103. art. 2. *nihil aliud eſt, quam quædam proteſtatio de excellentia bonitatis alicujus*. Præſupponit itaque verus honor in honorato aliquam excellentiam, ratione cujus honore dignetur, quin tamen neceſſe ſit, ut hæc ſit major in honorato quam in honorante, ſed ſufficit ſi abſolute reſpectu aliquorum quis ſit tali prærogativa ornatus, per quam honorari poſſit & debeat, ut docet idem Angelicus ſubdens: „ Poteſt autem alicujus excellentia conſiderari, „ non ſolum per comparationem ad honorantem, „ ut ſcilicet ſit excellentior eo qui honorat, ſed „ etiam ſecundum ſe, vel per comparationem ad „ aliquos alios: & ſecundum hoc honor ſemper „ debetur alicui propter aliquam excellentiam vel „ ſuperioritatem. Non enim oportet quod ille qui „ honoratur, ſit excellentior honorante, ſed forte „ quibuſdam aliis, vel etiam ipſo honorante quan- „ tum ad aliquid & non ſimpliciter “. Fama vero proprie non in aliqua ipſius, qui bono vel malo gaudet nomine, dote, & prærogativa conſiſtit, ſed in judicio exteriori, quod homines habent de probitate vel nequitia alicujus. Hinc fama in bonam & malam diſtinguitur, & utraque, licet in aliorum judicio conſiſtat, ut diximus, baſim tamen, radicem, & fundamentum habet in ipſo qui bona gaudet, vel mala laborat fama & nomine, nimirum quia vel vitiis fœdatur, vel virtutibus ornatur & dotibus pollet. Hinc fama in bonam partem accepta definitur, *clara cum laude notitia*, & præcipue fundatur in vita bene compoſita, & in virtutum exercitio, quin tamen excludat etiam ſcientiam, eruditionem, nobilitatem, & in aliqua arte peritiam. Quamobrem in nonnullis cum honore, fama conjungitur, ut cum in viro nobili, cum ſanguinis prærogativa, juſtitia quoque, pietas, Religio, liberalitas, aliæve refulgent virtutes, adeoque dignus eſt honore, quia nobilis, laude, fama, exiſtimatione, quia virtutibus ornatus. Aliquando ſeparantur, ut in nobili, qui pluribus fœdatur vitiis, ſuperbia, impudicitia, avaritia, pauperum oppreſſione, & hic quidem honoratur ob nobilitatis prærogativam, bono tamen nomine, fama, & exiſtimatione non gaudet. Detractione itaque bonum nomen & fama læditur, quæ non ſolum inter bona enumerant Philoſophi, & Chriſtiani Doctores, ſed inter præcipua & nobiliora bona, ipſis divitiis, & dignitatibus potiora. Immo & ipſa Scriptura confirmat, dum Proverb. 22. dicitur: *Melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ*. Et Eccleſ. 41. *Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi quam mille theſauri pretioſi & magni*. Et Apoſtolus ad Philippenſes de bono nomine curam habendam præcipit ſcribens: *Quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque juſta .... quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate*.

VII. Merito itaque S. Thom. laud. q. 73. art. 2. docet detractionem eſſe de ſe & ex genere ſuo lethale peccatum, quia detractor injuſte alterum lædit in bono maxime pretioſiore, cujuſmodi eſt bonum nomen & fama; ſcribit itaque: „ Ille „ per ſe loquendo detrahit, qui ad hoc de ali- „ quo obloquitur, eo abſente, ut ejus famam „ denigret. Auferre autem alicui famam val- „ de grave eſt: quia inter res temporales vide- „ tur fama eſſe pretioſior, per cujus defectum im- „ peditur homo a multis bene agendis. Propter „ quod dicitur Eccli. 41. 15. *Cura habe de bo- „ no nomine: hoc enim magis permanebit tibi, „ quam mille theſauri magni & pretioſi*. Et id- „ eo detractio, per ſe loquendo, eſt peccatum „ mortale “. Quamobrem Pſal. 100. dicitur: *Detrahentem ſecreto proximo ſuo hunc perſequebar*. Et Eccl. 10. *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit &c.* Fieri tamen poteſt, ut quis alterius famæ detrahendo vel leviter peccet, vel etiam omnino non peccet, ut in ſequentibus dicemus.

VIII. Pluribus modis alterius famam bonumque nomen lædi, auferrive poſſe docet S. Thom. art. 1. ad 3. „ Et quidem directe & indirecte (*verba „ ſunt S. Th.*) Directe quidem quadrupliciter: „ uno modo quando falſum imponit alteri; ſe- „ cundo quando peccatum adauget ſuis verbis; „ tertio quando occultum revelat; quarto quando „ id quod eſt bonum, dicit mala intentione fa- „ ctum. Indirecte autem, vel negando bonum al- „ terius, vel malitioſe reticendo, vel minuendo “. Qui modi omnes juvandæ memoriæ cauſa duobus verſiculis complexi ſunt Theologi, nimirum

Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens,
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remiſſe.

Et licet de laudatione remiſſa verbum non habeat S. Thom., non inepte tamen addita eſt ad uberiorem explicationem illius modi, quo minuendo alienæ famæ detrahitur.

IX. Primus detrahendi modus omnium peſſimus fit per calumniam, falſum crimen alicui tribuendo, de quo ſuperius diximus. Secundus proximi facinus augendo, ſive ex parte materiæ criminis dicendo, plura furatum eſſe, cum nonniſi pauca ſurripuerit; vel ex parte ſubjecti addendo furtum ex vitio & pravo animo prodiiſſe, cum nonniſi accidentaliter, & ex occaſione oblata prodierit. Tertius: Cum quis alterius crimen occultum manifeſtat, unde proximi bonum nomen vel deperditur, vel minuitur, ut cum quis virginis in communi opinione honeſtæ fornicationem manifeſtat. Quartus: Quando quis alterius opus vel indifferens, vel bonum peſſime interpretatur, & pravo fine factum prædicat; ut ſi quis de divite eleemoſynis pauperi familiæ ſuccurrente, diceret, ad ſeducendam filiam, vel ob impudicum cum matre commercium eam liberalitatem exercere. Quintus: Cum quis alterius bonum facinus, quod ab aliis laudatur, & prædicatur, negat; ut ſi quis de proximo diceret, a

vitio

vitio quo inquinabatur reſipuiſſe, alter vero hoc negaret, præcipue ſi reſipiſcentia vera foret. Sextus: Silentio veritatem in injuſtitia detinendo, cum ejus manifeſtatio ad bonum nomen proximi conduceret, ut in exemplo allato de illo, qui reſipiſcentiam, & converſionem proximi prædicaret; alter vero qui rei veritatem noſſet, vel taceret, vel ſe nihil de hoc affirmare velle, vel negare reſponderet. Denique: Alterius opera bona minuendo, ut ſi de aliquo Prælato diceretur, liberalem eſſe, vigilem; alius vero reſponderet, tenues dumtaxat ab eo eleemoſynas fieri, vigilantiam in rebus minoris momenti oſtentare. Poſtremus: Frigida laudatione, cum res quæ de proximo prædicantur, dignæ ſunt juſto encomio, ut contingit quando dum prædicantur alicujus Clerici, optimi Religioſi facta vel in commune bonum, vel in proximorum utilitatem, qui audit frigide reſpondet, illum eſſe quidem bonum virum, bonum & probum Religioſum, at nihil ultra.

X. Crimen detractionis, quod de ſe lethale peccatum eſt, fieri poteſt quandoque, ut nonniſi venialem inferat noxam, vel etiam nullam, ut docet S. Tho. laud. q. 73. a. 2. ſcribens: „ Contingit tamen quandoque quod aliquis dicit aliqua „ verba, per quæ diminuitur fama alicujus, non „ hoc intendens, ſed aliquid aliud. Hoc autem „ non eſt detrahere per ſe, & formaliter loquen- „ do, ſed ſolum materialiter, & quaſi per acci- „ dens. Et ſi quidem verba, per quæ fama alte- „ rius diminuitur, proferat aliquis propter ali- „ quod bonum neceſſarium, debitis circumſtantiis „ obſervatis, non eſt peccatum, nec poteſt dici „ detractio. Si autem proferat ex animi levitate, „ vel propter cauſam aliquam non neceſſariam, „ non eſt peccatum mortale: niſi forte verbum „ quod dicitur, ſit adeo grave, quod notabiliter „ famam alicujus lædat, & præcipue in his quæ „ pertinent ad honeſtatem vitæ: quia hoc ex ipſo „ genere verborum habet rationem peccati mor- „ talis ". Difficile quidem fateor & agnoſco ſtatuere, quando detractio intra venialis peccati limites ſiſtat, quando vero ultra progrediatur, cum hoc ex ſingularibus circumſtantiis pendeat ſive perſonæ dicentis, ſive illius, de qua dicitur, ſive temporis, loci, aliiſque. Nonnullas tamen Regulas ad clariorem rei notitiam ſtatuere placet.

Regula Prima.

XI. Levia crimina proximi propalare de ſe veniale peccatum eſt, ſicut lethale gravia ſcelera manifeſtare. Hujus Regulæ veritas ex eo patet, quia leviora crimina de ſe bonam famam & exiſtimationem non lædunt, cum nullus ſit, qui omni culpa vacet; & contra graviora crimina ſceleſtum hominem & malum oſtendunt, quamobrem bonum nomen non leviter minuunt. Fieri tamen quandoque poteſt, ut etiam leviora crimina de quopiam prædicata lethale peccatum conſtituant, ſi is, de quo prædicantur, ſit in magna exiſtimatione, vel ſpeciali reverentia dignus, quia tunc læderetur ejus fama; quamobrem de Epiſcopo, vel Religioſo probo dicere eſſe mendacem, aſtutum, verſipellem, & ſimilia, quæ multum eorum famam & exiſtimationem minuere poſſunt, & denigrare, mortale peccatum erit; ſicut a mortali excuſantur, qui lethalia etiam crimina de aliquo manifeſtant, quæ tamen non ſolent dedecus afferre in hominum exiſtimatione, nec famam peſſundant; ut de aliquo adoleſcente dicere libidinoſum eſſe, mulieroſum, & de paraſito eſſe helluonem, guloſum, & ſimilia.

Regula Secunda.

XII. Licet fortaſſis gravis detractio non ſit, affirmare de aliquibus, quod ambitioſi ſint, iracundi, contentioſi, intractabiles, vani, elati &c. quia hæc vitia ita generatim accepta potius naturæ communem depravationem denotant, & inclinationem, quam peculiaria crimina & peccata, niſi fortaſſis de aliquo eximia probitate viro dicantur, cujus propterea denigretur fama; tamen certum eſt, eos graviter peccare, qui generali quadam locutione dicunt, *ſe plura ſcire de aliquo, quæ ſi proferrentur in lucem, ipſum valde puderet; multa ſe noſſe, quæ præſtat ſilentio obvolvere; ſi præſentem me videret, certo obmuteſceret, nam ſcit me illum intus, & in cute agnoſcere; multa de illo audivi, quæ ſunt reticenda, & qui narrarunt probi erant, & honeſti, ſed fides pene illos ſit. Vir ille bonus videtur, at ego quædam ſcio, quæ ſi ſcirentur, aliud eſſet de illo judicium.* Et hujus dicendi modi, quos humana nequitia ut ſimul virus ſuum effundat, & detractoris infamiam effugiat, adinvenit. At hujuſmodi detractores Dei judicium non effugient, proborum odium & execrationem merentur, & eorum lingua illa eſt, de qua ſcribit Jacobus 3. 6. *Lingua inflammata a gehenna.*

Regula Tertia.

XIII. Occulta crimina, quæ famam denigrant, revelare etiam uni & ſecreto ſine juſta cauſa, de ſe lethale peccatum eſt. Non deſunt Theologi qui huic regulæ adverſantur, quia, inquiunt, cum fama ſit notitia & perſuaſio publica ad plures dilatata de probitate alicujus, leve eſt nocumentum illam apud unum minuere, vel auferre, ſed oportet ut diffamatio publica ſit, ut graviter obeſſe dicatur. Verum huic ſententiæ meo videri falſæ obſiſtit S. Th. qui l. q. 73. a. 1. cum argumento 2. ſibi eorum Theologorum rationis momentum objeciſſet ſcribens: *Ad rationem famæ pertinet publica notitia, ſi ergo per detractionem denigretur fama alicujus, non poterit hoc fieri per verba occulta, ſed per verba in manifeſto dicta:* Sic reſp. ad 2. *Etiamſi uni ſoli aliquis de abſente malum dicat, corrumpit famam ejus non in toto, ſed in parte.* Et revera in fama & exiſtimatione, quæ bonum maximum eſt, pretioſius omni theſauro, quælibet ſubtractio gravis cenſenda eſt, ſicut qui ab ærario divitis ſatis opulento ſurriperet centum aureos, lethaliter peccaret, licet totum ærarium non exhauriat, immo plura adhuc in illo ſuperſint; ita qui penes unum, præſertim virum gravem, cordatum, alienam famam peſ-

peſſundaret occulti criminis manifeſtatione injuſta, non totam quidem eripit famam, ſed graviter tamen labefactat, cum pluris ſit faciendum judicium viri gravis, pii, cordatique, quam imperitæ multitudinis. Nec excuſat onus ſecreti auditori a detractore impoſitum; ſi enim ille ſine peccato, ut ſupponunt, ſecretum non lædit naturale alterius crimen occultum detegendo, ita nec iſte graviter peccabit ſecretum ſibi a detractore impoſitum violando, & alteri ſub pari onere revelando, & ita ſenſim ſine ſenſu tota funditus diruitur aliena fama, & bonum nomen. Merito igitur iſtos cautos detractores irridet & objurgat S. Joan. Chryſoſt. hom. 3. ad Popul. Antioch. ſcribens: „ Hoc vero ridiculum magis eſt, „ quam cum aliquid arcanum dixerint, rogant „ audientem & adjurant, ne cuiquam amplius „ alteri dicat, hinc declarantes, quod rem reprehenſione dignam commiſerunt. Si enim illum, „ ut nemini dicat, rogas, multo magis te priorem huic dicere non oportebat. In tuto ſermonem habebas, poſtquam ipſum prodidiſti, tunc „ ſilentium illius curas? Si vis non efferri, neque „ alteri ipſe dicas, poſtquam vero alteri prodidiſti ſermonis cuſtodiam, ſuperflua facis & inutilia, admonens & obteſtans pro dictorum cuſtodia “. Ita docent Bannezius, Dominicus Soto, Tapia, Prado, & ipſi etiam Salmanticenſes, qui plures benigniores Theologos citant.

Regula Quarta.

XIV. Injuſte occulta crimina revelantur, & peccatum detractionis committitur, quotieſcumque 1. vel ex animo nocendi, 2. vel ex ira, odio, & invidia, 3. vel loquacitate & libidine fandi de abſentibus male dicitur. Primum quidem certum eſt; tunc enim tota adeſt malitia detractionis, nimiſque eſt aperta, ut non ſtatim appareat. 2. Quando vero quis ex odio, vel invidia aliena crimina occulta prodit, licet directe ipſi nocere non intendat, nihilominus non excuſatur a lethali culpa, cum per ipſam detractionem, etiamſi ipſe nolit, revera alteri noceat, ejuſque famam proſcindat, bonumque nomen peſſumdet, vel lædat, ideo in utroque caſu ſemper eſt lethale peccatum. Si vero profluat detractio ex loquacitate & levitate, eſſe poteſt quandoque ſolum veniale, niſi ea quæ de proximo dicuntur, graviter proximi famam lædant, & bonum nomen corrumpant, ut ſunt ea omnia, quæ proximi honeſtatem & æquitatem denigrant; quamobrem honeſti alicujus viri occultum furtum, honeſtæ virginis occultum ſtuprum, bene morati Religioſi occultum lapſum in fornicationem, etiam ex levitate & loquendi libidine narrare a lethali crimine non excuſarem. Ita docet S. Th. laud. q. 73 a. 2. ſcribens; „ Si autem proferat ex animi levitate, vel propter cauſam aliquam non „ neceſſariam, non eſt peccatum mortale: niſi „ forte verbum quod dicitur ſit adeo grave, quod „ notabiliter famam alicujus lædat, & præcipue „ in his quæ pertinent *ad honeſtatem vitæ*: quia „ hoc ex ipſo genere verborum habet rationem „ peccati mortalis “. Cui doctrinæ ſubſcribit & doctiſſimus Gerſonius p. p. tit. 2. Tractatus: Nonnullarum brevium & utilium quæſtionum reſolutiones, ubi hæc habet: „ Male loqui de abſentibus ad ſolum ſatisfaciendum propriæ loquacitati & libidini loquendi de aliis, etiamſi ſit pro „ ſola delectatione temporis, & quaſi pro ſolatio, ut ſic tempus ſine tædio tranſeat, vix ac „ ne vix quidem a peccato excuſatur, & ſæpius „ tranſit in mortale peccatum. Tale enim verbum „ non ſolum otioſum, ſed & communiter eſt perniciosum, & multipliciter nocivum “.

Regula Quinta.

XV. Aliena occulta crimina ob aliquam neceſſitatem vel juſtam cauſam narrare, vel nullum peccatum eſt, vel venialem culpam non excedit. Ita S. Th. l. l. ſcribens: „ Contingit autem quandoque quod aliquis dicit aliqua verba, per quæ „ diminuitur fama alicujus, non hoc intendens, „ ſed aliquid aliud. Hoc autem non eſt detrahere per ſe, & formaliter loquendo, ſed ſolum „ materialiter, & quaſi per accidens. Et ſi quidem verba per quæ fama alterius diminuitur, „ proferat aliquis propter aliquod bonum neceſſarium, debitis circumſtantiis obſervatis, non eſt „ peccatum, nec poteſt dici detractio “. Juſtæ cauſæ hæ a laudato Gerſonio enumerantur. „ 1. „ Quando fit ad inſtructionem præſentium, ut caveant ſimilia facere. 2. Ad aliorum cautelam, „ ne ſcilicet ignorantia decipiantur per malam „ aliorum ſocietatem, quos præſumunt bonos. „ 3. Ad ædificationem abſentium, ut videlicet „ præſentes eis referant pro ipſorum correctione „ & emendatione. 4. Ex quadam compaſſione amicabili, ut ſcilicet ſeipſum & audientes provocet ad orandum inſtantius pro aliorum peccatis, & eorum converſione “. Confirmat & S. Baſilius in Reg. brev. Inter. 24. ſcribens: „ Duo „ eſſe exiſtimo tempora, in quibus licet aliquid „ mali de aliquo dicere, videlicet, & quando „ neceſſe habet aliquis conſultare una etiam cum „ aliis, qui ad hoc idonei judicati ſunt, quo pacto corrigendus ſit qui peccatum commiſit, & „ item quando neceſſitas poſcit, ut periculo conſulatur aliquorum, qui ſæpe numero ex ignorantia commiſceri poſſunt cum malo tanquam „ cum bono, cum Apoſtoli præceptum ſit, ut ne „ quis ſe cum his commiſceat qui iſtiuſmodi „ ſunt, ne quando quis capiat laqueos animæ „ ſuæ. Quod quidem videmus eumdem Apoſtolum feciſſe ex his, quæ ipſe ad Timoth. ſcripſit his verbis: *Alexander ærarius multa mala* „ *mihi oſtendit, quem & tu devita: valde enim* „ *reſtitit verbis noſtris*. Extra autem hujuſmodi „ neceſſitatem qui aliquid ſecus de alio loquitur „ illius inſimulandi, vel vituperandi cauſa, detractor eſt, eſto verum ſit quod loquitur “.

Regula Sexta.

XVI. Etiam ipſa publica proximi delicta evulgare neſcientibus quandoque lethale peccatum eſt. Et primo quidem ſi ex odio fiat & invidia, tunc enim fit animo nocendi proximo. 2. Si qui publice

blice peccavit, publicam etiam egerit pœnitentiam, & famam ac bonum nomen recuperavit; tunc enim non ſolum contra caritatem peccas, ſed & contra juſtitiam. Hoc ſecundum inficiantur quidem nonnulli benigniores Theologi, qui caritatem quidem lædi hac detractione cenſent, juſtitiam vero omnino non lædi, quippe quia, inquiunt, hic jus quidem habet, ut præſens ejus bonum nomen poſſideat, at jus non obtinet ut dicatur probus & talis habeatur eo tempore, quo improbus habebatur, & infamis erat. At hæc meo videri mera eſt cavillatio. Qui enim modo probus eſt, bonoque gaudet nomine, jus habet, ne ab aliis ignorantibus ſciatur eum aliquando improbum fuiſſe, cum ſuis honeſtis moribus jam præterita crimina aboleverit. Proinde qui ſine juſta cauſa ejus etiam olim notam improbitatem jam tempore obliteratam iterum refricaret, nedum violatæ caritatis, ſed & juſtitiæ reus habendus foret. 3. Si crimen de illo vulgatum, & communiter creditum falſum fuiſſet & calumnioſum, nam tum adhuc jus retinet ad propriam famam, qua nonniſi injuſte expoliatus fuit; qui igitur illud evulgat, nonniſi calumniam, & falſitatem evulgat, & injuſte bono nomine ſpoliat apud abſentes, & illos, qui calumniam & injuſtam infamiam ignorabant. Immo etſi verum eſſet crimen, ſed injuſte publicatum, adhuc puto ſine lethali crimine apud alios vel aliis in locis vulgari non poſſe; quia injuſta fuit illa famæ, & boni nominis per diffamationem illicitam ablatio: hac igitur injuſta ablatione nemo uti licite poteſt, ſicut nemo valet rem furto ablatam emere, licet publicæ venditioni expoſitam. Præterea qui occulte peccavit, jus non amiſit ad bonum nomen & juſtam exiſtimationem, quæ nonniſi publico peccato merito deperditur; qui igitur primo illud crimen vulgavit ſine juſta cauſa, proximum inique ſuo bono nomine ſpoliavit; ergo qui apud alios publicat, qui ignorabant, hanc injuſtam expoliationem latius extendit & dilatat, & primæ injuſtitiæ particeps evadit. Negant Salmanticenſes, quia, inquiunt, eo ipſo quod publicum jam effectum eſt crimen ſive juſte, ſive injuſte, jam occultum amplius non eſt; qui igitur divulgat, non injuſtitiam, ſed notitiam dilatat. At hæc ratio mihi non ſatis firma videtur, nec apta ad oppoſita enervanda argumenta. Nam ſemper verum eſt, divulgationem factam injuſtam fuiſſe, ſicut igitur criminis notitia extenditur, ita & injuſtitia, quæ ab ipſa divulgatione eſt inſeparabilis; & quemadmodum qui primitus vulgarunt, inique operati ſunt, ita qui infamiam apud alios dilatant, priorum injuſtitiæ cooperantur. 4. Peccant etiam lethaliter, qui peccatum publicum in aliqua tantum Communitate, Cœnobio, vel Religione extra ipſam & apud laicos, vel alterius Religionis, Cœnobiique Religioſos penitus ignorantes vulgarent, nam tunc ea delicta non cenſentur uſquequaque publica, nec reus publice diffamatus, ſed ſolum in tali loco & apud aliquos tantum: qui proinde vulgaret, & Communitati, & ipſo reo injuriam inferret, quippe qui utriuſque bonum nomen & famam graviter læderet.

Regula Septima.

XVII. Non peccant ſaltem lethaliter, qui crimina notoria ſive jure, ſive fama, ſive ipſo facto narrant. Notorium jure dicitur illud crimen, quod judicis ſententia, vel ipſius rei confeſſione, & teſtium depoſitione compertum eſt, & hoc vulgare de ſe peccatum lethale non eſt, cum per ſententiam judicis, qui illum publica pœna vel mortis, vel exilii, vel carceris multavit, omne jus ad ſuam famam reus amiſerit. Aliqui tamen Theologi, & non immerito, limitant ſolum poſt ſententiam judicis, non ante illam, licet crimen conſtet in judicio rei confeſſione, & teſtium comprobatione, nam adhuc reus ſuo bono nomine & fama per legitimam ſententiam non eſt privatus. Notorium vero fama dicitur delictum compertum majori Civitatis, Conventus, locive parti. Notorium vero facto illud æſtimatur, quod publice patratum eſt, puta in foro, platea, publica via, coram multitudine, & utrumque tunc dicitur crimen publicum, quotieſcumque in aliorum notitiam facile pervenire poteſt, quod contingere nonnulli Theologi cenſent, cum ſex, vel decem ſint, qui crimen noverint. Quod tamen prudentius dijudicandum eſt & ex loci frequentia, & ex perſonarum, in quarum notitiam devenit, conditione & præſtantia: Si enim urbs ſit populoſa, plurium requiritur notitia ut crimen notorium dici poſſit, quam ſi paucis incolis eſſet frequentata, & ſi viri crimen ſcientes prudentes ſint, cauti, graves, qui crimen tegere & celare noverint, licet plures reſciant, crimen notorium non eſt reputandum; ſecus ſi loquaces ſint, leves, & garruli, tunc enim minor numerus ſufficit ad crimen notorium habendum. Quando itaque crimen notum eſt ſive facto, ſive fama, non peccant 1. qui cum ſcientibus de eo loquuntur, immo bene operantur ſi factum commemorent ad deteſtationem, vel aliorum utilitatem, ſicut venialiter peccant, ſi ex levitate, & loquacitate refricent. 2. Similiter lethale peccatum non eſt, crimen notorium in loco, illis manifeſtare, ad quorum notitiam nondum devenit; nam per accidens eſt quod illud ignorent. 3. Publica crimina notoria facti publicitate in aliqua Urbe, Provincia, & Regno litteris ad alias etiam diſſitas regiones referre licet fortaſſis difficile illuc perventura, peccatum lethale non eſt contra juſtitiam, quippe quia publice peccans jam ſuam famam prodegit, & voluntarie bono nomine ſe ſpoliavit, nullum proinde jus habet ad bonam famam. Ita docent etiam ſeveriores Theologi Cajetanus, Bannezius, Tapia, Navarrus, aliique a Salmanticenſibus recitati. Num vero ſit contra caritatem, dicemus in Conſectariis.

Regula Octava.

XVIII. Naturales defectus proximi pandere, niſi grave inde detrimentum & damnum illi obveniat, communiter peccatum lethale non eſt. Nam cum hujuſmodi defectus non ex voluntate & malitia profluant, ſed ex natura, famam non mi-

minuunt, & bonum nomen penes cordatos, graves, prudenteſque viros non corrumpunt: hinc dicere aliquem eſſe cæcum, ſurdum, gibboſum, loripedem, deformem, peccatum non eſt lethale, ſicut nec grave peccatum detractionis exiſtimarem, dicere aliquem nothum, filium Clerici, Antenatos habuiſſe abjectæ ſtirpis, vilis, ignobilis, niſi forte hæc patefacere proximum ab honore, dignitate, officio ſive civili ſive Eccleſiaſtico arceret, nam tunc foret contra juſtitiam & caritatem proximum a conſecutione dignitatis & gradus, quo alias dignatur, impedire. Quod ſi hi etiam naturales defectus ſint vera impedimenta ad ſtatum aliquem amplectendum, nulla erit culpa eos manifeſtare quibus intereſt: ſic licet ea pandere impedimenta, quæ ineptum reddunt ad ſtatum Religioſum vel Clericalem amplectendum, puta defectum natalium, bonæ valetudinis, infamiæ parentum, occultæ infirmitatis, & ſi qua ſunt ſimilia; cum communiter hiſce defectibus laborantes a cœtibus Religioſorum, Canonicorum & Clericorum arceri ſoleant. Pari pacto lethale crimen non eſt, imperitiam, ignorantiam Medici, Advocati, Artificis pandere, quando occultatio in proximorum damnum cederet; cavendum tamen diligenter ne hæc imperitiæ & ignorantiæ criminatio non ex recto judicio, ſed ex prava animi affectione, ex odio, & invidia prodeat, nec nimium exaggeretur, & ſupra veritatem augeatur; tunc enim eſſet lethale detractionis peccatum, a quo quam maxime cavere ſibi debent ejuſdem artis, vel ſcientiæ comprofeſſores, qui ſicut una ex parte ſunt magis idonei cognitores, & teſtes alterius peritiæ, ita ex alia parte facile eſt, ut ex invidia, odio, & æmulatione, nam (ut vetus habet adagium, *figulus figulum odit*) perverſum de proximo efforment judicium, & injuſte de illo obloquantur.

Regula Nona.

XIX. Non licet iniqua compenſatione infamantem infamare. Huic regulæ adverſantur nonnulli benigniores Caſuiſtæ. La-Croixius Buſembaum citat docentem: *Si quis injuſte lædit famam tuam, nec potes eam tueri, nec recuperare alia via, quam imminuendo famam illius, id licet, dummodo falſa non dicas, in tantum quantum ad tuam famam conſervandam neceſſe eſt, nec magis lædas quam lædaris.* Verum hæc doctrina mihi falſa videtur, nam non ſunt facienda mala ut eveniant bona; ſi enim qui te diffamavit, ſcelus commiſit, quomodo tu illum diffamando a crimine immunis eris? Et certe contrarium plane jubet Apoſtolus Petrus epiſt. 1. cap. 2. ſcribens: *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed e contrario benedicentes.* At La-Croixio & Buſembao ſuppetias ferre videtur Clar. Franzoja, qui eorum ſententiam a falſitate & laxitate purgare contendit, dum dicit licere propriam famam tueri cum imminutione famæ alterius, ſicut licet propriam vitam alterius nece defendere, & quia lege caritatis plus tenemur propriam famam tueri & diligere, quam alienam. Quod confirmat exemplo illius, qui falſo Petrum ut furem, vel adulterum traducit; tunc enim nemo Petrum arguat, ſi falſum detractorem falſarium pronunciet, & etiam argumentis evincat eſſe calumniatorem. Optime & optima promit quidem doctus Auctor, quæ tamen meo videri rem non elucidant, ſed potius confundunt, & obnubilant. Ad omnem itaque tollendam ambiguitatem, & caliginem diſſipandam puto animadvertendum, duplici modo quempiam poſſe ſuam famam tueri cum alterius famæ imminutione, nimirum 1. cum quis per calumniam falſo crimine infamatus ſuam innocentiam oſtendit patefaciendo detractorem eſſe calumniatorem, & hoc licitum eſſe non ambigo, non ſolum allatis a Franzoja argumentis, ſed & exemplo Chriſti Domini, qui ſe inique cædentes juſte iniquitatis reprehendit, & injuſtitiæ convincit, atque calumniam affirmantium, eum in Belzebub Principe dæmoniorum ejicere dæmonia, ſolido nervoſo argumento retudit, eos calumniatores invicte oſtendendo; tunc enim non per ſe intenditur diminutio famæ proximi, ſed per accidens, & ſolum propriæ innocentiæ tuitio quæritur: unde hic locum habet paritas ex illo deſumpta, qui ut ſuam vitam tueatur, injuſtum aggreſſorem occidit; quippe quia non alterius necem intendit, ſed ſui defenſionem, & mors alterius præter intentionem ſequitur, & ſolum ex culpa iniqui aggreſſoris. Alio autem modo quis poteſt ſuam famam tueri cum alterius famæ imminutione, nimirum ſi quis Petrum vere occultum furem, vel mulierem vere, ſed occulte adulteram palam infamet eorum crimen injuſte prædicando, & hi dum propriam famam tueri volunt, nec poſſint detractorem calumniæ arguere, cum intus in conſcientia ſciant ſe criminis reos eſſe, & ſi calumniæ detractorem accuſare vellent, ipſi calumniatores evaderent; hoc effugium quærunt, ut viciſſim detractoris occulta crimina manifeſtent, puta homicidium, vel aliud crimen ab ipſo occulte perpetratum, & omnibus ignotum pandunt, & ſic ſuam tueri famam curant: & hoc eſt quod affirmo minime licere; tunc enim directe alterius intenditur infamia, & propriæ famæ tuitio ſolum indirecte reſultat, ſi tamen reſultat, atrocioris enim criminis accuſatio tui criminis veritatem non infringit, & ille quidem homicida eſſe poteſt, at tu ſimul vere vel fur vel adultera: quamobrem ſicut ille peccat, qui occultum crimen tuum revelando te diffamat, pari pacto tu alterius occultum ſcelus pandendo proximum infamas; nec excuſaris, quod in tui defenſionem illud promas, cum illicito utaris medio, & ex Apoſtolo, ut dixi, non ſunt facienda mala ut eveniant bona. Et hoc detractionis genus frequens eſt inter feminas, quæ rabie & furore percitæ ſe invicem detractionibus proſcindunt, altera alteri vera, ſed occulta crimina exprobrando, vel altius prædicando; quod genus vindictæ & detractionis nemo puto erit, qui non deteſtetur, & abhorreat, nec excuſare audeat titulo compenſationis, vel propriæ famæ conſervationis, vel defenſionis. De priore itaque defenſionis genere locutus eſt Sanct. Thom. q. 72. a. 3. dum ſcribit: „ Quandoque tamen oportet ut contumeliam illatam repellamus, maxime propter duo. Primo quidem

„ pro-

„ propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, & „ de cetero talia non attentet, ſecundum illud „ Prov. 26. 5. *Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam* „ *ſuam, ne ſibi ſapiens videatur*. Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas. Unde Gregorius dicit ſuper Ezech. hom. 9. *Hi*, „ *quorum vita in exemplo imitationis eſt poſita, debent, ſi poſſunt, detrahentium ſibi verba compeſcere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & ita in pravis moribus remanentes bene vivere contemnant*". Merito itaque Daniel Concina ſupra recitatam la-Croixii ex Buſembau doctrinam, utpote abſolutam & ſive in judicio, ſive extra judicium, ſibi laxam dixit, quippe quæ utrumque modum depellendæ infamiæ, & alterius minuendæ modum adprobare videtur.

Adhuc tamen ſupereſt inquirendum, num in judicio accuſatus de gravi crimine, puta homicidio (unde de vita periclitatur) ſed falſo, poſſit ſuum accuſatorem, vel teſtem repellere occultum & verum illius crimen, ſed alterius generis revelando, c. ex. judici de homicidio interroganti reſpondere, quid accuſationem, vel teſtimonium admittis hominis infamis, qui falſam monetam cudit? Et quidem hoc licere puto, cum accuſator vere ſua calumnia accuſato cauſam dederit juſtæ defenſionis, quæ limites non excedit inculpatæ tutelæ, cum præſtantius ſit bonum vita, quam fama. Hæ tamen ſunt ſemper ſervandæ conditiones, nimirum 1. ut crimen revelatum idoneum ſit medium ad vitam tuendam. 2. Ut poſſis illud probare, alioquin nec vitam tuam tuereris, & inſuper pro calumniatore habereris. 3. Ut aliud non adſit medium ad tui defenſionem. Ita docet Sylvius, qui allatis S. Thomæ verbis q. 73. art. 2. *Et ſi verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum neceſſarium, debitis circumſtantiis obſervatis, non eſt peccatum, nec poteſt dici detractio*: Subdit: „ Ad hunc quoque neceſſitatis, vel utilitatis caſum pertinet, quod ſi non poſſis aliter liberari ab injuſta vexatione alicujus, niſi crimen ejus occultum prodas, id licet ſervato tamen moderamine inculpatæ tutelæ. Ita ut reus non peccet, qui teſtium injurioſam (ſcilicet calumnioſam) contra ſe depoſitionem infirmat detecto eorum crimine ...... Ita etiam ſi homicidium a Petro commiſſum imputetur Joanni, qui innocens eſt, ob id capite plectendus, poteſt qui novit Petrum eſſe auctorem, ipſum detegere". Quid ſi crimen, de quo apud judicem accuſaris, ſit verum, licebit ne eodem genere defenſionis uti? Affirmant nonnulli Theologi, quia, inquiunt, accuſator vel teſtis tali crimine fœdatus ineptus eſt ad accuſandum vel teſtandum in judicio, proinde eo nomine repelli poteſt. Verum ambigendi ratio eſt, quia cum crimen ſit occultum, non per ſe a legitima teſtificatione vel accuſatione repellis, ſed ſic illum repellis occultum crimen manifeſtando, quod præſtas inique, cum ille jure te accuſare potuerit, & de vero crimine accuſavit. Quamobrem laudati ipſi Theologi, qui id concedunt, coarctant tamen, ut tunc ſolum liceat, cum accuſato graviſſimum imminet damnum, accuſatori vero vel teſti nonniſi leve; at ſi contrarium contingat, adeout accuſatus ad leve malum vitandum crimen revelet teſtis vel accuſatoris occultum, ex quo ipſe vel de vita, vel graviſſimo malo periclitetur, lethalis peccati reum pronuntiant.

Regula Decima.

XX. Tametſi quilibet licite aliquando poſſit ſuæ famæ diſpendium pati, ſeipſum tamen infamare non licet. Et primum quidem licere aperte docent SS. Gregorius & Thomas, ille quidem ſupra Ezechiel. hom. 9. dicens: „ Linguas detrahentium ſicut noſtro ſtudio non debemus excitare, ne ipſi pereant, ita per ſuam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, „ ut nobis meritum creſcat". Hic vero q. 73. a. 4. ad 1. ſcribens: *Sui arbitrii eſt detrimentum ſuæ famæ pati, niſi hoc vergat in periculum aliorum .... Et ideo in hoc poteſt commendari ejus patientia, quod patienter proprias detractiones ſuſtineat*. Secundum vero non licere ſic oſtenditur. Tribus quippe modis poteſt quis ſeipſum infamare, nimirum 1. negligendo & prodigendo propriam famam, dicendo, ſibi ſufficere coram Deo conſcientiam; & hoc improbat S. Auguſtinus, præſertim in viris ſive Eccleſiaſticis ſive laicis, qui aliis præeſſe debent, & bono exemplo prælucere, ſcribens Ser. 49. *De Vita & Moribus Clericorum* c. 1. „ Propter nos conſcientia noſtra ſufficit nobis, propter vos fama veſtra non pollui, ſed pollere debet in vobis. Tenete quod dixi, atque diſtinguite. Duæ res ſunt conſcientia, & fama, conſcientia tibi, fama proximo tuo. Qui fidens conſcientiæ ſuæ negligit famam ſuam, crudelis eſt, maxime in loco iſto poſitus, de quo dicit Apoſtolus ſcribens ad Diſcipulum ſuum, *circa omnes te ipſum bonorum operum præbeas exemplum*". Quod & de aliis fidelibus confirmat lib. de bono viduitatis cap. 22. dicens: „ Nec audiendi ſunt viri ſancti, ſive feminæ, quando reprehenſi in aliqua negligentia ſua, per quam ſit, ut in malam veniant ſuſpicionem, unde ſuam vitam longe abeſſe ſciunt, dicunt ſibi coram Deo ſufficere conſcientiam, exiſtimationem hominum non imprudenter ſolum, verum crudeliter contemnentes, cum occidunt animas aliorum tunc blaſphemantium viam Dei, quibus ſecundum ſuam ſuſpicionem, quaſi turpis quæ caſta eſt diſplicet vita Sanctorum, ſive etiam cum excuſatione imitantium non quod vident, ſed quod putant. Proinde quiſquis a criminibus flagitiorum, atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi bene facit, quiſquis autem etiam famam, & in alios miſericors eſt". 2. Humilitatis cauſa graviora & etiam turpiora admiſſa ſcelera occulta manifeſtando, quod licet abſolute improbandum non videatur, cum plurium Sanctorum exempla id tanquam licitum confirment, qui

qui propria crimina omnibus voluere comperta, ut S. Paulus, qui ſe *blaſphemum, & perſecutorem Chriſtianorum prædicavit* ante converſionem: & S. Auguſtinus in libris Confeſſ. peccata ante Baptiſmum commiſſa manifeſtavit: & S. Anſelmus amiſſam a ſe virginitatem confeſſus eſt; nihilo tamen ſecius prudentia in hoc opus eſt, & cavenda proximi offenſio, & puſillorum ſcandalum avertendum: 3. Denique falſum ſibi crimen imponendo, vel perverſos mores ſimulando: & quidem primum abſque peccato fieri non poteſt, cum mendacium complectatur, quod nunquam licitum eſt. Hujuſmodi vero mendacium lethale non eſſe cum Soto probabilius arbitror, licet Cajetanus oppoſitum doceat, quia putat eſſe mendacium pernicioſum: verum cum damnum non inferat niſi ipſi mentienti, qui dominus eſt ſuæ famæ, non video cur lethalis criminis reus ſit habendus, niſi cum mendacio ſcandalum, vel aliud proximi conſocietur nocumentum. Nec pariter crimine vacat, perverſos mores ſimulare, cum quilibet, juxta Apoſtoli monitum, providere debeat bonum *non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus*. Quod ſi S. Ambroſius, ut onus Epiſcopatus ad quod aſſumptus fuerat a ſe amoveret, ſe crudelem ſimulans, reos contra ſuum morem tormentis juſſerit applicari, immo & meretrices ad ſe ingredi curaverit, ut crudelis haberetur, & impudicus; hæc facta ita ſuſpicienda ſunt, ut tamen non ſint imitanda: „ ne „ (ut inquit S. Auguſtinus) violemus præce„ pta, dum paſſim ſectamur exempla. Non enim „ omnia, quæ a Sanctis, vel juſtis viris legimus „ facta, transferre debemus in mores; ſed hinc „ diſcere, quam late pateat & ad quos uſque per„ veniat, quod Apoſtolus ait: *Fratres etſi præoc„ cupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui „ ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu „ lenitatis, intendens te ipſum, ne & tu tente„ ris*. Præoccupationes enim ſunt iſtæ, in quibus „ delinquitur, dum quid faciendum ſit, aut ad „ horam non videtur, aut qui viderit vincitur, „ ut ſcilicet fiat peccatum cum vel latet veritas, „ vel compellit infirmitas". Lib. cont. Mendacium c. 9.

Regula Undecima.

XXI. Graviſſime peccant, qui libellos famoſos, ſatyras, cantica conficiunt, vulgant, tranſcribunt, adprobant, & commendant, quibus proximorum famam maledictis, falſis criminationibus proſcindunt; eoque gravius peccant, quo nobiliores ſunt, & venerabiliores Perſonæ, contra quas debacchantur. Hujus regulæ veritatem nullus eſt qui non agnoſcat & fateatur, cum hoc ſit famam proximi quo majori fieri poteſt modo corrumpere & labefactare, nam infamia & undequaque diffunditur, & perenniter ſubſiſtit. Hinc Sacroſancta Concilia hujuſmodi ſceleſtos Scriptores anathemate feriunt: *Si qui inventi fuerint libellos famoſos in Eccleſia ponere, anathematizentur*: ita ſtatuit Concil. Illiberitanum citatum a Gratiano Can. *Si quis* Cauſ. 5. qu. 1. Et S. Pius V. Conſtit. anni 1571. edidit, quæ incipit, *Romani Pontificis Providentia* contra ſcribentes, dictantes, retinentes, tranſmittentes, & non lacerantes libellos famoſos, continentes læſionem famæ proximorum. Alex. vero IV. excommunicationem tulit in illos, qui libellos famoſos adverſus Ordines Prædicatorum, & Minorum procuderint & vulgaverint; quam excommunicationem ad omnes conficientes libellos contra quoſcumque Religioſos extendit Tamb. lib. 7. in Decal. cap. 3. §. 1. & multo magis qui contra Summum Pontificem & Cardinales conficiunt hujuſmodi libellos famoſos, ipſo facto excommunicationi ſubjiciuntur. Leges quoque Civiles pœnam mortis hujuſmodi maledicis Scriptoribus infligunt. S. Auguſt. lib. 2. de Civ. Dei cap. 9. duodecim Tabularum legem citat in qua dicitur: *Si quis actitaverit, ſive chartam condiderit quod infamiam flagitiumque alteri adprecatur, capite puniatur*. In Codice quoque Theodoſiano lib. 9. tit. *de Famoſis libellis* plures leguntur Imperatoriæ leges in hujuſmodi pravos Scriptores conſtitutæ. Et lege unica de libel. fam. indicitur: „ Si quis famoſum libellum ſive do„ mi, ſive in publico, in quocumque loco igna„ rus repererit, aut corrumpat prius quam al„ ter inveniat, aut nulli confiteatur inventum. „ Si autem non ſtatim chartulas eaſdem vel cor„ ruperit, vel igne conſumpſerit, ſed vim earum „ manifeſtaverit, ſciat ſe quaſi auctorem hujuſ„ modi delicti capitali ſententia ſubjugandum". Et in quacumque bene inſtituta Republica hujuſmodi ſceleſti homines ſeveriſſimis pœnis coercentur.

Libelli vero famoſi nomine intelligitur, *Scriptura ad alterius infamiam exarata, qua continentur vel calumnioſa facta, vel vera, ſed ſecreta, aut certe non publica ut publica fiant, & in plurimorum notitiam deveniant*. Pluribus modis fieri poſſunt, nimirum vel proſa, vel carmine, quæque vel contineant facta omnino falſa & calumnioſa, vel vera ſed occulta, vel etiam bona, quæ maligne ad infamiam detorquentur. Sunt etiam quæ nihil omnino narrant, ſed mera continent convitia, maledicta, probra, contumelias, dehoneſtationes, & infamias, ad nomen, famam, & exiſtimationem proximi proculcandam. Horum libellorum plures hac noſtra ætate vidimus, & exhorruimus.

Regula Duodecima.

XXII. Detrahentes libenter audire peccatum eſt, & quandoque lethale. Ita docet S. Th. hic qu. 73. a. 4. ubi hæc habet: „ Dicendum, quod „ ſecundum Apoſtolum ad Rom. 1. 32. *Digni „ ſunt morte, non ſolum qui* peccata *faciunt, ſed „ etiam qui facientibus* peccata *conſentiunt*. Quod „ quidem contingit dupliciter: uno modo di„ recte, quando ſcilicet quis inducit alium ad „ peccatum, vel ei placet peccatum; alio „ modo indirecte, ſcilicet quando non reſiſtit, „ cum reſiſtere poſſit: & hoc contingit quando„ que, non quia peccatum placet, ſed propter „ aliquem humanum timorem. Dicendum eſt er„ go, quod ſi aliquis detractiones audiat abſque re-

„ ſiſten-

„ ſiſtentia, videtur detractori conſentire : unde „ fit particeps peccati ejus. Et ſi quidem inducat eum ad detrahendum, vel ſaltem placeat „ ei detractio propter odium ejus cui detrahitur, non minus peccat quam detrahens, & „ quandoque magis. Unde Bernardus dicit l. 2. „ de Conſid. c. 13. *Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit, non facile dixerim*. Si vero non placeat ei peccatum, ſed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem; peccat quidem, ſed multo minus „ quam detrahens, & plerumque venialiter. „ Quandoque etiam hoc poteſt eſſe peccatum mortale, vel propter hoc quod alicui ex officio „ incumbit detrahentem corrigere; vel propter „ aliquod periculum conſequens; vel propter radicem, qua timor humanus quandoque poteſt „ eſſe peccatum mortale ". Ex Angel. Præc. doctrina ſponte ſequitur, illos lethaliter peccare, & quidem contra juſtitiam, & caritatem, qui alterum ad detrahendum incitant, vel movent, etiam ex ſola curioſitate aliena facta ſciendi. Peccat quidem 1. peccato ſcandali, dum detrahentem ad peccandum provocat; 2. contra caritatem, & juſtitiam reſpectu illius, de quo detrahitur; & hoc indicant illa S. Th. verba, *& ſi quidem inducat ad detrahendum . . . non minus peccat quam detrahens, & quandoque magis*. 2. Lethaliter peccat contra caritatem qui ex odio & malevolentia erga proximum libenter ejus vituperationes audit: *Si placeat ei detractio* (verba ſunt S. Thom.) *propter odium ejus, cui detrahitur*. 3. Peccat lethaliter contra caritatem, qui cum facile poſſit, & ex officio teneatur, quia Superior eſt, detrahentem vel a detractione compeſcere, vel reprehendere, hoc chriſtianæ caritatis officium negligit: *Quandoque*, ſubdit S. Th., *poteſt eſſe peccatum mortale . . . propter hoc, quod alicui ex officio incumbit detrahentem corrigere*; non peccat tamen contra juſtitiam cum non ſit detractionis cauſa. 4. Qui detrahentem audit, ſed invitus, & nolens, nec audet ex timore, vel verecundia illum vel compeſcere, vel corrigere, peccat plerumque ſolum venialiter. 5. Qui audit detrahentem, nec poteſt eum de falſitate redarguere, quia ſcit verum eſſe quod dicit, vel non audet reprehendere, *tenetur*, inquit S. Tho. in reſp. ad 2., *ſaltem oſtendere, quod ei detractio diſpliceat per triſtitiam faciei; quia ut dicitur Proverb*. 25. 23. Ventus Aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem. Quandoque prudentia dictat, ut qui vel ex officio debent, vel facile poſſunt detrahentem reprehendere, hoc officium omittant, nimirum ſi vereantur, ne detractor magis confirmet detractionem, & ſuam murmurationem ferventius urgeat; tunc enim correctio magis noceret & detractori, & cui ille detrahit. 2. Si noverit correctionem minime profuturam, & detractionem ſpretam poſſe obſoleſcere, & ab audientium mente deleri. 3. Si majus ſibi timeat damnum, quam illud quod proximo ex detractione redundat. Præterea aliquando expedit detractionem impedire, quando nimirum quis advertit, alium paratum eſſe ad detrahendum; & hoc qui Superior eſt præſtare debet jubendo detractori ſilentium: æqualis vero, vel inferior ſive ſermonem abrumpendo, vel ad alia detorquendo, vel recidendo: aliquando jam incœptam abrumpere, cum nondum nomen Perſonæ de quo maledicit enuntiaverit; aliquando detractionem integre abſolvi ſinendum eſt, cum ſuſpicio oritur, ne auditores majus ſuſpicentur malum illo, quod de proximo dicitur.

CAPUT QUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Propoſitiones damnatæ de calumnia, & detractione*.
II. *Quinam calumniæ rei ſint habendi*.
III. *Quando peccet qui ex errore falſum teſtimonium dicit*.
IV. *Graviter peccat qui ad torturam vitandam grave crimen alteri imponit*.
V. *Nec licet Reo ſibi grave crimen imponere*.
VI. *Non licet ſolius ſolaminis gratia alterius grave crimen detegere*.
VII. *Num liceat grave ſcelus fama, vel facto compertum alibi vulgare*.
VIII. *Quando non excuſanda a gravi culpa detractio ex libidine fandi proveniens*.
IX. *Quando nullum ſit peccatum alterius grave crimen revelare*.
X. *Quinam ſint immunes a detractione, licet aliorum ſcripta, & libros vituperent*.
XI. *Quando & quomodo ſit grave peccatum defunctis detrahere*.
XII. *Quænam ſint a detractore in Confeſſione manifeſtanda*.

Conſectarium Primum.

I. FAlſæ omnino ſunt, & Decreto Innoc. XI. damnatæ binæ ſequentes propoſitiones, 43. *Quidni non niſi veniale ſit, detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere*. Et 44. *Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam & honorem defendat. Et ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia*. Huic ſecundæ propoſitioni hanc cenſuram appoſuere Præſules Conventus Gallicani anno 1700. *Hujus propoſitionis doctrina falſa eſt, & temeraria, ſcandaloſa, erronea, ſpatioſam calumniatoribus, & impoſtoribus portam aperit, & clare detegit, quam nefaria placita probabilitatis nomine inducantur*. Hiſce omnino affinis eſt alia Tamburini doctrina lib. 9. in Decal. cap. 2. §. 2. n. 6. *An ſi alio modo te ab injuſto teſte tueri nequeas, licite falſa crimina illi poſſis objicere, quanta ſufficiunt ad tuam defenſionem? Duo aſſero. Unum mihi ſatis probabile, alterum ſatis incertum. Probabile mihi eſt, te ſi id facias non peccare contra juſtitiam, unde nec obligari ad reſtitutionem . . . . . . Incertum mihi eſt, an id poſſit fieri ſine ulla culpa*. Porro quis non dicam chriſtianus, ſed honeſtus Gentilis dubitavit unquam calumnias, mendacia, alienæ famæ denigrationem non

eſſe crimina abominanda, & humanam ſocietatem ab imis fundamentis peſſumdantia? At hæc probabilitatis monſtra ſolum oſtendiſſe confutaſſe eſt.

Conſectarium Secundum.

II. Calumniator eſt habendus non ſolum qui falſum crimen proximo impingit, ſed & qui verum adauget & exaggerat; nam additamentum illud, & exaggeratio vera eſt calumnia; ſic qui feminam, quæ ſemel ex fragilitate peccavit, Meretricem diceret, calumniæ reus foret; & ſimiliter qui judicem, qui munus accepit ſibi a litigante miſſum, diceret ipſum juſtitiam vendendi in more habere, & ſexcenta ſimilia, quæ humana malitia in ora hominum nimium frequenter invexit, ideoque vix conſiderantur, & inter peccata habentur, cum tamen graviſſima ſint, & a ſupremo judice ſeveriſſime punienda.

Conſectarium Tertium.

III. Qui ex errore falſum dixit teſtimonium, a lethali peccato non excuſatur, ſi debitam veritatis inquirendæ diligentiam omiſit; ſecus vero ſi debita adhibita diligentia in errore perſeveraverit. Ratio primæ partis eſt, quia cum ferre teſtimonium, maxime in judicio, res ſit magni momenti, poſtulat, ut teſtis ſit moraliter certus de ſuæ teſtificationis veritate, quod profecto obtinere non poterit, niſi ad veritatem inquirendam magnam adhibeat diligentiam; proinde ejus omiſſio ipſum a crimine falſi teſtimonii non liberabit. Verum cum fieri poſſit, ut etiam magna adhibita diligentia veritatem non comperiat, ſed adhuc error in mente perſeveret, excuſabitur a culpa, ſi quod noverit ſincere manifeſtet, & immunis etiam erit à reparatione damnorum, ſi quæ ſint ex ejus teſtificatione conſecuta. Non liberatur tamen ab onere, detecto errore, ſuum teſtimonium retractandi, & omni meliori modo curandi, ut accuſati detegetur innocentia, & a pœna liberetur, ſi nondum lata eſt ſententia. Si vero vel falſum tulerit teſtimonium ſive ex odio & malitia, ſive ex culpabili negligentia, adeoque unica cauſa ſit damnorum innocentis, debet etiam cum ſuæ famæ & honoris diſpendio falſum teſtimonium retractare, & omnia illata damna ſarcire; immo falſus teſtis etiam cum periculo propriæ vitæ falſitatem ſuam tenetur prodere; licet enim nemo in pari cauſa teneatur propriam vitam alterius vitæ præferre; hic tamen cum ipſe ſit in cauſa, quod proximus de vita periclitetur, debet par periculum ſubire, ut innocentem nocens ipſe eripiat, & liberet. Sed de reſtitutione ob famæ læſionem capite octavo dicemus.

Conſectarium Quartum.

IV. Graviter peccat, qui ad torturam vitandam alteri grave crimen imponit. Manifeſta eſt hujus propoſitionis veritas; nam falſum teſtimonium in judicio proferre lethale peccatum eſt, quod nunquam licet ſive ad vitam, ſive ad honorem, ſive ad bona fortunæ ſervanda. Præterea cum in criminali judicio plerumque de calumnia non inferenda juramentum præſtetur, qui ad tormenta vitanda falſum crimen alteri impingeret, jam & perjurus evaderet. Sunt tamen Theologi, qui, ut inquit Buſembaum, putant, veniale tantum eſſe poſſe peccatum, ſi duo adſint conditiones, nimirum ſi ſola ſequatur accuſati infamia, & poſt torturam calumnia falſi impoſiti criminis retractetur. At falſo & perperam. Nam ſi ex damnata propoſitione grave peccatum eſt, alteri falſum crimen imponere ad ſuam juſtitiam vel honorem tuendum; multo minus venialis tantum noxa erit calumniari in judicio ad torturam vitandam, quæ minus malum eſt, quam amiſſio honoris & juſtitiæ, ex qua in criminali judicio plerumque vita ipſa pendet, præſertim ſi reus ex ſua culpa ſit torquendus. Retractatio autem poſt torturam locum habere non poteſt, niſi ſibi contradicat laudatus Auctor, qui ſupponit, ſolum venialem culpam in falſa teſtificatione, quando hæc adhibetur ad torturam vitandam. Si enim vitatur per falſum teſtimonium tortura, jam poſt torturam non eſt aditus revocationi. Ulterius, retractatio falſæ criminationis damnum quidem impedit, quod ex ipſa proflueret in innocentem, at culpam non tollit; ſicut reſtitutio rei furto ablatæ damnum quidem ex furto reſarcit, at furti commiſſi culpam non minuit.

Conſectarium Quintum.

V. Non licet Reo ad evitandam atrocem torturam falſum adverſus ſeipſum teſtimonium dicere, falſum crimen confitendo, ſive ſibi imponendo. Ad unum omnes Theologi fatentur, hanc doctrinam eſſe probabiliorem: verum Lacroixius plures allegat Theologos, qui oppoſitam ſaltem probabilem cenſent. Verum præterquamquod nulla eſt propoſitio probabilis in conſpectu probabilioris, ipſa propoſitio contraria in ſe inſpecta omni caret probabilitate. Nam falſum teſtimonium in judicio, etiam ſeorſum a juramento præſtito de veritate dicenda, eſt de ſe, & ex genere ſuo lethale peccatum, ut docet S. Tho. 2. 2. q. 70. art. 4. & confirmat S. Hieronymus epiſt. ad Innoc. ubi mulierem in equuleo acriter tortam ut ſtuprum, de quo falſo accuſabatur, confiteretur, ſic loquentem inducit: *Tu es teſtis Domine Jeſu, cui occultum nihil eſt, qui es ſcrutator renium & cordis, non ideo me negare velle ne peream, ſed ideo mentiri nolle ne peccem.* 2. Ratione mendacii, quod committit qui falſum crimen ſibi imponit, quod profecto pernicioſum eſt, & quidem graviter, cum capitalis ſententiæ in ipſum ferendæ cauſa ſit. 3. Quia graviſſime caritatem lædit, ſicut enim ſi quis alteri falſum crimen imponeret, ut ab atrociori tortura illum liberaret, contra caritatem peccaret, ita gravius caritatem lædit qui ſibi ipſi falſum crimen imponit, ut acriora vitet tormenta, cum quis magis ſe ipſum diligere debeat, quam proximum. Nec argumenta, quæ opponunt, probabilem reddunt no-

noſtræ adverſam opinionem. Nam 1. dicunt, falſum illud teſtimonium non eſſe contra juſtitiam, cum reus ſibi injuriam non faciat; nemo enim ſibi ipſi injuſtitiam vel injuriam inferre poteſt, ut docet S. Th. 2. 2. q. 50. a. 3. ad 2. injuriam enim & quidem graviſſimam Deo irrogat, cujus ſupremum in hominum vitam dominium lædit; irrogat & Principi ſive judici injuriam, cujus judicium pervertit, & ad iniquam inferendam ſententiam ſua falſa teſtificatione inducit. 2. Opponunt, Mendacium non eſſe perniciosum, immo utile, cum reum a tormentis liberet; nam adhuc perniciosum eſt, cum mortis certo periculo exponat. At reponunt, nemo tenetur vitam ſuam ſervare difficillimis & atrocioribus remediis. Utique quotieſcumque ipſe nihil præſtet, per quod ſibi mortem inferat; at hic ſua falſa teſtificatione vera cauſa eſt mortis ob crimen, quod falſo confitetur, ſibi inferendæ. Quapropter non tam tormenta declinat, quam ſibi mortem procurat. Præterea aliud eſt propriæ vitæ conſervationem omittere, quod quandoque licet; aliud falſum teſtimonium contra ſe dicere ad vitanda tormenta, quod nunquam licet, cum ſit ex natura ſua, & divino præcepto vetitum. Eapropter hic locum habet S. Thomæ doctrina 2. 2. q. 125. a. 3. „ Si aliquis propter timorem, „ quo refugit periculum mortis, vel quodcum„ que aliud temporale malum (atrocem tortu„ ram) ſic diſpoſitus eſt ut faciat aliquid pro„ hibitum, vel prætermittat aliquid quod eſt „ præceptum in lege divina; talis timor eſt pec„ catum mortale “. Nullo modo igitur probabilis eſt adverſantium doctrina. Idem docet S. Auguſtinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 26. ſcribens: „ Hoc dicimus, hoc aſſerimus, hoc modis omni„ bus approbamus, nimirum neminem ſibi ſpon„ taneam mortem inferre debere, *velut fugiendo* „ *moleſtias corporales*, ne incidat in perpetuas “. Ex Auguſtini igitur mente tam aperte, & fidenter expreſſa certiſſimum eſt *incidere in moleſtias perpetuas*, qui velut *fugiendo moleſtias corporales*, cujuſmodi ſunt dolores torturæ, necem ſibi inferunt, proinde peccare mortaliter. Neque refert quod ille addat *ſpontaneam*; hoc enim verbum non aliud ſignificat niſi *voluntariam*; ſicut nihil refert, quod quis ſe occidat ferro, vel ſuffocet laqueo, vel collidat præcipitio, vel in carnificis manus ſuo falſo teſtimonio ſe tradat, nam ſemper verum eſt ipſum eſſe ſuæ necis cauſam. At ſolum mendacii gravitas minueretur in hoc peculiari & admodum raro caſu, nimirum ſi quis a ſupremo Principe de falſo crimine illi impacto interrogatus, facta pollicitatione condonandæ pœnæ ſi confiteatur, & ſimul cum comminatione atrocis torturæ ſi neget, falſum crimen fateatur, tunc enim nec adeſſet juſtitiæ violatio, cum ex condonatione pœnæ nulla ſequatur injuſta ſententia, nec caritatem in ſeipſum violaret, cum nullum ſibi damnum timeret, & ab atroci liberaretur tortura, & ſola quæ ſequeretur infamia non tam atroci pretio eſſet redimenda, præſertim quando ejus amiſſio nulli inferat nocumentum. Cavendum tamen ne juramento cogatur mendacium confirmare.

Conſectarium Sextum.

VI. Occultum alterius crimen ſolius ſolaminis cauſa, niſi aliud addatur juſtum revelandi motivum, puta conſilii capiendi, revelans, non videtur a peccato lethali detractionis immunis. Quandoquidem, ut ſuperius vidimus n. 13. occultum crimen etiam uni ſecreto revelare abſque juſta cauſa lethale peccatum eſt. Porro levamen afflictionis, & ſolamen animi non videtur juſta cauſa detractionis: a chriſtiano enim viro ſolamen in ſuis afflictionibus quærendum eſt non in detractione & denigratione famæ proximi, ſed in patientia, manſuetudine, & Chriſti patientis imitatione. Et revera quis a gravi peccato excuſabit illum, qui atroci injuria affectus ad lenimentum doloris ultionem de offenſore caperet, vel ad levandam triſtitiam gravem animum occupantem ad ebrietatem confugeret, non ipſam per ſe expetendo, ſed ſolum ſolatium quærendo? Idem igitur dicendum & de illo, qui doloris lenimentum in detractione quærit. Quamobrem optime monet Franzoja, famulos injurias ab heris, uxores a maritis adulteris, filios a Patre aſpero & crudeli, Religioſos a duris & iniquis Superioribus illatas narrantes eſſe acriter reprehendendos, dum in confeſſione has detractiones pandunt, & obtentu levaminis excuſare tentant, atque monendos, ut ab illis omnino ſe abſtineant, nec ſine commiſſi ſceleris dolore, & emendationis propoſito abſolvendos.

Conſectarium Septimum.

VII. Contra caritatem videtur crimen & ſcelus non ſententia judicis, ſed ſola fama, vel facto in aliqua urbe compertum atque vulgatum, ad alias civitates, ubi fama & notitia non facile foret perventura, deferre, & vulgare. Oppoſitum quidem docent nonnulli etiam ſeveriores nobilioreſque Theologi, qui putant reum notorii criminis jus ſane ad famam & bonum nomen, quæ ſponte ſcelere ſuo prodegit, amiſiſſe, & cuique jus eſſe facti notorii & publici notitiam adipiſci. At dubitandi motivum mihi ſuppeditant hæc momenta. Nam 1. per crimen illud famam non videtur reus amiſiſſe, niſi ubi publice deliquit. 2. Ubi crimen adhuc eſt occultum, & difficile eſt ut notorium fiat, reus eſt in ſuæ bonæ famæ poſſeſſione abſque alterius injuria & nocumento, ſin jure, ſaltem re & facto; videtur igitur caritatem lædere, qui illum hac ſua poſſeſſione privat. 3. Si hiſtorici ſuis narrationibus publica facta recitant, excuſari poſſunt ob communem utilitatem publicumque bonum, cum Reipublicæ intereſt malos noſſe, quod privato non videtur convenire. Præterquamquod & ipſi hiſtoriarum ſcriptores perpendere debent, num bono communi facta quæ narrant prodeſſe aliquo modo poſſint, alioquin & ipſi de ſuis narrationibus rationem in die diſcuſſionis ſupremo judici reddent: prudentis ergo chriſtiani officium erit ſe a *murmuratione cuſtodire*, *& a detractione parcere linguæ*.

Conſectarium Octavum.

VIII. Detractio ex loquacitate, & fandi cacoethe orta ſi grave proximo damnum inferat, quod detractor advertit, a lethali peccato non excuſatur; nam licet directe proximi nocumentum non quæratur, indirecte tamen, & implicite quæritur & intenditur: immo etſi damnum proximo redundans non advertat, adhuc lethaliter peccat, quotieſcumque hæc inadvertentia voluntaria eſt, vel in ſe, quia advertere poterat, & tenebatur, vel in ſua cauſa, videlicet in detrahendi prava conſuetudine, quam emendare poteſt, & tenetur. Nec a gravi culpa excuſantur, quia hujuſmodi loquacibus & detractoribus fides ab audientibus non adhibeatur, qua de re grave non inferre damnum videantur. Nam 1. cum detractio ex ſe gravis ſit, & ad grave damnum inferendum apta, per accidens ſequitur, ut nocumentum non inferat, & quidem non ex detrahentis voluntate, ſed ex audientium benignitate, 2. Non de facili aſſerendum, fidem non adhiberi hujuſmodi loquacibus, quandoquidem cum omnes homines ad malum credendum proni ſint, niſi quæ narrantur vel extra omnem fidem ſint, vel qui narrant omnino mendaces habeantur, facile creditur de proximo malum, vel libenter auditur. At fingamus, detractorem adeo eſſe proſtratæ fidei, ut auditores non ſint credituri, vel ſi malum credant, hoc illis ob eorum credulitatem culpæ vertendum ſit, non narranti; adhuc detractorem a culpa gravi non excuſarem, 1. quia detrahentis loquacitas, & maledicendi peſſima aſſuetudo, ex qua detractio oritur, peccatum non minuit, ſed potius aggravat, ſicut aſſuetudo mentiendi in pueris & femellis mendacia a culpa non eximit, & alias detractio & in ſe gravis eſt, & ad grave inferendum famæ detrimentum apta. 2. Quia ſemper detractor vel exiſtimare poteſt, vel timere debet, ne auditores vel nimis leves, vel nimium creduli ejus narrationi fidem adhibeant, atque ita diffamatio proximi ex ſua narratione oriatur. Quamobrem hujuſmodi detractores ſeverius objurgent Confeſſarii, nec illis abſolutionis beneficium impertiantur, priuſquam detrahendi conſuetudinem non exuerint, & famam proximorum læſam non reparaverint.

Conſectarium Nonum.

IX. Revelare alicujus occultum crimen, vel ad publicam utilitatem, vel ad innocentis damnum vitandum, nullum eſt peccatum. Hinc licet crimina occulta delinquentis vel ad judicem deferre, vel ſi ſervus ſit, ad dominum, vel ſi filius, ad Patrem, ut peccantes corrigantur, & puniantur, præſertim ſi admoniti fraterna correctione non reſipuerint. Item ſi innocens de gravi crimine accuſetur, quamobrem de vita, mutilatione, aliove gravi malo periclitetur, licet judici verum ſceleris auctorem patefacere. Pari pacto furtis aſſuetos, vel aliis vitiis coinquinatos, quæ aliis nocent, licet manifeſtare, & eos, quibuſcum converſantur & hoc ignorant, monere ut ſibi caveant, ea tamen ſemper adhibita caritate & cautione, ut id ſolum manifeſtetur, quod ſufficere poteſt vel ad præcavendum damnum, vel ad perniciofam ſocietatem avertendam. Immo licet fortaſſis alterius criminis notitiam injuſte adeptus ſis vel per violentiam criminis notitiam extorquendo, vel alterius obſignatas literas fraudulenter aperiendo, adhuc ob bonum alterius ea ſcientia uti poteris, licet eam obtinendo peccaveris, nam & manifeſtatio criminis bona eſt, & neceſſaria ad aliorum utilitatem, puta ad grave damnum avertendum, & eſt in bonum finem ordinata, ſicut ſi quis arte Dæmonis vel ſcientiam vel pecuniam ſit adeptus, licet peccaverit adipiſcendo, non peccat tamen iis bene utendo. Oppoſitum tamen docent Sanchez, & Sotus, quorum doctrinam ſolum arbitror amplectendam quotieſcumque ex manifeſtatione criminis reo grave immineret damnum, & ſolum leve alterius declinaretur; tunc enim non liceret crimen manifeſtare.

Conſectarium Decimum.

X. Qui libros, pravas doctrinas vel contra fidem, vel contra bonos mores, vel contra pietatem continentes vituperant, infamant, & rejiciendos prædicant, non ſunt detractores habendi. Nam vel Paſtores ſunt & Magiſtri, & hi ex officio & munere tenentur hujuſmodi libros rejicere, refellere, e manibus fidelium eripere. Vel ſunt privati homines, & hoc idem præſtare poſſunt & debent ex caritate, eo ferme pacto, quo quis tenetur monere populum de fonte vel puteo veneno infecto, ne aquam hauriens vel infirmetur, vel pereat. Sunt tamen nullæ adhibendæ cautiones. 1. Ut revera error & falſitas in libro contineatur, & talis quidem error, qui corporali vel ſpirituali proximi bono nocumentum inferat. 2. Et ita refellantur & manifeſtentur errores & falſitates, quin ulla fiat Auctori injuria, dicente Auguſtino, *interficite errores, diligite homines*. 3. Ne error privatus alicui adſcribatur Communitati, cujus ille membrum ſit, niſi aperte conſtet, talem erroneam doctrinam a tota Communitate eſſe adoptatam. Similiter nec detractor eſt habendus, qui privatam alicujus Doctoris opinionem vel laxam, vel nimis rigidam, vel erroneam appellat, & allatis probat argumentis; nam ſi hoc non liceret, impune graſſarentur errores, & falſitates: & alias qui eos detegit & oppugnat, tantam meretur fidem quantum ponderis habent quæ profert argumenta, quæ ſi levia ſint & imbecilla, nihil nocent veritati, ſed potius contradicenti obſunt, ſi vero firma ſint & ſolida, quæ veritatem oſtendunt & ſuadent, bono publico proſunt, & proximorum utilitati conſulunt.

Conſectarium Undecimum.

XI. Licet defunctis detrahere minus peccatum ſit quam viventibus, nihilo tamen ſecius & defunctorum famam proſcindere peccatum eſt grave, vel leve juxta materiæ, effectuum, & circumſtantiarum gravitatem. Et primo quidem minus peccare, ceteris paribus, qui defunctis detrahunt, quam

quam viventibus (licet aliter communiter vulgus credat, qui de defunctis obloquentes reprehendit, dum viventium famam proſcindentes libenter audit) manifeſtum eſt; nam viventes bona indigent fama ad bene vivendum, quippe quia ſicut ea ſarta & integra homines plura poſſunt conſequi bona, officia, & munia, ita ea amiſſa illis vel privantur, ab illis arcentur, dum e contra defuncti cum iis terrenis non amplius egeant, nocumentum in illis pati non poſſunt. Eſſe tamen ſemper peccatum manifeſtum quoque eſt, quia fama & bonum nomen vitæ amiſſione non deperditur, ſed perpetuum eſt in hominum memoria, & in poſterorum gloria perſeverans. Poteſt autem eſſe, licet rarius, lethale peccatum, ſi crimen occultum graviter famam defuncti lædat, ſi eorum poſteritati noceat, qui ab officiis & muneribus ob hujuſmodi prædeceſſorum ſuorum patefactum occultum crimen arceantur, ſi ſcandalum afferat, ſi familiarum pacem turbet; tunc enim graviſſimum inducit damnum, quod præter onus reſtituendæ defuncto famæ a detractore ſarciendum eſt. Ita communiter Doctores.

Conſectarium Duodecimum.

XII. A detractore in confeſſione aperiendæ ſunt circumſtantiæ & audientium, num ſcilicet unus fuerit vel plures, & detractionis genus, ideſt criminis qualitatem, vel ſpeciem, quam detrahendo manifeſtavit. Primam partem inficiantur communiter Probabiliſtæ, qui putant numerum audientium eſſe inter circumſtantias ſolum aggravantes enumerandum; quas non eſſe neceſſario in confeſſione aperiendas cenſent. Verum ſicut hanc generalem regulam Probabilioriſtæ abſolute rejiciunt, ita & ſua conſectaria. Sine enim hujuſmodi circumſtantiarum manifeſtatione nec integritas conſiſtit confeſſionis, nec rectum efformari poteſt a judice confeſſario de criminis gravitate judicium. Tenetur itaque detractor manifeſtare, num repetitis vicibus, modo apud unum, modo apud alterum, vel una tantum vice apud ſeptem, octo, vel plures de proximo ſit oblocutus, nam utroque modo gravius læditur proximi fama, quam ſi apud unum tantum de proximo detraxiſſet, hoc ad ſummum diſcrimine, quod primo modo tot ſunt numero peccata, quot habuit detractiones, in altero vero unum dumtaxat committit peccatum, pluribus tamen æquivalens: pari pacto eſt in confeſſione aperiendus numerus perſonarum, quarum famam læſiſti, vel proſcidiſti. Alteram quoque partem nonnulli inficiantur Theologi, cenſentes famam & bonum nomen eſſe ſemper ejuſdem ſpeciei in genere moris: quamobrem parum intereſſe, ſi uno vel alio crimine, vel impacto vel detecto peſſumdetur. At hoc non adeo eſt exploratum, ut tanquam certum habendum ſit; immo cum fama & bonum nomen ſit bonorum operum acceſſorium, ſicut infamia malorum, ſicut diverſæ ſunt bonæ operationes, quibus fama fulcitur, & variis criminibus infamia incurritur, ita fama & infamiæ diverſæ ſpeciei eſſe poteſt. Præterea ipſa, quæ affinguntur vel deteguntur, ſcelera modo gravius, modo levius proximi bonum nomen defœdant. Grave ſiquidem peccatum erit de docto, & pio Miniſtro dicere eſſe impudicum, indoctum, ebrioſum, & longe gravius erit dicere eſſe ſodomitam, hæreticum, blaſphemum & ſimilia. Eſt igitur & genus criminis, quo alterius fama denigrata eſt, ad integritatem confeſſionis aperiendum.

CAPUT QUINTUM.

De Contumelia, Convicio, & Irriſione.

D O C T R I N A.

I. *Modi enumerantur, quibus publice proximi fama, & honor læduntur.*
II. *Quid ſit contumelia.*
III. *Quid convicium, & improperium.*
IV. *Varii contumeliæ modi explicantur.*
V. VI. *Quando contumelia, convicium, improperium lethalia peccata ſint.*
VII. *Quando peccati venialis malitiam non excedant.*
VIII. *Num aliquando contumelia & convicium omni culpa vacet.*
IX. *Leves contumeliæ aliquando in grave peccatum excreſcunt.*
X. *Convicia & contumeliæ ex iræ impetu prolatæ non ſunt a peccato lethali immunes.*
XI. *Non licet contumeliis contumelias repellere.*
XII. *Quid ſit irriſio.*
XIII. *Quale peccatum.*
XIV. *Num gravius detractione.*

I. HActenus expoſitis criminibus, queis occulte fama proximi læditur, & labefactatur; hiſce, quæ exponenda ſuſcipimus, palam & aperte honori proximi infertur injuria: in prioribus peccans ad inſtar furis proximo inſidiatur, hiſce inſtar prædonis, & latronis palam & aperte irrogat injuriam: hoc autem quatuor modis fit, nimirum contumelia, convicio, improperio, & irriſione.

II. Contumelia juxta S. Th. 2. 2. q. 72. a. 1. importat *dehonorationem proximi*, quod quidem, ut idem Aug. Præc. animadvertit, fieri poteſt & factis & verbis; factis quidem cum proximus ea privatur excellentia, propter quam habet honorem: nam ſi quis alterum vita, membris, libertate privet, hoc non eſt contumelia, ſed injuſtitia; verbis vero, quando quis quod eſt contra honorem proximi vel deducit in notitiam aliorum, ad eum dehoneſtandum, vel etiam ipſi ſoli dicit reverentiam proximo debitam violando; & hæc proprie eſt contumelia, quæ proinde, ut docet S. D. in ſolis verbis conſiſtit, & ſi quando ad facta extenditur, eſt cum ipſa facta verborum locum tenent, ſcribens loc. laud. „ Contumelia proprie loquendo in verbis conſiſtit: unde Iſidorus dicit in L. 10. Etymol. quod *contumelioſus dicitur aliquis, quia velox eſt, & tumet verbis injuriæ*. Tamen quia etiam per facta aliqua ſignificatur aliquid, quæ in hoc quod ſignificant, habent vim verborum ſignificantium;

„ inde eſt quod contumelia extenſo nomine et-
„ iam in factis dicitur. Unde Rom. 1. ſuper il-
„ lud, *contumelioſos*, *ſuperbos*, dicit Gloſſa ....
„ quod contumelioſi ſunt, qui dictis vel factis
„ contumelias & turpia inferunt". Hanc contumeliam definivimus Tr. de Offic. Hom. diſſ. 4. de Vitiis Capitalibus cap. x. *injurioſam locutionem contra proximum præſentem, & audientem*.

III. Convicium vero & Improperium ſunt pariter peccata linguæ proximi honorem lædentia, illud quidem vitia corporis vel ſpiritus exprobrando, iſtud vero defectum aliquem ſtatus vel conditionis. Hæc itaque tria peccata ſeu vitia, contumelia, convicium, & improperium in aliquo conveniunt, & in aliquo diſcrepant. Conveniunt, quia ſunt peccata oris, & omnia proximi dehoneſtationem reſpiciunt. Diſcrepant vero, quia contumelia ſpectat defectus culpæ, convicium defectus tum culpæ, tum pœnæ, & naturales etiam, qui adhuc exiſtunt in proximo; improperium vero reſpicit præteritam vel indigentiam, vel ſtatus, quo modo gaudeat, minorationem. Nihil docuimus quod ex S. Th. non ſit depromptum, ſic l. l. ad 3. ſcribente. „ Con-
„ vicium & improperium conſiſtunt in verbis,
„ ſicut & contumelia: quia per omnia hæc repræ-
„ ſentatur aliquis defectus alicujus in detrimen-
„ tum honoris ipſius. Hujuſmodi autem defectus
„ eſt triplex, ſcilicet defectus culpæ, qui repræ-
„ ſentatur per verba contumelioſa; & defectus
„ generaliter culpæ & pœnæ, qui repræſentatur
„ per convicium, quia vitium conſuevit dici
„ non ſolum animæ, ſed etiam corporis: unde ſi
„ quis alicui injurioſe dicat, eum eſſe cæcum,
„ convicium quidem dicit, ſed non contumeliam;
„ ſi quis autem dicat alteri, quod ſi fur, non ſo-
„ lum convicium, ſed etiam contumeliam infert.
„ Quandoque vero repræſentat aliquis alicui de-
„ fectum minorationis, ſive indigentiæ, qui et-
„ iam derogat honori conſequenti quamcumque
„ excellentiam: & hoc fit per verbum impope-
„ rii; quod proprie eſt, quando aliquis injurio-
„ ſe alteri ad memoriam reducit auxilium, quod
„ contulit ei neceſſitatem patienti. Unde dicitur
„ Eccli. xx. 15. *Exigua dabit, & multa impro-
„ perabit*". Optime denique animadvertit, & concludit: *Quandoque unum iſtorum pro alio ponitur*.

IV. Contumelia tribus potiſſimum modis infertur proximo, 1. cum quis alteri in faciem crimen vel vitium exprobrat animo dehoneſtandi, ſive coram aliis, ſive etiam ſeorſum ab aliis, ut cum quis alteri dicit, tu es fur, adulter, ſimoniacus &c. 2. Si hæc exprobret ſcripto & libello, quem in notitiam venire velit illius, cujus dehoneſtationem cupit. 3. Denique ſi hæc vitia proximi aliis narret eadem intentione & voluntate; ſi enim vel ſcripta & libellos vulget, vel vitia narret ſine animo ut proximo innoteſcant, non ad contumeliam ſpectabunt, ſed ad detractionem, cum contumelia præſentiam poſtulet dehoneſtati ſaltem moralem.

V. Contumelia, convicium, & improperium cum ad alterius dehoneſtationem injuſte proferuntur, ſunt de ſe, & ex genere ſuo peccata lethalia. Id patet manifeſte & ex Evangelio Matth. 5. ubi aperte dicit Chriſtus, eos, qui proximum ſuum inhonorant contumelioſis verbis, reos eſſe ſempiternæ pœnæ: *Qui dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis*. Et S. Paulus ad Rom. 1. Contumelioſos a Regno Dei excludit, ſcribens: *Detractores Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos ..... qui talia agunt, digni ſunt morte*. Quod confirmat & probat S. Th. hic a. 2. ſcribens: „ Cum convicium, ſeu contumelia de ſui
„ ratione importet quamdam dehonorationem, ſi
„ intentio proferentis ad hoc feratur, ut per ver-
„ ba, quæ profert, honorem alterius auferat, hoc
„ proprie & per ſe eſt dicere convicium, vel
„ contumeliam: & hoc eſt peccatum mortale,
„ non minus quam furtum, vel rapina: non e-
„ nim homo minus amat ſuum honorem quam
„ rem poſſeſſam".

VI. Tunc igitur contumelia, convicium, & improperium peccatum lethale conſtituunt, 1. cum a mente & voluntate prodeunt dehoneſtandi proximum, ut ex ſuperius tradita S. Thomæ doctrina apparet manifeſte. 2. Quando licet non expreſſa intentione & voluntate dehonorandi proximum proferantur, ſi tamen in ſe convitia & contumeliæ graves ſint, aptæ ad dedecus grave inferendum, adhuc peccatum mortale conſtituunt, quia licet non expreſſe, interpretative tamen, & virtualiter a prava dehoneſtandi voluntate progrediuntur. 3. Immo ſi ex inadvertentia, ira, inconſideratione ex ore erumpant, ſi tamen grave inferant dedecus, a peccato gravi non excuſantur, ut docet idem A. P. l. l. ſcribens: „ Poteſt
„ eſſe ita grave convicium, quod per incautelam
„ prolatum auferret honorem ejus, contra quem
„ proferretur: & tunc poſſet homo peccare mor-
„ taliter, etiamſi non intenderet dehonorationem
„ alterius; ſicut etiam ſi aliquis incaute alium
„ ex ludo percutiens graviter lædit, culpa non
„ caret".

VII. Intra limites tamen peccati venialis conſiſtunt 1. quando non ex prava intentione dehonorandi, nec ex ira, vel furore profluunt contumeliæ & convicia, & alias de ſe apta non ſunt ad grave dedecus inferendum. Nam, ut ſapientiſſime docet S. Th. l. l. *Verba inquantum ſunt ſoni quidam, non ſunt in nocumentum aliorum, ſed inquantum ſignificant aliquid: quæ quidem ſignificatio ex interiori affectu procedit. Et ideo in peccatis verborum maxime conſiderandum videtur, ex quo affectu aliquis verba proferat*, 2. Si convicia, & contumelioſa verba in ſe levia ſint, nec gravem inferant dehonorationem, ut ſi quis puero dicat, mendax es, vel feminam vocet curioſam, vel loquacem; & confirmat S. D. ſubdens in reſp. ad 3. *Cum peccatum convicii, vel contumeliæ ex animo dicentis dependeat, poteſt contingere quod ſit peccatum veniale, ſi ſit leve convicium, non multum hominem dehoneſtans, & proferatur ex aliqua animi levitate, vel ex levi ira, abſque firmo propoſito aliquem dehoneſtandi; puta cum aliquis intendit aliquem per hujuſmodi verbum leviter contriſtare*. 3. Si verba præfata ex inadvertentia ab ore erumpant, vel ex im-

imperfecta deliberatione (non illa ſane, quæ non ad malitiam peccati animadvertat, alioquin contumelioſi ex habitu & conſuetudine excuſarentur a peccato) ſed ad ipſa non attendat verba & facta contumelioſa, quippe quæ repente erumpunt & præveniunt perfectam mentis & voluntatis cognitionem, & deliberationem, non niſi levem culpam poſſunt inducere.

VIII. Quandoque verba contumelioſa & convicia omni culpa carere poſſunt, quando nimirum a ſuperiore prodeunt ad inferiores redarguendos, & a peccatis revocandos, quæque proinde non ab ira, indignatione, vel prava animi affectione proficiſcuntur, ſed a caritate & ſtudio ſervandæ diſciplinæ, & ad ſalutarem peccantis contriſtationem, & confuſionem. Ita docet S. Th. l. a. 2. ad 2. ſcribens: „ Sicut licitum eſt „ aliquem verberare, vel in rebus damnificare „ cauſa diſciplinæ; ita etiam cauſa diſciplinæ „ poteſt aliquis alteri, quem debet corrigere, „ verbum aliquod convicioſum dicere: & hoc „ modo Dominus diſcipulos vocavit *ſtultos*, & „ Apoſtolus Galatas *inſenſatos*. Tamen, ſicut di- „ cit Auguſtinus in lib. 2. de ſerm. Dom. in monte c. 19. *raro, & ex magna neceſſitate objurgatio-* „ *nes ſunt adhibendæ, in quibus non nobis, ſed* „ *ut Domino ſerviatur, inſtemus* “. Prudentia tamen magna opus eſt Parentibus, Prælatis, aliis Superioribus in adhibendis ad correctionem ſubditorum contumeliis & conviciis, & qualitatem ſubditorum inſpicere debent, quos corrigere & emendare ſtudent, ne dum aliorum ſaluti conſulunt, ſuæ obſint; & dum alios emendare ſtudent, ipſi inquinentur. Quapropter regulam a Doctore Gentium Timotheo ep. 1. cap. 5. ſtatutam diligentiſſime obſervent, ſemperque præ oculis habeant: *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut Patrem, juvenes ut fratres, anus ut matres, juvenculas ut ſorores*. Rarius tamen uti poterunt adverſus inobedientes, & contumaces, malaſque beſtias, quas non ſola Creta parturit, alia ejuſdem Magiſtri regula ad Titum 1. *Sunt multi inobedientes, vaniloqui, & ſeductores .... quam ob cauſam increpa eos dure*.

IX. Denique ad complementum doctrinæ animadvertant Animarum Curatores, contingere quandoque poſſe, ut convicium, contumelia, improperium, quod vel in ſe, vel ſpectata perſona, in quam profertur, leve ſit, fiat tamen grave reſpectu alterius; ſic puero dicere, mentiris, levis erit contumelia; at hoc in faciem regerere viri gravis, Prælati, Superioris, lethale peccatum evadet. Et e contra quædam contumeliæ, quæ in ſe graves ſunt, fortaſſe ex conditione perſonæ, quæ eas profert, vel in quas proferuntur, leves evadunt, quia animo corrigendi, & ex zelo proficiſcuntur a Superiore erga ſubditos, a Patre adverſus filium, ab Epiſcopo contra Clericum, ut vidimus n. præcedenti.

X. Pœnitentes, quos repererint ex ira & vehementi indignatione, in convicia & contumelias prorupiſſe, non facile a peccato lethali excuſent Confeſſarii; nam ut optime animadvertit S. Thom. a. 4. tunc ex vindictæ amore profluunt, ac proinde animo dehoneſtandi proximum, & ultionem ſumendi; ſcribit enim S. D. *Contumelia magnam habet propinquitatem ad finem iræ, qui eſt vindicta: nulla enim vindicta eſt irato magis in promptu quam inferre contumeliam alteri. Et ideo contumelia maxime oritur ex ira*. Et in reſp. ad 3. ſubdit: „ Secundum Philoſophum in 2. Rhetor. „ c. 4. *Iratus intendit manifeſtam offenſam, quod* „ *non curat odiens*. Et ideo contumelia, quæ „ importat manifeſtam injuriam, magis pertinet „ ad iram, quam ad odium “. Nec ipſa, indignatio & ira, quæ eſt contumeliarum & conviciorum fons & radix, peccatum diminuit (niſi, quod raro admodum accidit, penitus rationem obruat) ſed adauget, quia majori vi & impetu fertur in vindictam per contumelias & convicia, & quia licet ira non audiat rationem, hoc eſt in culpa voluntatis eam non refrenantis, ſed paſſionis impetum ſponte ſequentis. Audiatur D. Th. in reſp. ad 2. „ Secundum Philoſo- „ phum in 7. Ethicor. c. 6. *Ira non perfecte au-* „ *dit rationem:* & ſic iratus patitur rationis de- „ fectum, in quo convenit cum ſtultitia: & pro- „ pter hoc ex ſtultitia oritur contumelia ſecun- „ dum affinitatem, quam habet cum ira “. Recolantur quæ de hac eadem materia diximus laud. Tr. de Offic. Hom. diſſ. 4. c. X. & XI.

XI. Qui conviciis & contumeliis ſe laceſſitos & dehoneſtatos ſentiunt, non debent contumeliis contumelias, conviciis convicia repellere, ut loc. mox cit. diximus, ſed tenentur patienter ferre, in animo ſcilicet nullum vel iræ, vel vindictæ affectum concipiendo: poſſunt tamen exterius repellere, immo & aliquando, ſive ad conviciantis emendationem, vel ad avertendum audientium offendiculum, tenentur juxta illud Proverb. *Reſponde ſtulto ſecundum ſtultitiam ejus, ne ſibi ſapiens videatur*. Ita Chriſtus Dominus exprobrantium quod Dæmonium haberet contumeliam refutavit, oſtendendo illos non vera dicere, ſed blaſphemare, reponens: *Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me*. Et in faciem alapa percuſſus quaſi male reſpondiſſet Pontifici, calumniam cum contumelia retudit efficaci reſponſione: *Si male locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo, ſi autem bene, cur me cædis?* Quam manſuetudinem cum juſta redargutione eſt imitatus Apoſtolus, dum audiens Felicem ſibi conviciantem quaſi ob nimias literas inſaniret, contumeliam retudit reſpondens *non inſanio, optime Felix*. Hanc doctrinam totam ex D. Tho. deprompſimus ſic art. 3. ſcribente: „ Dicendum quod „ ſicut patientia neceſſaria eſt in his quæ contra „ nos fiunt, ita etiam in his quæ contra nos „ dicuntur. Præcepta autem patientiæ in his „ quæ contra nos fiunt, ſunt in præparatione „ animi habenda, ſicut Auguſtinus in l. 1. de „ Serm. Dom. in monte cap. 19. exponit illud „ præceptum Domini: *Si quis percuſſerit te in* „ *unam maxillam, præbe ei & alteram*; ut ſci- „ licet homo ſit paratus hoc facere, ſi opus fue- „ rit. Non tamen hoc ſemper tenetur facere a- „ ctu: quia nec ipſe Dominus hoc fecit; ſed „ cum ſuſcepiſſet alapam dixit: *Quid me cæ-* „ *dis?* ut habetur Joan. 18. 23. Et ideo etiam „ circa verba contumelioſa, quæ contra nos di-

„ cun-

„ cuntur, eſt idem intelligendum. Tenemur enim „ habere animum paratum ad contumelias tolerandas, ſi expediens fuerit. Quandoque tamen „ oportet, ut contumeliam illatam repellamus, „ maxime propter duo. Primo quidem propter „ bonum ejus, qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, & de cetero talia non attentet, ſecundum illud Prov. 26. 5. „ *Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi* „ *ſapiens videatur*. Alio modo propter bonum „ multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas. Unde S. Gregorius dicit ſuper Ezech. hom. 9. *Hi, quorum vita in exemplo imitationis eſt poſita, debent, ſi* „ *poſſunt, detrahentium ſibi verba compeſcere; ne* „ *eorum prædicationem non audiant, qui audire* „ *poterant, & ita in pravis moribus remanentes* „ *bene vivere contemnant* “.

XII. Irriſio peccatum eſt oris, quo verbis proximus offenditur, & rubore ſuffunditur ob timorem dehonorationis. Ita S. Th. q. 75. art. 1. ubi irriſionis naturam, ejuſque ab aliis oris peccatis diſcrimen ſapienter more ſuo exponit, ſcribens: *Peccata verborum præcipue penſanda ſunt ſecundum intentionem proferentis: & ideo ſecundum diverſa, quæ quis intendit contra alium loquens, hujuſmodi peccata diſtinguuntur. Sicut autem aliquis conviciando intendit conviciati honorem deprimere, & detrahendo diminuere famam, & ſuſurrando tollere amicitiam; ita etiam irridendo aliquis intendit, quod ille qui irridetur, erubeſcat. Et quia hic finis eſt diſtinctus ab aliis, ideo etiam peccatum deriſionis diſtinguitur a præmiſſis peccatis*. Et in reſp. ad 1. materiale tantum agnoſcit inter ſubſannationem & deriſionem diſcrimen, & ſimul explicat cauſam ruboris in illo, qui irridetur, ſubdens: „ Subſannatio, & irriſio conveniunt in fine, ſed differunt in modo: quia irriſio fit ore, ideſt verbo, & cachinnis; ſubſannatio autem naſo rugato, ut dicit Gloſſa (interl. Auguſt.) ſuper illud Pſal. 11. *Qui habitat* „ *in cælis, irridebit eos*. Talis autem differentia „ non diverſificat ſpeciem. Utrumque tamen differt „ a contumelia, ſicut erubeſcentia a dehonoratione: „ eſt enim erubeſcentia *timor dehonorationis* “.

XIII. Deinde hujus peccati gravitatem expendens D. Angelicus animadvertit, irriſionem proximi non eſſe niſi de malo, vel defectu, quod vel leve eſt, vel leve exiſtimatur, cum luſus & riſus materia eſſe non poſſint graviora mala, & defectus, qui potius vel miſericordiam provocant, vel ſi proximo exprobrentur, convicium & contumeliam conſtituunt: hinc irriſio de ſe non niſi veniale peccatum conſtituit. Audiatur D. Th. l. l. art. 2. ſcribens: „ Irriſio non fit niſi de „ aliquo malo, vel defectu. Malum autem, ſi „ ſit magnum, non pro ludo accipitur, ſed ſerioſe: unde ſi in ludum, vel riſum vertatur, ex „ quo irriſionis, vel illuſionis nomen ſumitur, „ hoc eſt, quia accipitur ut parvum. Poteſt autem aliquod malum accipi ut parvum dupliciter: uno modo ſecundum ſe; alio modo ratione perſonæ. Cum autem aliquis alterius perſonæ malum vel defectum in ludum, vel riſum „ ponit, quia ſecundum ſe parvum malum eſt, „ eſt veniale, & leve peccatum ſecundum ſuum „ genus “. Fieri tamen poteſt, ut in lethale peccatum creſcat ratione perſonæ, cui illuditur, vel quæ irridetur, cui ſi magna debeatur reverentia, procul dubio per irriſionem graviter contemnitur. Sic graviter peccavit Cham Patrem ſuum nudatum irridens, & irriſioni fratrum exponens. Sed audiatur iterum S. Th. l. l. ſubdens: „ Cum „ autem accipitur quaſi parvum ratione perſonæ, „ ſicut defectus puerorum, & ſtultorum parum „ ponderare ſolemus; ſic aliquem illudere, vel „ irridere, eſt eum omnino parvi pendere, & „ eum tam vilem æſtimare, ut de ejus malo non „ ſit curandum, ſed ſit quaſi pro ludo habendum. Et ſic deriſio eſt peccatum mortale.

XIV. Ex qua poſita doctrina duo colligit S. Th. conſectaria. 1. Quandoque irriſionem eſſe gravius peccatum quam contumeliam, in hac ſiquidem exprobratur quidem defectus proximo, ſed ſerio modo, at in irriſione additur contumeliæ luſus, quod in majorem vergit proximi dehonorationem, & contemptum. Unde ſubdit S. Th. „ Deriſio eſt gravius peccatum quam contumelia ... Quia contumelioſus videtur accipere „ malum alterius ſerioſe, illuſor autem in ludum: „ & ita videtur eſſe major contemptus & dehonoratio. Et ſecundum hoc illuſio eſt grave peccatum “. Alterum conſectarium eſt, irriſiones eo graviora eſſe peccata, quanto major eſt reverentia, quæ Perſonæ debetur. Quamobrem 1. graviſſimum ſcelus erit Deum & Sacra irridere. 2. Parentes. 3. Juſtos & pietatis cultores, qui per hujuſmodi irriſores a ſtudio virtutis abſtrahuntur. Sed præſtat S. Th. audire, qui doctrinam ſuam Sacræ Scripturæ teſtimoniis confirmat, ſcribens: „ Illuſio eſt grave peccatum, & tanto gravius, quanto major reverentia debetur perſonæ, quæ illuditur. Unde graviſſimum eſt irridere Deum, & „ ea quæ Dei ſunt, ſecundum illud Iſa. 37. 23. „ *Cui exprobraſti? & quem blaſphemaſti? & ſuper quem exaltaſti vocem tuam?* Et poſtea ſubditur, *Ad ſanctum Iſrael*. Deinde ſecundum „ locum tenet irriſio parentum: unde dicitur „ Proverb. 30. 17. *Oculum, qui ſubſannat patrem,* „ *& deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum* „ *corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ*. Deinde juſtorum deriſio gravis eſt: quia „ honor eſt virtutis præmium: & contra hoc dicitur Job 12. 4. *Deridetur juſti ſimplicitas*: quæ „ quidem deriſio valde nociva eſt, quia per hoc „ homines a bene agendo impediuntur, ſecundum „ illud Gregorii l. 20. Mor. c. 15. *Qui in aliorum* „ *actibus exoriri bona reſpiciunt, mox ea manu peſtiferæ exprobrationis evellunt* “.

CAPUT SEXTUM.

De ſuſurratione, ſecreti revelatione, maledictione, ſeu malorum imprecatione, de murmure, & mendacio.

DOCTRINA.

I. *Suſurrationis definitio.*

II. *Num ſit gravius crimen detractione, & contumelia.*

III.

III. *Quando ſit ſolum leve peccatum.*
IV. *De quibus rebus ſit cuſtodiendum ſecretum.*
V. *Quam difficilis ſit cuſtodia ſecreti.*
VI. *Ad quam virtutem pertineat.*
VII. *Variæ ſervandæ Regulæ in ſecreto cuſtodiendo. Regula* 1.
VIII. *Regula* 2. IX. *Regula* 3. X. *Regula* 4.
XI. *Regula* 5. XII. *Regula* 6. XIII. *Regula* 7.
XIV. *Non licet ab alio ſecreti commiſſi manifeſtationem extorquere.*
XV. *Non licet alienas epiſtolas aperire, & legere.*
XVI. *Quid ſit proximo maledicere.*
XVII. *Quando maledictio ſit grave peccatum.*
XVIII. *Quando ſit ſolum veniale.*
XIX. *Aliquando maledictiones etiam non ex animo prolatæ eſſe poſſunt lethale peccatum.*
XX. *Graviter peccant, qui ſibi ipſis grave malum adprecantur.*
XXI. *Num liceat creaturis irrationabilibus maledicere.*
XXII. *Licet aliquando abſque peccato alicui malum deſiderare.*
XXIII. *Quo ſenſu ſint intelligendæ maledictiones in Scripturis in impios prolatæ.*
XXIV. *Quid ſit murmur, vel murmuratio.*
XXV. *Mendacii definitio.*
XXVI. *Omne mendacium ſemper eſt peccatum.*
XXVII. *Mendacium triplex, perniciosum, jocoſum, officioſum.*
XXVIII. *Quodnam mendacium ſit lethale peccatum.*
XXIX. *Quodnam vero ſolum veniale.*

§. I.

De Suſurratione.

I. SUſurro, ſcribit S. Iſidorus lib. 10. Etymol. ad lit. S. cap. 18. *de ſono locutionis appellatur, quia non in facie alicujus, ſed in aure loquitur detrahendo.* „ Detractor igitur & ſuſurro, „ ut optime docet S. Th. q. 74. art. 1. in materia conveniunt, & etiam in forma, ſive in „ modo loquendi, quia uterque malum occulte „ de proximo dicit: propter quam ſimilitudinem „ interdum unum pro alio ponitur. Unde Eccli. „ 5. ſuper illud, *non appelleris ſuſurro*, dicit „ Gloſſa (interl. Rab.) „ ideſt detractor „: Differunt autem in fine: quia detractor intendit „ denigrare famam proximi, unde illa mala de „ proximo præcipue profert, ex quibus proximus „ infamari poſſit, vel ſaltem diminui ejus fama; „ ſuſurro autem intendit amicitiam ſeparare, ut „ patet .... per illud, quod dicitur Prov. 26. „ 20. *Suſurrone ſubtracto jurgia conquieſcunt.* Et „ ideo ſuſurro talia mala profert de proximo, „ quæ poſſunt contra ipſum commovere animum „ audientis, ſecundum illud Eccli. 28. 11. *Vir* „ *peccator conturbabit amicos, & in medio pacem* „ *habentium immittet inimicitiam* “. Suſurratio itaque definiri poteſt, *detractio, vel oblocutio mala & ſecreta de proximo ad diſcordiam inducendam.* Dixi detractio vel oblocutio, quia, ut optime animadvertit S. Thom. in reſp. ad 1. cum ſuſurro non aliud quærat, quam unius erga alium animum commovere, quandoque etiam bona de proximo prædicat, ſi ſuſpicetur diſplicitura audienti, ut ſi quis marito avaro, vel zelotypo uxoris eleemoſynas vel frequentationem Eccleſiæ deprædicet, ex quibus mariti animum erga uxorem turbandum prævideat. Audiatur D. Th. l. l. *Suſurro, inquantum dicit malum de alio, dicitur detrahere; in hoc tamen differt a detractore, quia non intendit ſimpliciter malum dicere, ſed quicquid ſit illud quod poſſit animum unius perturbare contra alium, etiamſi ſit ſimpliciter bonum, & tamen apparens malum, inquantum diſplicet ei, cui dicitur.* Suſurro etiam bilinguis dicitur in Scriptura. Cum enim amicitia ſit inter „ duos, (ſcribit S. Th. in reſp. ad 3.) nititur „ ſuſurro ex utraque parte amicitiam rumpere: „ & ideo duabus linguis utitur ad duos, uni di„ cendo malum de alio: propter quod dicitur Ec„ cli. 28. 15. *Suſurro, & bilinguis maledictus*: „ & ſubditur: *Multos enim turbavit pacem ha-* „ *bentes* “.

II. Suſurrationem gravius eſſe peccatum detractione, & contumelia oſtendit ſeq. art. 2. D. A. & firma ratione evincit dicens: „ Peccatum in „ proximum tanto eſt gravius, quanto per ipſum „ majus nocumentum proximo infertur. Nocu„ mentum autem tanto majus eſt, quanto ma„ jus eſt bonum, quod tollitur. Inter cætera ve„ ro exteriora bona præeminet amicus: quia *ſine* „ *amicis nullus vivere poteſt*, ut patet per Phi„ loſoph. in 8. Ethic. c. 1. Unde dicitur Eccli. „ 6. 15. *Amico fideli nulla eſt comparatio.* Fama „ autem ipſa, quæ per detractionem tollitur, ad „ hoc maxime neceſſaria eſt, ut homo idoneus ad „ amicitiam habeatur. Et ideo ſuſurratio eſt „ majus peccatum quam detractio, & etiam quam „ contumelia: quia amicus eſt melior quam ho„ nor, & amari quam honorari, ut in 8. Ethic. „ c. 8. Philoſophus dicit “. Immo in reſp. ad 3. oſtendit, ſuſurrationem magis quam detractionem, in Deum caritatem lædere, ſcribens: „ Ille, „ qui detrahit fratri, intantum videtur detrahere „ legi, inquantum contemnit præceptum de dile„ ctione proximi, contra quod directius agit, „ qui amicitiam diſrumpere nititur. Unde hoc „ peccatum maxime contra Deum eſt: quia *Deus* „ *dilectio eſt*, ut dicitur 1. Joan. 4. 16. & propter „ hoc dicitur Proverb. 6. 16. *Sex ſunt quæ odit* „ *Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus*: „ & hoc ſeptimum ponit eum, *qui ſeminat inter* „ *fratres diſcordiam* “. Hinc licet detractor fortaſſis graviora dicat de proximo mala ad ejus famam apud alios minuendam, & ſuſurro aliquando vel leviora tantum mala, vel etiam quæ ſolum ſpeciem mali habent auribus inſuſurret, adhuc illo gravius peccat: nam ut docet S. Thom. in reſp. ad 1. *Species & gravitas peccati magis attenditur ex fine, quam ex materiali objecto: & ideo ratione finis ſuſurro eſt gravior, quamvis detractor quandoque pejora dicat.* Hinc inferendum, ſuſurrationem eſſe de ſe, & genere ſuo lethale peccatum, cum ſit gravius detractione, & contumelia, quæ ex ſpecie ſua lethalia crimina conſtituunt, ut ſuperius ex D. Th. oſtendimus; & con-

confirmant ea Scripturæ teſtimonia, quæ ſuſurrones & bilingues Deo odibiles, maledictos, & execrabiles appellant.

III. Solum vero peccatum eſſe poteſt veniale, quando ſuſurro non diſſolutionem omnimodam amicitiæ, vel diſcordiam inter amicos inducere intendit, ſed ſolum minuere affectionem & amicitiam, quam fortaſſis ſibi incommodam experitur. Quod ſi non tendat ad diſſolutionem amicitiæ, detractor erit, non ſuſurro; vel ſi in id tendat, ſed effectum & finem ſuum, vel minus quam cupit obtineat, vel omnino non obtineat, adhuc a mortali non excuſabitur, cum non ex effectu tantum, ſed ex fine præcipue & pravo animo ſit penſanda peccatorum gravitas & turpitudo.

§. II.

De Secreti revelatione.

IV. Inter oris peccata locum obtinet etiam ſecreti revelatio, & quidem non illius arcani, quod ex Sacramentali confeſſione habetur, hoc enim eſt ſupernaturalis ordinis, nec ad præſens attinet argumentum, & ſuo loco reſervamus; ſed illius ſecreti, quod naturale eſt, & ſola naturæ lege indicitur. Multipliciter autem aliquid arcanum vel ſecretum eſſe poteſt, nimirum 1. Quia publicum non eſt, ut ſunt plura crimina, quæ ſecreto committuntur, & hæc abſque juſta cauſa revelare peccatum conſtituit detractionis, de quo ſuperius abunde diximus. 2. Quia tuæ fidei commiſſum eſt vel ad tui, vel ad dicentis utilitatem, ſcilicet vel ut audiens aliquod evitet periculum, vel ut dicens conſilium quærat, & hoc dicitur ſecretum commiſſum. 3. Quia pollicitus es corde tegere, & arcanum habere quod audiſti, & hoc dicitur ſecretum promiſſum: quod ſi alter rem tibi ſub ſecreto patefacit, & tu ſilentium pollicitus ſis, tunc ſecretum dicitur & commiſſum & promiſſum. 4. Quia quod arcanum erat, ſed non tibi commiſſum, cum injuria proximi reſciviſti, ut cum arcana amicorum per epiſtolæ aperitionem innoteſcunt. 5. Cum illud forte fortuna ſine alterius injuria comperiſti.

V. Secretum cuſtodire ardua res eſt, præſertim ſi cum vafris calidiſque hominibus agendum ſit, qui illud explorare ſatagant, nam quandoque ipſa vultus mutatio, involuntarius rubor, tenax ſilentium, reſponſi denegatio, niſi arcanum manifeſtant, ſuſpicionem tamen vehementem inducunt. Quamobrem qui ſecreta ſua aliis prodere volunt, attente perſpiciant oportet & indolem inveſtigent illius, in cujus ſinum ſecreta ſua effundere cupiunt, num 1. probus ſit & pius; nam ut dicitur Proverb. 11. *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana, qui autem fidelis eſt animi, celat amici commiſſum.* 2. Num ingenii polleat acumine, quo valeat verſipelles indagatores vel declinare vel fallere. 3. Num ſit animo fortis & conſtans, ut nec minis ad revelationem terreri poſſit, nec blanditiis & pollicitationibus emolliri. Et contra nemo facile ſecretum promittat, ſed attentius conſideret onus ſibi grave aſſumere, in quo facile poteſt de ſua ſalute periclitari ſive loquendo, ſive tacendo.

VI. Arcani cuſtodia ad eam virtutem pertinet, quæ *Fides* dicitur, non tamen quæ virtus eſt intellectualis & Theologica, qua a Deo revelata credimus, ſed quæ eſt virtus moralis, in voluntate reſidens, & alio nomine *fidelitas* dicitur, & definitur a Cicerone lib. 1. de Offic. *Dictorum, conventorumque conſtantia, & veritas.* Porro hæc & pertinet ad ipſam juſtitiam, cum verſetur in commerciis civilibuſque contractibus, emptionibus, venditionibus, commodatis &c. in quibus legale intervenit debitum, quod & ad æqualitatem ſolvitur; & eſt pars potentialis juſtitiæ, quatenus non rigoroſum debitum ſolvit, ſed ſolum ex quadam honeſtate morali. Cum itaque ſecretum, quod promiſſum eſt, legale & rigoroſum reſpicit debitum, qui illud violat, contra juſtitiam peccat; quando vero ſolum morale debitum & ex honeſtate inducit, fidelitatem violat. Quamobrem ad rectam ſtatuendam doctrinam, has ponimus Regulas.

Regula Prima.

VII. Qui ſecretum revelat, ex quo proximo damnum ſequitur ſive in bonis fortunæ, ſive in vita, fama, & honore, quocumque modo ſecreti notitiam ſit adeptus, peccat lethaliter contra juſtitiam, & ad damna reparanda tenetur. Manifeſta eſt hujus propoſitionis veritas, quæ probatione non indiget, ſed declaratione. Qui furibus locum ſecretum, ubi cuſtoditur pecunia proximi, revelat, graviter contra juſtitiam peccat, & eſt reſtitutioni obnoxius. Qui Ducum, & Principum arcana hoſtibus revelant, pari pacto graviſſime contra juſtitiam peccant, & damna tenentur ſarcire.

Regula Secunda.

VIII. Qui alterius ſecreti notitiam non illicito modo obtinuit, non tenetur illud cum vitæ ſuæ diſpendio, nec cum ſuo majori damno, quam eſt illud quod ex revelatione ſequeretur, cuſtodire, niſi in boni communis detrimentum vergat. Manifeſta eſt hujus quoque doctrinæ veritas; nam nemo tenetur magis proximum amare quam ſeipſum, & alterius bono cum ſuo majori detrimento conſulere. Quamobrem ſi cui tortura immineat, vel tormentorum vi prematur, non tenebitur ſecretum cuſtodire. Nemo enim eſt, qui ad naturale ſervandum ſecretum cum tanto onere ſe adſtringat, & injuſtus profecto foret, qui illud vellet imponere. Fieri tamen poteſt, ut quis ex caritate erga proximum, & ob bonum ejus ſpirituale tam grave onus aſſumat, quod ſponte ex caritate ſuſceptum, poſtea erit ex fidelitate ſervandum; nec peccabit contra ordinem caritatis, cum quiſque poſſit ex motivo caritatis, & ob bonum proximi ſpirituale vitæ temporalis detrimentum ſuſtinere, ut ſuperius oſtendimus.

Re-

Regula Tertia.

IX. Qui ſecretum ſibi commiſſum, & ab ipſo promiſſum revelat, graviter peccat, licet nullum ſequatur proximo detrimentum, ſed ſola injuria vel dedecus: nam in re gravi proximum injuſte gravat, ac gravem illi infert injuriam. Immo fere omnes Theologi ad juſtitiam revocant hujus ſecreti cuſtodiam, quippe quæ ex oneroſo oritur contractu, quo alter ſua arcana ſub conditione ſecreti pandit, alter ad illud ſervandum ſe obſtringit; hinc gravem in ejus violatione injuſtitiam agnoſcunt. Secretum autem non ſolum tunc commiſſum & promiſſum dicitur, quando alter ſecreti cuſtodiam poſtulat, alter expreſſe pollicetur, ſed etiam cum tacite quis ex officio ſuo aliorum ſecreta novit, uti ſunt Medici, Advocati, Chirurgi, Theologi, Obſtetrices, quippe qui ex officio vel impoſito vel ſponte ſuſcepto, arcanorum veluti depoſitarii conſtituuntur, & lege ſecreti adſtringuntur, licet nulla exterior præceſſerit ſecreti vel commiſſio vel promiſſio. Et quidem de Advocatis ſcribit S. Th. hic q. 71. a. 3. ad 2. *Advocatus ſi in principio credidit cauſam juſtam eſſe, & poſtea in proceſſu appareat eam eſſe injuſtam, non debet eam prodere, ut ſcilicet aliam partem juvet, vel ſecreta ſuæ cauſæ alteri parti revelet.* Et art. 1. q. 70. docuerat generaliter in reſp. ad 2. *Poteſt obligari ex hoc quod ſibi ſub ſecreto committuntur: & tunc nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex præcepto Superioris: quia ſervare fidem eſt de jure naturali; nihil autem poteſt præcipi homini contra id, quod eſt de jure naturali.*

Regula Quarta.

X. Qui ſecreti cuſtodiam ſponte pollicitus eſt, ad illud ſervandum non ex juſtitia tenetur, ſed ex fidelitate, quæ modo ſub gravi obligat, modo ſub levi, ſpectatis circumſtantiis. Nam ſi aliquod ſequatur ex revelatione damnum proximo, illud ſub gravi cuſtodire tenetur, ſi vero nullum damnum vel nocumentum profluat, ſed ſolum dedecus vel ignominia, adhuc ſub gravi ad illius cuſtodiam tenetur. Pari pacto ſi negotium ſit gravioris momenti, profecto arctius ad ſecreti cuſtodiam, quam ſi ſit levioris, adſtringit; quæ enim levia in ſe ſunt, materiam eſſe non poſſunt gravis obligationis. Sicut nec præſumendum de facili eſt, quempiam ſub gravi ex ſola fidelitate ſe obligare velle ad ſecretum cuſtodiendum, quando ipſa ſecreti materia de ſe hanc non inducat obligationem.

Regula Quinta.

XI. Qui alterius ſecretum injuſte reſcivit, ejus ex. c. literas injuſte aperiendo, ſi grave inde proximo conſequatur damnum in vita, honore, & bonis, tenetur etiam cum periculo vitæ ſecretum cuſtodire. Nam injuſtitia in proximum commiſſa ejus ſecretum detegendo injuſto modo, illum jure ſuo, quo gaudet ne ſecretum ſuum manifeſtetur, & in publicum prodeat, non privat, ipſe vero, qui injuſte alienum detexit ſecretum, in hanc neceſſitatem ſe ſponte conjecit, quippe qui & prævidere & præcavere hujuſmodi periculum & poterat, & debebat. Ita Juven. ſive Auctor Reſol. Caſus Conſcientiæ Tom. 3. tr. 19. c. 8. q. 188. Excipitur tamen caſus, in quo teneretur quis, cujus eſt res arcana detecta, eam manifeſtare ad vitam innocentis ſervandam, vel ſi injuſte vexaret ipſum ſecretum reſcientem, tunc enim iſte vim vi repellere poſſet, ut licet uti gladio ad ſui defenſionem quem illicite furatus eſt.

Regula Sexta.

XII. Qui ſecretum, quod ſub gravi cuſtodire tenetur, vel uni revelat, graviter peccat. Huic Regulæ contradicunt non pauci Auctores, quos citant & ſequuntur Salmanticenſes, qui putant, *poſito quod non cedat in alicujus famæ vel bonorum detrimentum, parum refert, quod ab uno vel altero prudenti res ſciatur, qui eam ſub ſecreto ſunt ſervaturi.* Verum a poſita Regula tamquam ſola vera & certa puto non recedendum, oppoſita plane ratione, quia nimirum non parvi, ſed immo maximi refert, ne quis uni vel alteri ſecretum ſibi commiſſum revelet, nam hoc pacto quodlibet arcanum jam facillime in publicum prodiret. Quandoquidem ſi mihi, qui ſub gravi, ut ſupponimus, teneor ſecretum cuſtodire, illum uni vel alteri pandere ſine gravi culpa licet, profecto hoc licebit & iis, quibus ſecretum revelavi; cum majori non obſtringantur ſilentii lege; poterunt igitur & iſti uni vel alteri revelare, & ſic de ceteris erit dicendum: en igitur ſecretum manifeſtatum viginti vel etiam triginta perſonis abſque ulla gravi ſecreti violatione. At hoc quam contra communem ſenſum ſit, nemo non videt: quamobrem vetus adagium eſt, *res ceteras melius a pluribus cuſtodiri, ſecretum melius a paucioribus.* Nec valet quod ſubdunt, nimirum ſecretum aperiri uni vel alteri *prudenti*, qui illud ſciat coſtodire; ſi enim tu, qui tibi prudentiſſimus es, putas non graviter tibi illicitum uni vel alteri prudenti manifeſtare, & prudentes qui a te audiunt idem exiſtimabunt, & ſic prudentes qui ſciunt cuſtodire ſecretum, ſecretum prudentiſſime manifeſtabunt. At quænam prudentia tua aliis manifeſtare, qui ſecretum cuſtodiant, cujus tu cuſtodiam putas minime ſub gravi urgere, immo putas parum referre, ut uni vel alteri reveletur? Excipiunt tamen, & merito in ſua doctrina, non detegendum ſecretum illi, cui qui revelavit ſcis, vel prudenter cenſes voluiſſe ſpecialiter celatum.

Regula Septima.

XIII. Secreti cuſtodia non obligat 1. quando in detrimentum boni communis, vel innocentis cedit, 2. vel poſtulat utilitas & bonum ipſius, qui ſecretum commiſit. Primam hujus Regulæ partem docet S. Th. q. 70. a. 1. ad 2. ſcribens: *Circa ea*

ea, quæ aliter (ſcilicet extra ſigillum Confeſſionis) *homini ſub ſecreto committuntur, diſtinguendum eſt. Quandoque enim ſunt talia, quæ ſtatim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifeſtare tenetur; puta ſi pertinent ad corruptionem multitudinis ſpiritualem, vel corporalem, vel in grave damnum alicujus perſonæ, vel ſi quid aliud eſt hujuſmodi, quod quis propalare tenetur vel teſtificando, vel denuntiando: & contra hoc debitum obligari non poteſt per ſecreti commiſſum, quia in hoc frangeret fidem, quam alteri debet.* Altera vero pars oſtenditur, quia tunc ſecreti revelatio non injurioſa eſt nec pernicioſa ipſi, qui ſecretum commiſit, ſed utilis in ipſius bonum redundans, ut ſi quis mihi ſecreto fornicationem cum muliere commiſſam revelet, qui poſtea velit matrimonium cum fornicariæ ſorore inire, ſi ſecreto admonitus ab ineundo matrimonio abſtinere renuat, licita erit revelatio ſecreti, immo & debita denuntiatio tum ad reverentiam Sacramenti, tum ad ipſius peccatum vitandum. Pari pacto ſi ſecreto ſciam proximum in aliqua prava occaſione peccandi verſari, a qua emergere nolit, & eum Superiori manifeſtando poſſum illius ſaluti prodeſſe, ex lege caritatis tenebor ſecretum aperire, quantum ſatis eſt ad illius ſalutem, & emendationem.

XIV. Non licet ab alio ſecreti commiſſi manifeſtationem vel blanditiis, vel promiſſis, vel ſubdolis interrogationibus & ſuggeſtionibus extorquere. Nam ſi ille, qui ſecretum ſibi commiſſum revelat, graviter peccat, profecto ejuſdem culpæ particeps eſt, qui illum ad ſecreti manifeſtationem inducit, cum ad peccandum pertrahat, & incitet. Nec excuſatur, ut putant Salmanticenſes, ſi ita extorquens ſecreti manifeſtationem habeat in propoſito illud apud ſe cuſtodiendi. Nam ſicut ſuperius diximus, non licere uni aut alteri etiam prudenti, qui ſciat tacere, commiſſum ſecretum revelare, ita nec cuicumque prudentiſſimo licebit ſecreti manifeſtationem extorquere, cum ſine peccato eſſe non poſſit revelatio ſecreti. Tunc vero ſolum licebit aliena ſecreta expiſcari, quotieſcumque id poſtulet vel bonum commune, vel etiam privatum, ſed gravioris momenti, puta ut quando eligendi ſunt Præpoſiti, Paſtores, Parochi, qui communitatem regere debent, vel quando quis poſtulet ingredi Religionem, vel ineundum eſt matrimonium, tunc enim his, quorum intereſt, licitum eſt inquirere ſi quæ ſint etiam occulta impedimenta, quæ obeſſe poſſint vel acceptationi in Religione, vel celebrationi Matrimonii. Si quæ tamen detegantur, quæ revelata aliis vel damnum vel injuriam afferant proximo, ſunt ſub naturali ſigillo accurate cuſtodienda.

XV. Non licet alienas literas obſignatas aperire & legere, niſi qui eas aperit vel polleat poteſtate, vel legitima moveatur cauſa. Et primo quidem non licere, immo eſſe ex ſe lethale peccatum alienas epiſtolas aperire, & legere communiter docent Theologi; nam ipſum, quo obſignatæ ſunt literæ, ſigillum oſtendit, ſecreta eſſe debere ea, quæ ibi continentur, & quilibet jus habet, ne ſuum ſecretum detegatur. Nec audiendi ſunt Theologi illi, qui docentes non graviter peccare, qui alterius crimen occultum uni vel alteri revelat, ita cohærenter docent, non lethaliter peccare, qui unius, vel alterius epiſtolam aperit, licet crimen infamatorium in ea contineatur, dummodo tamen nullum ex tali aperitione & lectione detrimentum patiantur, qui ſcripſit, vel ad quem datæ ſunt: nam quemadmodum, ut ſuperius oſtendimus, & reus eſt gravis detractionis, qui proximum apud unum infamat, & qui uni vel alteri ſecretum revelat, ita reus eſt lethalis culpæ, qui unam vel alteram aperit epiſtolam, & præſertim ſi grave alterius crimen ex ea prodeat; nam præter infamiam proximi, & injuriam detecti alterius ſecreti, nova etiam eſt injuria in modo detegendi, quod proximo graviter diſplicere poteſt. Addidi, niſi qui aperit epiſtolam poteſtate polleat, cujuſmodi ſunt omnes Regularium Superiores, ſive id in Conſtitutionibus præcipiatur, ſive non, cum Superiores omnes jus habeant ea reſciendi, quæ ad bonum commune, ſive privatum ſuorum Religioſorum pertinent. Non poſſunt tamen legere literas a ſubditis ad Superiores, vel ab iſtis ad ipſos miſſas. Item Parentes valent filiorum & filiarum, quæ ſub patria poteſtate adhuc detinentur, ſecreta cognoſcere, & literas aperire. Idem poſſunt & Supremi Principes, & belli Duces quotieſcumque id ob publicum bonum expedire exiſtimaverint. Subdidi: & niſi legitima adſit cauſa legendi, quæ hujuſmodi ſunt, 1. conſenſus illius, qui vel epiſtolam mittit, vel recipit, cum iſti poſſint, cui voluerint ſua ſecreta revelare, & volenti & conſentienti nulla fiat injuria, qui conſenſus licet expreſſus non ſit, ſufficit ſi ſit prudenter præſumptus, puta quia maxima intercedit cum ſcribente, vel recipiente epiſtolam neceſſitudo, & amicitia, vel poſtulat neceſſitas, vel convenientia, vel tales occurrunt circumſtantiæ, ut prudenter exiſtimetur cui intereſt præbiturum conſenſum. 2. Juſta defenſio, ſi nimirum quis prudenter & urgentioribus motus argumentis ſuſpicatur in epiſtola ea contineri, vel renunciari, quæ ſibi magno damno eſſe poſſunt, ad illud avertendum poterit literas aperire, & notitia uti ad ſui defenſionem; ſicut licet gladium vel vi extorquere, vel clam ſubtrahere ab inimico, quo me ferire vel tentat, vel machinatur. Cavere tamen debet, ne juſtæ defenſionis limites tranſiliat, ea ſolum legendo, quæ ad finem ſunt neceſſaria, & quæ lecta ſunt, & cognita, ſi ita poſtulent, ſecreto cuſtodienda. 3. A gravi culpa etiam excuſant plures Theologi, inter quos & Concina, illos, qui alienas aperiunt literas, in quibus nihil contineri, quod ſit alicujus momenti, prudenter certo arbitrantur, ſolius curioſitatis, vel riſus cauſa ob rudem, vel lepidum ſcriptionis modum. Cavendum tamen & a veniali peccato, quod certe committitur, & forſitan a graviori, ſi forte illi cui intereſt hujuſmodi curioſitas vel riſus acriter diſpliceat.

§. III.

§. III.

De Maledictione, & Murmure.

XVI. Maledictionis nomine non quamcumque de proximo oblocutionem intelligimus; hoc enim in ſenſu, omnia oris peccata maledicta ſunt, ut obſervat etiam S. Tho. q. 76. a. 1. ſcribens: maledicere non eſt aliud *quam malum alterius referre*, ſicut nec imperium, quo quis alteri malum inferendum præcipit, ut cum judex carnifici reum, vel inimicus ſicario ſuum hoſtem mandant necare, hoc enim ſecundum peccatum eſt non oris, ſed operis: ſed maledictionis vocabulo deſignatur deſiderium alterius mali per exteriora verba optando explicatum, ſeu ut verbis utar S. Th. l. l. *expreſſio quædam affectus deſiderantis proximo malum*, quod verbo exprimitur; *hoc* enim, ut ipſe ſubdit, *eſt maledicere per ſe loquendo*: ut cum quis proximo dicit, poſſis mori, ſuſpendio pereas, collum tibi frangas, & ſimilia, quæ juxta locorum diverſitatem variis phraſibus ab iratis hominibus, & præſertim femellis heu nimium frequenter eructantur.

XVII. Hoc maledictionis genus eſſe de ſe peccatum mortale, nemo eſt qui ambigat, nam ſcribit S. Th. l. q. a. 3. „ Velle, vel movere ad „ malum alterius, ſecundum ſe repugnat carita- „ ti, qua diligimus proximum volentes bonum „ ipſius; & ita ſecundum ſuum genus eſt pecca- „ tum mortale, & tanto gravius, quanto perſo- „ nam, cui maledicimus, magis amare, & re- „ vereri tenemur. Unde dicitur Levit. 20. 9. *Qui* „ *maledixerit patri ſuo, & matri, morte moria-* „ *tur* “.

XVIII. Fieri tamen poteſt, ut aliquando maledictio non niſi peccatum veniale ſit, ut ſubdit poſt laudata verba S. D. ſcribens: *Contingit tamen verbum maledictionis prolatum eſſe peccatum veniale vel propter parvitatem mali, quod quis alteri maledicendo imprecatur, vel etiam propter affectum ejus, qui profert maledictionis verba, dum ex levi motu, vel ex ludo, aut ex ſurreptione aliqua talia verba profert: quia peccata verborum maxime ex affectu penſantur.* Hinc merito Theologi tria neceſſaria cenſent ut maledicens lethaliter peccet, nimirum 1. ut grave malum ſit quod proximo adprecatur. 2. Ut ſit ex animo, & intentione ut eveniat. 3. Ex deliberatione procedat. Hinc ex primo capite a gravi culpa excuſantur, qui non niſi leve malum proximo imprecantur. Ex 2. qui oretenus & quaſi ludendo maledictum aliquem appellant, vel malum optant. Ex 3. qui ex ſubito iræ impetu rationem præveniente & lapſu linguæ in maledicta erumpunt. Duo tamen ſunt hic accurate a Sacris Pœnitentiæ Miniſtris adnotanda. Primo, ne putent jactatas ſine intentione ut eveniant maledictiones ex ira, quia ſtatim eum qui evomuit pœniteat, nam hoc proprium eſt malarum affectionum & paſſionum, quæ quo ſunt violentiores, eo citius defervescant, & pœnitentiam pariant; ſed proſpiciant, num iracundiæ dediti ſint Pœnitentes, num deſides in ea comprimenda, & ſi viderint pronos ad iram, quam compeſcere omnino negligunt, vel parum omnino curant, a lethali peccato non excuſent: nam imprecationes illæ vel voluntariæ ſunt ſaltem indirecte in ſua cauſa, vel etiam in ſe ipſis directe; raro enim vel nunquam adeo effervescit ira, ut omne omnino rationis lumen obumbret, quin videre poſſint & advertere ſe in maledicta prorumpere, & Deum, ac proximum graviter lædere. Hinc S. Th. 2. 2. q. 158. art. 3. explicans verba Job quæ ſibi objecerat: *Virum ſtultum interficit iracundia*, ſic reſp. ad 1. *Dicendum, quod ex illa auctoritate non habetur, quod omnis ira ſit peccatum mortale, ſed quod ſtulti per iracundiam ſpiritualiter occiduntur, inquantum ſcilicet non refrenando per rationem motum iræ, dilabuntur in aliqua peccata mortalia, puta in blaſphemiam Dei, vel injuriam proximi.* Præ oculis habenda Sylvii doctrina in 2. 2. q. 76. a. 3. col. 2. ſcribentis: „ Ad judicandum enim quod quiſpiam non ma- „ ledixerit ex animo, non ſatis eſt quod ſtatim „ poſt præteritam paſſionem nolit malum eveni- „ re, doleretque ſi accideret: quoniam ſi tempo- „ re maledictionis ita paſſio incaluit, ut tunc „ voluntarie ſit imprecatus grave malum, pecca- „ vit mortaliter, etiamſi ſtatim poſtea nolit illud „ evenire; ſicut accidit ei, qui vehementi affe- „ ctu tentatus concupiſcit mulierem, & ſtatim „ eum iſtiuſmodi concupiſcentiæ pœnitet. Sed „ oportet attendere ad ipſum tempus paſſionis, „ num tunc maledicens conſenſerit, hoc eſt caſu „ quo tunc voluiſſet eſſe quod dicebat. Hoc e- „ nim tempus oſtendit, fuerit ne maledictio mor- „ talis an venialis, tempus autem quietis poſt „ paſſionem oſtendit, quod animus non perſiſtit „ in malo, quodque non peccaverit ex habitu, „ ſed ex paſſione “. 2. A lethali non excuſantur peccato, qui ex habitu, & conſuetudine quotieſcumque iraſcuntur maledicta evomunt, nam ipſa conſuetudo & habitus voluntarius omnino eſt, & ex animo totis viribus evellendus, quod cum præſtare negligant, voluntarie retinent, ac proinde rei ſunt pravorum actuum, imprecationum ſcilicet & maledictionum, quæ ex ipſo habitu proficiſcuntur. Quamobrem falſam reputent Salmanticenſium doctrinam, qui præmiſſis mox recitatis a nobis conditionibus ad lethale peccatum in maledictione patrandum, ſubdunt, *quolibet ex his deficiente, etiamſi ex ira, & mala conſuetudine maledictio procedat, non erit mortale.* Quis enim unquam credat, pravam conſuetudinem, & iram cum illa conjunctam peccata excuſare, ſeu potius tollere? Hoc pacto & perjuria, & blaſphemiæ culpa vacarent, quando ex ira, & prava conſuetudine proficiſcuntur, quod profecto non negant plures benigniores Theologi; at eorum doctrinam late refutavimus, ubi de voluntario indirecto egimus. Et certe S. Th. aperte rejicit pluribus in locis, & præſertim in Pſal. 49. ubi de peccatis oris loquens ſcribit: „ Si quis ex lapſu linguæ „ aliquid inordinatum dicat, facilius portatur ... „ Si quis autem os ſuum impleat maledictioni- „ bus, tunc ex malitia propria procedit, ſecun- „ dum illud Matth. 12. *Ex abundantia cordis os* „ *loquitur* “.

XIX. Maledictiones prolatæ, etiam ſine animo

quod

quod malum eveniat, eſſe poſſunt lethale peccatum ratione contumeliæ, quæ ſecum adjunctam habent, cum maledictio in os præſentis jacitur, gravem enim affert dehoneſtationem, & *tanto gravius*, ut ſcribit S. Th. a. 3. *quanto perſonam, cui maledicimus, amare, & revereri debemus*. Sic Filii graviter peccant parentibus coram maledicentes, laici Epiſcopis & Sacerdotibus, ſubditi Principibus. Ratione etiam ſcandali, quia cum auribus audiuntur maledictiones, interior autem animus auditoribus lateat, ſcandalum auditoribus pariunt, & cauſa ſunt ſpiritualis ruinæ. Quamobrem a gravi culpa non excuſantur parentes, qui licet oretenus filiis maledicant & non ex animo, tamen perverſo exemplo eos & iræ indulgere, & proximum maledictionibus inſectari docent, & impellunt.

XX. Graviter etiam peccant, qui ſibi ipſis ex ira & impatientia grave imprecantur malum eo animo ut eveniat; peccant enim contra caritatem, qua ſeipſos magis, quam proximum diligere tenentur. Verum ut plurimum arbitror, hujuſmodi imprecationes non ex animo prodire; nemo enim carnem ſuam odio habet: quod certe verum puto in deliris illis aniculis, quæ ex impatientia erga pueros, vel etiam beſtias, mortem ſibi optant. Quapropter potius ipſa ira penſanda eſt, ex qua hujuſmodi maledictiones erumpunt, quæ in illis frequenter impotens eſt, & immoderata. Recolantur propterea quæ diximus de hoc capitali vitio To. 2. Diſſ. 4. cap. 10. Nullo tamen modo a peccato lethali excuſantur qui vel impatientia, vel ex ira, vel ex alia animi paſſione Satanæ ſe devovent, & illum, ut ſecum ſe ad inferna transferat, vocant, licet non ex animo, cum hoc audire chriſtianæ aures merito horreant, & nonniſi ab animo omni pietate exuto proficiſcantur.

XXI. Quomodo autem & qualiter peccent, qui irrationabilibus creaturis maledicunt, explicat S. Tho. q. 76. art. 2. ſcribens: „ Creaturis irrationalibus bonum vel malum dicitur contingere „ in ordine ad creaturam rationalem, propter „ quam ſunt. Ordinantur autem ad eam multipliciter. Uno quidem modo per modum ſubventionis, in quantum ſcilicet ex creaturis irrationalibus ſubvenitur humanæ neceſſitati: & „ hoc modo Dominus homini dixit Gen. 3. 17. *Maledicta terra in opere tuo*, ut ſcilicet per ejus „ ſterilitatem homo puniretur. Et ita etiam intelligitur quod habetur Deuter. 28. 5. *Benedicta horrea tua*. Et infra 17. *Maledictum horreum tuum*. Sic etiam David maledixit montes Gelboe, ſecundum Gregorii expoſitionem „ l. 4. Moral. c. 3. Alio modo creatura irrationalis ordinatur ad rationalem per modum ſignificationis: & ſic Dominus maledixit ficulneam „ in ſignificationem Judææ. Tertio modo ordinatur creatura irrationalis ad rationalem per „ modum continentis, ſcilicet temporis, vel loci: & ſic maledixit Job diei nativitatis ſuæ, „ propter culpam originalem, quam naſcendo contraxit, & propter ſequentes pœnalitates: & „ propter hoc etiam poteſt intelligi David maledixiſſe montes Gelboe, ut legitur 2. Reg. 1. „ ſcilicet propter cædem populi, quæ in eis contigerat. Maledicere autem rebus irrationalibus, „ inquantum ſunt creaturæ Dei, eſt peccatum „ blaſphemiæ; maledicere autem eis ſecundum „ ſe conſideratis eſt otioſum & vanum, & per „ conſequens illicitum “.

XXII. Fieri quandoque poteſt, ut alicui malum optemus, quin tamen ullo maledictionis crimine polluamur, quando nimirum ex intentione in ejus bonum ferimur, ut explicat S. Th. a. 1. ſcribens: *Si aliquis imperet, vel optet malum alterius ſub ratione boni, ſic eſt licitum; nec erit maledictio, per ſe loquendo, ſed per accidens: quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, ſed ad bonum. Contingit autem malum aliquod dici imperando, vel optando, ſub ratione duplicis boni. Quandoque quidem ſub ratione juſti: & ſic judex licite maledicit illum, cui præcipit juſtam pœnam inferri: & ſic etiam Eccleſia maledicit anathematizando; ſicut & Prophetæ in Scripturis quandoque imprecantur mala peccatoribus, quaſi conformantes voluntatem ſuam divinæ juſtitiæ; licet hæ imprecationes poſſint etiam per modum prænuntiationis intelligi. Quandoque vero dicitur aliquod malum ſub ratione utilis; puta cum aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, vel ut ipſe melior efficiatur, vel ut ſaltem ab aliorum nocumento ceſſet*. Quod poſtremum juſtum maledicendi motivum clarius explicat in 3. diſt. 30. q. 1. art. 1. ad 4. ſubdens: *Poteſt aliquis ſalva caritate optare malum temporale alicui, & gaudere, ſi contingit; non in quantum eſt malum illius, ſed in quantum eſt impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel communitatis, aut Eccleſiæ*. Hinc optime Deum orat populus chriſtianus, *ut inimicos Sanctæ Eccleſiæ humiliare dignetur*. Sic licet pueris adhuc innocentibus, in quibus tamen quædam vitiorum ſemina deteguntur, ſub divino tamen beneplacito optare ut moriantur antequam malitia mutet intellectum eorum, & fictio decipiat animam eorum. Abſit tamen, ut quis alteri optet lapſum in peccatum, etiam ea intentione, ut cautior reſurgat: nam peccatum adeo eſt intrinſece malum, ut juſti deſiderii objectum eſſe nequeat; alioquin aliquis poſſet ſibi hoc idem malum optare, quod nemo dicet; porro quis deſiderabit proximis, quod ſibi deſiderare non licet? Nec obſtat, quod inde Deus ſapientia ſua & bonitate majus bonum educere poſſit, hoc enim non debet aſpicere deſiderantis, vel petentis intentio, qui ſolum cum ea divina voluntate conformare ſe debet, quæ ad peccatum pro virili, tam in ſe, quam in aliis vitandum indicta lege eum obſtringit. Dum autem in Pſal. 68. legimus a Davide dictum: *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum*, non ſunt ea verba optativa, ſed prænuntiativa, ut ex ſequentibus patet, ſubdit enim: *Non intrent in juſtitiam tuam, deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur*; de deletione ſiquidem de libro viventium, ideſt reprobatione, & damnatione impiorum jam conſtituta vel perfecta, Deum quidem laudare poſſumus, illique benedicere, at illam alicui deſiderare omnino non poſſumus.

XXIII.

XXIII. Quo itaque ſenſu maledictiones in impios in Scripturis prolatæ ſint, explicat S. Th. hic q. 83. art. 8. ad 1. ſcribens: „ Imprecationes, quæ in Sacra Scriptura ponuntur, quadrupliciter poſſunt intelligi. Primo ſecundum quod Prophetæ ſolent *in figura imprecantis futura prædicere*, ut Auguſt. dicit in lib. 1. de Serm. Dom. in monte c. 21. Secundo prout quædam temporalia mala peccatoribus quandoque a Deo in correctionem mittuntur. Tertio quia intelliguntur petere non contra ipſos homines, ſed contra regnum peccati, ut ſcilicet correctione hominum peccata deſtruantur. Quarto conformando voluntatem ſuam divinæ juſtitiæ circa damnationem perſeverantium in peccato ". Legantur etiam ea, quæ habet q. 25. a. 6. ad 3.

XXIV. Murmur, ſive murmuratio non inepte definitur a Sylvio hic q. 76. art. 4. *Clancularia ſeu ſubmiſſa oblocutio injuſte querulantis*. Prohibetur expreſſe in Scripturis: nam Sapien. 1. dicitur; *Cuſtodite vos a murmuratione, & a detractione linguæ, quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit*. Et S. Paulus 1. ad Corinth. jubet: *Neque murmuraveritis, ſicut quidam eorum murmurarunt, & perierunt ab exterminatore*. Et ad Philip. 3. *Omnia facite ſine murmurationibus*. Diſtinguitur a clamore, nam hic fit elata voce, illa vero ſubmiſſa, ille ab ira procedit, hæc ab inobedientia, impatientia, & præſumptione. Cum autem murmuratio (ut optime animadvertit laud. Auctor) „ potius conſiſtat in ſono vocis, quam in verbis articulatis, manifeſte ſignificat aliquid imperfectum; hinc ad illam ſpeciem peccati eſt revocanda, quæ verbis contra proximum committitur; ſi enim ordinetur ad diminuendum proximi honorem, reducitur ad contumeliam; ſi ad erubeſcentiam in ipſo excitandam, ad deriſionem; ſi ad famam & bonum nomen minuendum, ad detractionem; ſi denique ad diſcordiam excitandam, ad ſuſurrationem ". Plerumque nonniſi peccatum veniale eſt, ejus tamen gravitas ex fine, intentione, & effectu eſt dimetienda.

§. IV.

De Mendacio.

XXV. Cum de mendacio, æquivocationibus, reſtrictionibus mentalibus abunde dixerimus in ſecundo Decalogi præcepto, pauca dumtaxat hic dicenda ſuperſunt. Mendacium itaque definitur a S. Thom. q. 110. art. 1. ex S. Auguſtino: *Enunciatio falſa cum voluntate ad fallendum prolata*. In reſp. vero ad 2. obſervat, mendacium non in ſolis verbis conſiſtere, ſed in omni ſigno exteriori ad interiorem animi ſenſum indigitandum ordinato; hinc mentiri quis poteſt nutu, ſcriptura, verbis, immo & factis: nam q. 111. art. 1. ſubdit, *non refert utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto*. Animum tamen falſum dicendi adeo ad mendacium cenſet neceſſarium, ut ſi deſit, erratum quidem ſit, non mendacium, ſi vero adſit, licet verum ſit quod dicitur, mendacii tamen culpa non tollatur; hinc ſcribit q. 110. art. 1. *Si quis falſum enuntiet, credens id eſſe verum, eſt quidem falſum materialiter, ſed non formaliter, quia falſitas eſt præter intentionem dicentis: unde non habet perfectam rationem mendacii .... Si vero aliquis formaliter falſum dicat, habens voluntatem falſum dicendi, licet ſit verum id quod dicitur, in quantum tamen hujuſmodi actus eſt voluntarius, & moralis, habet per ſe falſitatem, & per accidens veritatem: unde ad ſpeciem mendacii pertingit*. At non ita ſentit de animo & voluntate fallendi, quia hæc ſemper ſive adſit ſive abſit, a mendacio non excuſat; hinc ſubdit: *Quod autem aliquis intendat falſitatem in opinione alterius conſtituere, fallendo ipſum, non pertinet ad ſpeciem mendacii, ſed ad quamdam perfectionem ipſius*. Et in 3. ſent. diſt. 38. q. 1. a. 1. ad ult. *Quiſquis falſum loquitur, fallit, quamvis non ſemper aliquis per ejus verbum fallatur. Quicumque ergo ſciens, falſum loquitur, fallaciam intendit ſecundum quod eſt in fallente. Unde iſta intentio fallendi communis eſt omni mendacio. Sed intentio, qua aliquis intendit fallaciam non ſolum ut ipſe fallat, ſed ut alii fallantur, non eſt in mendacio jocoſo: unde minimum habet de ratione mendacii*. Hac tamen doctrina non ea mendacii inſimulat verba, quæ per tropos & figuras proferuntur, quæ nec dicuntur animo falſum enunciandi, nec quemquam fallunt, licet materiali ſono quid falſum enuntiare videantur; ut ſi quis dicat, præclarum cuſtodem ovium lupum, quæ verba licet materialiter ſignificent lupum eſſe præclarum ovium cuſtodem, tamen nec ad hoc ſignificandum proferuntur, vel intelliguntur, immo oppoſitum plane concipitur tum in mente audientis, tum proferentis. Quamobrem de his verborum jocis optime ſcribit S. Auguſt. 2. de Mendacio cap. 2. „ Quæ nunquam ſunt putata mendacia, habent enim evidentiſſimam ex pronuntiatione atque ipſo jocantis affectu ſignificationem animi nunquam fallentis, etſi non vera enuntiantis ".

XXVI. Omne mendacium ſemper eſſe peccatum, proinde erraſſe Caſſianum, S. Jo. Chryſoſtomum, alioſque Græcos Patres, qui oppoſitum docuerunt, oſtendimus agentes de II. Decal. præcepto, ubi quæ diximus recolenda. Solum hic repetere juvat rationem, qua hanc veritatem oſtendit Sanct. Thom. hic art. 3. ſcribens: „ Illud quod eſt ſecundum ſe malum ex genere, nullo modo poteſt eſſe bonum, & licitum: quia ad hoc quod aliquid ſit bonum, requiritur quod omnia recte concurrant. Bonum enim eſt ex integra cauſa, malum vero eſt ex ſingularibus defectibus, ut Dionyſius dicit in 4. cap. de div. nom. Mendacium autem eſt malum ex genere: eſt enim actus cadens ſuper indebitam materiam. Cum enim voces naturaliter ſint ſigna intellectuum, innaturale eſt, & indebitum quod aliquis voce ſignificet id, quod non habet in mente. Unde Philoſophus dicit in 4. Ethic. c. 7. *Quod mendacium eſt per ſe pravum, & fugiendum; verum autem* „ *eſt*

„ *eſt bonum*, *& laudabile*. Unde omne mendacium eſt peccatum, ſicut etiam Auguſtinus aſſerit in l. contra mendacium c. 1.

XXVII. Mendacium trifariam partitur S. Tho. art. 2. ſcilicet in pernicioſum, jocoſum, & officioſum. Primum illud eſt, quo intenditur alterius nocumentum. 2. Quod ordinatur ad bonum delectabile. 3. Ad bonum utile vel ſibi, vel alteri. Huic ſuæ diviſioni illam adaptat S. Auguſtini ex fine mendacii deſumptam, quam in 2. argumento expoſuerat, ſcribens: „ Auguſtinus dividit mendacium in octo partes: quorum primum eſt *in doctrina religionis*; ſecundum eſt *quod nulli proſit*, *& obſit alicui*; tertium eſt *quod prodeſt ita uni*, *ut alteri obſit*; quartum eſt *quod fit ſola mentiendi*, *fallendique libidine*; quintum eſt *quod fit placendi cupiditate*; ſextum eſt *quod nulli obeſt*, *& prodeſt alicui ad conſervandam pecuniam*: ſeptimum eſt *quod nulli obeſt*, *& prodeſt alicui ad vitandam mortem*; octavum *quod nulli obeſt*, *& prodeſt alicui ad vitandam immunditiam corporalem* ". Quomodo autem cum ſua congruat, & in ea contineatur, oſtendit ſubdens: „ Tertio modo dividitur mendacium univerſalius ſecundum ordinem ad finem, ſive ex hoc addatur, vel diminuatur ad culpam mendacii, ſive non: & ſecundum hoc diviſio eſt octo membrorum, quæ dicta eſt (in arg. 2.) In qua quidem tria prima membra continentur ſub mendacio pernicioſo: quod quidem fit vel contra Deum; & ad hoc pertinet primum mendacium, *quod eſt in doctrina religionis*: vel eſt contra hominem; ſive ſola intentione nocendi alicui, & ſic eſt mendacium ſecundum, quod ſcilicet *nulli prodeſt*, *& obeſt alicui*; ſive etiam intendatur in nocumento unius utilitas alterius, & hoc eſt tertium mendacium, quod *uni prodeſt*, *& alteri obeſt*. Inter quæ tria primum eſt graviſſimum, quia ſemper peccata contra Deum ſunt graviora .... Secundum autem eſt gravius tertio, quod diminuitur ex intentione utilitatis alterius. Poſt hæc autem tria, quæ ſuperaddunt ad gravitatem culpæ mendacii, ponitur quartum, quod habet propriam quantitatem ſine additione, vel diminutione, & hoc eſt mendacium, quod fit *ex ſola mentiendi libidine*: quod procedit ex habitu: unde & Philoſophus dicit in 4. Ethic. c. 7. quod *mendax*, *eo quod talis eſt ſecundum habitum*, *ipſo mendacio gaudet*. Quatuor ergo ſubſequentes modi diminuunt de culpa mendacii: nam quintum eſt mendacium jocoſum, quod fit *placendi cupiditate*: alia vero tria continentur ſub mendacio officioſo, in quo intenditur quod eſt alteri utile; vel quantum ad res exteriores; & ſic eſt ſextum mendacium, quod *prodeſt alicui ad pecuniam conſervandam*: vel eſt utile corpori; & hoc eſt ſeptimum mendacium, in quo *impeditur mors hominis*: vel etiam utile eſt ad honeſtatem virtutis; & hoc eſt octavum mendacium, in quo *impeditur illicita pollutio corporalis*. Patet autem quod quanto bonum intentum melius eſt, tanto magis minuitur culpa mendacii. Et ideo ſi quis diligenter conſideret, ſecundum ordinem prædictæ enumerationis, eſt ordo gravitatis culpæ in iſtis mendaciis: nam bonum utile præfertur delectabili, & vita corporalis præfertur pecuniæ, honeſtas autem ipſi corporali vitæ ".

XXVIII. Mendacium omne, quod vel Deo injurioſum eſt, vel proximo graviter pernicioſum, ſemper lethale peccatum eſt. Si vero leviter tantum proximo noceat, venialem culpam non excedit. Porro mendacium eſſe aliquando lethale peccatum dubitare non ſinunt ſacræ ſcripturæ teſtimonia, quæ mendacio mortem animæ attribuunt, & mendacibus ſempiternam minantur damnationem. Sap. 1. dicitur: *Os quod mentitur occidit animam*. Et Pſal. 5. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*. Et Apocal. 21. *Idololatris*, *& mendacibus*, *pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure*, *quod eſt mors ſecunda*. Hoc autem convenire mendaciis probat Sanct. Thom. laud. quæſt. 110. a. 4. ſcribens: *Peccatum mortale proprie eſt quod repugnat caritati*, *per quam anima vivit Deo conjuncta ... Poteſt autem mendacium contrariari caritati .... ſecundum ſe .... & ſecundum finem intentum ... ſecundum ſe quidem caritati contrariatur ex ipſa falſa ſignificatione. Quæ quidem ſi ſit circa res divinas*, *contrariatur caritati Dei*, *cujus veritatem aliquis tali mendacio occultat*, *vel corrumpit: unde hujuſmodi mendacium non ſolum opponitur virtuti caritatis*, *ſed etiam virtuti fidei*, *& religionis: & ideo hoc mendacium eſt graviſſimum*, *& mortale. Si vero falſa ſignificatio ſit circa aliquid*, *cujus cognitio pertineat ad hominis bonum*, *puta quæ pertineat ad perfectionem ſcientiæ*, *& informationem morum*; *tale mendacium*, *inquantum infert damnum falſæ opinionis proximo*, *contrariatur caritati quantum ad dilectionem proximi: unde eſt peccatum mortale .... Ratione vero finis intenti aliquod mendacium contrariatur caritati: puta quod dicitur aut in injuriam Dei*; *quod ſemper eſt peccatum mortale*, *utpote religioni contrarium: aut qui in nocumentum proximi*, *quantum ad perſonam*, *divitias*, *vel famam*; *& hoc etiam eſt peccatum mortale*, *cum nocere proximo ſit peccatum mortale. Ex ſola autem intentione peccati mortalis aliquis mortaliter peccat*.

XXIX. Mendacium officioſum, vel jocoſum de ſe non eſt lethale peccatum, tamen per accidens tale fieri poteſt. Hanc veritatem quoque luculenter evincit S. Th. oſtendens hujuſmodi mendacia non eſſe lethalia peccata nec ſecundum ſe, nec ratione finis. Non ſecundum ſe, nam ſcribit l. l. *Si falſa opinio ex mendacio generata ſit circa aliquid*, *de quo non referat utrum ſic vel aliter cognoſcatur*, *tunc ex tali mendacio non damnificatur proximus*; *ſicut ſi quis fallatur in aliquibus particularibus contingentibus ad ſe non pertinentibus. Unde tale mendacium ſecundum ſe non eſt peccatum mortale*. Non ratione finis, ſubdit ſiquidem: *Si finis intentus non ſit contrarius caritati*, *nec mendacium ſecundum hanc rationem erit peccatum mortale*; *ſicut apparet in mendacio jocoſo*, *in quo intenditur aliqua*

levis

levis delectatio, & in mendacio officioſo, in quo intenditur etiam utilitas proximi. Animadvertit tamen accurate S. D. hæc, quæ de ſe ac indole ſua nonniſi peccata venialia ſunt, per accidens fieri poſſe mortalia, nimirum vel ratione ſcandali, vel damni conſequentis. Quare ſubdit: *Per accidens autem poteſt contrariari caritati ratione ſcandali, vel cujuſcumque damni conſequentis; & ſic erit etiam peccatum mortale, dum ſcilicet aliquis non veretur propter ſcandalum publice mentiri.* Quamobrem jure merito docuimus in Tr. de Scandalo, nonnulla crimina, quæ in ſe levia ſunt, ratione ſubjecti, fieri gravia ob ſcandalum puſillorum. Non tamen hinc inferendum, in viris Religioſis & perfectis omne mendacium eſſe lethale peccatum; nam, ut admonet S. Thom. art. 4. ad 5. *Quidam dicunt, quod perfectis viris omne mendacium eſt peccatum mortale. Sed hoc irrationabiliter dicitur. Nulla enim circumſtantia aggravat in infinitum, niſi quæ transfert in aliam ſpeciem. Circumſtantia autem perſonæ non transfert in aliam ſpeciem, niſi forte ratione alicujus annexi; puta ſi ſit contra votum ipſius: quod non poteſt dici de mendacio officioſo, vel jocoſo. Et ideo mendacium officioſum, vel jocoſum non eſt peccatum mortale in viris perfectis, niſi forte per accidens ratione ſcandali.*

CAPUT SEPTIMUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Non excuſandi abjecti homines, qui ſe mutuo contumeliis dehoneſtant.*
II. *Quid ſentiendum de quibuſdam verbis, & phraſibus in Longobardia uſitatis.*
III. *Quando irriſio de re levi poſſit eſſe lethale peccatum.*
IV. *Quinam ſint ſacrilegæ irriſionis rei.*
V. *Superiores aliquando peccantes irridere poſſunt abſque culpa.*
VI. *Quando ſuſurratores ſint graviſſimi criminis culpandi.*
VII. *Suſurratores non ſunt, qui parvam amicitiam diſſolvere nituntur.*
VIII. *Quando qui ſecretum etiam de re levi manifeſtat, peccet lethaliter.*
IX. *Quando Prælati & Superiores rei ſint violati ſecreti.*
X. *Quando epiſtolas etiam apertas legere non liceat.*
XI. *Unde maledictiones ſpeciem peccati ſortiantur.*
XII. *Quænam ſint in confeſſione aperiendæ circumſtantiæ maledictionis.*
XIII. *Nec pro bono ſpirituali proximi mentiri licet.*
XIV. *Mendacium leve etiam in Confeſſione non ſemper eſt peccatum grave.*
XV. *Ad mendacium pertinent ſimulatio, adulatio, jactantia, & hypocriſis.*

Conſectarium Primum.

I. NOn licere contumeliis contumelias repellere, nec a peccato excuſari mulieres, pueros, infimæ plebis homines, dum ſe mutuo contumeliis, conviciis, improperiis onerant, ſicut & in confeſſione eſſe aperienda, nedum contumeliæ ſpeciem, ſed & ejus aggravantes circumſtantias, explicatum probatumque fuit adverſus Buſembaum To. 2. Tr. 3. de Officiis hominum Diſſ. 4. Cap. 11. Confect. 14. 15. & 16. quæ huc ſunt revocanda. Porro quod contumeliæ ſpecie differant juxta diverſitatem criminum, quæ proximo exprobrantur, manifeſtum eſt: peccata enim & ex objecto, & ex fine diſtinguuntur; hinc licet omnes contumeliæ conveniant in dehoneſtatione proximi, quam inferre tentat contumelioſus, differunt tamen ex objecto peccati, quod exprobrant: aliud eſt enim alicui furtum exprobrare, aliud homicidium, aliud hæreſim: quamobrem qui hæc tria crimina alicui contumelioſe exprobraret, tria ſpecie diſtincta peccata committeret. Pari pacto, contumelias ex circumſtantiis graviores fieri patet; nam quanto major eſt dignitas perſonæ, & reverentia illi debita, tanto gravior eſt contumelia; ſic Sodomiam, vel hæreſim exprobrare Epiſcopo, Parocho, Religioſo gravius eſt peccatum, quam laico.

Conſectarium Secundum.

II. Sunt quædam verba & phraſes in Longobardia præſertim uſitata, & ſi fides Bernino in Hæreſum hiſtoria lib. 12. cap. 10. occaſione hæreſis Bulgarorum circa XII. ſeculum invecta, quæ licet in ſua inſtitutione quid turpe, inhoneſtum, graviterque contumelioſum regerant in proximum, nihilominus cum ex conſuetudine pravam veterem amiſerint ſignificationem, nec dedecus inurunt, nec ignominiam ſaltem gravem inferunt, propterea otioſi verbi, & leviter contumelioſi loco habentur. Tria tamen ſunt animadvertenda a ſacris Pœnitentiæ Miniſtris. 1. Ea putida verba, quæ viliſſimum ſcortum ſignificant, ſi in faciem honeſtæ mulieris, vel virginis regerantur, gravem contumeliam inferre, immo & detractionem includere; quapropter a mortali peccato non excuſari. 2. Præfata verba in ore Eccleſiaſticorum, & præcipue Regularium adhuc ſuam turpitudinem ſervare, & Seculares ſcandalo affici, cum ea ex eorum ore reſonare audiunt, multoque magis ſi Eccleſiaſticos & Regulares audiant illis turpibus verbis ſe ſe mutuo impetere, & dehoneſtare; quapropter gravioris criminis rei fiunt Eccleſiaſtici, dum ea non minus quam viliores e ſeculo homines uſurpant. 3. Hæc eadem verba, ſi a Laico in os Eccleſiaſtici vel Regularis præſertim probi & venerabilis regerantur, gravis convicii & contumeliæ malitiam induunt, nec a peccato lethali excuſantur, cum gravem inferant contemptum & dehoneſtationem ſtatus ſacerdotalis, clericalis, & Monaſtici, & gravem erubeſcentiam, & confuſionem excitare in illis apta ſint; quam licet fortaſſis non excitent, id tamen ex conſtantia animi & fortitudine in Religioſo ea patienter ferente, & Domino offerente exoritur. Pari pacto eſt & alia contumelioſa phraſis (heu quam nimis frequens in ore præſertim plebis, & visioris popelli) qua uxoris impudicitia & adulterium alteri exprobratur, quæ profecto ſi in os rege-

ratur pueri vel adoleſcentis, vel hominis connubio non juncti, levem contumeliam infert, cum jam a ſua ſignificatione detorqueatur; at ſi in os proferatur uxorati viri, additis præſertim verbis illis *ſcio quod dico*, *ſerio & ex animo dico*, profecto nec dum atrocioris convicii, contumeliæ, & improperii malitiam induit, ſed & graviſſimæ detractionis, proinde a peccato gravi nunquam, aut quam rariſſime excuſanda eſt, & ſeveriſſime increpandi, qui eam uſurpant, ac ad damna ſarcienda compellendi, nec impertienda abſolutio, niſi læſis ſatisfecerint, & ab ea abſtinere in poſterum ex animo polliceantur. 3. Sunt & alia verba impudiciſſima, quæ in hac ubi ſcribimus Urbe a viliſſima plebe paſſim uſurpari publice audivi, & quæ in ejus ore jam percrebeſcere incipiunt, immo jam incœpere, & funeſtiſſime dilatantur, quæ ſodomiticum ſcelus indigitant, & in contumeliam in os ſibi invicem evomunt, immo & in os vel puellarum vel mulierum, quæ profecto firmam, ob quam illa a lethali peccato excuſem, rationem non invenio. Sunt enim qui putant, excuſari poſſe, quia ab iis, qui ea eructant ſenſus verborum non intelligitur; at hoc puto verum eſſe poſſe in ore puelli, qui nondum loqui didicit; at minime communiter, cum ideo patens ſit & turpis eorum ſignificatio, ut vel a ſtupido ſtatim intelligatur: nec movet quod addunt, ab audientibus contemni, & ex illis nec erubeſcentiam nec confuſionem prodire; nam profecto dicendum erit, omnem exuiſſe pudorem, & a fronte omnem excuſſiſſe erubeſcentiam qui illa audiens ſibi in faciem eructata non pudefieret, non erubeſceret. Quamobrem puto & Confeſſarios teneri ſevere hoſce immodeſtos redarguere, & dure increpare, abſolutionemque denegare, & ſuſpendere, quoadusque ea ex ore omnino depellant, & pravam quam contraxere conſuetudinem depoſuerint. Parochi quoque & Catechiſtæ debent horum verborum turpitudinem, & infamiam oſtendere, quantum chriſtiana ora & aures dedeceant, inculcare, quam infenſa ſint pudori & honeſtati, patefacere, quam ignominioſa & dicentibus & audientibus, demonſtrare: ſi hoc præſtent, & pravæ conſuetudini aggerem apponent, & etiam ab ore Chriſtianorum eradicabunt.

Conſectarium Tertium.

III. Quotieſcumque irriſio etiam de re levi gravem proximo afferat erubeſcentiam, confuſionem, & diſplicentiam, ſi irriſor hoc vel ſciverit, vel præviderit, a gravi culpa non excuſatur. Nam quod graviter proximum offendit, quod illi multum diſplicet, caritatem & dilectionem, quam illi debemus, non leviter lædit; peccatum ergo lethale eſt. Nec excuſat a culpa, confuſionem, erubeſcentiam, & dolorem non ex ipſa irriſione, ſed ex puſillanimitate, & ſi lubet, etiam fatuitate deriſi prodire; nam hæc puſillanimitas & fatuitas fratris infirmitas eſt, cui non inſultare debemus, ſed compati: ſi quis enim in aliquo ſui corporis membro tantam talemque patiatur debilitatem & teneritudinem, ut etiam ex levi tactu gravem dolorem ſentiat, quis a culpa excuſaret data opera lædentem eo quia levis ſit læſio, & ſolum ex defectu patientis acerbitas ſequatur doloris? Ita ſane, ſicut in corpore, ita & in animo quilibet ſuas habet infirmitates, patiturque debilitates, quibus parcere debet chriſtiana caritas, quæ calamum quaſſatum non confringit, & linum fumigans non extinguit. Nec id eſt mundum replere peccatis, ut ſcribit Serra, a recentiori ſcriptore citatus, nam non dicimus, levem omnem irriſionem eſſe lethale peccatum, ſed tunc ſolum, quando duæ addantur circumſtantiæ, nimirum 1. ut irriſus graviter contriſtetur, doleat, erubeſcat, conqueratur; altera, ut irriſor hoc vel præſciat, vel prudenter præſumat, & adhuc velit proximum irridere. Quamobrem S. Th. in reſp. ad 3. animadvertit, irriſorem peccare ſolum venialiter, *cum aliquis intendit aliquid per hujuſmodi verbum* (*leve* ſcilicet *convicium*) *leviter contriſtare*. Ergo ex S. Th. cum quis intendit graviter proximum contriſtare, licet leve ſit convicium, vel irriſio, a peccato gravi non excuſatur; porro hoc intendat oportet, qui probe ſciens alterum ex tali levi vel convicio vel irriſione graviter contriſtari, ab illis tamen non abſtinet. Noſtræ doctrinæ ſubſcribunt benigniores Theologi Bonacina, Molina, Prado, aliique a Salmanticenſibus recenſiti. Lubet tamen hic addere S. Th. doctrinam hic q. 72. a. 2. ad 1. ſcribentis: *Ad eutrapeliam pertinet dicere aliquod leve convicium, non ad dehonorationem, vel ad contriſtationem ejus in quem dicitur, ſed magis cauſa delectationis, & joci: & hoc poteſt eſſe ſine peccato, ſi debitæ circumſtantiæ obſerventur. Si vero aliquis non reformidet contriſtare eum, in quem profertur hujuſmodi jocoſum convicium, dummodo aliis riſum excitet, hoc eſt vitioſum.*

Conſectarium Quartum.

IV. Rei ſacrilegæ irriſionis ſunt qui Concionatorum, Parochorum, aliorumque Eccleſiaſticorum defectus fortaſſis etiam leves per verba Sacræ Scripturæ irridendos proponunt, ut in nonnullis Italiæ Civitatibus non ſine malorum ſcandalo, & bonorum dolore cernitur uſitatum. Plura enim ſunt, quæ hanc conſuetudinem turpem oſtendunt & illicitam. Primum enim in dedecus redundat totius Eccleſiaſtici cœtus. 2. Ludibrio exponuntur & irriſioni plures eximii pii & docti vel Verbi Dei præcones vel animarum Curatores; & licet nonnullorum admiſceatur commendatio, hæc tamen ipſa laus in dedecus redundat aliorum, qui carpuntur. 3. Abuſus intervenit verborum vel factorum Sacræ Scripturæ, quæ in ridiculum ſenſum detorquentur. Porro hæc omnia oſtendunt non leve eſſe exiſtimandum crimen illorum, qui irriſorias has ſatyras & ludicros libellos componunt, & in vulgus ſpargunt. Hunc morem & P. Concina eſt deteſtatus Diſſ. 3. in Decal. cap. 2. n. 8. & reprobatum & damnatum cenſuit Decreto Tridentinæ Synodi cap. 6.

Con-

Conſectarium Quintum.

V. Non ſunt culpabilis irriſionis redarguendi 1. Superiores, qui ſubditos & inferiores irrident, ut criminis ſui confuſionem ſentiant, vel ut eos ad pœnitentiam provocent. 2. Nec qui errorem vel vanitatem ſectantes ob ſuperbiam & præſumptionem irrident. 3. Nec denique qui falſas doctrinas & monſtroſas opiniones irridendas propinant. Non primum. Nam vel eſt juſta pœna peccantis, vel eſt remedium ad pęnitentiam provocantis. Sic Deus peccatoribus tarde ad eum confugientibus, & ad mortem converſionem protelantibus minatur, *in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo vos*; & Pſal. 51. de Sanctis dicitur, *videbunt juſti, & timebunt, & ſuper eum ridebunt*. Et Job 21. *Innocens ſubſannabit eos*. Alterum vero cum ad bonum irriſi conducat, ſcilicet ut reſipiſcat, & ſuam vel culpam emendet, vel ignorantiam depellat, quis non videt non contra caritatem, ſed pro caritate pugnare? Sic Deus ut protoparentem a ſua credulitate, qua ſatanæ fidem præſtitit pollicenti ſcientiam boni & mali, & cum Deo æqualitatem, averteret, falſa & aſpera irriſione confudit dicens: *Ecce Adam factus eſt quaſi unus ex nobis*. Et pari pacto Nicodemum de ſua ſcientia tumentem ſic irriſione convertit, *tu es Magiſter, in Iſrael, & hæc ignoras?* Nam ut ſcribit S. Auguſtinus tract. 12. in Jo. „ Ille magiſterio inflatus erat, & alicujus momenti ſibi eſſe videbatur, quod doctor erat Judæorum. Deprimit ejus ſuperbiam, ut poſſit naſci de ſpiritu, inſultat indocto, exagitat ſuperbiam hominis: *Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras?* Tanquam diceret: ecce nihil noſti Princeps ſuperbe, naſcere ex ſpiritu “. Tertium vero cum in bonum commune cedat, & publicam utilitatem, licet alicui privato diſpliceat, non eſt culpandum. Nam ita fecere fere omnes S. Patres, dum errores refutarunt; S. Irenæus contra Gnoſticos; Tertullianus contra Idololatras; S. Hieronymus adverſus Jovinianum, Vigilantium, & Rufinum; S. Auguſtinus adverſus Manichæos, Donatiſtas, Pelagianos; & S. Bernardus adverſus Petrum Abaelardum. Et ita conveniens eſſe teſtatur & oſtendit laudatus Septimius contra Valentinianos cap. 6. ſcribens: „ Si & ridebitur, alicubi materiis ipſis ſatisfiet. Multa ſunt ſic digna revinci ne gravitate adorentur; vanitati proprie feſtivitas cedit. Congruit & veritati ridere quia læta, de æmulis ſuis ludere quia ſecura eſt. Cavendum plane, ne riſus ejus videatur indignus. Ceterum ubicumque DIGNUS RISUS OFFICIUM EST.

Conſectarium Sextum.

VI. Graviſſimæ ſuſurrationis rei ſunt, qui diſcordias ſerunt inter perſonas, quarum conjunctio & amicitia arctior eſſe debet; ſic graviſſime peccat qui diſcordiam inducit vel inducere tentat inter patrem & filios, maritum & uxorem, Paſtores & oves, Epiſcopum & Clerum, ac qui in Cęnobiis præſertim bene compoſitis inter Fratres ſerit diſcordias; hi enim graviſſime caritatem lædunt: immo quandoque & juſtitiam, ſi ex falſa & malitioſa delatione inde damnum temporale emergat, Filius hæreditate privetur, mulier domo pellatur, & ſimilia. Proinde hæ circumſtantiæ ſunt in confeſſione aperiendæ, quia ſaltem ſunt peccatum notabiliter aggravantes, licet enim omnes ſuſurrationes dici poſſint ejuſdem ſpeciei, idem enim habent objectum & finem, diſſolutionem ſcilicet amicitiæ, poſſunt tamen conſociari cum aliis peccatis diverſæ ſpeciei, puta cum calumnia, ſi falſum crimen imputetur, cum detractione, ſi occultum reveletur, vel etiam ſi ad alterius ſpeciei crimen ordinetur, puta ad abutendum uxore, inter quam & maritum diſcordias ſerit adulter, vel ad lucrum captandum, ob quod mercatorum ſocietates diſſolvere tentat, quæ omnia a perito & diligenti Pęnitentiæ Miniſtro ſunt perpendenda.

Conſectarium Septimum.

VII. Suſurrationis rei non ſunt, qui pravam amicitiam diſſolvere tentant productis alterius defectibus nedum phyſicis & naturalibus, ſed & moralibus notis & compertis, vel etiam occultis, ſed prudenter & ſub ſecreto: at a peccato ſuſurrationis non excuſatur, qui alterius amicitiam diſſolvere tentat, ut ejus locum occupet, licet nonniſi veros pandat amico amici defectus. Prima pars eſt de ſe manifeſta; nam ſuſurratio quatenus peccatum eſt, tendit ad eam diſſolvendam amicitiam, ut ſcribit S. Thom. art. 2. „ quæ inter exteriora bona computatur “. Et de qua Eccleſ. 6. dicitur: „ *Amico fideli nulla eſt comparatio* “. Porro hæc non poteſt eſſe niſi honeſta & chriſtiana; malam igitur & inhoneſtam amicitiam diſſolvere nullum peccatum, immo bonum, & quandoque neceſſarium; ne boni malorum ſocietate corrumpantur, & in præceps rapiantur. Licebit propterea, amici innocentis naturales defectus ſeu crimina, quæ jam nota ſunt, alterius, quem pro amico habet, conſiderationi proponere, pęnas illi inflictas exponere, vel ſuperiorum correctiones, & redargutiones; immo ſi amicitia in damnum cederet familiæ, vel Communitatis, etiam occulta, dummodo non ſint ſub arcano commiſſa, quatenus prudenter ſalva caritate ad noxiam diſſolvendam amicitiam opportunum videbitur. Eapropter nec rei ſuſurrationis ſunt, qui delicta, vitia, defectus filiorum, ſubditorum, Clericorum Parentibus, Prælatis, Superioribus deferunt, eo fine ut corrigantur, vel emendentur, ne aliis noceant, & diſciplina ſarta tecta ſervetur. Alteram partem inficiantur Salmanticenſes, qui putant, procul omni dolo & fraude licere bonum ſibi comparare, quamvis ab ejus poſſeſſione alius excludatur, præſertim cum poſſeſſio fundatur in alterius gratuita voluntate, cujuſmodi eſt amicitia; non peccat igitur, inquiunt, qui amici veros defectus repræſentat alteri amico, ut a familiaritate excluſo, ipſe illius occupet locum, & amici

amici gratiam utilem ſibi conciliet. Verum hæc ſententia, licet ſplendido fulta argumento, tamen puto cum P. Daniele Concina adverſari naturali præcepto jubenti, non eſſe alteri faciendum, quod ſibi nollet fieri: porro quis patienter ferat ab amicitia repelli utili & honeſta, licet id fiat ſine dolo & fraudibus? Præterea nonne Caritas jubet proximi defectus eſſe vel excuſandos, vel tegendos? Quomodo igitur licebit eos detegere, conſiderationi amici exponere, non quidem ut corrigantur, nec in bonum amici, ſed in propriam utilitatem, & in alterius perniciem, & detrimentum? Fateor hoc mihi videri rectæ rationi diſſonum, legi divinæ & naturali contrarium, propterea in praxi fugiendum.

Conſectarium Octavum.

VIII. Qui ſecretum promiſſum de re, quæ quidem ſub initio magni momenti habebatur, prodit, quia putat, vel animadvertit eſſe levioris momenti, peccat lethaliter. Negant Salmanticenſes, quia, inquiunt, bona fides & inadvertentia ipſum excuſant, niſi forte ex gravi & lata negligentia rem penitius inveſtigandi erroneum efformet judicium de levitate materiæ ſecreto commiſſæ. At quænam bona fides eſſe poteſt in eo, qui ſecretum ſervare pollicitus eſt, & tamen violat? Peccat quidem, inquiunt Salmanticenſes, ſed non graviter, nam bona fide putat, rem levioris eſſe momenti. Audio. Sed cum promiſſio ſervandi ſecreti fuerit in pactum deducta, jam judicium de ejus vel gravitate vel levitate non amplius ab unius partis tantum judicio pendet, ſed utriuſque contrahentis. Si ergo qui ſecretum commiſit, illius objectum cenſuit magni eſſe momenti, tu ut tale agnoviſti & acceptaſti; quomodo igitur tu ſolus potes pactum mutare, & rem cenſere prudenter levioris momenti, quam gravioris agnoviſti? eo vel maxime quod hujuſmodi judicium ad illum pertineat, cujus intereſt cuſtodia ſecreti commiſſi, & qui fortaſſis motiva habet & argumenta intus in corde latentia, quæ promittenti comperta non ſunt, ne ſuum detegatur ſecretum. Qui igitur ſecretum revelaret, ſaltem prudenti periculo ſe exponeret afficiendi injuria proximum, ac proinde graviter peccandi; quod periculum cavere quiſque tenetur, & quidem ſub gravi.

Conſectarium Nonum.

IX. Rei violati ſecreti ſunt habendi, & graviter peccant Prælati Provinciales, Viſitatores, aliique Religioſorum Superiores, qui perſonas detegunt & manifeſtant, quæ illis ſubditorum defectus corrigendos detulerunt. Nam ratione officii tenentur quod ſibi manifeſtatum eſt ſecreto retinere, & tamquam ſuæ fidei commiſſum arcanum cuſtodire. 2. Ex tali manifeſtatione lites, rixæ, diſcordiæ, odia inter delatores & accuſatos exoriri ſolent, quæ omnia Superior præcavere debet. 3. Ex tali revelatione ſubditi retrahuntur a declarandis culpis & defectibus neceſſario corrigendis, quod profecto in grave cedit damnum & detrimentum eccleſiaſticæ tum Regularis diſciplinæ. Pari pacto peccant, & ſuſurrones ſunt habendi, qui in Capitulis, aliiſque Religioſorum congreſſibus præſentes & vocales, dicta & acta ipſorum Capitulorum amicis renuntiant in detrimentum Religioſorum, præſertim ſi indicent, quinam illis faverint, vel adverſati fuerint in collatione Dignitatum, Graduum, & Officiorum, cum hæc nonniſi apta ſint ad diſcordias inter Religioſos ſerendas. Denique multo gravius peccant Religioſi, qui extra Religionem internas diſſenſiones Religioſorum, culpas, defectus laicis manifeſtant, unde dedecus in ordinem redundat, & fama læditur Religioſorum. Quamobrem in aliquibus Ordinibus hocce revelationis crimen inter reſervata peccata enumeratur.

Conſectarium Decimum.

X. Alienas Epiſtolas in proprio cubiculo relictas etiam apertas, vel fortuito amiſſas, vel in ignem projectas & inde extractas, ſeu laceratas, & collectis fragmentis unitas legere, culpa non vacat; nam omnes hujuſmodi epiſtolæ adhuc naturale ſecum ſecretum afferunt, quod violare nefas eſt. Num vero culpa gravis vel levis ſit, puto ex circumſtantiis, motivo, & fine colligendum; ſi enim qui legit ſuſpicetur in illa aliqua contineri, quæ occulta eſſe debent, & ſcribens vel recipiens nulli comperta eſſe vellet, & ipſe expiſcari velit, abſque gravi culpa legere non poteſt. Si vero ſola levitate, vel curioſitate legeret, nec quid arcani in ea contineri ſuſpicaretur, fortaſſis ſolum levis culpæ reus eſſet; ſi quid tamen reperiret quod eſſet tegendum, ad ſecretum cuſtodiendum teneretur. Epiſtolas vero ſponte in publicum locum, vel ad communem uſum relictas legere, nullum erit peccatum, cum manifeſte appareat, illos, ad quos pertinent, vel cedere juri ſuo, vel nihil in illis contineri, quod ſecretum mereatur.

Conſectarium Undecimum.

XI. Maledictionis peccatum ſpeciem ſuam nanciſcitur ex mali ſpecie, quod proximo imprecamur. Eruitur hæc propoſitio ex doctrina S. Thom. qui hic q. 76. a. 4. ad 2. docet, quod *maledictio uno modo includit deſiderium mali: unde ſi ille qui maledicit, velit malum occiſionis alterius, deſiderio non differt ab homicida.* Sicut igitur mortem optans proximo, quantum ad deſiderium, reus eſt homicidii, pari pacto qui bonorum expoliationem alteri imprecatur, ad ſpeciem furti pertinebit ejus peccatum; qui vero plura agglomerat mala ſuper caput proximi, in ſuo crimine plures peccatorum ſpecies adunat. Qui vero abſolute Dei maledictionem adprecatur, eructans, *ſis a Deo & ſanctis ejus maledictus*, proculdubio graviſſimo ſcelere polluitur, omniumque malorum maximum in proximo adprecatur, cujuſmodi eſt divina maledictio, quæ ſempiternam includere perditionem videtur. Pari pacto qui in juramento execratorio ſibi

ſibi aliquod malum optat, ſi falſum ſit quod juramento confirmat, nedum peccato perjurii reus eſt, ſed & maledictionis in ſe jactatæ, cum ſuo perjurio, ſibi & malum optet, & ſubire ob impietatem ſuam mereatur. Sunt igitur in confeſſione exprimenda mala, quæ ſua maledictione deſideravit proximo, ut gravitas peccati dignoſci poſſit.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Sunt & aperiendæ circumſtantiæ perſonæ, in quam maledicta jactantur, cum ex hoc vel nova peccati exurgat malitia, vel notabiliter aggravetur. Quamobrem qui Deo maledicit, blaſphemiæ reus eſt, qui parentibus, contra pietatem peccat, qui Principibus, vel Superioribus, obſervantiam violat, qui benefactoribus, contra gratitudinem delinquit. Immo gravior eſt maledictio in faciem præſentis, quam in abſentem pronuntiata, cum præter malum, quod illi concupiſcit, etiam proximum inhonoret ſua maledictione, rationemque induit convicii, & contumeliæ. Quod ſi plures ſint, quibus maledixerit, eorum numerum exprimere debet in confeſſione, vel quia tot ſunt numero peccata quot perſonæ, cum quilibet illorum injuria afficiatur, pravoque ſuo deſiderio lædat maledicus; vel ſi unum tantum reputetur peccatum, malitia tamen ſua plures adæquat, pluribuſque æquiparatur. Hinc contingere etiam poteſt, ut maledictiones in irrationales creaturas peccatum mortale ſint, quatenus illarum malum redundat in damnum proximi, quem bono ſuo maledicens privare tentat, ut ſi quis grandinem ſuper agros vicini optet, ſi animalium mortem, & ſimilia, Quomodo vero nec diabolo liceat maledicere, explicat S. Th. l. q. a. 1. in reſp. ad 4. ſcribens: „ In diabolo eſt conſiderare naturam, & culpam. Natura quidem ejus bona eſt, & a Deo, nec eam maledicere licet; culpa autem ejus eſt maledicenda, ſecundum illud Job III. 8. *Maledicant ei qui maledicunt diei.* Cum autem peccator maledicit Diabolum propter culpam, ſeipſum ſimili ratione judicat maledictione dignum, & ſecundum hoc dicitur maledicere animam ſuam “.

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Nunquam mentiri licet nec pro bonis temporalibus ſervandis, nec pro vita tuenda, nec pro caſtitate cuſtodienda, immo nec pro ſalute æterna alteri procuranda. Manifeſta eſt hujus conſectarii veritas ex doctrina SS. Auguſtini & Thomæ, quam fuſe expoſuimus tum in II. Decal. præcepto, tum cap. ſuperiore n. 25. Solum teſtimonium addimus S. Auguſtini, quo invicte hanc veritatem demonſtrat. Scribit itaque lib. cont. Mendac. cap. 20. „ Sed aliquando nobis ipſius quoque ſalutis æternæ periculum opponitur, quod noſtro mendacio, ſi aliter non poteſt, depellendum eſſe clamatur, veluti ſi quiſquam baptizandus in poteſtate ſit impiorum, atque infidelium conſtitutus, ad quem perveniri non poſſit, ut lavacro regenerationis abluatur, niſi deceptis mentiendo cuſtodibus. Ab hoc invidioſiſſimo clamore quo cogimur, non pro cujuſquam opibus vel honoribus in hoc ſeculo tranſeuntibus, nec pro ipſa hujus temporis vita, ſed pro æterna hominis ſalute mentiri, quo confugiam niſi ad te veritas?... Proinde ut perveniatur ad hominem baptizandum, fallantur mendacio cuſtodes, ſi hoc jubet veritas. Sed quomodo jubeat veritas ut homo baptizetur eſſe mentiendum, ſi non jubet caſtitas ut homo baptizetur eſſe mœchandum? Cur autem hoc non jubet caſtitas, niſi quia hoc non docet veritas? Si ergo niſi quod veritas docet facere non debemus, cum veritas doceat nec propter hominem baptizandum facere quod contrarium eſt caſtitati, quomodo nos docebit facere propter baptizandum hominem quod ipſi eſt contrarium veritati “?

Conſectarium Decimumquartum.

XIV. Mendacium leve, etſi fiat in confeſſione, non ſemper eſt peccatum lethale. Et primo quidem lethaliter certo non peccat, qui in confeſſione leviter mentitur de rebus ad confeſſionem non pertinentibus; nam ſolum levem irrogat Sacramento injuriam. Si vero quis mentiatur circa pertinentia ad ipſum Sacramentum, puta negando ſe tale veniale peccatum commiſiſſe, quod revera commiſit, hunc graviter peccare Cajetanus cenſet, & dubitat Concina, innixi præſertim doctrina & auctoritate S. Tho. docentis, abſolute mentiri in judicio etiam laico & civili ſemper eſſe grave peccatum; nam ſcribit hic q. 69. a. 1. „ Si confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur, vel ſi eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat “. Verum, niſi mea me fallit philautia, ex illis verbis S. Thom. non eruitur gravitas hujus mendacii in foro pœnitentiæ, nam S. D. aperte dicit tunc ſolum graviter peccare, ſive mendacium ſit leve ſive grave, quotieſcumque reus veritatem in judicio negaverit, quam TENETUR DICERE. Porro in confeſſione nemo tenetur dicere peccata venialia, quæ materiam neceſſariam Sacramenti minime conſtituunt; nec jus habet Confeſſarius de illis interrogandi, eo ferme pacto quo in civili judicio ſi reus interrogatur de veritate quam non tenetur dicere, & falſum reſpondeat, mentietur quidem, at non graviter contra judicem & juſtitiam, ut obſervat idem Angel. in corp. laud. art. ubi ſcribit: *Si judex hoc exquirat quod non poteſt ſecundum ordinem juris, non tenetur ei accuſatus reſpondere: ſed poteſt vel per appellationem, vel aliter licite ſubterfugere. Mendacium vero dicere non licet*, Quod tamen mendacium ſi in ſe leve ſit, non docet fieri lethale peccatum. At ſubdit Concina, *utique confiteri venialia non tenetur, at adſtringitur fateri veritatem Superiori pro tribunali interroganti, & præcipienti confeſſionem veritatis*. At in his, pondus verborum ſentio, argumenti vim non percipio. *Adſtringitur veritatem fateri*. Agnoſco, at qua lege? lege veritatis, non lege judicii ſacramentalis; peccat igitur veritatem violando

lando ſuo mendacio, non peccat contra ſacramentale judicium, ad quod venialium confeſſio non pertinet. *Fateri tenetur Superiori pro tribunali interroganti*. Fateor. At interroganti ſecundum ordinem juris ſacramentalis, ad quod venialia non pertinent. *Præcipienti confeſſionem veritatis*. Sed præcepto quod ejus poteſtatem & juriſdictionem excedit, & quod pœnitentem & reum gravat, illum obſtringens ad ea confitenda, quæ confiteri non tenetur. Summa utique eſt Sacramento Pęnitentiæ reverentia debita, magni immo plurimi facienda ejus ſanctitas, proinde veniale illud mendacium ſacrilegii malitiam induere agnoſco; at adeo excreſcere ut vel lethale peccatum fiat, vel ſaltem ut dubium ſit in alia confeſſione exponendum; immo ut conſequenter infert Franzoja, ipſa confeſſio ſit iteranda, non mihi probabilius videtur. Et revera ipſemet Concina Tom. 4. lib. 10. in Decal. diſſ. 1. cap. 6. n. 5. utriuſque ſententiæ expendens argumenta denique concluſit, quam ego hic propugno opinionem, *videri probabiliorem*; at T. 9. de Pęnit. diſſ. 4. cap. 3. n. 6. in aliam ſeveriorem propendere videtur, nullis tamen productis validioribus argumentis & rationibus ab iis, quæ primo loco ſibi oppoſuerat, & clare enodaverat, proinde ab ejus priore ſententia puto non recedendum, nec peccati lethalis etiam dubii reum habendum, qui in ſacramentali Confeſſione aliquod leve peccatum, vel levem aliquam circumſtantiam negando mentiretur. Et ita ſentiunt plures Theologi Sotus, Bannezius, Navarrus, Salmanticenſes, aliique ab ipſo Concina utroque loco citati. Lubentius tamen ſubſcribo alteri Concinæ doctrinæ, qui cenſet lethaliter peccare, qui interrogatus a Confeſſario de conſuetudine venialiter peccandi, eam mentiendo deneget; nam licet conſuetudo peccati venialis malitiam gravioris peccati non exhibeat, eſt tamen proxima diſpoſitio ad mortale, proinde ad ſtatum pęnitentis pertinens, qui per Sacramentum Pęnitentiæ non ſolum debet a peccato reſurgere, ſed & quamcumque proximam diſpoſitionem ad illud fugere, & jus habet Confeſſarius ſtatum pęnitentis agnoſcendi, ut poſſit ejus ſaluti conſulere, & a peccatis, quæ contraxit ſanare, & ab imminentibus periculis, & ſalutaribus monitis, & ſalubrioribus remediis arcere. Ita pariter gravis mendacii reus foret, qui interrogatus de gravi peccato, alias in Confeſſione manifeſtato, illud mentiendo inficiaretur; nam tametſi peccata mortalia ſemel in confeſſione manifeſtata onus non afferant illa iterum patefaciendi, tamen jus habet de illis interrogandi Sacer Miniſter, ut inde colligat, num lapſus ſit ex pravo uſu & conſuetudine, an ex mera humana fragilitate; hoc enim proxime pertinet ad rectum efformandum ſacramentale judicium, & ad diſcernendum inter lepram & lepram, ideſt diſcernendum, ut inquit Scriptura, num *lepra vetuſtiſſima ſit atque inolita cuti*, *vel ſolum ſcabies ſit*, *vel ulceris cicatrix*, ut habetur Levit. 13. Pari pacto foret peccatum mortale, ſi peccatum mendaciter in Confeſſione expoſitum, ſive veniale foret ſive mortale, eſſet tota & unica Confeſſionis materia, tunc enim ſcienter efficeret Sacramentum nullum, ac proinde illud prophanaret. At hoc pacto vix ac ne vix quidem contingere poſſet.

Conſectarium Decimumquintum.

XV. Ad mendacium pertinent ſimulatio, adulatio, jactantia, & hypocriſis. Verum cum de duobus poſtremis abunde dixerimus in Tract. de Vitiis Capitalibus, ubi de filiabus ſuperbiæ diſſeruimus, nonnulla hic ſunt ſolum de prioribus ſubjicienda, Simulatio itaque definitur a S. Thom. quæſt. 111. a. 1. *Mendacium quoddam in exteriorum ſignis factorum conſiſtens*. Non refert autem, utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto; nam *Ad virtutem veritatis* (ſcribit D. Th. l. l.) *pertinet*, *ut quis talem ſe exhibeat exterius per ſigna exteriora*, *qualis eſt*. *Signa autem exteriora non ſolum ſunt verba*, *ſed etiam facta*. *Sicut ergo veritati*, *opponitur*, *quod aliquis per verba exteriora aliud ſignificet*, *quam quod habet apud ſe*, *quod ad mendacium pertinet*; *ita etiam opponitur veritati quod aliquis per aliqua ſigna factorum*, *vel rerum aliquid ſignificet contrarium ejus quod in eo eſt*, *quod proprie ſimulatio dicitur*. Ex qua doctrina optime poſtea infert: „ Cum omne mendacium ſit „ peccatum.... conſequens eſt etiam quod o„ mnis ſimulatio eſt peccatum ". Et quidem quantum ad culpæ gravitatem, vel levitatem, pari paſſu progrediuntur ſimulatio & mendacium. Sicut itaque, ut ſuperius ex S. Thom. vidimus, ſi mendacium ſit circa res divinas, contrariatur caritati Dei; unde hujuſmodi mendacium non ſolum opponitur virtuti veritatis, ſed etiam opponitur fidei & religioni, & ideo hoc mendacium eſt graviſſimum & mortale; ita & de ſimulatione cenſendum, quæ, ſi fiat circa res divinas, puta falſam Religionem ſimulando, grave peccatum procul dubio erit. Pari pacto ſi ſimulatio ſit de iis, quæ pertinent ad perfectionem ſcientiæ & informationem morum, talis ſimulatio, inquantum infert damnum falſæ opinionis proximo, contrariatur caritati quantum ad dilectionem proximi, unde eſt peccatum mortale; ut ſi quis ſe Paſtorem, Doctorem, Magiſtrum ſimularet, ut facilius poſſet pravas doctrinas diſſeminare. Denique ſi ſimulatio talem inducat errorem, quo non damnificetur proximus, tunc de ſe non eſt peccatum lethale, ſed æquiparatur mendacio officioſo & jocoſo. Immo ſapientiſſime animadvertit D. Tho. aliquando ſimulationem omni culpa vacare, quotieſcumqne non ad aliquid falſum inducendum adhibetur, ſed ad aliquod verum occultandum. Scribit enim laud. art. 1. ad 4. „ Sicut aliquis verbo mentitur, quando ſigni„ ficat quod non eſt, non autem quando tacet „ quod eſt; quod aliquando licet: ita etiam ſi„ mulatio eſt, quando aliquis per exteriora ſi„ gna factorum, vel rerum ſignificat aliquid quod „ non eſt, non autem ſi aliquis prætermittat ſi„ gnificare quod eſt: unde aliquis poteſt pecca„ tum ſuum occultare abſque ſimulatione. Et ſe„ cundum hoc intelligendum eſt quod Hierony„ mus dicit .... quod *ſecundum remedium poſt*

„ *nau-*

„ *naufragium eſt peccatum abſcondere*, ne ſcilicet „ exinde aliis ſcandalum generetur “. Quamobrem licita ſunt ſtratagemata & ſimulationes in bello juſto, quibus hoſtes falluntur, ut docet idem S. D. 2. 2. q. 40. art. 3. ſcribens: *Alio modo aliquis poteſt falli ex dicto, vel facto noſtro, quia ei propoſitum, vel intellectum non aperimus ..... unde ea quæ ad impugnandum inimicos paramus, ſunt eis occultanda. Unde inter cetera documenta rei militaris hoc præcipue ponitur de occultandis conſiliis, ne ad hoſtes perveniant, ut patet in Lib. ſtratagematum Francorum ..... & talis occultatio pertinet ad rationem inſidiarum, quibus licitum eſt uti in bellis juſtis.*

Adulationem vero conſtituit S. D. in vitio, quo quis ſupra debitum virtutis modum alium laudando delectare ſtudet; hinc definiri poteſt, *injuſta proximi laudatio vel ad audientis delectationem, vel ad utilitatem adulantis*. Sed audiatur D. Thomas qui totam de adulatione doctrinam ſic breviter complectitur qu. 115. a. 1. ad 1. „ Laudare aliquem contingit & bene, & male, „ prout ſcilicet debitæ circumſtantiæ vel ſervan„ tur, vel prætermittuntur. Si enim aliquis ali„ quem velit delectare laudando, ut ex hoc eum „ conſoletur, ne in tribulationibus deficiat, vel „ etiam ut in bono proficere ſtudeat, aliis debi„ tis circumſtantiis obſervatis, pertinebit hoc ad „ prædictam virtutem amicitiæ. Pertinet autem „ ad adulationem, ſi quis velit aliquem laudare „ in quibus non eſt laudandus: quia forte mala „ ſunt, ſecundum illud Pſal. 9. 3. *Laudatur pec*„ *cator in deſideriis animæ ſuæ*: vel quia non „ ſunt certa, ſecundum illud Eccli. 27. 8. *Ante* „ *ſermonem non laudes virum*: Et iterum Eccli. „ 11. 2. *Non laudes virum in ſpecie ſua*: vel et„ iam ſi timeri poſſit, ne humana laude ad ina„ nem gloriam provocetur: unde dicitur Eccli. „ 11. 30. *Ante mortem ne laudes hominem*. Simi„ liter etiam velle placere hominibus propter ca„ ritatem nutriendam, ut in ea homo ſpirituali„ ter proficere poſſit, laudabile eſt. Quod autem „ aliquis velit placere hominibus propter inanem „ gloriam, vel propter lucrum, vel etiam in ma„ lo, hoc eſſet peccatum, ſecundum illud Pſal. „ 52. 6. *Deus diſſipavit oſſa eorum, qui hominibus* „ *placent*: Et Apoſtolus dicit ad Galatas 1. 10. „ *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non* „ *eſſem* “. Quando vero adulatio intra limites ſiſtat levioris peccati, & quando uſque ad lethale crimen excreſcat, exponit idem Angel. art. 2. ſcribens: „ Peccatum mortale eſt quod caritati „ contrariatur. Adulatio autem quandoque qui„ dem caritati contrariatur, quandoque autem „ non. Contrariatur ſiquidem caritati triplici„ ter. Uno modo ratione ipſius materiæ, puta „ cum aliquis laudat alicujus peccatum: hoc e„ nim contrariatur dilectioni Dei, contra cujus „ juſtitiam homo loquitur, & contra dilectionem „ proximi, quem in peccato fovet. Unde eſt „ peccatum mortale, ſecundum illud Iſa. 5. 20. „ *Væ qui dicitis malum bonum*. Alio modo ra„ tione intentionis, puta cum quis alicui adula„ tur ad hoc quod fraudulenter ei noceat vel cor„ poraliter, vel ſpiritualiter: & hoc etiam eſt „ peccatum mortale: & de hoc Proverb. 27. 6. „ *Meliora ſunt vulnera diligentis quam fraudulen*„ *ta oſcula odientis*. Tertio modo per occaſio„ nem, ſicut cum laus adulatoris fit alteri occa„ ſio peccandi, etiam præter adulatoris intentio„ nem. Et in hoc conſiderare oportet, utrum „ ſit occaſio data, vel accepta, & qualis ruina „ ſubſequatur; ſicut poteſt patere ex his, quæ „ ſupra de ſcandalo dicta ſunt .... Si autem ali„ quis ex ſola aviditate delectandi alios, vel et„ iam ad evitandum aliquod malum, vel conſe„ quendum aliquid in neceſſitate, alicui adulatus „ fuerit, non eſt contra caritatem. Unde non eſt „ peccatum mortale, ſed veniale “. Hujus criminis rei ſunt præſertim illi Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtri, qui pœnitentes non reprehendunt, qui ſuorum criminum gravitatem non oſtendunt, ſed potius excuſant, qui benigniores ſectantur doctrinas, de quibus dicit Propheta: *Væ, qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas*. Quæ verba exponit S. Gregorius lib. 18. Mor. cap. 4. „ Sunt nonnulli, qui dum malefa„ cta hominum laudibus efferunt, augent, quæ „ increpare debuerant. Hinc enim per Prophe„ tam dicitur: *Væ, qui conſuunt pulvillos ſub o*„ *mni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub ca*„ *pite univerſæ ætatis*. Ad hoc quippe pulvil„ lus ponitur, ut mollius quieſcant. Quiſquis „ ergo male agentibus adulatur, pulvillum ſub „ capite vel cubito jacentis ponit, ut qui corri„ pi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus „ molliter quieſcat. Hinc ſeorſum ſcriptum eſt, „ *ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant* „ *eum*. Parietis quippe nomine peccati duritia „ deſignatur. Ædificare ergo parietem eſt contra „ ſe quempiam obſtacula peccati conſtruere. Sed „ parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus „ adulantur, quod illi perverſe agentes juſtifi„ cant, ipſi adulantes quaſi nitidum reddant “. Rei pariter ſunt peſſimæ adulationis amici, cognati, affines, qui, ut docet Catechiſmus Romanus „ alloquentes mortifero morbo affectum, „ & jam in extremo ſpiritu, affirmant nullum „ eſſe tum ei a morte periculum, dum lætum & „ hilarem eſſe jubent, eumque a peccatorum con„ feſſione tamquam a triſtiſſima cogitatione de„ terrent, ejuſque animum avertunt ab omni cura „ & meditatione extremorum periculorum, in qui„ bus maxime verſatur “.

CAPUT OCTAVUM.

De reſtitutione ob læſionem famæ, & honoris.

DOCTRINA.

I. *Qui proximi famam & honorem læſit, ad reſtitutionem tenetur.*

II. *Quot modis fama proximi lædatur.*

III. *Qui famam proximi læſit, & temporalia damna reſarcire debet.*

IV. *Sive læſerit per calumniam, ſive per detractionem.*

V.

V. *In reſtituenda fama aliter ſe gerere debet calumniator a diffamatore.*

VI. *Num & coram mediatis auditoribus retractare ſe debeat?*

VII. *Nemo tenetur alienam famam cum majori diſpendio reſarcire.*

VIII. *Quinam a famæ reſtitutione excuſentur?*

IX. *Quomodo qui famam reſtituere nequit, debeat proximo læſo ſatisfacere.*

X. *Etiam honor proximi læſus eſt ſarciendus.*

I. QUi proximi famam, bonum nomen, & honorem vel læſit, vel peſſumdedit, ad reſtitutionem teneri, nullus eſt qui ambigat, cum ipſo jure naturæ compertum ſit, illatum damnum eſſe reſarciendum ſicut in bonis temporalibus, ita & in honore, & fama, & in his multo magis, cum *melius ſit nomen bonum, quam divitiæ multæ*; & ex fama ac bono nomine plurima dimanent bona & utilitates, quæ denegantur iis, qui infamiæ labe defedantur. Rationem vero ſubdit D. A. hic q. 62. a. 2. ſcribens: *Reſtitutio, ſicut dictum eſt, eſt actus juſtitiæ commutativæ, quæ in quadam æqualitate conſiſtit. Et ideo reſtituere importat redditionem illius rei, quæ injuſte ablata eſt: ſic enim per iteratam ejus exhibitionem æqualitas reparatur. Si vero juſte ablatum ſit, æqualitas erit: & ideo non neceſſarium erit ut ei reſtituatur, quia juſtitia in æqualitate conſiſtit. Cum ergo conſervare juſtitiam ſit de neceſſitate ſalutis, conſequens eſt quod reſtituere id quod injuſte ablatum eſt alicui, ſit de neceſſitate ſalutis.* Et S. Auguſtinus epiſt. ad Maced. olim 54. tamquam naturale, certumque axioma ſtatuit: *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, cum reddi poteſt, non redditur, pœnitentia non agitur, ſed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.*

II. Triplici vero modo fama proximi, bonumque nomen minui, auferri, corrumpique poteſt, nimirum vel verum dicendo, ſed juſte, puta in judicio, cum teſtis interrogatur de Rei crimine. 2. Injuſte falſum crimen imponendo. 3. Injuſte pariter, ſed verum dicendo, quod celare oportebat & tenebatur, qui illud vulgavit. Qui primo modo proximi crimen patefacit, nullo reſtituendi onere adſtringitur, quippe qui nullam proximo injuriam irrogavit. Qui vero ſecundo, vel tertio modo famam proximi læſerunt, ad reſtitutionem tenentur. Ita egregie docet S. Th. l. q. & a. in reſp. ad 2. ſcribens: *Aliquis poteſt alicui famam tripliciter auferre. Uno modo verum dicendo, & juſte; puta cum aliquis crimen alicujus prodit ordine debito ſervato; & tunc non tenetur ad reſtitutionem famæ. Alio modo falſum dicendo, & injuſte: & tunc tenetur reſtituere famam, confitendo ſe falſum dixiſſe. Tertio modo verum dicendo, ſed injuſte; puta cum aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum: & tunc tenetur ad reſtitutionem famæ, quantum poteſt, ſine mendacio tamen; ut pote quod dicat ſe male dixiſſe, vel quod injuſte eum diffamaverit.*

III. Qui proximi famæ detrimentum intulit, non ſolum famam ſarcire tenetur, ſed etiam damna omnia & detrimenta, quæ ex injuſta famæ ablatione ſponte conſecuta ſunt. Ita habetur in jure Canonico in Extrav. de *Injuriis* Cap. *ſi culpa*, ubi Gregor. IX. ſic ſtatuit: „ Si culpa tua „ datum eſt damnum, vel injuria irrogata, ſive „ aliis irrogantibus opem forte tuliſti, aut hoc „ imperitia tua ſive negligentia evenerit, jure „ ſemper his ſatisfacere oportet, nec ignorantia „ te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo injuriam veroſimiliter poſſe contingere, vel jacturam". Hinc qui calumniis vel detractionibus impedivit, ne puella honeſtum conſequeretur matrimonium, vel ne proximus officium vel munus aliquod lucroſum conſequeretur, tenetur nedum calumniam retractare & abolere, ſed ad prudentis arbitrium illatum damnum ſarcire. Hanc doctrinam confirmat S. Th. l. l. ad 4. ſcribens: *Aliquis poteſt impedire aliquem ne habeat Præbendam.... injuſte; puta ſi intendat ejus nocumentum, quem impedit propter odium, vel vindictam, aut aliquid hujuſmodi: & tunc ſi impedit, ne præbenda detur digno, conſulens quod non detur, antequam ſit firmatum quod ei detur, tenetur quidem ad aliquam recompenſationem, penſatis conditionibus perſonarum, & negotii ſecundum arbitrium ſapientis; non tamen tenetur ad æquale, quia illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri. Si vero jam firmatum ſit quod alicui detur præbenda, & aliquis propter indebitam cauſam procuret quod revocetur, idem eſt ac ſi jam habitam ei auferret: & ideo tenetur ad reſtitutionem æqualis, tamen ſecundum ſuam facultatem.*

IV. Ad damna ſarcienda non ſolum tenetur, qui per calumniam & falſum crimen alteri nocuit, ſed etiam qui per detractionem, verum crimen, ſed injuſte manifeſtando, quotieſcumque detractio in cauſa fuerit nocumenti. Ratio eſt manifeſta; nam occulti criminis injuſta revelatio in cauſa eſt detrimenti, quod proximo obvenit, & qui revelat, injuriam proximo irrogat. Hoc non inficiantur plures Theologi, qui tamen addunt, non ad integrum damnum ſarciendum teneri, ſed ſolum ad partem juxta prudentis arbitrium, tum quia, inquiunt, ad damnum inferendum æque concurrit & injuſta revelatio, & ipſum crimen, quod revera commiſſum eſt: tum quia longe minus peccatum eſt, occultum crimen injuſte revelare, quam falſum calumniando imponere. Verum hæc argumenta non tam efficacia ſunt, ut ad eorum amplectendam ſententiam cordatum movere poſſint. Quandoquidem manifeſtatio injuſta occulti criminis eſt vera & totalis cauſa damni & detrimenti; quandiu enim crimen occultum eſt, non nocet ac ſi non eſſet, nocet autem ſtatim ac in aliorum cognitionem devenit; hæc igitur injuſta manifeſtatio eſt vera & omnimoda cauſa damni. Et licet gravior ſit detractione calumnia in ſe ſpectata, reſpectu tamen nocumenti, quod infamato obvenit, pari paſſu progrediuntur, & æque nocet falſum crimen, ac verum ſed injuſte revelatum. Addidi tamen, ſi detractio in cauſa fuerit nocumenti; ſi enim hoc non ex ipſa detractione ortum habuit, ſed ex alia cauſa, vel qui detraxit, damnum prævidere non poterat, a reſtitutione excuſatur juxta regulam a S. Tho. traditam 1. 2. q. 20. a. 5. quam dedimus in Tract. de vo-

voluntario indirecto, & hic repetimus: „ Dicendum, quod eventus ſequens aut eſt præcogni„ tus, aut non. Si eſt præcogitatus, manife„ ſtum eſt, quod addit ad bonitatem, vel mali„ tiam. Cum enim aliquis cogitat, quod ex o„ pere ſuo multa mala poſſunt ſequi, nec pro„ pter hoc dimittit, ex hoc apparet voluntas e„ jus eſſe magis inordinata. Si autem eventus „ ſequens non ſit præcogitatus, tunc diſtinguen„ dum eſt: quia ſi per ſe ſequitur ex tali actu, „ & ut in pluribus, ſecundum hoc eventus ſe„ quens addit ad bonitatem, vel malitiam actus. „ Manifeſtum eſt enim, meliorem actum eſſe ex „ ſuo genere, ex quo poſſunt plura bona ſequi; „ & pejorem, ex quo nata ſunt plura mala ſe„ qui. Si vero per accidens, & ut in paucio„ ribus, tunc eventus ſequens non addit ad bo„ nitatem, vel ad malitiam actus. Non enim „ datur judicium de re aliqua ſecundum illud „ quod eſt per accidens, ſed ſolum ſecundum il„ lud quod eſt per ſe “.

V. Qui falſo impoſito crimine, vel occulto injuſte detecto alterum infamiæ labe aſperſit, tenetur retractatione læſam famam ſarcire, ſed diverſo modo. Nam calumniator, inquit S. Tho. hic q. 62. a. 2. ad 2. tenetur famam reſtituere confitendo ſe falſum dixiſſe. Nec ab hoc onere liberatur, vel quia hac confeſſione ſe calumniatorem profiteretur, atque ita famæ ſuæ jacturam ſubit, vel quia ipſe excellentior ſit infamato, ejuſque fama pretioſior. Nam alterum infamando jus amiſit ad propriam famam, & ſponte ſe in periculum amittendæ famæ conjecit, & innocens reo eſt præferendus. Quod ſi longe pretioſior ſit fama calumniatoris quam calumniati, adeoque retractatio parum prodeſſet calumniato, multum vero calumniatori obeſſet, ſunt qui excuſant à reſtitutione. Verum ſapienter obſervat Franzoja, tantum abeſſe, ut qui ſincera retractatione commiſſum ſcelus abolere tentat, propriæ famæ diminutionem patiatur, quin potius ea augeatur, & creſcat; nam ea retractatio eſt virtutis officium, ac proinde laudis veræ & ſolidæ argumentum, & qui ſe retractantem audiunt, licet eum calumniatorem fuiſſe cognoſcant, ſimul tamen ejus confeſſionem audientes, actum virtutis admirantur, & per hoc omnis præteriti criminis macula abſtergitur, & qui ſe retractat, in mente cordatorum & ſapientum tanto excellentior apparet, quanto illuſtrior eſt & nobilior ſive ratione perſonæ, ſive cauſa dignitatis. Hinc optime concludit, omiſſionem retractationis non eſſe viam tutam ad ſalutem, ſemperque timendum, ne famæ jactura, quæ in retractatione timetur, ſit merum effugium ad juſtitiæ debitum eludendum. Qui vero non calumnia, ſed detractione alienam famam maculavit, *tenetur*, ſcribit S. Th. l. l. *ad reſtitutionem famæ quantum poteſt, ſine mendacio tamen, ut pote quod dicat, ſe male dixiſſe, vel quod injuſte infamaverit*. In qua S. Th. doctrina ſunt primo expendenda illa verba *quantum poteſt*, ſcilicet omni meliori modo, ita ut nullum omittat medium opportunum & congruum ad proximi famam ſarciendam. 2. Ut omne tamen mendacium vitet, quamobrem affirmare quidem poteſt, ſe injuſte eſſe de proximo oblocutum, non autem falſo, vel mendaciter eſſe locutum, nam hoc eſſet apertum mendacium, quidquid in oppoſitum dicant Salmanticenſes eo obtentu, quod in Scripturis peccatum omne mendacium dicitur, nam in illis verbis contineri mendacium oſtendit S. Th. in 4. Sent. diſt. 15. q. 1. a. 5. quæſtiunc. 2. ad 1. ſcribens: „ Si intentione infamandi hoc fecerit, „ injuſte aufert, etiam ſi verum ſit quod dicit: „ & tunc tenetur ad famæ reſtitutionem vel di„ cendo ſe falſum dixiſſe, ſi falſum dixit; vel „ quocumque alio modo, non mentiendo, ſi ve„ rum dixit, ſine hoc tamen quod ſe verum non „ dixiſſe dicat: quia non debet alterius famam „ mendacio reſtituere “. Sciebat procul dubio S. D. peccata in Scripturis & falſitates & mendacia appellari, nihilominus conſtanter affirmat, in retractatione detractorem dicentem ſe falſum dixiſſe mendacium proferre. Sunt itaque modi à D. Th. aſſignati pro retractatione adhibendi, quotieſcumque idonei agnoſcantur ad famam ſarciendam: quod ſi forte ob auditorum vafritiem, aſtum, calliditatem credatur inutilis futura tali pacto concepta retractatio, immo obfutura, quia in veritate manifeſtati criminis confirmabuntur auditores, tum differri poterit retractatio, & oblata opportunitate diffamatum laudare, illius virtutes, prærogativas, bona opera dextre extollere, & ſe de illo optime ſentire, illum plurimi facere, & ſuſpicere detractor oſtendat, ut hoc modo in priorem bonæ famæ gradum ſtudeat reſtituere.

VI. Qui proximi famam ſive calumnia ſive detractione peſſumdedit, ſe retractare tenetur non ſolum apud illos, qui ab ipſo audierunt, ſed & apud cæteros, qui ab ipſis primis auditoribus crimen proximi cognoverunt, ſi priores hoc juſtitiæ officium ſubire detrectent. Non deſunt Theologi benigniores, qui putant ſufficere retractationem coram auditoribus immediatis, & excuſant ab ea coram mediatis, tum quia, inquiunt, hoc fere impoſſibile ſit, tum quia dum ſe retractat coram primis auditoribus, illis etiam committit, ut ſicut crimen ab eo auditum manifeſtarunt, ita & habitam retractationem compertam faciant. Alii vero diſtinguunt, nimirum ſi detractor vel calumniator illis dumtaxat, quos prudenter exiſtimavit aliis non manifeſtaturos, crimen dixit, ſat eſt ſi coram illis retractet; ſi vero prudenter ſuſpicari poterat, ſuos auditores & aliis manifeſtaturos, debet & coram auditoribus mediatis ſe retractare, ſi priores hoc vel negligant, vel recuſent. Verum ab univerſali regula ſtatuta puto non recedendum. Nam calumniator & detractor eſt principalis cauſa injuſtitiæ in proximum; & cum de reſtitutione agitur ſemper principalis cauſa ad omnimodam reſtitutionem tenetur, quotieſcumque compartes eam præſtare negligant, vel recuſent. Præterea juxta S. Th. qui alienæ famæ detraxit, *quantum poteſt*, ideſt omni meliori modo tenetur læſam famam ſarcire: porro non quantum poteſt, nec omni meliori modo id præſtat, qui proximi infamiam ſui cauſa inductam omnino non abſter-

git.

git. At inquiunt, hoc eſt impoſſibile. Tunc fatemur non teneri, cum ad impoſſibile nemo teneatur, debet tamen quod poteſt, & quantum poteſt quod in ſe eſt præſtare. *Prudenter putavit*, ajunt, *auditores ſecretum ſervaturos*. Immo imprudenter putavit, & ſi quando verum eſt vetus adagium, *ſtultum eſt dicere putabam*, maxime verum eſt, cum crimina & mala proximi referuntur. Quandoquidem ipſa conſtat experientia, ſive ſpectata hominum infirmitate & malitia, ſive vehementi in hocce vitium propenſione, proximi infamiam de ore in os, de uno ad alium facile tranſire, ac quam citiſſime vulgari. *Prudenter* (urgent) *exiſtimavit*, quia ſub fide ſecreti alteri proximi grave ſcelus patefecit, & hic injuſte ſecretum violando proximo nocuit. At hic ad ſummum ex juſtitia non tenetur apud mediatos auditores ſe retractare, quippe quia omnino præter ejus voluntatem contingit infamia proximi; verum ſaltem ex lege caritatis ad hoc tenebitur, cum ſemper verum ſit, quod ſi ſecretum, quod ab altero poſtulavit, ipſe ſervaſſet, proximi damnum omnino vitaſſet, nec ejus infamiæ locum dediſſet. Ita ſentiunt Juveninus, aliique, quibus lubens adhæreo.

VII. Nemo tenetur læſam etiam injuſte proximi famam cum diſpendio ſuperioris boni ſarcire. Bona ſuperioris ordinis reſpectu famæ ſunt 1. bona ſpiritualia, 2. temporalia potiora, ut ſunt vita, libertas, corporis integritas. Fama vero & honor ſunt æqualia tam in infamante, quam in infamato. Pecunia vero inter bona inferioris ordinis computatur. Quamobrem 1. certum eſt, neminem teneri jacturam facere bonorum ſpiritualium ob ſarciendum damnum temporale proximi, cum illa ſint ſuperioris ordinis, nec cum iſtis comparanda. 2. Nec teneri cum jactura bonorum temporalium, etiam naturalium, ſed ordinis ſuperioris; quapropter nemo tenetur cum periculo vitæ, vel ſervitutis, vel longioris carceris, vel mutilationis famam reſtituere, quippe quia etiam hæc bona præſtantiora ſunt fama, niſi forte diffamatus foret ob injuſtam infamiam in æquali periculo conſtitutus, tunc enim calumniator, vel detractor teneretur etiam cum ſuæ vitæ, ſive libertatis, periculo infamiam reparare, cum innocentia ſit culpæ præferenda, & qui alteri periculum creavit injuſte, illum cum æquali periculo liberare tenetur. Cum vero pecunia ſit inferioris ordinis reſpectu famæ, ſi forte hujus jactura neceſſaria ſit ad proximi infamiam reparandam, tenetur etiam cum aliquo diſpendio, c. ex. puellam injuſte diffamaſti, quæ honeſtum matrimonium inire non poteſt niſi aucta dote, hocce incrementum præſtare debes, ſi non ſufficiat calumniæ revocatio, hoc eſt enim non tam famam pecunia compenſare, quam illatum damnum reſarcire. Quod etiam dicendum eſt quotieſcumque neceſſaria ſit pecunia ut proximus amiſſam famam recuperet, & in priſtinum boni nominis ſtatum reducatur. Num vero cum æquali, vel minori famæ diſpendio teneatur diffamator alienæ famæ conſulere ſuperius diximus.

VIII. Excuſantur etiam, ſeu ab onere reſtitutionis famæ liberantur calumniatores, & detractores 1. ſi detractio juſtitiam non læſit, ſed ſolum caritatem, cum ex illa, non ex iſta onus conſurgat reſtitutionis. 2. Si calumnia vel detractione nullo modo læſa ſit calumniati, vel diffamati fama, ſive quia audientes falſitatis & improbitatis calumniatorem vel detractorem arguerunt, ſive quia adeo obfirmatum & compertum eſt meritum & bonum nomen diffamati, ut nulla fuerit calumniæ vel diffamationi præſtita fides; quando enim nullum eſt damnum illatum, licet qui conatur inferre, pravo animo peccet, nullo tamen reſtitutionis onere gravatur. 3. Si in diffamatione ſola interveniat venialis culpa, cum ex ſola lethali culpa grave conſurgat reſtitutionis onus, niſi forte qui alterum infamavit fortaſſis venialiter peccando vel ex ſubreptione vel ex alio capite, comperiat infamiam ab eo inductam grave damnum proximo afferre; tunc enim ſub gravi tenetur eam removere, alioquin gravioris damni ſua omiſſione cauſa fiet. 4. Si crimen patefactum vel publicum erat & compertum, vel ſaltem brevi & certo mox publicandum. 5. Denique ſi qui infamiam paſſus eſt, alia via bonum nomen & famam recuperavit, vel ſponte injuriam condonet. Ex 1. enim capite jam nullum amplius damnum ſentit diffamatus, ſed ſola ſupereſt injuſtitia diffamationis, pro qua & Deo, & offenſo eſt venia petenda: ex altero vero, quia ſicut quilibet eſt propriæ famæ dominus, ac propterea poteſt ex humilitate infamiam pati, ſatisfactionem non petendo, ita poteſt ex motivo virtutis eam condonatione remittere, dummodo tamen infamia in ſolum dedecus & damnum redundet diffamati; quod ſi præterea proximi diffamatio in aliorum vergeret detrimentum, condonatione infamati ab onere retractationis non liberatur infamans, ut optime docet S. Th. hic q. 73. a. 4. ad 1 ſcribens: *Poſſunt ad notitiam alicujus detractiones contra ipſum factæ aliorum relationibus pervenire: & tunc ſui arbitrii eſt detrimentum ſuæ famæ pati, niſi hoc vergat in periculum aliorum ..... & ideo in hoc poteſt commendari ejus patientia, quod patienter proprias detractiones ſuſtineat. Non tamen eſt ſui arbitrii quod patiatur detrimentum famæ alterius*.

IX. Qui alienam famam injuſte læſam vel diminutam retractatione ſarcire non valet, quia vel locus non eſt retractationi, vel ſi locus eſſet, effectum ſuum minime conſequeretur, reus diffamationis adhuc tenetur diffamato ſatisfacere, vel petendo per ſe, vel interpoſitos amicos veniam pro illata injuria, & reſtitutionis condonationem, vel aliquo temporali beneficio, puta pecuniæ largitione. Primum nullus puto inficiabitur; cum enim juxta S. Th. doctrinam, qui alterum infamavit, illi *quantum poteſt* ſatisfacere teneatur, inter ſatisfactionis modos & veniæ petitio, & condonationis impetratio locum habet, proinde nullo pacto omittenda, præſertim ſi ſpes ſit obtinendi. Quoad alteram vero partem in aliquo conveniunt Theologi etiam nobiliores, & in aliquo diſſentiunt. Conveniunt 1. teneri diffamatorem pecunia, vel aliis bonis fortunæ irrogatam injuriam & infamiam compenſare, ſi judicis ſententia cogatur. 2. Si pactum intercedat in-

inter diffamatum & diffamantem, quo conveniant, ut alter vel in judicium non provocet, vel a querela deſiſtat, & alter certam pecuniæ quantitatem, vel aliam rem temporalem alteri largiatur. 3. Si qui eſt injuriam paſſus, & infamiam ſubiit, pauper ſit & egenus, qui vero intulit, dives, & prævideat eam largitionem gratam futuram diffamato. Immo optime addit Bannezius 2. 2. q. 62. a. 2. dub. 4. concl. 4. „ Quod „ ſi infamiam paſſus talis ſit conditionis reſpectu „ diffamatoris, ut accepta ab iſto pecunia hono„ rabilior fiat, & ſpectabilior apud eos, qui il„ lius norunt infamiam, tunc detractor vel diffa„ mator tenetur pecuniam juxta bonorum viro„ rum exiſtimationem erogare, tunc enim reſti„ tutio habetur, quaſi in eodem genere, cum „ per pecuniam & ipſa reparatur infamia “. Diſſentiunt autem in ipſo, ut ita dicam, cardine quæſtionis, num videlicet qui famam læſam non a'io modo ſarcire poteſt quam pecuniam vel rem temporalem largiendo, ad hoc teneatur, & quidem non ſolum ex caritate, ſed etiam ex juſtitia. Debitum ex caritate proveniens pene omnes agnoſcunt, nam, ut inquit Bannez l. c. concl. 2. „ Ad hoc fere ſemper obligat caritas, quia tali „ via componitur pax & amicitia inter læſorem „ & læſum “. At debitum ex juſtitia plures non agnoſcunt, inter quos Salmanticenſes, aliique plures ab ipſis citati. Verum oppoſita ſententia & mihi omnino certa videtur, & traditur a D. Th. hic q. 62. a. 2. ubi poſtquam ſtatuit in corpore articuli, reſtitutionem eſſe de neceſſitate ſalutis, in ſolutione 1. & 2. argumenti, tanquam certum ſtatuit, quando *id quod eſt ablatum, non eſt reſtituibile per aliquid æquale, debet fieri recompenſatio qualis poſſibilis eſt; puta cum aliquis alicui abſtulit membrum, debet ei recompenſari vel in pecunia, vel in aliquo honore, conſiderata conditione utriuſque perſonæ ſecundum arbitrium boni viri*. Et idem reperit in ſpeciali de fama in reſp. ad 2. *Si non poſſit famam reſtituere, debet ei aliter recompenſare, ſicut in aliis dictum eſt*. Nec admittenda explicatio Bannezii, quam adoptant Salmanticenſes, ſcilicet S. D. loqui non de debito rigoroſo juſtitiæ, dum dicit *debet fieri reſtitutio*, ſed de debito decentiæ, & quidem a Confeſſario imponendo, qui adſtringere debet pœnitentem, ut parti læſæ ſatisfaciat pecuniis, cum non valeat alio modo læſum honorem ſarcire; eſt enim aperte contra mentem & doctrinam S. Doctoris, qui in eo articulo agit de reſtitutione ex juſtitia facienda, ut patet ex corpore articuli, ubi dicit reſtitutionem *eſſe actum commutativæ juſtitiæ, & conſervare juſtitiam cum ſit de neceſſitate ſalutis, reſtituere, quod injuſte ablatum eſt alicui, eſt de neceſſitate ſalutis*. Cum igitur in reſp. ad 1. argumentum dicit, quando id quod ablatum eſt non eſt reſtituibile per aliud æquale, debet fieri recompenſatio qualis poſſibilis, non de debito decentiæ, vel caritatis loquitur, ſed de debito juſtitiæ, de quo diſputat, alioquin reſpondere debuiſſet in exemplis adductis de rebus, quæ reſtitui non poſſunt, locum non habere reſtitutionem ex juſtitia, non ex defectu veri debiti, ſed ratione materiæ, quæ reſtituibilis non eſt, proinde ſupereſſe ſolum debitum decentiæ, vel caritatis; at ita nec ſentit, nec docuit A. P. ſed uno tenore doctrinæ idem debitum juſtitiæ agnovit & in eo, qui æquale reſtituere poteſt, & in eo qui cum non poſſit æquale reddere, tenetur eo quo poteſt modo læſum reſarcire. Et revera nonne hujuſmodi damna compenſari & reparari poſſunt non ſolum ad æqualitatem, ſed etiam aliquando abundantius, ut ſi pauperem puellam, quam infamaſti, collata copioſa dote nobili viro matrimonio jungas? Cur igitur ad id præſtandum ex juſtitia non teneberis? Minime, inquiunt, quia vita & fama ſunt bona ſuperioris ordinis, quæ omnem pecuniæ etiam copioſæ ſolutionem ſuperant. Sed hoc falſum eſſe mox vidimus, cum quandoque fieri poſſit, ut ſuperabundantius fama compenſetur per pecuniam. At ſit ut volunt Salmanticenſes, qui ergo integre & adæquate quod debet ſolvere non valet, non tenebitur partem quam poteſt, & eo meliori modo quo poteſt ſolvere? Non ita profecto ſentit D. Thomas, qui mutilationem membri compenſandam docet in pecunia, ſicut & famam. Plura agglomerant, quæ ex noſtra doctrina ſequerentur, abſurda, nimirum furem qui pecuniam abſtulit, & reſtituere non poteſt, debere laudibus & honoribus dominum compenſare, adulteram vel adulterum teneri, illam dote ſua, iſtum pecunia læſum honorem ſarcire, & qui in ſpiritualibus bonis alteri nocuit, teneri pecunia, vel alia re temporali ſpirituale damnum reparare. Denique nemo eſt qui famam, & bonum nomen velit pecunia commutare. At hæc non tanti ponderis ſunt, ut eorum ſententiæ firmitatem concilient. Nam fur, qui pecuniam abſtulit, tenetur domino ſatisfacere, ſi non valet æquivalentem pecuniam reſtituere, non quidem honoribus & laudibus, quæ ſi juſtæ ſint, jam proximo debentur, ſi immodicæ & indebitæ, non laudes, ſed aſſentationes fiunt, & ut plurimum flocci æſtimantur, ſed realibus officiis, miniſteriis, ſervitiis, licet fortaſſe vel dominus non indigeat, vel alii ſint, qui ea domino præſtarent, adeo ut verum ſit, debitorem eo quo valuit modo, & quantum potuit, pro pecunia ablata ſatisfeciſſe. Adulteræ vero & adulteri vel crimen occultum eſt, vel manifeſtum; ſi primum, cum injuria ſit ſolum coram Deo facta, pœnitentia quidem delenda eſt, non compenſatione ſarcienda; ſi vero manifeſtum ſive viro ſive aliis, tunc etiam ex ipſo civili jure uxor dote privatur, & adulter tenetur mariti honorem læſum meliori quo poteſt modo ſarcire, etiam pecunia ſi talis ſit vir, qui pecunia levari poſſit & adjuvari, & ipſe velit recipere: quod ſi in honore læſus pecuniariam ſatisfactionem recuſet, ab onere quidem compenſationis hoc modo faciendæ penes hunc liberabitur, at non penes alios, qui talem reparationem recipere non abnuant; ſicut ſtuprator violatam virginem dotare tenetur, ſi ipſa velit; at ſi talis ſit conditionis, ut talem ſtupri compenſationem refugiat, non tenebitur, non quia hoc non ſit ex juſtitia debitum, ſed quia recuſando condonat. In damnis vero ſpiritualibus non eſt locus compenſationi, quippe quia illa ſunt bona toto genere diverſa, nullo pacto cum tem-

temporalibus conferenda; at non ita dicendum de bonis famæ & honoris, quæ licet altioris ordinis, in genere tamen conveniunt cum bonis fortunæ, cum utraque ſint temporalia, & invicem compenſabilia, ut ſupra diximus. Abſit tamen, ut quis credat, diffamato licere compenſatione occulta pecuniam proximi ſurripere, nihil enim iniquius magis, & bono publico exitialius, cum innumeris furtis via aperiretur, ut dicemus in conſectariis.

X. Honor quoque læſus contumeliis, conviciis, irriſionibus, aliiſque modis proximum dehoneſtantibus, eſt ſarciendus. Hoc ipſum lumen naturæ dictat; qui enim proximum injuſte offendit, illique triſtitiæ cauſam dedit, debet & offenſam reparare, & meliori quo poteſt modo fratris animum mulcere, ſibique reconciliare; & hoc eſt, quod præcipit Dominus in Evangelio, dum jubet: *Si offers manus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo.* Hoc compenſationis officium nonnulli Theologi reſtitutionis nomine deſignant, alii non niſi ſatisfactionem appellant, quæſtio eſt ſolum de nomine: qui enim reſtitutionem dicunt, vocem hanc late ſumunt pro reparatione cujuſcumque offenſæ, qui vero reſtitutionem appellare detrectant, nomen reſtitutionis arctius ſumunt, nimirum pro ſola reparatione damnorum, quæ extrinſece proximum afficiunt. Verum honoris reparatio, ſive reſtitutio ſit, ſive ſatisfactio, hoc modo eſt exhibenda. 1. Si honor læſus fuerit ſola omiſſione cultus & reverentiæ debitæ, ſatis erit ſi reus omiſſa reverentiæ officia reddat, & in poſterum exhibeat, tunc enim non juſtitiam violavit, ſed ſolum obſervantiam. Quod ſi hæc omiſſio cum contumelia fuerit conjuncta, quia cultum & reverentiam debitam omiſit coram aliis, & in circumſtantiis, in quibus reverenter ſe habere debebat, non ſatis erit omiſſa officia repetere, ſed aliqua addenda ſatisfactio. Sic ſi filius Patrem ſalutare, alloqui, vocantem adire omiſit, ſcientibus aliis fratribus ad ſuam erga ipſum oſtendendam vel indignationem, vel pravum animum, non ſatis erit in poſterum debita officia præſtare, ſed & pro denegatis ſatisfacere debet veniam petendo, aliis de familia vel præſentibus, vel certioribus factis. Si vero honor læſus fuerit poſitive verbis, vel factis contumelioſis, ſed ex ignorantia perſonæ; ſatis erit ſi qui læſit & ſuam fateatur ignorantiam, & debitam exhibeat reverentiam: hoc pacto & S. Paulus Act. 23. ſe geſſit, qui cum Principem Sacerdotum dehonoraſſet, ipſum *parietem dealbatum* appellando, admonitus de dignitate Perſonæ, ſtatim & ſuam ignorantiam confeſſus eſt, dicens: *Neſciebam fratres, quia Princeps eſt Sacerdotum*, & debitam exhibuit reverentiam ſubdens: *Scriptum eſt, Principem populi tui ne maledicas.* Si vero nota fuit Perſona, juxta ejus dignitatem eſt illi exhibenda ſatisfactio. Ita generaliter docet S. Tho. hic q. 62. a. 2. ad 3. ſcribens: „ Actio contumeliam inferentis non poteſt fieri ut non fuerit; poteſt „ tamen fieri ut ejus effectus, ſcilicet diminutio „ dignitatis perſonæ in opinione hominum, reparetur per exhibitionem reverentiæ “. Porro hæc reverentiæ exhibitio debet eſſe proportionata tum qualitati perſonæ offenſæ, & offendentis, & contumeliæ ſeu dehoneſtationi irrogatæ. Eſt itaque præſtanda per veniæ petitionem, eo humiliorem, quo vilior eſt perſona offendens, & nobilior offenſa; eapropter quandoque genuflexione, capitis demiſſione, manuum conjunctione, vel in crucis modum extenſione, præſertim ſi graviſſimæ fuerunt contumeliæ, & quidem non ſolis verbis, ſed factis, puta alapæ impactione, in os expuitione, his addendæ humiles preces, demiſſæ ſupplicationes juxta prudentum arbitrium; non enim peculiares regulæ aſſignari poſſunt variis eventibus. Illud certe curare debet contumelioſus, ut læſam perſonam omnino placet, dolorem omnem & moleſtiam ab ejus animo evellat, ſibi ejus benevolentiam conciliet, atque ita fraterna caritas reparatur, & in tali humiliatione, demiſſione, honoris reparatione plus fortaſſis honoris & laudis lucrabitur qui ea exhibet officia, quam qui recipit; nam juxta Chriſti Domini effatum, *qui ſe humiliat, exaltabitur.* A tanta tamen demiſſione, & etiam veniæ petitione S. Auguſtinus Superiores liberat, qui forte duris & contumelioſis verbis inferiores & ſubditos contriſtaverint, ſic enim ſcribit epiſt. 211. al. 109. „ Quando neceſſi- „ tas diſciplinæ in moribus coercendis dicere vos „ dura verba compellit, ſi etiam in ipſis modum „ vos exceſſiſſe ſentitis, non a vobis exigitur, „ ut ab eis veniam poſtuletis, ne apud eas, quas „ oportet eſſe ſubjectas (ſanctimoniales alloqui- „ tur) dum nimium ſervatur humilitas, regendi „ frangatur auctoritas “. Quamobrem ſatis erit, ſi Superior inferiorem læſum placare ſtudeat peculiaribus benevolentiæ ſignis illum blande alloquendo, honeſtis ejus petitionibus hilariter & prompte annuendo, argumenta honoris & juſtæ exiſtimationis coram aliis exhibendo. Ita quidem communiter. At ſi Superior in contumeliis exceſſerit, & graviter ſe ſubditi animum exulceraſſe cognoverit, nihil de ſua dignitate deperdet, nec ejus minuetur auctoritas, ſi ad animum liniendum, caritatemque reintegrandam privatim etiam ſubdito veniam petat, & humiliter fateatur, ſe modum in corrigendo exceſſiſſe, præſertim ſi ſubditus offenſus ſit vir pius & probus, & alicujus etiam auctoritatis. Verum hæc demiſſionis officia prudentis arbitrio ſtatuenda vel adprobanda relinquimus; ſicut quando expediat & æquum ſit, ut qui offendit, per ipſum veniam petat, & quando ſatis ſit ſi per alium hocce præſtet officium, cum quandoque mediatorem adhibere & in honorem læſi cedat, & ipſi gratius ſit; quandoque vero id non ſufficiat, & ad ſatisfactionem neceſſarium ſit, ut ipſe offenſor offenſo ſe ſiſtat, veniamque petat, & ſua demiſſione proximo læſo ſatisfaciat; quod certo neceſſarium puto filiis familias reſpectu Patris, Clericis reſpectu Epiſcopi, & Religioſis reſpectu ſuorum Prælatorum, præcipue ſi hi ſuperiores ita poſtulent, & velint.

CAPUT NONUM.

Conſectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Qui bona fide alterius famam læſerunt, ad quid teneantur.*
II. *Quomodo calumnioſus diffamator proximi famam ſarcire debeat.*
III. *Ad quid teneantur hæredes diffamatoris vel calumniatoris.*
IV. *Quando duo ſe invicem diffamarunt, quomodo ſe gerere debeant.*
V. *Qui publicis libellis alterius famam læſit, ad quid teneatur.*
VI. *Quando condonatio liberet a famæ vel honoris reparatione.*
VII. *Num liceat diffamato injuſte ſe occulte compenſare.*
VIII. *Quid præſtare debeant Filii-familias, qui parentes inhonorant.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. Qui alterius famam læſit præter voluntatem ex. g. vulgando crimen occultum, quod bona fide putabat manifeſtum, vel ex lapſu linguæ, vel ex errore, quia exiſtimabat nullius eſſe, vel exigui momenti manifeſtationem, vel dum ipſe de uno loqueretur, auditores alium deſignatum cenſuerunt, tenetur ſtatim ac agnoſcit ſe graviter proximi famam læſiſſe, ad eam omni meliori quo poteſt modo reparandam, & quidem non ſolum ex caritatis, ſed & ex juſtitiæ debito. Et quidem ad reparationem teneri fere omnes conſentiunt Theologi, & ipſa ratio evincit; nam licet in diffamatione vel ſolum leviter peccaverit, vel omnino non peccaverit diffamator, tamen ſtatim ac advertit ex ſua actione grave damnum in proximum redundare, illud avertere tenetur, alioquin cenſendus eſt illud velle & eligere, eo ferme pacto, quo ſi cui caſu & ſine culpa vel res aliena in ignem cadat, vel nolens incendium ſua imprudentia excitavit in domo, ſi confeſtim vel rem ab igne non extrahat, vel incendium extinguere non conatur cum poſſit, reus erit habendus injuſtæ alienæ rei conſumptionis, & ad damna reparanda tenebitur; ita profecto evenit & in re noſtra, imprudens quidem & nolens alienam famam læſiſti, & potes damnum reparare, ergo teneris, & ſi negligas, jam graviter culpabilis habendus. Nec ſolum læſam famam reſarcire, ſed etiam damna omnia, & mala temporalia, quæ ex tali imprudenti diffamatione ſunt conſequuta. Quod vero ad hoc teneatur ex debito juſtitiæ, non conſentiunt nonnulli benigniores Theologi, qui putant ſolum urgere caritatis præceptum. At perperam & falſo. Nam inter titulos & cauſas reſtitutionis ex juſtitia faciendæ S. Tho. hic q. 62. a. 4. enumerat damnificationem, ſcribens: *Quicumque damnificat aliquem, videtur ei auferre id, in quo ipſum damnificat: dammum enim dicitur ex eo quod aliquis minus habet quam debet habere, ſecundum Philoſophum in 5. Eth. & ideo homo tenetur ad reſtitutionem ejus, in quo aliquem damnificavit.* Porro qui alienam famam, licet inculpate, corrupit, vere damnum intulit proximo, qui ejus cauſa minus habet de fama & bono nomine quod debet habere; quamobrem licet auferendo non peccaverit contra juſtitiam, peccat tamen ut ita dicam retinendo, ideſt non inducendo ſua ſatisfactione æqualitatem: porro hanc æqualitatem inducere non ad caritatem pertinet, ſed ad juſtitiam, cujus munus & officium eſt damna inducta reparare: tenetur igitur ad ſatisfactionem non ex caritate ſolum, ſed & ex vera & rigoroſa juſtitia. Nec objiciant, quod ſi ita eſſet, paris conditionis forent habendi & iniquus calumniator, & innocens diffamator, nam revera ſunt paris conditionis reſpectu damnorum temporalium, quæ vel ex prioris malitia, vel ex poſterioris omiſſione & negligentia ſatisfactionis oriuntur, ad quæ reparanda uterque pari modo tenetur; at ſunt diſparis conditionis penes reſtitutionem famæ læſæ, nam calumniator tenetur etiam cum gravi ſuo detrimento, & quandoque, ut ſuperius diximus, etiam cum vitæ periculo calumniam revocare & famam reſtituere: qui vero ſine culpa famam læſit, tanto oneri non ſubjicitur, ſed ſatis eſt ſi cum commode poteſt, & ſine ſuo gravi detrimento læſam famam reſarciat; dummodo tamen ex tali dilatione aliud non conſequatur proximo detrimentum. Pari pacto cenſendum de illo, qui de uno loquens advertit, auditores de alio intelligere, nam ex juſtitia tenetur errorem ab auditorum mente auferre, alioquin ſi illum permittat, reſpectu innocentis nedum diffamator, ſed & calumniator cenſendus erit.

Conſectarium Secundum.

II. Qui calumnioſa diffamatione alienam famam peſſumdedit, dicere non poteſt ſe deceptum fuiſſe, vel erraſſe, ſed mendacium ſuum fateri debet, & oppoſitum etiam juramento interpoſito confirmare; immo & ſi opus ſit, teſtes adhibere, qui diffamati innocentiam teſtentur. Et primum quidem non licere manifeſtum eſt, quia apertum continet mendacium, quippe qui non ex errore nec ex deceptione, ſed ex vera malitia calumniam & excogitavit & eructavit, nec ſe æquivocatione tegat, quaſi diceret, ſe deceptum a Dæmone, vel erraſſe ex malitia, nam hoc non intelligunt Auditores, nec ſatis proximi famam in tuto ponit, vel æque ponit, ac ſi ſincere fateretur ſe proximum calumniaſſe. Quamobrem S. Th. hic q. 72. a. 2. ad 2. aperte docet, qui alterum diffamavit falſum dicendo, & injuſte, *teneri reſtituere famam confitendo ſe falſum dixiſſe.* Alterum vero ex doctrina conſequitur S. Th. docentis, teneri hujuſmodi diffamatores ad proximi famam ſarciendam *quantum poſſunt*, ideſt, ut explicavimus ſuperius, omni meliori modo; ideo quotieſcumque ad juſtam ſatisfactionem neceſſarium ſit & juramentum apponere, & teſtes adducere, hæc non erunt ullo modo omittenda.

Con-

Conſectarium Tertium.

III. Non tenentur hæredes calumniatoris vel diffamatoris fato jam functi, læſam ab ipſo famam proximi ſarcire, at adſtringuntur calumniæ & infamiæ, ſi qua ſuperſunt monumenta, deſtruere, & realia, quæ a calumnia vel diffamatione orta ſunt, temporalia detrimenta ſarcire. Primum omnino certum eſt, & manifeſte patet, cum retractatio, & alienæ famæ reparatio debitum ſit perſonale, non reale, quapropter ad hæredes non tranſit. Alterum vero conſtat, nam retinere alienæ infamiæ monumenta, etiam ab alio producta vel exarata, eſt alieno ſceleri communicare, quamobrem ſi quæ repererint Auctoris ſui ſatyras, chirographa, epiſtolas alienæ famæ detractorias, eas comburere, & lacerare tenentur, nec ſatis eſt eadem caute cuſtodire, ne in aliorum manus deveniant, cum ſemper periculum ſit ne evulgentur, vel ne aliquis etiam de familia abutatur ad proximi nocumentum, niſi forte ita cum domeſticis neceſſariis documentis annexa forent, ut ſine familiæ damno deſtrui non poſſent; tunc enim ita erunt ſolicite cuſtodienda, ut innocentibus hæredibus prodeſſe poſſint, nunquam vero diffamatis obeſſe. Si qua vero ex diffamatione conſecuta ſunt realia damna, hæc erunt ab ipſis hæredibus ſarcienda, cum hæc ſint onera realia, quæ ipſam hæreditatem comitantur; proinde qui commodum ſentit, & incommodum reſtitutionis ſentire debet, nam beneficium hæreditatis hoc onere gravatum conſequuntur.

Conſectarium Quartum.

IV. Quando duo ſe invicem diffamarunt, uterque tenetur alterius famam læſam reſtituere, licet alter recuſet; nec licita eſt ullo modo compenſatio, per quam uterque diffamator ab onere retractationis liberetur. Conveniunt pene omnes Theologi 1. in inæqualitate diffamationis locum non habere compenſationem, ſed qui majus intulit diffamando nocumentum, quod ipſi ab altero obvenit, teneri ad reſtitutionem, & retractationem. 2. Quando unus diffamator paratus eſt palinodiam canere, & læſam famam ſarcire, pari onere teneri & alterum. 3. Nec licere propriam famam læſam ſarcire diffamatorem infamando, falſum illi crimen imponendo; vel occultum injuſte detegendo, ut oſtendimus cap. 2. Quando vero uterque diffamator & æquale intulit, & æquale paſſus eſt nocumentum, dum unus ſatisfactionem, & famæ alterius reparationem detrectat, num adhuc alter teneatur famam læſam retractatione reparare, diſputant Theologi. Nonnulli etiam nobiliores ſcriptores, inter quos & Natalis Alexander, & ſanæ doctrinæ propugnator Franzoja, putant non teneri. Hæc autem proferunt ſuæ doctrinæ argumenta. Jura horum ſe diffamantium ſunt paria, quamobrem ſi alter alteri ſatisfacere, famamque læſam ſarcire recuſet, alter quoque reſtitutionis onere non gravabitur. Quod confirmat ex Regula juris ab Innoc. III. conſtituta in extra. de Adulteriis dicens: *Paria crimina compenſatione mutua delentur*. 2. Et revera, qui juri, quod alteri in ſe competit, renuit ſatisfacere, jus ſuum contra ipſum amittit; ſic adulter jus in corpus alterius conjugis amittit; qui damnum ab alio paſſus eſt, non poteſt damni reparationem poſtulare, ſi ipſi alteri alter æquale intulerit damnum. Qui famam alterius læſam reſarcire recuſat, ſi ſuæ læſæ famæ reparationem poſtulet, iniquus profecto erit, & injuſtus, & ab æquo judice cum indignatione repelleretur; ergo nullum jus habet petendi reſtitutionem famæ a ſuo denigratore; ergo hic nullum debitum ſatisfaciendi. 4. In contractibus, qui per injuriam reſilit, jus tribuit alteri ut ipſe quoque reſiliat; ergo idem dicendum in caſu noſtro: nam jura tum ex contractu, tum ex reciproco delicto orta, paria ſunt. Oppoſitum vero ſentiunt plures nobiliores Theologi Cajetanus, Valentia, Henricus a S. Ignatio, aliique a Concina citati, qui ſtrenue propugnant tamquam probabilius, teneri diffamatorem læſam famam reſtituere, vel ſarcire, licet alter, a quo pari pacto diffamatus fuit, reſtitutionem detrectet. His argumentis utuntur, quæ & mihi efficaciora videntur, ac proinde lubens illis adhæreo. 1. Præcepto caritatis lege Evangelica confirmato *malum pro malo reddere & maledictum pro maledicto* vetamur, & ex oppoſito jubemur ut malum bono vincamus, & pro malis bona retribuamus. Porro qui in facta diffamatione perſiſtit, quia alter pariter æque perſiſtit, malum pro malo rependit, & maledictum pro maledicto. Minime, reponit Franzoja, non malum pro malo rependit, ſed bonum, quod juſtitia ab eo non exigit, facere omittit. At ſi bene advertat doctus Auctor, denegatio reſtitutionis famæ non eſt mera omiſſio actus boni, ſed eſt pertinacia & obfirmatio in malo. Infamia enim alteri illata peccatum fuit, hoc peccatum perſeverat uſque dum pœnitentia deleatur; deleri autem non poteſt, niſi ipſa tollatur infamia. Præterea, qui læſam famam non reſarcit cum poſſit, vult ipſam infamiam perſeverare; ergo vult quod de ſe eſt intrinſece malum; tenetur igitur famam ſarcire: nec ex eo, quod alter par officium recuſet, ſequitur velle alterius infamiam non eſſe intrinſece & de ſe malum; non igitur bonum, quod juſtitia ab eo non exigit, facere omittit, ſed in malo perſeverat, & pertinaciter obfirmatur, quod illi lege evangelica prohibetur. Nequaquam, reſpondet Franzoja, nam caritas non urget ut ſuccurramus patientibus malum ex eorum maligna voluntate, ſed mala, quæ ex mala voluntate oriuntur, recte permittuntur; hic igitur dum famam non reſtituit, quia ab alio æqualis reſtitutio denegatur, infamiam alterius tantum permittit. At cum infamiæ malum ſit ab ipſo diffamatore illatum, dum illud non removet, non ſolum non permittit, ſed poſitive perſeverare vult, & permanere. Verum, ſit ut lubet mera permiſſio, at hæc ex prava actione orta eſt, quæ ſemper virtute in ſuo effectu perſeverat, & a mala voluntate conſervatur, quæ malum quod intulit perſeverare vult, & malæ ulterius voluntati mala voluntate reſpondet. Præterea caritas, quam Deo debemus & nobis, permittit ne ut in prava voluntate perſiſtamus,

ſtamus, & malum proximi perſeverare velimus, quia ipſe in æquali mala voluntate perſiſtit, & æquale malum nobis infert? Nemo profectò hoc Deo placere, & nobis prodeſſe ad ſalutem arbitrabitur. 2. Velle quod proximo maxime nocet, nullo autem modo tibi prodeſt, eſt velle malum proximi, quatenus ejus malum eſt, quod profectò nedum caritati, ſed & juſtitiæ adverſatur. Porro hoc eſt quod contingit in caſu noſtro. Qui enim infamiam, quam intulit, non aufert, vult malum proximi, illius ſcilicet infamiam perſeverare; porro hujus infamiæ perſeveratio nihil ſuæ famæ prodeſt, quæ per hoc non reſtituitur, nec ſarcitur, vult igitur malum proximi ut malum ipſius, non ut ſibi aliquo modo bonum. Dum ille fur habetur, quia tu ut talem traduxiſti, non per hoc ceſſat quin tu fraudulentus aleator habearis, ut pariter ab illo diffamatus es. Quid igitur quæris dum retractationem detrectas? Non aliud mihi videre videor, quam pertinacia pertinaciam vincere, vel vindictam de vindicta ſumere. 3. Magnum diſcrimen eſt animadvertendum inter compenſationes civiles pro pactis & contractibus, & inter compenſationes criminales pro delictis; in illis compenſatio omnimodam æqualitatem inducit in utraque parte, & quod bonum eſt uni, eſt & alteri pariter bonum, ut patet innumeris exemplis: tu mihi debes centum ex mutuo, ego totidem tibi debeo ex emptione tuæ rei; dum tu mihi mutuum non reddis, nec ego tibi pretium mercis, juſta eſt compenſatio, æque enim mihi ac tibi bonum eſt, pecuniam quam erogare deberemus, retinere. Pari pacto domum mihi incendiſti, & ego agrum tuum depopulatus ſum, par eſt utriuſque damnum, bonum utrique reparationem damni non poſtulare; cum neutrius minuatur pecunia. At non ita in pari denigratione famæ; dum enim tu famam meam quam læſiſti reparare recuſas, nullum tibi provenit bonum, nulla utilitas, nam infamia, qua alter te aſperſit, perſeverat, ſicut & perſeverat illa, qua alium aſperſiſti: illicitum igitur & iniquum hoc compenſationis genus, per quod utrique malum provenit, nulli bonum. Compenſatio igitur, quæ ſolum locum habere poteſt in criminalibus, & quæ a jure conceditur, eſt mutua condonatio, & remiſſio; quamobrem licebit quidem hiſce mutuis diffamatoribus pacem & reconciliationem fraterna caritate inire, & amicitiam redintegrare viciſſim, remittendo diffamationis debitum, & hoc eſt quod ſtatuit Innoc. III. verbis ſuperius recitatis.

Supereſt, ut adverſantium Theologorum argumenta expendamus. Paria ſunt jura, inquiunt, ſe mutuo diffamantium. Utique, ſed in his ſolum, 1. quod uterque æquale jus habet ad petendam famæ reſtitutionem. 2. Quod ambo poſſunt ſibi mutuo ſatisfactionem condonare; non vero in hoc, quod pertinacia unius alterius pertinacia penſetur, & malæ unius voluntati mala alterius voluntas reſpondeat, hoc enim Evangelico præcepto caritatis adverſari, & ſaluti æternæ obeſſe oſtendimus. Amiſſio juris in adultero ſupra corpus conjugis innocentis pœna eſt a legibus tum civilibus tum canonicis inflicta, unde nihil ad rem noſtram. Immo potius ex hoc contractu inſtaurari poteſt argumentum contra oppoſitam ſententiam. Sicut enim non licet uni conjugum alteri debitum petenti denegare, quia alter quoque ad reddendum requiſitus injuſte antea denegaverit, quippe quia jus in utroque petendi, & onus reddendi ex ipſa indole matrimonii radicatur, quod unius fraudatione nequaquam diſſolvitur, ita pari pacto jus petendi famæ læſæ reſtitutionem in utroque, & onus ejuſdem reſtitutionis in æterna Dei lege hoc jubente fundatur, quæ unius vel alterius pertinacia minime tollitur: tu igitur lege divina teneris famam injuſte læſam reſtituere, at alter par officium quod debet detrectat, per hoc ne ceſſat urgere Divinum præceptum, aboletur ne lex Divina? Abſit. Non urget, inquit Franzoja, in noſtra ſpecie præceptum reſtitutionis, nec lex divina obligat, ſicut nec urget nec adſtringit, cum agitur de reſtitutione rei temporalis illi facienda, qui pari onere tenetur, ſed fit mutua compenſatio. Verum diſcrimen inter famæ, & bonorum temporalium mutuam reſtitutionem jam mox dedimus. Hic igitur addimus, mutuam illam compenſationem in bonis temporalibus eſſe divinæ legi conformem, quæ jubet æqualitatem ſervandam; at in reſtitutione famæ læſæ quænam, amabo, lex invenitur, quæ non dicam jubeat, ſed vel ſolum permittat, utrumque diffamatorem in mutua infamia perſeverare, & ſinat infamiam infamia compenſari, pertinaciam in malo ſimili pertinacia redimi? At, ſubdit Franzoja, iniquus eſſet qui nolens læſam famam reſtituere, vellet tamen, & a judice peteret ſuam ſibi ab alio reſtitui. Utique iniquus eſſet, at non quia propriæ famæ reſtitutionem petit, petit enim quod juſtum eſt, ſed quia alienam ſarcire recuſat, ad quod tenetur. Quamobrem juſtus judex hos mutuos diffamatores non tamquam innocentes a ſuo Tribunali dimitteret, ſed potius ut pertinaces in infami delicto, cauterio fronte ſignatos publicæ ignominiæ & ludibrio merito exponeret. Fieri ne igitur poterit, ut innocentes ſint apud Deum, quos judex juſtus tamquam ſontes, & in crimine pertinaces puniret? Quis ita deſipiat? Poſtremum argumentum deſumptum ex paritate illius, qui injuſte a celebrato contractu reſiliens jus tribuit alteri ut reſilire poſſit, non urget: nam præter diſcrimen, quod jam dedimus inter reſtitutionem famæ, & rerum temporalium, inter crimina & contractus adhuc principium quod tamquam certum ſtatuitur, non ſemper eſt verum, ut patet in matrimonio, in quo licet par ſit jus in utroque conjuge, injuria tamen, qua alter denegat debitum, non tribuit alteri jus pariter denegandi, ſed uterque in denegatione peccat, cum non liceat injuriam injuria compenſare, peccatum peccato punire. Recentior Probabilioriſta putat, poſſe a retractatione abſtinere diffamatum in caſu noſtro, ne confirmet infamiam ſuam augendo auctoritatem alterius ſua retractatione. At non video, quale augmentum famæ illi accreſcat, quem tu infamaſti, cum vix retractatione tua ablatam famam integre reſtituas, & infamiæ macula diffi-

difficillime abſtergatur omnino; unde ajebat impius ille, *calumniare*, *calumniare*, *ſemper aliquid remanet*. Sicut non apparet, quomodo hæc reſtitutio augeat infamiam tuam, cum enim hæc retractatio ſit opus juſtitiæ rarum & difficile, audientes admirabuntur, laudabunt, extollent, & vix credent te reum criminis, quo alter te diffamavit, quem intuentur virum tantæ juſtitiæ, & virtutis; & ſic tua augebitur potius fama, quam minuetur. Hæc ſunt utriuſque partis argumenta, & reſponſiones, quæ hoc ſaltem efficiunt, ut res ſit admodum dubia, proinde juxta Chriſtianæ ethices regulam tutior pars ſit eligenda, nec diſcrimini ſalus æterna committenda.

Conſectarium Quintum.

V. Qui publicis libellis, ſcriptis, ſatyris famam alterius, vel etiam ſolum honorem, læſit, tenetur publica retractatione pari pacto vulgata & peſſumdatam famam, & læſum honorem ſarcire. Ipſa naturalis ratio hujuſce Conſectarii veritatem oſtendit; non enim alio modo vel famæ, vel honoris injuſte læſi æqua reparatio haberi poteſt. Quamobrem primo tenentur infames libellos, & ſatyras quantum poſſunt eliminare, & de medio tollere. Dein, ut docet Natalis Alexander de peccatis cap. 9. art. 5. Reg. 30. „ aliis libellis ſeu carminibus retractare quæcumque falſa, contumelioſa, injurioſa in proximum ſcripſerunt. Illos celebrare & ornare laudibus, quorum famam proſciderunt libellis, aut carminibus maledicis, ſeu ſatyris; Libellos encomiaſticos ſeu carmina in laudem hujuſmodi Perſonarum edita iiſdem in locis affigere, exponere, diſſeminare, diſtribuere pari numero, quo famoſi libelli aut carmina maledica diſtributa ſunt, manuſcripta, ſi libelli famoſi, verſuſque maledici manuſcripti fuerint, ac typis excuſa, ſi typis edita. Id niſi ſufficiat ad abolendam infamiam, quam proximo aſperſerunt, dare operam debent, quantum in ipſis eſt, ut Curati & concionatores hujuſmodi libellorum improbitatem aut falſitatem populo denuntient, nullam fidem ipſis adhibendam chriſtianæ Plebi ſignificent: gravis peccati reos fore, qui male ſentirent de perſonis illuſtribus, quarum famam proſcindunt, libellorum auctores crimen ſuum agnoſcere, & execrari, Pœnitentiæ ſenſu commotos, veniam precari, & ſecundum conſilium & arbitrium Sacerdotum, apud quos peccata ſua depoſuerunt, ſatisfacere velle. Tandem ab iis, quos læſerunt, injuriæ condonationem humiliter petere debent ſi periculum abſit, & Sacerdotes, viroſque pios interceſſores adhibere, ut illam obtineant". Porro ſi hæc vera ſunt, ut ſunt veriſſima, væ Auctoribus infamium illorum libellorum, qui poſtremis annis adverſus inſignes celebres pioſque Theologos, immo & integras Communitates conſcripti ſunt, væ illorum adprobatoribus, illiſque, qui vulgarunt. Illorum infamiam & nos deteſtati ſumus, & publicis libellis confutavimus. Qui vero adeo procacis & maledicæ linguæ ſunt, ut in more habeant de omnibus male dicere, & quacumque data occaſione alienæ famæ detrahere, occulta vel obliterata crimina in faciem exprobrare, cum impoſſibile ſit, ut unicuique in particulari ſatisfaciant, debent publica pœnitentia vel ante Eccleſiæ fores, vel prope altare commiſſa ſcelera expiare, & ipſi per ſe, vel ſaltem per os Parochorum in publica concione omnia maledicta revocare, omnibus læſis veniam petere, & ita animæ ſuæ proſpicere. Cum iſti maledici in Civitatibus, Oppidis, Pagis non deſint, immo nimium fortaſſis abundent, ubinam tamen hæc publicæ pœnitentiæ ſigna viſuntur?

Conſectarium Sextum.

VI. Illatæ injuriæ vel læſæ famæ condonatio reum ab onere ſatisfactionis & reſtitutionis liberat, dummodo tamen infamia, & dedecus in alios a condonante diſtinctos non redundet. Et primo quidem poſſe Chriſtianum hominem famæ vel honoris læſi condonationem concedere juſta de cauſa ob bonum ſcilicet caritatis & pacis conſervandæ, vel ad humilitatis & patientiæ meritum, nullus ambigit, & docet S. Th. hic q. 73. a. 4. ad 1. ſcribens: *Sui arbitrii eſt detrimentum ſuæ famæ* (vel honoris) *pati*, *niſi hoc vergat in periculum aliorum*. Facta autem condonatione, reum ab onere reſtitutionis, vel ſatisfactionis liberum evadere ſponte conſequitur, a quo tamen non liberatur, ſi infamia vel dedecus in alios a condonante redundet, ut contingit in illis, quorum fama eſt aliis vel utilis vel neceſſaria, cujuſmodi eſt fama Prælati, Paſtoris, Concionatoris, Doctoris, Magiſtri, vel etiam Religioſorum Virorum, & mulierum, quando illorum infamia in detrimentum vergit Communitatis, vel Ordinis, cujus ſunt partes. Similiter quando infamia parentum, fratrum, ſororum, in filios, alioſve fratres, vel ſorores redundet; qui ob alterius infamiam vel dedecus a Beneficiis, Officiis, honoribus, honeſtiſque nuptiis arceantur; nam in hiſce caſibus non ſufficit læſi condonatio, cum ipſe quidem ſuæ famæ detrimentum ſubire poſſit, at aliis nocere omnino non poſſit. Porro privata condonatio certa eſſe debet & aperta, quæ proinde fiat vel verbis, vel patentibus ſignis illam clare indicantibus. Quamobrem ſi in fama vel in honore læſus cum lædente amice converſetur, illi benevolentiæ ſigna exhibeat, non per hoc cenſetur vel reſtitutionem vel ſatisfactionem remittere, ſed ſolum nullum in corde vel odium vel iram habere, vel illam injuriam patienter ferre, vel etiam injuriam condonare, non tamen onus remittere vel reſtitutionis, vel ſatisfactionis; proinde niſi alia adſint luculentiora condonationis argumenta, ad ſatisfactionem, vel reparationem erit cogendus.

Conſectarium Septimum.

VII. Non licet injuſte diffamato ſe occulte compenſare in bonis fortunæ diffamatoris, licet iſte inique & pervicaciter læſam famam ſarcire detre-

detrectet. Recentiores Theologi, qui doctrinam de occulta compenſatione mirifice propugnarunt, & ita etiam dilatarunt, ut ad eam aliquo modo compeſcendam Sedes Apoſtolica in famulis & ancillis domeſticis prop. 37. ab Innoc. XI. proſcripta damnaverit, cenſent locum obtinere poſſe & in læſione famæ. Quamobrem docet Molina Tom. 4. de juſt. & ju. Tract. 4. diſp. 49. „ Quando unus alterum injuſte infamavit, „ neque ut tenebatur, vellet famam illi reſtituere, tunc injuſte infamatus, qui damnum alteri non dediſſet, poſſe in pecunia compenſare „ damnum famæ in quo eſt, idque non ſolum „ non ſolvendo debitum antiquum occultum, „ quantum ad æqualitatem ſufficere judicaretur „ ad competentem compenſationem, ſed etiam „ occulte accipiendo de novo, quantum ſatis eſt „ ad eandem compenſationem, dummodo interveniant conditiones omnes requiſitæ, ut licite „ in conſcientiæ foro fiat occulta compenſatio „ debiti “. Quam doctrinam laudant, & amplectuntur Salmanticenſes, aliique Theologi ab ipſis laudati. Verum eam jure adprobari minime poſſe puto, eamque adverſari legali ſive commutativæ juſtitiæ, & ea probant argumenta omnia, quibus ſuperius occultam compenſationem in bonis fortunæ illicitam oſtendimus, tum peculiaria, quæ adverſus ipſam militant argumenta. Nam 1. tametſi ſuperius docuerimus, injuſtum diffamatorem, quando injuſte ablatam famam non poteſt reſtituere, ad compenſationem teneri pecunia, vel aliis temporalibus beneficiis; eam tamen doctrinam non tamquam abſolute & omnino certam, & evidentem tradidimus, ſed ſolum ut probabiliorem juſtitiæ rectæque rationi magis conformem: quamobrem tale debitum in lædente, & illi reſpondens jus in læſo non eſt omnino certum; porro pro debito incerto, & pro jure non omnino liquido fieri non poteſt compenſatio, ut ipſi occultæ compenſationis Patroni docent, & affirmant; ergo non licebit læſo in fama certo ſpoliare bonis fortunæ ſuum diffamatorem; hoc enim pacto pro incerto jure certam ſibi ſumeret compenſationem, & certo proximum re ſua ſpoliaret. 2. Semel conceſſa occulta compenſatione famæ per bona temporalia latiſſimum aperitur oſtium, & patens ſternitur via furtis; nam cum frequentes ſint diffamationes, raræ vero retractationes, fient etiam frequentiora furta & latrocinia, & quilibet in fama læſus ſibi licere arbitrabitur, detractorem famam reſarcire detrectantem vel bonis ſpoliare, vel pecuniam illi debitam fraudare. 3. Hæc compenſatio cujus fiet arbitrio? Num ipſius diffamati, an alterius pii prudentiſque viri? Si primum. Quis judex eſſe poterit in cauſa propria? Quiſque, quam facile propriam famam plurimi pendit, ac proinde etiam grandem pecuniæ vim ſibi vel retinere, vel uſurpare licitum exiſtimabit. Si ſecundum. Quis pius, prudens, cordatuſque vir vel poterit, vel voluerit inaudita parte ſententiam ferre, & inauditum ſua pecunia, cujus certus & pacificus eſt poſſeſſor, ſuo arbitrio ſpoliare? 4. Denique quis non deteſtetur Theologorum hanc doctrinam propugnantium inconſtantiam, ut mitius dicam, & levitatem? Nam dum ex una parte propugnant, non teneri, qui alienam famam injuſte læſam reſtituere non poteſt, ad compenſationem in pecunia, cum fama & pecunia bona ſint plane diverſi, diſpariſque generis, quamobrem nullum agnoſcunt vel in lædente debitum, vel in læſo jus ad hujuſmodi compenſationem, & tamen ex altera parte facultatem concedunt læſo ſe occulte compenſandi, hinc debitum illud in uno, & jus in altero, quæ prius infracte inficiabantur, coguntur agnoſcere; & ſic ex uno eodem ore & frigidum halant & calidum. At inquiunt, hoc concedit Probabiliſmi doctrina, quæ utramque partem probabilem admittit. Fateor, & agnoſco, quod arbor mala non poteſt bonos fructus facere; eradicanda igitur arbor mala, & in ignem projicienda.

Conſectarium Octavum.

VIII. Filii-familias, qui parentes ſuos inhonorant, vel contumeliis, irriſionibus, temerariis verbis, audacibus reſponſis dehoneſtant, ſunt a ſacris Miniſtris, etiam denegata abſolutione, cogendi ut Parentibus ſatisfaciant veniæ petitione, & aliis etiam humilioribus modis juxta offenſæ gravitatem. Nulli enim majorem honorem deferre debent filii-familias quam parentibus, a quibus vitam, ſalutem, bona omnia, quæ habent, acceperunt; ſicut itaque graviſſime peccant, ſi illos vel honorare detrectent, multoque magis ſi dehoneſtent, ita arctiſſime tenentur pro illatis injuriis illis ſatisfacere; quamobrem a ſacris Pœnitentiæ miniſtris ſunt cogendi ad exhibendam læſi honoris reparationem, & certe ad veniæ petitionem, quæ juxta gravitatem injuriæ humiliori modo eſt facienda, ſpectata etiam filiorum & parentum conditione, gradu, & dignitate. Nec ab onere eos liberent Sacri Pœnitentiæ miniſtri vel ob minuſculam ætatem, vel ob parentum lenitatem, quippe qui facile injurias filiis condonant, ſed pueros & adoleſcentes compellant ad veniam petendam, ut & gravitatem offenſæ non ſolum cognoſcant, ſed & ſentiant, & ſimul aſſueſcant debitum honorem exhibere parentibus, nec eorum amore, fortaſſis aliquando modum excedente, abuti. Quod ſi eo uſque proceſſerit audacia filii, ut parentum honorem læſerit non ſolis verbis, ſed factis verberando, pugnis vel alapis dehoneſtando, debet non ſolum veniam petere, ſed patrati ſceleris dolorem ſuum oſtendere eam petendo genibus flexis, fune ad collum alligato, manus oſculando, pedes ſtringendo, & baculum porrigendo, quo ab ipſis Parentibus pro merito petat puniri, & ita curet omne mœroris & triſtitiæ vulnus, quod alte in corde parentum inſidet, lenire, tollere, & ſanare: quod ſi hoc facere detrectet Filius, cum per hoc oſtendat nec ſe patrati ſceleris gravitatem agnoſcere, nec de illo prout oportet pœnitere, beneficium abſolutionis omnino denegent. Quod de filiis-familias diximus, eſt, debita ſervata proportione, & de Religioſis ac Clericis reſpectu ſuorum Prælatorum & Superiorum intelligendum.

REFLEXIO.

„ I. Tria (ſcribit S. Gregorius M. lib. 5. Mor. „ c. 11.) ſunt hominum genera, quæ gradatim „ ductis a ſe qualitatibus diſſident. Sunt namque „ alii, qui ad loquendum prava concipiunt, & a „ locutione ſua nulla ſilentii gravitate refrænan- „ tur: ſunt alii qui cum prava concipiunt, magno „ ſe ſilentii vigore reſtringunt: & ſunt nonnulli, „ qui virtutum uſu roborati uſque ad eam celſi- „ tudinem provehuntur, ut ad loquendum ne in „ corde quidem perverſa concipiant, quæ ſilen- „ do compeſcant ". Porro heu, quot ſunt primæ claſſis, qui de proximis facile admodum prava concipientes in iniqua judicia, in falſas ſuſpiciones prolabuntur! Maxime autem præcipites in proximis dijudicandis, damnandiſque ii dignoſcuntur, qui ſegnes ſunt in ſemetipſis diſcutiendis. Hos merito piiſſimus Gerſonius ſer. de 4. domibus in 3. domo, hiſtrionibus paraſitiſque aſſimilat; „ qui nullibi rarius quam in propria do- „ mo moram faciunt, nullibi moleſtius. Modo „ per curias diſcurſant cum adulatione, ambitio- „ ne, detractione, nunc inter muliercularum gre- „ ges volutantur cum libidine; frequentiſſime ve- „ ro inter auri argentique cumulos incedunt ... „ navigant maria, aera pervolant, humi repunt, „ prout ſtimulantium curarum varietas tranſverſos „ præcipitaverit. Qui ſi apud ſe quærantur, il- „ lud habetur reſponſi, *non eſt vir in domo ſua*. „ Horum quilibet ut in domum ſuam eat, nec „ ſe deferat, monendus per vocem Chriſti ſaluti- „ feram, *vade in domum tuam* ". Hos itaque recte monet S. Fulgentius ſerm. de verbis Michææ, *indicabo tibi homo* ſcribens: „ Revertere ad te o „ homo, in te quære accuſationem, in te quære de- „ fenſionem, in te quære judicium. Immo tu eſto & „ accuſator, & defenſor, & judex. Intra in ſecre- „ tarium cordis tui, ubi ſoli te vident oculi Domi- „ ni Dei tui, ibi te accuſa, ut valeas excuſatione „ defendi, ibi te convince, ut victoriam poſſis a- „ dipiſci, ibi te condemna, ut merearis abſolvi, „ ibi te puni, ſi vis ab æternæ punitionis ſuppli- „ cio liberari. Fac in te, Chriſtiane, verum re- „ ctumque judicium, ſollicite ſecreta tui cordis „ attende, facta tua mala tibi ante oculos tuos „ pone, quæcumque deleveris, in intimo libro „ tuæ recordationis recenſe, frequenter ea relege, „ ſine conniventia te ipſum diſcute tu ipſe, & „ cogitationum tormentis afflige. Tu in te ju- „ ſtam ſententiam prome, quidquid mali feceris „ peccando, puni veraciter pœnitendo, & judex „ effectus peccatorum tuorum quod facere ſolent „ judices capitalibus reis, hoc ipſe fac iniquita- „ tibus tuis. Noli accipere perſonam tuam cum „ judicas cauſam tuam, ſe cum ſeveritate diſcu- „ te mala tua, cum rigore in peccata tua ſenten- „ tiam condemnationis prome, & peccata, quæ „ in te condemnas, occide ". Profecto quiſquis huic ſaluberrimo obtemperat documento, haud temere in aliorum facta ſententiam proferre nec cogitat, nec audet, quippe qui circa ſeipſum occupatus aliorum perſcrutandis moribus vacare non poterit.

II. Nec infrequentior eſt ſecunda claſſis, illorum nimirum, de quibus ſcribit S. Gregorius „ qui & ad loquendum prava concipiunt, & a „ locutione ſua nulla ſilentii gravitate refrænan- „ tur ". De iſtis merito dici poteſt cum Regio Pſalte pſal. 63. *Exacuerunt ut gladium linguas ſuas*, & Chriſtum in proximo occidunt gladio linguæ; niſi enim lingua quadantenus gladius eſſet, non alibi diceret idem Pſaltes pſal. 56. *Filii hominum dentes eorum arma, & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus*. Hi ſunt, qui in pace Eccleſiæ graviſſimam excitant perſecutionem, dum vel proximum irriſionibus, & cachinnis a bono revocant, & bonos conſtanter perſeverantes in via veritatis calumniis, detractionibus, mendaciis perſequuntur, proſcindunt, dilaniant, ac proinde veriſſimum efficiunt illud Apoſtoli oraculum: *qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur*. „ Quæ ſane „ perſecutio (S. Leo M. in Epiſt. ad Ruſticum „ ſcribit) non in eo tantum computanda eſt, „ quod contra chriſtianam pietatem aut ferro, „ aut ignibus, aut quibuſcumque ſuppliciis agi- „ tur, cum perſecutionum ſævitiam ſuppleant & „ diſſimilitudines morum, & contumaciæ inobe- „ dientium, & malignarum tela linguarum ". Et certe gravior ea eſt perſecutio, cum pietas ipſa petulantibus cachinnis excipitur. Imitantur hi profecto irreligioſam Michol, quæ Davidem ante Arcam ſubſilientem irriſit, & ſacram in eo veſtem (*induebatur* enim *ephod lineo*) ſcurrilitatis ac ſtultitiæ nomine contempſit. Non tamen ob hoc pius Dei cultor a pietate avocetur, & bonum quod proſequitur iter relinquat, quin potius in eo glorianter exultet, in quo vileſcit ſacrilegus, nec dubitet cum pio Rege dicere: *ludam, & vilior fiam pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis*. Non impunita tamen abibit prophana lingua, quæ pietatis officia deridet, ideoque prolem ex Davide nunquam ſuperba & improba Michol jure & ipſa contempta, ſuſcepit. Sed longe gravius eſt perſecutionis genus viris bonis, quando ſcilicet cum innocentiam deſtruere, atque expugnare non valet, inimicus conatur excogitatione mendacii & falſorum criminum famæ maculas aſpergere. Hoc opus diaboli appellat Sanct. Cyprianus epiſt. 52. „ qui ſervos Dei mendacio lacerat, & opinioni- „ bus falſis glorioſum nomen infamat, aut qui „ conſcientiæ ſuæ luce clareſcunt, alienis rumori- „ bus ſordidantur ". Et ſane ita ſanctiſſimis viris contingit. Nam de ſanctiſſimo Pontifice & Martyre Cerulio a Novatianis *quædam inhoneſta & maligna* jactabantur. Divus quoque Ambroſius tamquam rebellis & tyrannus ab impiis & ſceleſtis viris paſſim traductus, quia Arianorum conatibus pro virili obſiſteret, eorumque rabiem & furorem compeſceret. Nec diſpari modo cum Auguſtino & Hieronymo actum eſt. Illum ſiquidem non obſcuri in Eccleſia homines, ſed Pelagiana fuligine aſperſi, quia Dei Chriſtique mediatoris gratiam hanc prædicabat, qua Deus in nobis ut velimus atque perficiamus potentiſſime ſecretiſſimeque operatur, quaſi hac ſua doctrina ſublato libero arbitrio, impudentiſſimis im-

imperitiſſimiſque vocibus Manichæum appellabant. Alter vero tanquam Origenis ſectator, quaſi illius placitis adhæreret, & dogmata probaret, fuit diffamatus, & a Pelagii fautoribus tanquam adverſus eum ſcripſiſſet invidiæ facibus inflammatus, invidus & calumniator audivit. Infinitus propemodum eſſem, ſi omnes inimicorum calumnias, mendacia, ſcommata, dehoneſtationes recenſere vellem in S. Athanaſium homicidii, ſacrilegii, impudicitiæ accuſatum; in Fulgentium Photiniani erroris nota laceſſitum; in D. Bernardum licet ſuavi planeque mellito ſermone loquentem, a Berengario de prophanatis Scripturis inepto quodam commentandi nugandique genere accuſatum, redargutumque. Mirum proinde non ſit, ſi quod Patribus noſtris contigit, hoc eorum filiis & ſectatoribus eveniat, ſi in reprehendendis vitiis libertatem, maledicentiam appellari, ſi diſciplinæ ſtudium, odioſæ ſervitutis nomine diffamari, ſi invicti, generoſi, pii animi conſtantiam, ſuperbiæ crimine defœdari, ſi in laboribus patientiam, ſi ab omni feminarum commercio abſtinentiam, ſilentii & ſolitudinis amorem, veluti ruſticitatem, inurbanitatem, ſtultitiam, hypocriſim traduci paſſim audiunt. Verum hæc Chriſtiani homines divinoque ſervitio addicti Clerici & Religioſi forti animo aſpernentur, & cum D. Hieronymo ita ſe ſolentur & dicant: „ Maleficum me quidam garriunt, titulum fidei ſecurus agnoſco; magum vocant, & Judæi Dominum noſtrum; ſeductor, & Apoſtolus dictus eſt. Tentatio me non apprehendat niſi humana, quotam partem anguſtiarum perpeſſus tum dum Cruci milito? Infamiam falſi criminis imputarunt; ſed ſcio per bonam & malam famam perveniri ad Regnum cælorum ... Nec fieri poteſt, ut abſque morſu hominum, vitæ hujus pericula quis pertranſeat, malorumque ſolatium eſt bonos carpere, dum peccantium multitudine putant culpam minui peccatorum “.

III. Verum nec a perſecutorum claſſe ſunt eximendi aſſentatores, nam plus ſæpe aſſentantium quam vituperantium lingua perſequitur, & nocet. Quis enim facile ſuum repudiat laudatorem? Quis libenter virtutes, dignitates, merita ſua commendari extollique non audiat? Omnes ſiquidem immodico noſtri amore tenemur, philautia trahimur, quamobrem ſermones ad voluptatem noſtram factos, atque compoſitos noſtrarum laudum & meritorum juſtum eſſe arbitramur teſtimonium, facile illis aures præbemus, de illis gaudemus atque gloriamur, & quandoque etiam ad eos habendos alios allicimus & invitamus. In quo quantum inſit periculi, optime noverat Regius Pſaltes, dum ajebat: *Avertantur retrorſum & erubeſcant, qui dicunt mihi, euge, euge.* Eapropter hocce periculum a ſe amoveri deprecabatur dum dicebat: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Non ignorabat ſiquidem quod ajebat Eccleſiaſtes: *Melius eſt a ſapiente corripi, quam ſtultorum adulatione decipi.* Audiatur D. Aug. Enarrat. in Pſal. 69. „ Duo ſunt genera perſecutorum vituperantium, & laudantium. Plus perſequitur lingua adulatoris, quam manus interfectoris, nam & ipſam caminum dixit Scriptura. Certe cum de perſecutione loqueretur Scriptura dixit: *tamquam aurum in fornace probavit illos* (de Martyribus interfectis) *& quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos.* Audi, quia & lingua adulantium talis eſt. *Probatio,* inquit, *argenti, & auri ignis, vir autem probatur per os laudantium.* Ignis ille, ignis iſte, de utroque te ſalvum oportet exire ... Si laudeiis ab adulantibus & aſſentantibus, & annueris, eris velut emens oleum non tecum portans, ſicut quinque virgines inſipientes, erit caminus fracturæ tuæ os laudantium te “. Quomodo autem & detrahentium & adulantium perſecutionem vitare debeamus, ſapientiſſime docet Sixtus Papa III. epiſt. 3. ad Orientales Epiſcopos ſcribens: „ Nec mirum ſi me perſequuntur æmuli mei, cum Caput noſtrum, quod eſt Chriſtus, olim æmuli Sanctæ Dei Eccleſiæ ſervorumque ejus ſint perſequuti. Unde & ipſa pro ſe Veritas dicit: *Si patrem-familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domeſticos ejus?* Qui iterum dixit: *Si de hoc mundo eſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret; ſed quia de hoc mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Hæc cum & nos ſciamus, & eadem ut alii norint prædicimus, voſque ea perfecte ſcire non dubitamus, propter inſidiantium vituperationes aut accuſationes, vel propter adulantium laudationes, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinare debemus, ſed inter verba laudantium ſive vituperantium ad mentem ſemper recurrendum eſt, & ſi in ea non invenitur bonum, quod de nobis dicitur, magnam id triſtitiam generare debet: & rurſum ſi in ea non invenitur malum, quod de nobis hominum ſermone jactatur, in magnam debemus lætitiam proſilire. Quid enim ſi omnes laudent, & conſcientia nos accuſet? Quid item ſi omnes quidem nos accuſent, & nos conſcientia liberos demonſtret? Habemus Paulum dicentem: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Job quoque dicit: *Ecce in cœlis teſtis meus.* Sinamus ſtultos foris loqui quod volunt. Quid enim aliud detrahentes quam in terram inſufflant, atque in oculos ſuos pulverem excitant, ut quo plus efflant detractionis, & minus quidquam videant veritatis “. Hactenus ſapientiſſimus Pontifex, cujus dicta quam vera ſint, oſtendit & Gentilis Vates, qui vel ſolo lumine naturali eamdem veritatem detexit, cum cecinit. Horat. ep. 16. lib. 1.

„ *Mordeor opprobriis falſis, mutemque colores?*
„ *Falſus honor juvat, & mendax infamia terret*
„ *Quem niſi mendoſum & mendacem?*

IV. Sed e contra, o terque, quaterque beati quotquot in tertia S. Gregorii Magni claſſe recenſentur, „ qui nimirum virtutum uſu roborati uſque ad eam celſitudinem provehuntur, ut ad loquendum ne in corde quidem perverſa concipiant quæ ſilendo compeſcant “. Hoc eſt, quod Hieronymus merito in Aſella laudabat

dabat illi ſcribens ep. 99. „ Tu bene facis, quod
„ ex tua mente etiam malos bonos putes, peri-
„ culoſum quippe eſt de ſervo alterius judicare,
„ at non facilis venia prava dixiſſe de rectis “,
Ne quis tamen putet, quæ mala ſunt poſſe dicere bona, & licere lucem tenebras, & tenebras lucem vel judicare, vel appellare; nam, ut ſubdit Doctor Maximus ep. 61. cap. 1. „ De illis, quæ
„ aperta ſunt & publica mala, judicare & redar-
„ guere cum caritate tamen & amore poſſumus
„ & debemus, odio habentes non hominem ſed
„ peccatorem, non vitioſum ſed vitium, dete-
„ ſtantes potius morbum quam ægrotum. Nam
„ publicus adulter, raptor, aſſidue ebrioſus, pro-
„ ditor, & ſuperbus, ſi judicati & caſtigati non
„ fuerint, implebitur in illis quod Beatiſſimus
„ Martyr Cyprianus de talibus dixit: *Qui pec-*
„ *cantem verbis adulantibus palpat, peccati fomi-*
„ *tem ſubminiſtrat....* In his periculoſe judica-
„ mus, quæ dubium eſt utrum bono an malo a-
„ nimo fiant... & quæ & pro Deo & pro hu-
„ mana gloria fieri poſſunt, & quia ignoramus
„ quo animo fiant, judicare penitus non debe-
„ mus “. Propter hæc dicit Dominus: *Nolite judicare, & non judicabimini*. Propter apertam vero iniquitatem dictum eſt: *Argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina*, & illud: *Juſtum judicium judicate*. Et hic noſter de Decalogi præceptis Tractatus conquieſcat, omnia ad Dei gloriam referentes, & ſapientum, præcipueque Sanctæ Matris Eccleſiæ judicio humillime ſubmittentes.

TRA-

TRACTATUS VI.

DE JUSTITIA ET JURE.

JUſtitiam diximus in Tract. de Officiis Hominum cap. 1. §. 1. *n.* 1. Habitum, ſecundum quem aliquis conſtanti, & perpetua voluntate jus ſuum unicuique tribuit. *Jus autem triplex diſtinximus*: 1. Quod eſt æquale, ac debitum alteri, *diciturque jus proprium uniuſcujuſque*. 2. Quod facultatem importat agendi, utendi, & fruendi aliqua re. 3. Leges ipſas declarantes, atque præſcribentes quid cuique juris, facultatis, poteſtatiſque circa aliquid competat. *Tria hæc a juſtitia ſpectari diximus, ſed diverſo fine, modo ibidem explicato. Illud vero jus juſtitiæ objectum eſſe oſtendimus, quod* 2. *loco poſitum eſt, cum illud ſit, in quod juſtitia tendit, & quod opere ſuo complet, nimirum, ut quilibet nec plus habeat, nec minus illo, quod ſibi de jure convenit: quamobrem æqualitatem reſpicit, eamque inducit, & quidem arithmeticam, ſi de commutativa juſtitia agatur, geometricam vero, ſi de diſtributiva, ut loco laudato oſtendimus. Nunc doctrinæ ordo poſtulat, ut, in quo jus, quod juſtitia reſpicit, ſitum ſit, quibus modis acquiratur, quomodo denique læſum reparetur, declaremus fuſius, & explicemus. Quamobrem tria ſunt accurate perpendenda, quæ tribus ſequentibus Tractatibus materiam ſuppeditabunt, nimirum* 1. *de Dominio*, 2. *De Contractibus, quibus vel dominium conſequimur, vel in alium transferimus*. 3. *De Reſtitutione, per quam jus alterius læſum, diminutumve ſarcimus. Illico igitur Divino invocato auxilio operi manum admovemus, & a Dominii explicatione exordimur.*

DISSERTATIO UNICA

DE DOMINIO.

CAPUT PRIMUM.

De Dominii natura, indole, & diviſione.

DOCTRINA.

I. *Dominii diſcrimen a jure.*
II. *Jus activum ad aliquid, in qua ſitum ſit poteſtate.*
III. *Poteſtas quomodo debeat eſſe legitima.*
IV. *Legitimæ poteſtati, qui contravenit, injurius eſt.*
V. *Jus generice ſumptum aliud in re, aliud ad rem.*
VI. *Magis late patet jus, quam dominium.*
VII. *Quid ſit Dominium generice ſumptum.*
VIII. *Duplex eſt, jurisdictionis & proprietatis.*
IX. *Dominium proprietatis aliud perfectum & plenum, aliud imperfectum & non plenum.*

I. DOminii indolem naturamque explicare non poſſumus, niſi aliqua de jure præmittantur. Dominium in jure ſeu facultate, vel poteſtate ſitum eſt ad aliquid habendum, retinendum, permutandum, conſervandum, & ad quod juſtitiæ debitum in altero exiſtens neceſſario refertur. Hoc tamen jus, ſeu facultas non idem eſt cum dominio, nec cum illo confundenda; magis enim late patet jus & facultas, quam dominium: omne enim dominium eſt jus quoddam, & certa poteſtas; at non omne jus, non omnis facultas eſt dominium, ut patet in conductore, qui jus habet & facultatem utendi domo, quam conduxit, at illius dominium non obtinet; & ſimiliter pater, & vir poteſtatem habent in alios & uxorem, illorum tamen domini minime exiſtunt, ut mox n. 6. fuſius oſtendemus.

II. Jus itaque ſumptum pro facultate, quod quidem etiam jus activum appellant, definiri poteſt accuratiori definitione ex pleriſque Theologis, & præſertim ex D. Th. *Facultas, ſive poteſtas legitima ad rem aliquam, vel ad aliquam functionem, vel quaſi functionem, cui ſi contraveniatur, injuria fit eamdem facultatem habenti.* Dicitur 1. loco *facultas ſive poteſtas*, talis videlicet habitudo ad aliquid, ob quam quis cenſetur aliquid poſſe: & poteſtas non qualiſcumque, qualis eſt violenta, qua latrones ad ſpolia a viatoribus detrahenda utuntur; nec naturalis, quæ & agentibus ratione, & arbitrio deſtitutis poteſt convenire, ut eſt poteſtas brutorum ad pabulum ſibi parandum, cum hanc ſub juris nomine deſignatam nunquam cognoverint Theologi, aut Juriſperiti; ſed talis poteſtas, quæ ſolis ratione præditis conveniat, & quidem legitima, ut ſequens dictio declarat, ideſt a lege conceſſa.

III. Immo non hoc ſolo nomine vox illa *legitima* addita eſt in definitione, ſed etiam ad varias de-

deſignandas juris ſive facultatis ſpecies, attenta conditione diverſarum legum, a quibus jus hoc ſive poteſtas confertur. Alia enim eſt facultas naturalis, alia poſitiva, quæ rurſum aut divina eſt, aut humana. Sic ad vitam per cibum, & potum ſuſtentandam, ad matrimonium ineundum, ad vim vi repellendam naturale jus ſive facultas cuique convenit: ad Sacramenta vero percipienda jure donati ſumus ex lege poſitiva divina, ſicut ad ſucceſſionem hæreditatis, ad præſcribendum, vel uſucapiendum certo tempore rem alienam, ad acquirendum, retinendum, poſſidendum, alienandum per varia contractuum genera ſolo humano jure idonei efficimur. Hæc autem facultas, ſive poteſtas vel habere ſe poterit per modum potentiæ activæ, ex. gr. cum confertur, vel competit ad aliquid agendum, vel retinendum; vel ad modum potentiæ paſſivæ, ut ſi jus habeas, ut alaris, ut cuſtodiaris, ut tibi ſerviatur &c. vel denique per modum potentiæ ad reſiſtendum, ut patet in facultate, & jure, quo quis obſtare poteſt, ne alius ædificet tali loco, ne feneſtram aperiat proſpicientem in domum vel hortum meum, ne altius attollat murum, quo domus meæ illuminationi officiat. Utraque autem potentia tum paſſiva, tum reſiſtendi in illis verbis indicatur, nimirum *ad rem aliquam*, ideſt vel obtinendam, ſi proſit, vel impediendam, ſi obſit; activa vero per ſubſequentia deſignatur, nimirum *ad functionem*, *vel quaſi functionem*: nomine autem functionis ea comprehenduntur, quæ ad liberum uſum membrorum, & rerum ſuarum pertinent; quaſi functio vero deſignat poſſeſſionem naturalem vel civilem, qua retinentur dominium, ſtatus, conditio, in qua quiſque invenitur, & exiſtit.

IV. Ultimo loco dictum eſt, *cui facultati ſi contraveniatur*, *fit injuria eam habenti*; quia revera injuria nihil aliud eſt, quam alieni juris violatio; quæ tamen violatio intelligenda eſt, ſi abſque legitima cauſa fiat: neque enim injurius eſt reputandus, qui gladium apud ſe depoſitum denegat repoſcenti ad ſuam vel alterius perniciem; nec Princeps, aut Reſpublica, dum civibus interminata pœna quemdam uſum vel ciborum, vel veſtium interdicit, ne ſumptus immoderati in perniciem boni communis vergant, vel ne homines nimium deliciis dediti molleſcant, & in vitia labantur, ipſis injuriam irrogat; id enim recte & ſalubriter conſtitutum eſt. Hinc nonnulli Juriſperiti fortaſſis exactius, ſed non melius, jus activum ſive poteſtatem definivere, *rationem aliquid pro arbitrio agendi*, *convenienter tamen naturæ rationali*, *& humanis legibus*.

V. Hoc autem jus generice ſumptum pro poteſtate, & facultate bifariam loco initio laudato diviſimus cum Theologis, nimirum *in jus in re*, *& jus ad rem*, quam diviſionem ibi ſolum indigitatam hic uberius explicamus. Jus in re itaque, ſive reale, illud eſt, quo certa quædam res ita fit alicui debita, ut quocumque devenerit, eamdem a quocumque illam retinente ita repetere poſſim, ut mihi abſque injuria nequeat denegari. Jus autem ad rem, quod etiam perſonale dicitur, eſt illud, quo non res ipſa, ſed perſona ita eſt devincta atque obſtricta, ut vel rem aliquam, vel æquivalens teneatur tradere repoſcenti ſub pœna violatæ juſtitiæ. Utriuſque juris ſit exemplum. Qui uni alicui equum vendidit accepto pretio, ſed equo nondum tradito, quem poſtea alteri vendit, & tradit; hic poſterior, qui & pretium ſolvit, & equum accepit, jus dicitur habere in re, ideſt in equo, adeo ut ſine juſtitiæ læſione a ſua nequeat poſſeſſione deturbari, & ad quemcumque devenerit equus, ipſo reluctante, deveniat & debitum illum ſuo domino reddendi. Prior autem, qui pretium ſolvit, & equum non recepit, dicitur jus habere ad rem, ideſt equum, quippe qui venditorem actione civili inſtituta compellere poteſt, vel ad dandum ſibi equum, vel ad pretium reſtituendum; immo actio quoque criminalis in foro exteriori conceditur contra hujuſmodi fraudolentos, quæ actio *Stellionatus* dicitur.

VI. Ex hactenus dictis patet manifeſte, jus ſumptum pro poteſtate latius patere, quam dominium, & iſtud, tamquam ſpeciem, ſub illo contineri, quippe quia non ſolum jus ad rem a dominio differt, ſed etiam plura alia realia jura ſine dominio inveniuntur; ut ſunt jus in pignus & hypothecam, jus uſuarii in re a ſe ad tempus conducta, & fere omnia jura, quæ ſe habent per modum poteſtatis paſſivæ, ut jus filiorum in parentes, ut alantur, & educentur, jus uxoris erga maritum, ut neceſſaria ſibi miniſtrentur, jus Chriſtianorum ad Sacramenta percipienda, & ut a ſuis Paſtoribus inſtruantur, & dirigantur. Nunc igitur de dominio dicendum eſt.

VII. Dominii vocabulum non unam obtinet, ſed multiplicem ſignificationem, quod an ſub una univerſali notione claudi queat, definire non auſim. Generica tamen, & univerſaliſſima ejuſdem notio hæc eſſe poteſt: *Dominium facultatem importat*, *poteſtatem*, *ſeu auctoritatem in aliquid*, *quod ſibi ſubjectum ſit*, *ſive res fuerit*, *ſive perſona*. Dominus enim juxta communem ſenſum ille audit, qui aliquid habet ſibi ſubjectum, in quod ſuam valet auctoritatem poteſtatemque exercere. Propterea D. Thom. quæſt. 7. de Potentia art. 10. ad 4. animadvertit, dominium ſic ampliſſime ſumptum duo neceſſario includere, & connotare, alterum ex parte ſubjecti, facultatem videlicet & poteſtatem, qua aliquid proprio jure, & nomine præſtare poſſit; alterum ex parte termini, ſubjectionem talem ſcilicet rei, ſive perſonæ, cujus cauſa dicatur ipſa eſſe alterius, & ab aliena pendere poteſtate. Verum ab hac ampliore ſignificatione ad ſtrictiorem progrediendum eſt, quæ melius intelligatur, ſi varia dominiorum diſtinctio prænotetur.

VIII. Primo itaque duplex dominium eſt diſtinguendum, aliud quod juriſdictionis dicitur, aliud quod proprietatis. Prius, quod a juriſdictione ordinaria vix poteſt diſcerni (a juriſdictione, inquam, ordinaria; nam delegata quæ ex commiſſione, & alterius nomine, vel ad Superioris præſcriptum alicui competit, dominium dicenda non eſt) *jus deſignat gubernandi perſonas ſibi ſubjectas*. Hujus gubernatricis poteſtatis actus ſunt, præcipere, prohibere, permittere, vindicare,

care, punire, remunerari, defendere, protegere, & hujuſmodi, cui juri annexum eſt, ac ex parte ſubditorum reſpondet debitum præſtandi emolumenta, & obſequia. Ratione itaque talis dominii Reſpublica, ſive Communitas illorum eſſe dicitur, qui domini vocantur, quatenus facultatem habent, & poteſtatem hæc omnia jura in eam, & in ejuſdem membra exercendi. Dominium hujuſmodi, ſicut & juriſdictionem (excluſo tamen univerſaliſſimo, & abſolutiſſimo Dei dominio) partiuntur Theologi in ſpirituale & corporale, ſive laicale & Eccleſiaſticum: utrumque paſſim in varias ſubalternas ſpecies, & infimas rurſum dividitur; nam reſpectu & comparatione etiam unius, & ejuſdem Communitatis multiplex dominium, & ad plures ordine quodam ſpectans, locum habere poteſt. Hinc frequentiora ſunt apud Juriſperitos nomina dominii alti, ſupremi, mediati &c. cui reſpondent dominia inferiora, immediata ſeu baſſa, ut illi loquuntur. Verum de hoc juriſdictionis dominio nobis hic agendum non eſt, quippe quod ipſum formaliter, & ſecundum ſe ſpectatum fundamentum, aut menſuram non conſtituit juris, ſive juſti illius, quod a commutante juſtitia reſpicitur; cum in inferioribus & ſubditis obligationem non inducat juſtitiæ, ſed obedientiæ. Propterea de ſolo Dominio proprietatis diſputatio noſtra procedit.

IX. Dominium iſtud proprietatis Juriſperiti in perfectum, & imperfectum, ſeu in plenum & non plenum dividunt, quæ diviſio & Theologorum conſenſu firmata eſt. At definitionem, quæ utrumque explicaret, & amplecteretur, neutri adinvenere; ſed eam dumtaxat aſſignarunt, quæ dominium perfectum, ſeu plenum exponeret, fortaſſe ea ducti ratione, quia ex illius notitia poſterioris quoque notio foret deducenda, & ex utriuſque comparatione, ſi qua eſſet inter ipſa dominia convenientia, vel diſconvenientia, facile colligeretur. Iſtorum igitur veſtigiis & ego inſiſtens perfecti dominii definitionem explicandam aggredior.

X. Bartolus in lege. *Si quis vi* §. *differentia n.* 4. in ff. de *acquirenda poſſeſſione*, dominium perfectum & plenum ſic definivit: *Jus perfecte diſponendi de re corporali, niſi lege prohibeatur.* Quam definitionem inferioris temporis Juriſperiti communiter ſunt amplexati. At Theologorum approbationem uſquequaque obtinere adhuc nequivit, præſertim cum juris Lucerna, dominium ad res corporales arctaverit, quippe qui cenſebat, rerum incorporalium, hoc eſt jurium, rigoroſum & verum eſſe non poſſe dominium, ſed quaſi dominium, non rigidam poſſeſſionem, ſed quaſi poſſeſſionem: idcirco eam ſic emendarunt Theologi: *Dominium eſt jus in re ſe extendens ad omnem ejus uſum, & diſpoſitionem, quæ lege non prohibetur.* Dicitur primo loco *jus in re*, quæ verba locum generis tenent, cum latius pateat jus in re, quam dominium: omne enim dominium eſt jus in re, at non viciſſim, ut patet in hypotheca, in pignore, in uſu, in uſufructu, & in jure mutuo quod habent conjuges in propria corpora, quæ omnia ſunt quidem jus in re, at dominium dici nequaquam poſſunt, cum hæc ad aliquid habendum ſolam facultatem importent. Subjungitur, tale jus eſſe dominium ſe extendens ad omnem rei uſum, & diſpoſitionem, ut his verbis differentia deſignetur pleni & perfecti dominii ab imperfecto, & non pleno. Proprium eſt enim perfecti dominii facultatem impertiri, ut quis poſſit re ſua uti pro arbitratu, eam vel ſibi retinendo, vel aliis donando, vel vendendo, vel etiam, ſi lubet, diſtruendo &c. quod non præſtant dominia imperfecta, & non plena, tam directa, quæ important dominium proprietatis nudæ ſine uſufructu, quam utilia quæ ſunt ſolius uſusfructus, vel uſus, quæ proinde in definitione excluſa ſunt; ſicut & excluditur dominium juriſdictionis, quippe quod ſolum in ſubditorum utilitatem, non pro dominantis libitu, tum humana, tum divina inſpecta inſtitutione eſt exercendum: ſicut etiam excluditur jus pignoris, & hypothecæ, & ſimilia; quamvis enim per hæc jus aliquod obtineatur in re ad aliquem determinatum effectum & uſum, non tamen indefinite ad omnes ſecundum retinentis arbitrium; unde res, quæ huic juri obnoxio ſunt, nec donari, nec vendi, nec deſtrui poſſunt ad poſſidentis arbitrium. Poſtrema denique verba illa, *quæ lege non prohibetur*, limitationem inducunt: quamvis enim dominium ex natura ſua tale ſit, ut tribuat poteſtatem ad qualemcumque rei uſum, & diſpoſitionem; interdum tamen legibus prohibentibus fit, ut hujuſmodi poteſtas ad actum nequeat reduci, eo ferme pacto, quo qui naturalem facultatem videndi obtinet, impeditur quandoque, ne ea utatur, quo ſublato impedimento ſine novæ facultatis acceſſione videre poterit: unde hæc limitatio non jus in re, ſed ſolum ejus aliquod exercitium ſuſpendit, quo impedimento ſublato, vel ceſſante, nova juris collatio neceſſaria non eſt ad rem etiam deſtruendam, vel alienandam: ſic pupillus a jure prohibetur, ne rem ſuam uſque ad certum tempus in alienam transferat poteſtatem; qui tamen ſuorum bonorum verus eſt dominus, ut teſtatur etiam Apoſtolus ad Galat. 4. Similiter Majoratus, Primogenituræ, Fideicommiſſa, & alia bona, quæ a Juriſperitis vinculata dicuntur, diſtrahi, & alienari ex legum diſpoſitione vetantur, cum tamen qui eiſdem fruitur, eaque poſſidet, verus illorum dominus merito cenſeatur.

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Jus, ſive juſtum aliud naturale, aliud poſitivum.*
II. *Quodnam dicatur jus poſitivum.*
III. *Hobbeſii doctrina refellitur.*
IV. *Alia ejuſdem refutatur.*
V. *Juris diviſio in Canonicum, & Civile.*
VI. *Jus paternum dominativum, & œconomicum explicatur.*
VII. *Diſcrimina inter jus in re, & ad rem.*
VIII. *Datur verum & proprium dominium etiam in res incorporales.*

Con-

Conſectarium Primum.

I. JUs, ſive juſtum in naturale & poſitivum optime partitur S. Th. 2. 2. q. 57. art. 2. quod utique verum eſt, ſive jus pro legibus, ſive pro facultate ad aliquid accipiatur: nam & leges aliæ ſunt naturales, aliæ poſitivæ; & poteſtas quoque, ſive facultas ad rem aliquam vel a natura ipſa tribuitur, vel per leges conceditur. Hic autem cum juſtum, ſive jus ſpectemus ſolum pro poteſtate & facultate aliquid faciendi, illud dicitur ex S. Th. hic art. 2. *Quod ex natura rei eſt alteri adæquatum*, ſeu quod ratio ipſa naturalis oſtendit, & dictat eſſe debitum ad æquandam facultatem, & poteſtatem in altero exiſtentem. Hoc autem jus naturale dari, non ſolum Patres, & Theologi, & chriſtianæ fidei aſſeclæ, ſed etiam ex Gentibus nobiliores Philoſophi agnovere, qui in abditis conſcientiæ penetralibus reconditam ſentiebant legem quamdam naturalem, hoc naturale jus ordinantem, & præcipientem. Hinc Ariſtoteles hoc naturale juſtum 5. Ethic. cap. 7. definivit, quod *ubique eamdem vim habet, & non quaſi videtur, aut non videtur*, videlicet juſtum naturale non ex variis hominum opinionibus eſſe collectum, ſed in claris, apertis, omniumque mentibus a naturæ rationalis Auctore, ac Creatore impreſſis ideis, atque notionibus contineri. Illud enim ajebat Cicero lib. de Inventione: *Non opinio, ſed quædam innata vis affert, proinde ita omnibus ſervandum incumbit, quibus natura humana communis eſt.* Et S. Auguſtinus ſic aliter ſentientes minores Philoſophos refellit lib. 3. de Doct. Chriſt. cap. 14. ſcribens: „ Varietate innumerabilium conſuetudinum commoti quidam dormitantes, ut ita dicam, qui neque alto ſomno ſtultitiæ ſopiebantur, nec in ſapientiæ lucem poterant vigilare, putaverunt nullam eſſe juſtitiam per ſe ipſam, ſed unicuique genti conſuetudinem ſuam juſtam videri, quæ cum ſit diverſa omnibus gentibus, debeat autem incommutabilis manere juſtitia, fieri manifeſtum, nullam uſquam eſſe juſtitiam, non intellexerunt, ne multa commemorem, quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, nullo modo poſſe ulla gentium diverſitate variari. Quæ ſententia cum refertur ad dilectionem Dei, omnia flagitia moriuntur, cum ad proximi, omnia facinora. Nemo enim vult corrumpi habitaculum ſuum: nec ergo debet corrumpere habitaculum Dei, ſeipſum ſcilicet, & nemo vult ſibi a quoquam noceri, nec ipſe igitur cuique nocuerit “.

Conſectarium Secundum.

II. Juſtum, vel jus poſitivum illud eſt, quod non ex natura rei, ſed vel privata hominum conventione, vel Principum legibus eſt juri in altero exiſtenti adæquando debitum: ſic ex. g. quod debitor tantumdem reſtituat creditori, quantum ab illo mutuum accepit, naturali lumine cognoſcimus; quod autem pro frumenti modio tantum pecuniæ ſit erogandum, non a natura, ſed ab hominum conventione, & Principum legibus fuit invectum. Ubi tamen notandum eſt, quod & indigitavimus loc. cit. de Officiis Hominum, illud omne, quod lege naturali præſcriptum eſt, juſtum naturale dicitur, non autem illud ſolum, quod juri, ſeu poteſtati alterius naturali exæquatur; quandoque enim contingere poteſt, ut quis jus & facultatem habeat ad aliquid ſolo humano conſenſu acquiſitum; & nihilominus eidem alter obſtrictus ſit lege & jure naturali: ſic dominium bonorum, quale nunc in uſu eſt, hominum conſenſus invexit; at eo jam introducto, nefas eſſe ſurripere invito domino, quod illius ſubjacet dominio, natura dictat, quæ furta prohibere, nedum Theologis, ſed & Gentilibus Philoſophis compertum fuit.

Conſectarium Tertium.

III. Falſo itaque docent Gaſſendus, Hobbeſius, Puffendorfius, dum ſive Epicuri ſententiam emollientes, ſive propria ſenſa aperientes, docent, jus ideo naturale dici, quia homines naturali diſcurſu, & ratiocinatione illud ad ſocietatem tuendam neceſſarium eſſe dignoverunt; hoc enim pacto jus naturale minime a jure poſitivo, & maxime ab eo, quod jus gentium appellatur, de quo abunde diximus Tr. de Legibus diſſ. 3. cap. 1. & 2., diſtingui poterit; cum etiam omnia, quæ ab iſto jure præcipiuntur, immo & leges omnes, & conſuetudines, quæ tractu temporis hominum conſenſione inductæ ſunt, ad naturale jus eſſent revocandæ, cum & illæ & pro communi bono, & ad ſocietatis inter homines tutelam fuerint inſtitutæ. Falſiſſimum ergo eſt, quod præjaciunt, ſiſtema, nimirum hominem primitivo naturæ inſtinctu ad privatam ſui ipſius utilitatem moveri, cum vel in brutis animantibus ipſis clare perſpiciamus ſtudium & amorem ſuæ propriæ utilitatis immiſceri, & temperari ab amore fœtuum ſuorum, & aliorum ſibi congenerum, quibus ut aliquando proſint, etiam proprium bonum, & vitam ipſam contemnunt. Similiter & in infantibus oſtenditur, qui ante rationis uſum, nedum ante omnem diſciplinam, quandam oſtendunt propenſionem ad aliis benefaciendum, ut bene obſervavit Plutarchus, & miſericordia quædam in aliorum mala in illa minima ætate ſponte prorumpit. In hominibus vero jam maturis adultiſque propria inſita ratio, & intelligentia, tamquam quid rationali naturæ conſentaneum oſtendit, ita propriam utilitatem propriumque bonum eſſe curandum, ut ſimul nec alienis invidere, aut adverſari, immo & pro poſſe ſuo conſulere debeant.

Conſectarium Quartum.

IV. Longius autem a vero aberrant Hobbes, aliique ejus doctrinæ ſectatores, dum omne ſocietatis vinculum in mutuæ opis, & auxilii neceſſitate collocant: quandoquidem etſi verum ſit, naturæ ſapientiſſimum Opificem voluiſſe, nos ſingulos infirmos naſci, & multarum rerum ad vitam tranquille & recte ducendam egentes vivere, ut in-

inde magis ad mutuam fovendam, colendamque ſocietatem urgeremur; nihilo tamen ſecius etſi homo pro ſua conſervatione nullo externo indigeret auxilio, & ſibi ſoli ſufficeret, adhuc tamen natura ſua animal politicum eſſet & ſociale, atque ad mutua cum aliis officia propenſum: quod evincit & peculiare illud, quo præ ceteris animantibus gaudet, ſocietatis inſtrumentum, ſermo, & loquendi facultas, & amor ille, quo erga ſimiles rapitur, necnon deſiderium, quo urgetur, ſua commoda aliis communicandi, cum bonum ſit diffuſivum ſui, vel ſaltem eis manifeſtandi, naturaliter enim gaudia teſtem requirunt. Quamobrem fundamentum, ſive baſis Hobbeſiani ſyſtematis de primævo hominum ſtatu brutalem vitam ducentium antequam in unam ſocietatem coadunarentur, adeo falſum eſt, ut nihil magis, cum iis aperte adverſetur, quæ nos ſacræ litteræ de prima hominis origine docent, & ſolum dignum illorum Philoſophorum cerebro, qui Divinitatem, omnem providentiam, & religionem e mundo eliminare conati ſunt.

Conſectarium Quintum.

V. Celeberrima eſt diviſio juris in canonicum ſeu Eccleſiaſticum, & in civile, ſeu laicale. Jus Eccleſiaſticum eſt illud, quod Eccleſiæ Paſtores, & Rectores, quo nomine deſignantur etiam primi Evangelii præcones Apoſtoli, quatenus poteſtate uſi ſunt a Deo accepta ad fidelium mores tum internos, tum externos componendos in ordine ad ſupernaturalem finem, ſancivere: verum preſſius, & uſitatius apud Canoniſtas jus Canonicum appellatur, quod a Romanis Pontificibus pro univerſali Eccleſiæ regimine fuit inſtitutum. Jus autem laicale, ſeu ſeculare dicitur jus illud civile, quod ſeculari auctoritate ad tranquillam Regni gubernationem, & communem civium pacem & ſalutem eſt ſalubriter conſtitutum. Hujus diviſionis ideo memini, tum quia ejus notitia eſt etiam morali Theologo opportuna, tum quia ex utroque jure plura ſumuntur argumenta ad actionum humanarum honeſtatem dijudicandam; cum enim utriuſque juris leges ſint cuſtodiendæ etiam *propter conſcientiam*, ut docet Apoſtolus, quæ ab illis vetantur, ſunt tamquam illicita in foro conſcientiæ habenda: tum denique ut monerem huc eſſe revocanda, quæ tum de Eccleſiaſtico jure, tum de civili diximus Tr. 1. de Legibus Diſſ. 3. per plura capita.

Conſectarium Sextum.

VI. Inter juris poſitivi diviſiones S. Tho. hic art. 4. enumerat jus paternum dominativum, & œconomicum, quod verſatur inter Patrem & Filium, dominum & ſervum, virum & uxorem. Utrum autem hoc jus, ſive juſtum ſit ſimpliciter, & rigoroſe tale, omnimodam offerens ad alterum æqualitatem, diſputant Theologi. Ipſe a S. Tho. doctrina minime recedens cenſeo, inter Patrem & Filium, Dominum & Servum, Virum & Uxorem juſtum ſimpliciter, & rigoroſum non intercedere. Nam cum ad juſtum ſimpliciter tria requirantur, ut idem Angelicus oſtendit q. 80. a. 1. nimirum æqualitas, debitum, & eſſe ad alterum, quorum uno deficiente juſtum a ſuo rigore deflectit; hæc tria non plene inveniuntur in juſto paterno dominativo, & œconomico ſecundum moralem exiſtimationem: Nam 1. deeſt tertia conditio, nimirum diſtinctio unius ab altero, nam filius eſt quaſi portio patris per generationem ex ejus ſubſtantia diviſa; ſervus vero veluti poſſeſſio, & inſtrumentum domini reputatur; ſicut & uxor unum quid cum viro conſtituere cenſetur, tum quoad ſobolis propagationem, tum quoad familiare gubernium. Præterea in filiis reſpectu Patris prima quoque deeſt conditio, nimirum æqualitas, quantum enim debitum in immenſum augetur, tantum facultas æquale reddendi decreſcit, ita ut filius nunquam paria referre queat ei, qui ſibi ipſum eſſe dedit, & vivere; unde optime concludit A. P. quod *Patris ad filium, & domini ad ſervum non eſt comparatio ſicut ad ſimpliciter alterum*; quare nec juſtum ſimpliciter inter eos erit. Verum quia inter patrem & filium, dominum & ſervum, virum & uxorem verum debitum, & aliqua diverſitas invenitur, quæ ſuppoſitorum appellatur, unum poteſt alteri æquale reddere, non ſimpliciter, ſed aliquale; idcirco etiam reſpectu iſtorum juſtum quoddam admittit D. Th. non rigoroſe tale, ſed quod proprio nomine paternum, dominativum, œconomicum reſpective vocatur. Animadvertit tamen idem A. P. juſtum, quod inter virum & uxorem intercedit, minus a juſto ſimpliciter dicto elongari: quamvis enim juxta Apoſtolum ad Epheſ. 5. v. 23. *vir ſit caput mulieris*, hanc tamen ille aſſumit in quoddam ſocialis vitæ conſortium, domeſticamque adminiſtrationem, & regimen ferme cum ipſa partitur; præterea ad generandos liberos pari uterque in uſu corporum gaudet poteſtate: quapropter eos ſic quaſi exæquatos juſti ratio committit, quæ a juſto rigoroſe ſpectato minimum videtur recedere. Sed audiatur D. Th. hic q. 57. a. 4. ſcribens: „ Alio modo dicitur aliquid alterum, non ſimpliciter, ſed quaſi aliquid ejus exiſtens: & hoc modo in rebus humanis filius eſt aliquid patris, quia quodammodo eſt pars ejus ... & ſervus eſt aliquid domini, quia eſt inſtrumentum ejus ... & ideo patris ad filium non eſt comparatio, ſicut ad ſimpliciter alterum: & propter hoc non eſt ibi ſimpliciter *juſtum*, ſed quoddam juſtum, ſcilicet *paternum*: & eadem ratione nec inter dominum & ſervum, ſed eſt inter eos *dominativum juſtum*. Uxor autem, quamvis ſit aliquid viri, quia comparatur ad eum, ſicut ad proprium corpus, ut patet per Apoſtolum ad Epheſ. 5. tamen magis diſtinguitur a viro, quam filius a patre, vel ſervus a Domino: aſſumitur enim in quamdam ſocialem vitam matrimonii: & ideo ut Philoſophus dicit ... inter virum & uxorem plus eſt de ratione juſti, quam inter patrem & filium, vel dominum & ſervum: quia cum vir & uxor habeant immediatam relationem ad domeſticam communitatem .... ideo inter eos non eſt etiam ſimpliciter politicum juſtum, ſed magis juſtum œconomicum “.

Ni-

Nihilo tamen ſecius juſtum ſimpliciter, & rigoroſum inter præfatos reperiri poterit, ſi ſpectentur, quatenus & ipſi Reipublicæ, aut civitatis partem conſtituunt, ut idem Ang. Præc. obſervat in reſp. ad 3. Nam filius per emancipationem patria ſolutus poteſtate, licet adhuc parentibus & debitum honorem exhibere, & occurrente gravi neceſſitate debeat ſubvenire; propria tamen poſſidet bona, & poteſt cum patre oneroſos inire contractus; immo adhuc ſub paterna exiſtens poteſtate, peculii caſtrenſis, aut quaſi caſtrenſis adminiſtratione, & diſpoſitione a patre nequaquam pendente gaudet. Servis quoque bona ſibi ab alio donata ea conditione, ut illorum propria ſint, nec dominicæ poteſtati ſubjiciantur, accipere, & uti propria retinere legum auctoritas permittit, quibus & ſe in libertatem vindicare, & contractus ſive cum ipſo domino, ſive cum aliis inire poſſint. Uxoribus quoque paraphernalium bonorum adminiſtratio jure communi conceditur. Immo ſi filius in temporalibus bonis patrem defraudet, non ſolum reus judicatur violatæ pietatis, ad quam jus paternum cuſtodire pertinet; ſed & verum furtum committit, juſtitiamque lædit, nec non reſtitutioni eſt obnoxius. Peculiare itaque juſtum, quod inter parentes & filios, dominum & ſervum, virum & uxorem ponitur, ad ea eſt ſolum coarctandum, quæ, ut tales ſunt, mutuo ſibi præſtare debent, videlicet ut filius patri honorem, obedientiam, in neceſſitate levamen præſtet; pater vero filio alimenta, educationem &c. ſimiliter ſervus famulatum, & penſa ſibi a domino impoſita propriis viribus proportionata compleat; dominus vero victum, veſtitum, tectum, &c. ſuppeditet: Denique uxor marito honorem, ſubjectionem, curam in re domeſtica rependat; vir autem uxori alimenta, ſubſidia ad prolis educationem &c. tribuat. Quoad vero ea officia, quæ præfatis titulis non reſpondent, nihil impedit, quin laudatæ perſonæ ad invicem comparentur tamquam concives, & ſuppoſita plane diverſa, quibus ſtatus prædictas afferens denominationes adventitius ſit, & accidentalis; ac proinde quod vera etiam & rigoroſa in iis præſtandis juſtitia non intercedat. Sed de Dominio filiorum, ſervorum, uxorumque redibit ſermo, & infra, & in tractatu de Contractibus.

Conſectarium Septimum.

VII. Inter jus in re, & ad rem plures ſunt differentiæ. Nam 1. jus in re fortius eſt jure ad rem, nec iſtud, etſi prius acquiſitum fuerit, alteri officere, aut illud impedire poteſt, etſi poſterius collatum fuerit; ut patet in exemplo allato in doctrina n. 5. 2. Jus in re exiſtentiam rei, ad quam datur, expoſtulat, cum quis jus habere non poſſit in re non exiſtente ſaltem aliquo modo: quæ poſtrema verba addo, ut quæcumque exiſtentia comprehendatur, ſive realis, ſive virtualis in ſua cauſa neceſſaria: ſic qui poſſidet agrum, jus habet in omnibus fructibus ex eo naſcituris, etſi nondum producti fuerint. Jus autem ad rem obtinetur, etſi res non exiſtat: ut ſi quis fœtum emat alicujus animalis, vel ova alicujus pulli, licet nondum vel emiſſa, vel educta. 3. Ad jus ad rem obtinendum ſufficit aliquis titulus ad id idoneus, puta emptionis, venditionis, donationis, vel ejuſmodi: at jus in re præter hujuſmodi titulum, plerumque etiam talem rei traditionem expoſcit, qualem ad poſſeſſionem ejuſdem capiendam humanæ leges requirunt, & determinant; ut enim dicitur Lege *Trad.* cap. de *Pactis*: *Traditionibus, & uſucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur.* Hinc ad præfatum jus in rebus obtinendum laudatam conditionem tamquam neceſſariam communiter Theologi docent apponendam, ſive res corporales fuerint, quæ ſcilicet tangi poſſunt, ut veſtis, aurum, argentum, & ſimilia, ſive incorporales, ut hæreditas, ſeu jus ad bona defuncti ex teſtamento, vel ab inteſtato, uſusfructus, ſimplex uſus, & alia hujuſmodi, quæ licet reſpiciant aliquid corporale, ipſa tamen in ſe, quia tangi nequeunt, ſolo autem intellectu percipiuntur, incorporalia appellantur. Unde id etiam notandum in hac materia, nedum jura circa res aliquas verſari, ſed etiam circa quædam alia jura. Propterea quando Lege *eorum* in ff. *de damno infecto* dicitur, fructuarium habere jus in re in fundo, cujus eſt uſufructuarius, id intellectum volunt jurisperiti non de fructuario illo, qui ſolum titulum ſit conſecutus, ſed de eo, cui facta fuerit traditio; ita quod gratia illi tradendi poſſeſſionem, miſſus fuerit in fundum, cujus eſt conſtitutus uſufructuarius; vel dominus fundi, ſciens & volens eum uti fundo, & fructus decerpere, ac ſibi vendicare paſſus fuerit, quorum uterque ex lege 3. verſ. *dare* in ff. *de Uſufructu* valet ad comparandam uſufructus poſſeſſionem; neque enim ante traditionem, eſto jus habeat ad rem, eſt ſimpliciter uſufructuarius appellandus. His tamen non obſtantibus, etiam ſine traditione aliquando in rebus incorporalibus ex legum conceſſione jus in re comparatur: nam ad conſequendum jus in re quoad beneficia Eccleſiaſtica, ſuaque illa efficienda, neceſſaria non cenſetur traditio, ſed ſatis eſt præcedat collatio, & poſt per acceptationem rata habeatur, ut colligitur ex Cap. *Si tibi abſenti de Præbendis* in 6. Quamvis ad poſſeſſionem beneficii requiratur etiam traditio, & quaſi apprehenſio illius, interventu alicujus actus, e. g. ſeſſionis in Cathedra Epiſcopali, collocationis in ſtallo canonicali, impoſitionis Bireti, Stolæ, anuli &c. Similiter hæres adeundo hæreditatem, illico jus in re ſibi comparat reſpectu Patronatuum, ſervitutum, & ſimilium jurium hæreditati adnexorum: immo ille, dum hæreditatem capeſſit, ſtatim etiam legatarius ſimul ſibi jus in re parit reſpectu alicujus rei incorporalis ſingulariter ſibi legatæ, dummodo ceteræ non deſint conditiones. Similiter ſola pactione ex juris diſpoſitione creditor abſque ulla traditione jus ſibi acquirit in re reſpectu illorum bonorum, quæ in hypothecam ſibi a debitore obſtricta fuere, ut de illis ſibi ſolvatur debitum, quando aliunde ſolvi non poteſt: unde ad quemcumque bona illa tranſierint, ſemper cum tali obligatione & onere translata cenſeantur. Denique jus, quod Fiſcus in bona proſcri-

ſcriptorum acquirit a die commiſſi delicti, ante omnem traditionem efficit eadem ſibi devincta. Ex quibus omnibus adnotationibus illud demum inferendum, maxime ex legis humanæ ſtatutis pendere, utrum jus acquiſitum *in re*, vel *ad rem* debeat exiſtimari: ad quod dignoſcendum hanc tenendam regulam cenſeo tamquam tutiſſimam, ſalvo meliori judicio, nimirum jus, quod alicui competit circa rem non traditam, jus ad rem dumtaxat exiſtimandum, niſi legum appoſita aliqua determinatione, majoris eſſe ponderis, & vigoris vel decernatur, vel probari poſſit.

Conſectarium Octavum.

VIII. Datur verum & rigoroſum dominium in res etiam incorporales. Rerum incorporalium nomine, ut mox diximus, ea deſignamus, non quæ ſpiritualia ſunt, ſed quæ corporale aliquid reſpiciunt, in ſe tamen ſenſibus non ſubſunt, unde tangi non poſſunt, ut hæreditas, uſusfructus &c. Porro de his verum dari dominium, licet nimia ſcrupuloſitate inficientur juriſtæ, manifeſte conſtat; nam propriiſſimo & rigoroſo loquendi genere homines paſſim Domini vocantur redituum, ſervitutum, penſionum, & ſimilium jurium: unde paſſim emuntur & venduntur chirographa, & actiones perſonales, nec non ſervitutes, & alia hujuſmodi: ſubjacent igitur & ipſa vero ac proprio dominio.

CAPUT TERTIUM.

Multiplices Dominii ſpecies breviter enumerantur, & explicantur.

I. *Quid ſit dominium perfectum, & plenum.*
II. *Quid imperfectum, & non plenum.*
III. *Quid Dominium directum.*
IV. *Quid ſolum utile.*
V. *Uſusfructus definitio explicatur.*
VI. *Emphyteuſis natura exponitur.*
VII. *Feudum quid dominii afferat.*
VIII. *Quid ſit ſimplex uſus.*
IX. *Quid habitatio.*
X. *Quid juris competat ſuperficiario.*
XI. *Servitus quam inducat obligationem.*
XII. *Poſſeſſio quid ſit, & juris afferat.*

I. DOminium proprietatis aliud eſt plenum, aliud non plenum. Primum, quod & perfectum, & in ſolidum appellatur, illud eſt, quod in ſuperiore articulo explicavimus: ideo autem plenum & integrum dicitur, quia in eadem perſona omne jus coadunat circa rem, itaut nedum illius ſubſtantiæ, ſed etiam omnis actus ſit dominus, & de utroque queat libere diſponere.

II. Dominium non plenum illud eſt, quod integrum jus in re non complectitur, ſed juris una pars ad unum, altera ad alterum pertinet, ut ſi unius ejuſdemque rei alter proprietatem habeat, alter uſumfructum; & hoc modo defectus dominii ex parte objecti, ſeu rei deſumitur; ex parte autem ſubjecti dominium non plenum habetur, quando res diviſibilis eſt in plures diſpertienda perſonas; ut cum quis multorum nomine integram adit hæreditatem; nullus enim ex hæredibus totius hæreditatis in ſolidum dominium obtinet, ſed ſolius partis ſibi obtingentis. Rurſum dominium non plenum in directum, & utile dividitur.

III. Directum dominium eſt penes illum, qui rei quidem obtinet proprietatem, at uſufructu non gaudet, quale eſt jus, & dominium filii-familias in peculio, quod adventitium appellant, cujus uſufructu non gaudet, & uxoris in dotem, & Principis in feudis, & jus in prædium reſpectu illius, qui illud in emphyteuſim tradidit, & denique omnium illorum, qui domini, ſive proprietarii dicuntur illarum rerum, quarum alter percipit utilitatem.

IV. Dominium vero utile ex adverſo illud eſt, quod ſolum commodum, & uſum rerum reſpicit, earum ſubſtantia minime comprehenſa, cujuſmodi eſt dominium, quo gaudent feudatarius, emphyteuta, & uſufructuarius, quod proinde proprio nomine uſusfructus dicitur, de quo eſt operoſius modo dicendum.

V. Uſusfructus itaque a Juſtiniano in Inſtit. tit. de uſufructu, & tit. de rerum diviſione definitur: *Jus rebus alienis utendi, fruendique ſalva rei ſubſtantia.* Jus dicitur, per quod cum dominio convenit generice, & a ſimplici uſu rei alicujus unico actu conſumptibilis, quem juriſperiti uſum facti appellant, de quo infra, diſtinguitur. Additur *utendi*, quo verbo diſcrimen aſſignatur a jure, quod habent creditor in pignore, vel hypotheca, & depoſitarius in depoſito, qui rebus illis uti nequeunt invito domino: quod ſi utantur, æſtimationem rei ſolvere tenentur. Subditur *fruendique*, ut diſcrimen aſſignetur uſusfructus a nudo jure utendi re aliqua, quod non ſe extendit ad fructus illius percipiendos, dum qui rei alicujus uſufructu gaudet, non ſolum re utendi poteſtate donatur, ſed & fruendi re, in qua eſt conſtitutus uſusfructus, ideſt plene diſponendi de fructibus, qui ex ipſa colliguntur. Fructus autem cenſentur in grege lana, lac, fœtus, in fundo fœnum, ſegetes, virgulta &c. in nemoribus ſalices & omnes arbores cæduæ, non vero fructiferæ, quæ non cenſentur in fructu, proinde illas cædere, evellere, deſtruere fructuario non licet. In ſervis (ubi ſervos retinendi viget conſuetudo, fere tamen ubique a Chriſtianis rejecta) opera, & mercedes operum, non vero proles ancillæ ob dignitatem naturæ inter fructus computantur, ut enim ait Jureconſultus leg. *Rectus* in ff. de uſufructu, *inter fructus hominis homo eſſe non poteſt*, *cum omnes fructus* (ſubdit Juſtinianus Inſtit. lib. 2. tit. 1. de rerum diviſione) *gratia hominis natura comparaverit.* Eapropter quæ uſu conſumuntur, ut vinum, oleum, triticum, pecunia &c. uſusfructus materiam conſtituere nequeunt: nam revera quando hæc alteri conceduntur, dominium rei in fructuarium transfertur, qui ſolum ad præſtandam cautionem obſtringi poteſt, ſe præfinito elapſo tempore rei æſtimationem redditurum.

VI. Emphyteuſis, & aliæ, quas ſubjiciemus, dominii utilis ſpecies & ad communem uſumfru-

ctum

ctum aliquo modo pertinent, & ab eo aliquo pacto diſtinguuntur. Communicant quidem cum uſufructu, quia Dominium proprietatis excludunt; differunt autem, quia ſuas habent peculiares leges, quibus reguntur, de quibus pauca dicemus. Emphyteuſis itaque eſt jus fruendi re aliqua immobili ſub onere alicujus ſolvendæ penſionis. Is, cui res in emphyteuſim traditur, emphyteuta dicitur; qui vero rem tradit, proprietarius appellatur, res autem tradita emphyteutica vocatur. Traditio autem rei interdum fit in perpetuum, interdum ad aliquorum vitam, & determinatum tempus, quod tamen decennio brevius eſſe non debet: ſi enim decennium non attingat, non cenſetur translatum dominium utile; propterea emphyteuſis non erit, ſed mera locatio. Emphyteutam uſufructuarium eſſe ex ſe conſtat, cum jus habeat utendi, & fruendi re aliena: differt tamen multipliciter a communi uſufructuario. 1. Quia hic vendere non poteſt jus ſuum, neque illud in aliud transferre: Emphyteuta autem & donare, & vendere, aliiſque modis in alium transferre poteſt, & is, in quem transfertur, ejuſdem rationis jus habet, quibuſdam tamen ſervatis conditionibus: nimirum 1. quod, antequam venditionem, ſeu alienationem compleat, proprietarium moneat, & requirat, ſi illud emere velit: quod ſi recuſet, alteri libere vendere poterit: ſi autem nihil reſpondeat, vel dicat ſe de hoc deliberare velle, tenetur ſpatium exſpectare duorum menſium, vel ſaltem unius menſis, juxta Regnorum vel Provinciarum peculiaria ſtatuta, quo elapſo termino, niſi proprietarius ſibi comparare ſtatuat, liber erit, poteritque, cui libuerit, emphyteuſim tradere. 2. Non vendat illi, cui vetitum ſit vendere, puta ſi in principio cautum ſit inter fructuarium & proprietarium, ne emphyteuſis ad aliquas determinatas perſonas tranſeat cum gravamine proprietarii, ad quem vel difficilius revertatur dominium utile, vel rarius. 3. Quando alteri, quam proprietario, vendit, huic ſolvendum eſt laudemium, hoc eſt juxta canones quinquageſima pretii pars, ſed ex conſuetudine determinata videtur trigeſima, quamvis in aliquibus regionibus quadrageſima obtineat. 2. Diſcriminatur ab uſufructu communi Emphyteuſis, quod ille morte uſufructuarii deſinit; hæc autem in hæredibus perſeverat, niſi forte in unius vitam conceſſa fuerit. 3. Uſufructus conſtitui poteſt etiam in rebus mobilibus, Emphyteuſis vero ſolum in immobilibus.

VII. Feudum quoque inter utilia dominia recenſetur, & definitur: *jus utendi, fruendique re aliena immobili, vel quæ immobilis reputatur, pro fidelitate & ſervitio perſonali*. Quatenus feudum jus importat utendi, fruendique re aliena, cum uſufructu convenit, aliiſque utilibus dominiis; differt autem ab Emphyteuſi, quia in hac penſio realis ſolvenda imponitur; in feudo autem præſertim puro ſola fidelitas debetur, & obſequium, ſive perſonale ſervitium; quod ſi penſio addatur, jam feudum impurum evadit, & in emphyteuſim degenerat. Præterea Infeudans jus retinet cognoſcendi de cauſa inter eos, qui feudum poſſident, vel prætendunt: quod jus proprietario non competit in emphyteuſi & locatione. Feudatarius, qui & Vaſſallus dicitur, transferre nequit in alium ſive venditione, ſive donatione, immo nec oppignoratione feudum; quod tamen, ut diximus, emphyteutę licet. 4. In feudis minime ſuccedunt feminæ, niſi expreſſe aliud determinetur; quia perſonale ſervitium, præſertim in bello, feminæ nequeunt exhibere: at ſuccedunt in emphyteuſi, quia penſionem ſolvere poſſunt, non minus quam mares. 5. Feudum renuntiare poteſt Vaſſallus ſuo Principi, quia in ejus utilitatem, & commodum cenſetur collatum: at Emphyteuta nequit uſumfructum a ſe abdicare invito domino proprietatis; ſicut nec conductor recedere a conductione: quia hi contractus in utriuſque utilitatem celebrati cenſentur, & dantur ad rem fruendam, & meliorandam, & ad penſionem ſolvendam. 6. Denique Emphyteuta ad penſionem ſolvendam adſtringitur, etiam a proprietario non requiſitus, quia conſtitutus ſolvendi dies interpellat; Feudatarius autem ſervitium non debet, niſi requiſitus.

VIII. Superficiarius denique ille audit, qui jus habet in alieno fundo, ut contingit in nundinis, in quibus concedi ſolet aliquibus ſuperficies ſoli ad caſulas, & officinas conſtruendas, ubi nundinarum tempore merces aſſervantur, atque venduntur, & Mercatores a temporis injuriis proteguntur. Si itaque ſuperficies in perpetuum concedatur, ſemel tantum perſoluto pretio, ſuperficiei venditio erit; ſi vero concedatur minus, quam per decennium, ſive ſemel tantum ſoluto pretio, ſive ſolvendo ſingulis annis, vel menſibus, vel diebus, erit locatio. Quod ſi ad decennium, & ultra, vel etiam in perpetuum ſuperficiarius celebret contractum cum onere annuam ſolvendi penſionem ad Emphyteutam accedit: unde & in alienatione ſui juris ipſe quoque dominum directum monere debet, & leges ſervare, quas Emphyteutæ præſcriptas a jure notavimus. Differt tamen ab hoc in aliquibus, & præſertim quod, quando ſola conceditur ſuperficies, ſive venditione perpetua, ſive annua penſione, aut quovis alio modo, deſtructa ſeu pereunte re, ad quem tradita eſt ſuperficies, & ipſam periiſſe ſuperficiem cenſendum eſt; nec ſuperficiarius quid ſimile in eodem ſolo conſtruere poterit, niſi aliud ineat pactum, celebretque novum cum proprietario contractum. Ita Bartolus lib. 2. ff. de ſuperficie, aliique juriſtæ bene multi.

Hactenus de juribus, quæ, ſin perfecti dominii dignitatem obtinent, de illa tamen nonnihil participant. At ſunt alia jura, quæ nec ad dominii directi, nec ad utilis dominii prærogativam aſſurgunt, immo ſine omni dominio eſſe poſſunt, de quibus merito tractant Theologi: hujuſmodi autem ſunt Uſus, Habitatio, Servitus, & Poſſeſſio, de quibus & nos pauca ſubjiciemus.

IX. Uſus nomine duo deſignari poſſunt, nimirum vel actus utendi aliqua re, ſic equitatio eſt uſus equi, habitatio uſus domus, calefactio ignis; vel jus utendi eo modo ſcilicet equitandi, habitandi &c. quod permanentem ſignificat habitationem, & facultatem, etiam ſine ullo prorſus actu. Primus dicitur uſus facti, poſterior uſus ju-

ſûris, qui definitur: *jus utendi re aliena, ſalva ipſius ſubſtantia:* quæ poſtrema verba jus excludunt ad uſum rei, quo res conſumitur, vel alienatur. Differt autem ab uſufructu per hoc ſolum, quod jus *fruendi* conjunctum non habet. Hinc ex Romano jure, & ferme communi, Uſuario, illi videlicet, cui uſus conceſſus eſt, ſolum conceditur, ut ex fundo alieno c. ex. quo utitur, ea ſolum valeat percipere, quibus ad uſum indiget quotidianum, puta poma, olera, fructus, fœnum, ligna ſumere &c. atque ita in eo ambulare, & commorari, ut domino fundi moleſtus non ſit, eoſque non impediat, qui ruſtica opera exercent; prohibetur tamen quidquid horum alteri vendere, donare, locare, vel jus concedere ad eadem percipienda emolumenta, quæ tamen omnia uſufructuario permittuntur, una excepta uſusfructus alienatione. Qui autem uſum habet domus, poterit ipſe ſolus in ea habitare cum uxore, liberis, ſervis, ac famulabus; & viciſſim mulier domus uſuaria cum familia mariti, & etiam hoſpites, ſed parcius recipere, cum Juſtin. Inſtit. lib. 2. tit. 5. ff. ſtatuat: „ Qui ædium „ uſum habet, eatenus jus habere intelligitur, „ ut ipſe tantum inhabitet, nec hoc jus ad alium „ transferat, & vix receptum eſſe videtur, ut „ hoſpitem ei recipere liceat, & cum uxore li„ beriſque ſuis, item libertis, nec non perſonis „ aliis liberis, quibus non minus, quam ſuis u„ titur, habitandi jus habeat. Et convenienter „ ſi ad mulierem uſus pertineat, cum marito ha„ bitare liceat“. Nunquam tamen tale jus in alium nec in totum, nec in partem transferre poterit, illi concedendo domum inhabitandam. Sic qui uſum obtinuit ſervi, aut jumenti, ſolus ipſe illius opera, ac miniſterio uti poterit, non alteri concedere. Si vero uſus ſit in pecoribus conſtitutus, nec lacte, nec lana, nec fœtibus uti poterit, niſi fortaſſis modico lacte: conceditur autem ſolum harum rerum uſuariis retrimentis uti ad ſuos ſtercorandos agros, non alienos. Ita in Inſtit. loc. laud. decernitur. „ Si pecorum, vel „ ovium uſus legatus ſit, neque lacte, neque a„ gnis, neque lana utatur uſuarius, quia ea in „ fructu ſunt: ad ſtercorandum agrum ſuum pe„ coribus uti poteſt“.

X. Habitationis nomine a Romanis legibus jus quoddam deſignatur, quod medium eſt inter uſum, & uſumfructum. „ Si cui (Juſtin. Inſtit. „ lib. 2. tit. de uſu & habit.) habitatio legata „ ſit, ſive aliquo modo conſtituta, neque uſus „ videtur, neque uſusfructus, ſed quaſi proprium „ aliquod jus, quod a ſimplici uſu diſtinguitur“, nam uſuarius domus (circa quam jus habitationis ſolum conceditur) nequit eam locare; at bene ille, cui habitatio conceſſa fuerit, & locare, & locationis pretium ſibi acquirere poterit. Si tamen uſus & habitatio ad partem domus conceſſa ſit, qui illa fruuntur, nequeunt ad alias domus partes ſe dilatare, licet pars conceſſa familiæ non ſufficiat; nam non eſt jus ultra concedentis voluntatem dilatandum. Ab uſufructu vero diſtinguitur uſus, & habitatio domus, quia ille pluribus modis ceſſare poteſt, hæc vero habitantis, vel utentis morte finitur.

XI. Servitus apud Juriſtas ſubjectionem, obligationemque indicat in re aliena exiſtentem, ut illi quodam modo ſerviat, cui jure ſervitutis devincta eſt; ita ut in hujus utilitatem, vel commodum aliquid in ea ſit faciendum, vel non faciendum: cui obligationi præſupponitur velut fundamentum jus in altero ad quidpiam faciendum, vel impediendum in tali re, ſalva tamen ſemper ejus ſubſtantia. Obſervandum tamen apud Juriſtas quod res propria domino ſuo ſervire non dicitur, ſed res tantum aliena: unde jus ſervitutis non ad rem propriam concipitur, ſed ad alienam. Triplex eſt hæc ſervitus, realis, perſonalis, & mixta. Perſonalis ſervitus eſt, quæ a perſona debetur perſonæ; ut ſi mihi uſum ſervi tui ad tempus, vel ad vitam conceſſeris: ſic in aliquibus locis juriſdictione donati etiam jus ſervitutis obtinent annexum, quatenus illius ſubditi certum quoddam ſervitii genus vel gratis, vel modica mercede præſtare teneantur. Realis vero, quæ a re debetur alteri rei, ſeu melius quæ debetur perſonæ ratione rei, quatenus videlicet eſt hujus dominus, vel conductor: c. ex. Si agro meo annexum ſit jus, ut per agrum tuum iri poſſit, & currum vel jumentum duci in meum, ager tuus ſervitute reali premitur reſpectu mei, quæ tranſit una cum jure ex eo orto ad quoslibet prædictorum agrorum poſſeſſores. Mixta denique eſt illa, quæ debetur a re immediate alicui perſonæ, quæque propterea extinguitur cum morte perſonæ, cui debetur: hujuſmodi autem ſervitutis genus in iis rebus invenitur, quibus immediate uti mihi conceditur, ut diximus n. præcedenti. Realem ſervitutem Juriſtæ in urbanam diſtinguunt & ruſticam. Prior eſt, quæ prædio urbano debetur, quo nomine ædificium omne habitandi gratia conſtructum intelligitur, ſive in urbe, ſive in villulis, ſive alibi, nec non horti eidem amœnitatis gratia conjuncti: poſterior eſt, quæ prædio ruſtico obſtringitur, qua appellatione quodlibet aliud ruralis ædificii genus deſignatur, puta ſtabulum, horreum, ager, ovile, torcular &c. Utriuſque varii ſunt modi, variæque nuncupationes apud Juriſtas, ut ſunt ſtillicidia, tigna, proſpectus &c. in urbanis. In ruſticis vero aquæductus, pecorum appulſus, aquæ hauſtus, & alia apud ipſos videnda, & expendenda a Theologo, cum occaſio poſtulabit.

XII. Poſſeſſio tit. *de acquirenda & amittenda poſſeſſione* 3. leg. 1. definitur: *jus inſiſtendi rei tamquam ſuæ, non prohibitæ poſſideri*. Dicitur *jus inſiſtendi rei*, ideſt facultas pacifice retinendi rem, & tuendi ſive juris remediis, ſive etiam vim vi repellendo adverſus perturbatores. Additur *tamquam ſuæ*, non alterius nomine, ut tutor inſiſtit bonis pupillorum, quorum tamen poſſeſſionem non obtinet. Denique ſubjungitur, *non prohibitæ poſſideri*, quia nunquam legitima eſt poſſeſſio, cui leges reſiſtunt, & adverſantur. Tres ad poſſeſſionem poſtulant Juriſtæ conditiones, 1. ut res corporaliter aliquo modo apprehendatur, puta manibus, pedibus, oculis, aut alio ſimili modo, in ſe, vel in aliquo, in quo contineri cenſeatur; ut per acceptionem clavis obtinetur poſſeſſio domus, vel arcæ: 2. ut id fiat animo poſſidendi, ſibi-

ſibique comparandi: unde depoſitarius depoſiti poſſeſſor nequaquam dicitur, quia illud animo ſibi acquirendi non accipit. 3. Ut hujuſmodi detentioni ſpecialis legum diſpoſitio non obſiſtat, quæ a conſtituenda poſſeſſione repellat: ſic occupatio rei ſacræ facta a laico homine nunquam legitimam poſſeſſionem poteſt inducere; quia id expreſſe prohibetur lege, *qui univerſas*. Beneficia vero & commoda, quæ a legibus conceduntur poſſeſſoribus præſertim bonæ fidei, ſunt 1. quod talis poſſeſſio præſcriptionem pariat; 2. quod in dubio de rei dominio melior ſemper cenſeatur conditio poſſidentis. 3. Quod in judicio dominii, & proprietatis præſumptionem inducat, itaut invadenti poſſeſſorem probatio incumbat. 4. Quod vi defendi poſſit ab invadente, ſervato tamen ſemper moderamine inculpatæ tutelæ, & etiam quod ablata vi quoque queat recuperari; dummodo id fiat ex continenti, videlicet confeſtim, non ex intervallo. Verum de his redibit ſermo in Tract. de Contractibus.

CAPUT QUARTUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Dominium directum etiam ſejunctum ab uſufructu ſua non caret utilitate.*
II. *Uſufructuarii onera exponuntur.*
III. *Quando jure ſuo privari poſſit Emphyteuta.*
IV. *Feudatarius quomodo a jure ſuo decidat.*
V. *In rebus uno actu conſumptibilibus uſus juris a dominio non diſtinguitur.*
VI. *Separatur dominium omnino ab uſu facti.*

Conſectarium Primum.

I. DOminium proprietatis ſeu directum, licet ab uſufructu vel uſu ſejunctum, non omnem prorſus utilitatem excludit: nam alioquin inanis tantum domino, & proprietario remaneret dominii umbra, & nomen. Suas proinde habet utilitates; & emolumenta. Hæc ſunt, ut in certis caſibus ad ipſum redeat dominium utile, ut in feudis extincta linea illorum, qui a Principe feudalibus bonis donati ſunt; ut certis temporibus accipiat canonem ab Emphyteutico, vel obſequia a feudatario; ut dominus directus in aliquibus caſibus rei proprietatem alienare poſſit inconſulto & invito uſufructuario, at non e contra; ut in alienatione Emphyteuſis ſine renovatione contractus, proprietario perſolvatur laudemium, & alia, quæ a Juriſtis recenſentur.

Conſectarium Secundum.

II. Uſufructuarius, qui rei dominium & proprietatem non obtinet, cum ſubſtantiam rei incolumem ſervare debeat, his adſtringitur oneribus, & obligationibus in Romano jure ſtatutis. 1. Tenetur integrum ſervare numerum rerum ſibi ad fruendum traditarum, puta, ſi oves ſint, totidem capita ex fœtibus loco demortuorum ſubſtituendo, quæ deſignata fiunt proprietarii, ipſique pereunt, ſi caſu pereant; ante tamen deſignationem fructuarii ſunt, & tunc ipſi pereunt. Ad hanc tamen gregis inſtaurationem tenetur ſolum, ſi pecorum, ſive armentorum uſusfructus gregatim ei fuerit conceſſus; ſecus autem, ſi ſingulorum tantummodo capitum: nam grex cenſetur perpetuus, individua autem, & ſingulorum capita ſeorſum pereunt, Lege *fœtus* 75. & ſeq. ff. *de uſufructu* & 5. *in pecudum*, & in Inſtit. de *rerum diviſione*. Si vero uſufructus in ſylvis, aut vinea fuerit conſtitutus, tenetur fructuarius loco arborum, ſeu vitium demortuarum, alias plantare, niſi vi tempeſtatis, vel alio infortunio interierint: quod enim fortuito abſque fructuarii culpa, vel caſu perit, proprietario perit. Si vero ædium, & domorum ſit uſusfructus conceſſus, ad illos ſolum modicos ſumptus tenetur fructuarius, quibus reparentur, & integræ perſeverent, non vero ad magnos, quibus efficiantur meliores; uno verbo ad eas obligatur expenſas, quæ ad rei, qua fruitur, conſervationem, & præſentis uſus utilitatem ſunt neceſſariæ, non vero quæ ad perpetuam ordinantur utilitatem. 4. Uſufructuarius præſtare tenetur, ſi requiratur, cautionem, quod de rebus ſibi conceſſis pro boni viri arbitratu fruetur, ideſt eo tantum modo, quo vir bonus re propria uteretur, & frueretur; & quod tranſacto tempore rem, qualis ſuperfuerit, reſtituet.

Conſectarium Tertium.

III. Emphyteuta jus ſuum amittit, &, ut loquuntur Juriſtæ, in commiſſum incidit, ſi per triennium annualem pactam penſionem non ſolvat, vel per ſexennium, ſi bima tantum ſtatuta ſit. Si rei venditionem inconſulto proprietario compleat: dixi *compleat*: ſi enim attentet dumtaxat, nullam incurrit pœnam; dummodo, antequam perficiat, proprietarium de pretio ſibi exhibito certiorem faciat, ut, ſi velit, eodem pretio ſibi comparet. Cum res in Emphyteuſim ad meliorationem tradatur, ſi emphyteuta rem acceptam deteriorem reddat, jure emphyteutico merito privatur.

Conſectarium Quartum.

IV. A Feudo decidit, & jus amittit Feudatarius, ſi obſequium præſtare detrectet; ſi feudum alienare tentaverit contra domini voluntatem; ſi ſucceſſor in feudo inveſtituram, vel renovationem non petat; ſi vaſſallus rebellis ingratus ſit, & Principem graviter offendat. De qua cauſa, & gradu offenſionis, & aliis ad feudum pertinentibus tractant Juriſtæ, & Theologi, ac præſertim Azorius p. 3. lib. 10. tract. integro de Feudis.

Conſectarium Quintum.

V. In rebus, quæ unico actu conſumuntur, uſus, ſeu jus utendi re a proprietatis dominio ſejungi nequit. Ut poſita aſſertio optime intelligatur, duplex eſt diſtinguendus rei unico actu conſumptibilis uſus, *juris* ſcilicet, & *facti*. Prior facultatem indicat & poteſtatem, quæ ſemel collata,

lata,

lata, non amplius a concedentis voluntate dependet, & nequit revocari ad libitum concedentis ſine injuria uſuarii; immo vi cujus conceſſionis iſte adverſus omnes, & ipſum concedentem ſibi rei uſum poteſt tutari, & vindicare. Uſus vero *facti* importat legitimam quidem, ſed nudam alienæ rei uſurpationem, ab alterius nutu, & voluntate omnino pendentem, & abſque utentis injuria revocabilem. De priori modo loquimur, & dicimus a dominio, & proprietate ſejungi non poſſe, ut aperte docet S. Th. 2. 2. q. 78. art. 1. in corp. ubi & valido confirmat argumento, ſcribens: *Quædam res ſunt, quarum uſus eſt ipſarum rerum conſumptio; ſicut vinum conſumimus, eo utendo ad potum, & triticum conſumimus, eo utendo ad cibum. Unde in talibus non debet ſeorſum computari uſus rei a re ipſa; ſed cuicumque conceditur uſus, ex hoc ipſo conceditur res: & propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium. Si quis ergo ſeorſum vellet vendere vinum, & vellet ſeorſum vendere uſum vini, venderet eamdem rem bis, vel venderet id, quod non eſt: unde manifeſte per injuſtitiam peccaret. Et ſimili ratione injuſtitiam committit, qui mutuat vinum, aut triticum, petens ſibi dari duas recompenſationes; unam quidem reſtitutionem æqualis rei; aliam vero pretium uſus, quod* uſura *dicitur*. Confirmant & ipſæ leges civiles nam L. *Si vini* ff. *de uſufructu* decernitur: *Si vini, olei, frumenti uſusfructus ligatus erat, & proprietas ad ligaturum debet transferri, id quoque de rebus, quæ uſu conſumuntur, intelligimus*. Et revera, quando uſusfructus, & uſus a proprietatis jure diſcernitur, facultatem ſolum importat utendi, aut fruendi re aliena, ſalva ejus ſubſtantia: porro in rebus, quæ unico conſumuntur actu, nequit ſubſtantia manere poſt uſum: nequit igitur in his utile dominium a dominio proprietatis ſecerni. Sed diutius non eſt in veritate confirmanda immorandum, quam omnes libenter admittunt.

Conſectarium Sextum.

VI. Uſus facti, etiam quatenus facultatem denotat utendi ad nutum revocabilem in rebus, quæ unica vice abſumuntur, a quolibet etiam imperfecto dominio ſejungitur. Patet hæc veritas in ſingulis Religioſis, qui, licet ſolemni profeſſione Deo dicati omne a ſe abjecerint dominium, cujus proinde incapaces facti ſunt, tamen veſtibus, libris, cibis, aliiſque rebus ſibi a Superiore conceſſis ita utuntur, ut tamen nullum dominii vel proprietatis veſtigium in illis appareat. Et revera facultas, quæ Religioſo conceditur iis utendi, debiliſſima omnino eſt, & conditionata; eſt enim ad utendum, ſi velis, ad non utendum, ſi nolis, & ex alterius nutu, & arbitrio ita dependens, ut poſito quod uti decreveris, poſſit ſtatim abſque injuria revocari, & tolli. Nulla eſt igitur in tali facultate dominii umbra, vel veſtigium.

CAPUT QUINTUM.

De Dominii origine, ejuſque ſubjecto.

DOCTRINA.

I. *Rerum dominium unde dimanet.*
II. *Diviſio rerum non eſt inducta jure naturali, aut divino.*
III. *Nec jure aliquo poſitivo, ſed jure gentium.*
IV. *Univerſaliſſimum & perfectiſſimum dominium in omnia Deo O. M. convenit.*
V. *Chriſtus quoque in terris degens aliquod habuit dominium.*
VI. *Eccleſia juſtum, & legitimum obtinet ſuorum bonorum dominium.*
VII. *Religioſi voto paupertatis adſtricti nullius dominii capaces ſunt.*
VIII. *Pueri & ratione carentes dominii incapaces ſunt.*
IX. *Servi etiam, dum jugo ſervitutis premuntur, non omnis dominii ſunt incapaces.*
X. *Filii-familias etiam ſub patria poteſtate caſtrenſium bonorum habent dominium.*
XI. *Et quaſi caſtrenſium.*
XII. *Bonorum, quæ adventitia dicuntur, dominium habent, non uſumfructum.*
XIII. *In profectitiis vero bonis nec dominium, nec uſumfructum.*
XIV. *Quodnam dominium uxoribus conveniat.*

I. DOminium, quod communiter toti humano generi in omnia ſublunaria competit, D. O. M. habuiſſe auctorem, nullus eſt qui ignoret, vel inficietur, niſi omni ejurata Divinitate. Ipſe enim ſolus, qui omnia ex nihilo eduxit, dominium illarum rerum hominibus concedere poterat, & revera conceſſit, cum recens creatis protoparentibus dixit: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam, & dominamini volatilibus cœli, piſcibus maris, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram*. Porro non uni Adamo, ejuſdemque uxori tam amplam conceſſam fuiſſe poteſtatem, ſed ad univerſam progeniem, quæ ex illis oritura erat, per omne ævum extenſam, clare oſtendunt præcedentia verba: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit volatilibus cœli, piſcibus maris, & beſtiis, univerſæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra*. Et confirmatum fuit hoc dominium poſt diluvium, cum Dominus Noe benedicens ait Gen. 9. *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & terror, ac tremor veſter ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli cum univerſis, quæ moventur ſuper terram, omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt*.

II. Diviſio vero, & proprietas rerum antiquiſſima ſane eſt, & mundi primordiis fere coæva, cum ſtatim ac homines multiplicari cœperunt, terram inter ſe diviſiſſe notet Scriptura, dum dicit, Cain ad orientalem plagam declinaſſe, ibique ſibi, & familiæ ſuæ domicilium ſtatuiſſe, ædificata etiam Civitate, quam filii ſui He-

noch

hoch nomine appellavit. Invecta igitur fuit rerum diviſio, & proprietas non jure naturali, aut divino: quandoquidem ſecundum jus naturale omnia potius deberent eſſe communia, cum quilibet, jure inſpecto naturæ, ad omnia quæ ſibi ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria ſunt, jus habeat & poteſtatem; & nulla eſt lex divina, quæ hujuſmodi diviſionem præceperit.

III. Nec jure aliquo poſitivo eſt inducta, ſed ſolo jure gentium. Nam ea diviſio longe antiquior eſt quacumque civili lege, & conſtitutione; cum ſit pene mundo coæva, priuſquam ullæ humanæ leges ſancirentur. Solo igitur jure gentium invecta eſt, ut docet, & oſtendit D. Thom. hic q. 57. art. 3. ubi rerum diviſionem ad jus gentium aperte revocat. Nec ſibi contradicit, dum q. 66. a. 3. ad 1. diſtinctionem poſſeſſionum eſſe ſecundum humanum condictum, & ad jus poſitivum pertinere affirmat; cum & nos docuerimus Tract. de Leg. Hum. cap. 1. Jus gentium, ſaltem ſtricte ſumptum, ſub poſitivo jure contineri: quod tamen non ita intelligendum eſt, quaſi univerſali omnium gentium in unum congregatarum conſilio introducta fuerit, vel præcepta: ſed quia & communi omnium judicio neceſſaria viſa eſt tum ad ipſarum rerum curam & adminiſtrationem, tum ad hominum inter ſe pacem & concordiam retinendam; & quia univerſali conſuetudine, & facto ipſo, ad praxim fuit perducta.

IV. Quoad ſubjectum vero dominii, certum eſt in Deo O. M. abſolutum, & perfectiſſimum omnino rerum omnium dominium eſſe agnoſcendum, quod ejus infinitam naturam conſequitur, cum omnia creaverit, conſervet, & moderetur: unde optime ajebat Mardochæus Eſth. cap. 13. *Domine Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta ſunt poſita, tu feciſti cælum & terram; & quidquid cæli ambitu continetur. Dominus univerſorum tu es.* Angeli vero ſive boni, ſive mali, corporalium rerum nullum obtinent dominium, quippe quia nec ad illorum utilitatem creatæ ſunt, nec illis indigent. Quod ſi quandoque adminiſtratio aliqua rerum corporalium bonis Angelis conceſſa invenitur; hæc tamen nec eſt in res ut ſuas, nec in ipſorum utilitatem: ſed hujuſmodi miniſterio fruuntur eo ferme pacto, quo præfecti Regis aliquas Provincias, aut Civitates ſuæ fidei concreditas nomine Regis adminiſtrant, in ſubditorum utilitatem regunt & moderantur, quin ullum in illis obtineant dominium.

V. Chriſtus quoque Dominus, cum in terris degeret, aliquod ſaltem in communi cum Apoſtolis dominium habuiſſe luculenter teſtantur Evangelia: Joannes enim cap. 13. v. 29. refert, verba Chriſti Domini dicentis Judæ, *quod facis, fac citius*, ita Apoſtolos intellexiſſe, quia *Judas habebat loculos*, ac ſi dixiſſet, *eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum*, aut *egenis ut aliquid daret*. Et rurſum cum Matthæus cap. 17. narrat, Chriſtum Petro mandaſſe, ut ſolveret didrachma pro tributo. Quamobrem Joan. XXII. Conſtit. inter Extrav. inſerta cap. *Cum inter nonnullos* de verb. ſignif. hanc propoſitionem, *Chriſtus, & Apoſtoli in ſpeciali non habuerunt aliqua, nec in communi*, erroneam & hæreticam declaravit; ſicut & aliam, quæ aſſerebat, *Chriſtum, & Apoſtolos in iis, quæ ipſos habuiſſe Sacra Scriptura teſtatur, nequaquam jus ipſis utendi, aut conſumendi, aut vendendi, ſeu donandi, vel ex ipſis aliqua acquirendi habuiſſe*. Et iterum illos tamquam hæreticos habendos declaravit, qui verbo, vel ſcripto docere, ac probare præſumerent hanc aſſertionem: *Chriſtus, & Apoſtoli in iis, quæ habuiſſe leguntur, tantum habuere, abſque ullo prorſus jure, merum uſum facti*.

VI. Eccleſia bonorum temporalium, tam mobilium, quam immobilium, ad divini cultus ſplendorem, ad Miniſtrorum ſuſtentationem, ad pauperum levamen, & ad alios pios uſus, ſanctoſque fines, vel Principum liberali munificentia conceſſorum, vel privatis aliorum fidelium oblationibus, legatis, donationibus, vel aliis legitimis titulis collatorum, juſtum, licitum, & decentiſſimum dominium acquiſivit, & retinet. Nomine autem Eccleſiæ hic modo deſignamus Collegia, ſeu Univerſitates hominum Deo ſervientium, & addictorum, ac Religioni catholicæ miniſtrantium. Hanc doctrinam oppugnarunt & antiquiores, & recentiores hæretici. 1. Anthropomorphitæ (teſte S. Auguſtino de hæreſ. cap. 50.) affirmabant, Epiſcopis non licere divitias poſſidere. 2. Waldenſes, vulgo dicti Pauperes a Lugduno, qui, ut ſcribit Æneas Sylvius de Orig. Bohem. cap. 3. Sacerdotes ſolis eleemoſynis ſibi victum quærere volebant. 3. Marſilius Patavinus, homo Eccleſiaſtici juris infenſiſſimus, quem anathemate percuſſit Joan. XXII. S. P. 4. Wicleffus, ut narrat Waldenſis lib. 4. doctr. Fidei art. 3. graviter deliquiſſe affirmabat & illos, qui Eccleſiæ poſſeſſiones, & prædia largiti fuerant, & illos, qui ea acceperunt; ſed præ ceteris Sylveſtrum Papam, & Conſtantinum Imperatorem ingentis criminis reos appellabat, cujus errores, & impiæ aſſertiones in Conc. Conſtant. ſeſſ. 8. damnatæ fuerunt, & leguntur in Actis ejuſdem Concilii præſertim 10, 32, 33, 34, . Poſtremo Martinus Lutherus, qui Waldenſium, & Wicleffi, & aliorum hæreticorum male ſanas opiniones inſtauravit, quique hac peſtilenti doctrina adverſus Eccleſiam Germaniæ Principes ad Eccleſiaſtica diripienda bona incitavit. Verum malignorum, & impudentiſſimorum calumniatorum os loquentium iniqua obſtruunt Sacræ Scripturæ teſtimonia. Et 1. quidem ex V. T. in qua Levitica Tribus, ex qua Sacerdotes, & Miniſtri Templi deſumebantur, nedum decimas omnium e terra germinantium, & pecudum poſſidebant; ſed etiam juſſu Dei Levit. 38. Urbes 48. in terra Iſrael cum ſuburbanis per mille paſſus ab eorum circuitu ad ipſorum alenda pecora tradi debebant. Et revera poſſidendas illis atque inhabitandas tradiderunt, ut legitur Joſue cap. 21. Levitici quoque cap. ult. præcipitur, ut *ſi quis agrum ſuum domino voverit, eum Sacerdotes poſſideant*. Et licet non deſint inter Catholicos, qui arbitrentur, agrorum dominium Sacerdotibus veteris Legis fuiſſe interdictum; hanc tamen opinionem omnino falſam evincunt

cunt nonnulla Sacræ Scripturæ loca, velut illud 3. Reg. c. 2. ubi legitur, Abiathar Sacerdos *miſſus ad agrum ſuum*; & Hieremiæ c. 2. ſcribentis, *ſe emiſſe*, *ac poſſediſſe agrum patruelis ſui*; & ex Actis Apoſt. ubi Barnabas Levites dicitur, *agrum vendidiſſe*, *quem poſſidebat*.

Ex Novo vero Teſtamento, in quo Chriſtum, & Apoſtolorum Collegium pecunias ſaltem in communi poſſediſſe expreſſe narratur, ut mox diximus, Joan. 13. ſcribit, Judam communis pecuniæ loculos ad neceſſaria comparanda ſervaſſe; & cap. 4. *Diſcipulos*, dicit, *in Civitatem abiiſſe*, *ut cibos emerent*; & in Act. Apoſtolorum, ubi primi fideles propria bona, vel eorum pretia ad Apoſtolos deferebant; & Paulus jubet Epiſcopis 1. ad Timoth. 3. *ut hoſpitales ſint*: at quam, amabo, hoſpitalitatem exigere poterat Apoſtolus ab iis, qui nihil poſſiderent? Legatur Sanct. Auguſtinus tract. 62. in Joan. Confirmatur traditione trium priorum Eccleſiæ ſeculorum, in quibus Eccleſiam, etiam ſub Imperatorum perſecutionibus, bona immobilia poſſediſſe, evincunt decreta, & leges Conſtantini Imperatoris, ut videre eſt apud Euſebium de vita Conſtantini cap. 39. quibus ea omnia Eccleſiaſticis viris reſtitui mandat, quæ perſecutorum furor eripuerat, & fiſco nuncupaverat. *Omnia* (verba ſunt Conſtantini ab Euſebio relata) *quæ ad Eccleſias recte viſa fuerint pertinere*, *ſive domus*, *ac poſſeſſio ſit*, *ſive agri*, *ſive horti*, *ſive quæcumque alia*, *nullo jure*, *quod ad dominium pertinet*, *imminuto*, *reſtitui jubemus*. Denique noſtram doctrinam in immenſum corroborat Eccleſiæ univerſalis auctoritas, in qua & Summi Pontifices, & Concilia tum generalia, tum particularia omnium ſeculorum, & Regionum, nec non Sanctiſſimi Patres, & piiſſimi Imperatores, Reges, Principes conſtitutiones, decreta, canones, documenta, leges condiderunt pro bonorum Eccleſiaſticorum cuſtodia, conſervatione, adminiſtratione, diſpenſatione, diviſione, alienationis prohibitione, augmento, immunitatibus &c. Quis autem, niſi inſaniſſimus, dicere audebit, hos omnes in errorem lapſos, fures fuiſſe, & latrones, vel ſaltem uſurpationum patrocinatores iniquiſſimos? Profecto infinitus eſſem, ſi leges omnes, & decreta hac de re edita ſolum recenſere vellem. Legi tamen poſſunt Canones Apoſtolici, Concilia Antiochenum, Ancyranum, Carthaginenſe IV. Hiſpalenſe V. Toletanum IV. Agathenſe, Romanum ſub Symmacho, & alia. Inter Patres vero potiſſimum legendi SS. Greg. Nazianz. epiſt. 32. Auguſtinus ſerm. 1. & 2. de communi vita Clericorum; Ambroſ. epiſt. 32. Chryſoſt. hom. 36. ad Pop. Antiochen. Greg. lib. 4. epiſt. 33. Gratiani Decretum diſt. 12. Codex Theodoſianus lib. 5. tit. 3. & Codex Juſtiniani tit. de *Sacroſancta Eccleſia*. Denique cum una ex parte temporalium bonorum dominium, & poſſeſſio nulla vel divina lege, vel Chriſti præcepto vel Apoſtolica traditione interdicta Eccleſiis inveniatur; ex alia vero humanis legibus, tam ſacris, quam politicis fulciatur, & roboretur; ex rei autem inſpecta natura hujuſmodi poſſeſſio pietatis, & Religionis notionibus nedum adverſetur, ſed maxime ſit conformis; evidenti colligitur ratione, ſolam hæreticam pertinaciam, animique malignitatem ad omne dominium ab Eccleſia ablegandum Heterodoxos impuliſſe. Legatur, ſi lubet, invincibilis Auctor Operis italice exarati de jure libero Eccleſiæ, ubi omnium argumentorum genere hæc veritas confirmata invenitur, & adverſariorum objecta profligata penitus, & protrita.

Num autem Clerici beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, ex proventibus illorum vivere poſſint, licet patrimonialia bona poſſideant; & an illorum redituum, qui eorum congruæ ſuſtentationi ſuperſunt, ſint veri domini, vel ſolum adminiſtratores, late diſputavimus Tom. 3. tract. 5. de Virt. Relig. diſſ. 3. c. 9. a n. 10. uſque ad 25. & cap. ſeq. Conſect. II.

VII. Religioſi voto ſolemni paupertatis in aliqua approbata Religione adſtricti nullius ſunt dominii capaces, quamdiu regularis vitæ vinculis obligati manent; immo ad quodcumque dominium aliqua ratione comparandum inepti prorſus exiſtunt. Certiſſima eſt hæc propoſitio, nullique obnoxia contradictioni, cum inconcuſſis fulciatur momentis, nimirum 1. Statutis, & Decretis Eccleſiæ, quæ præfati dominii abdicationem, & incapacitatem in religioſis hominibus, tamquam neceſſariam conditionem ad religioſi ſtatus formam conſtituendam, ſemper requiſivit, ut ſic votum paupertatis, ſeu vivendi ſine proprio magis ac inviolabiliter cuſtodiretur: quod votum ſemper a primis Monaſticæ vitæ primordiis unum ex mediis præcipuis ad chriſtianam perfectionem acquirendam idoneum, juxta Chriſti Domini conſilium, *ſi vis perfectus eſſe*, *vade*, *& vende omnia*, *& da pauperibus*, habitum fuit. Legatur Div. Thom. 2. 2. q. 88. art. 7. 8. 9. Hujuſmodi autem decretum, & Eccleſiæ ſtatutum, cui etiam adſtipulatæ ſunt civiles leges, & temporalium Principum voluntates, expreſſe inveniuntur in pluribus Juris canonici locis, & præcipue 3. Decretal. tit. *de ſtatu Monachorum*, & Tridentina Synodus confirmavit ſeſſ. 25. in Decreto *de Regularibus* cap. 2. ſtatuens: „ Nemini igitur Regularium, tam virorum, „ quam mulierum, liceat bona immobilia, vel „ mobilia, cujuſcumque qualitatis fuerint, et- „ iam quovis modo ab eis acquiſita, tamquam „ propria, aut etiam nomine Conventus poſſide- „ re, vel tenere; ſed ſtatim ea Superiori tra- „ dantur, Conventuique incorporentur. Nec de- „ inceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui „ regulari concedere, etiam ad uſumfructum, vel „ uſum, adminiſtrationem, aut commendam “. Illud tamen eſt hic attente notandum, hanc carentiam, & incapacitatem dominii in Monachis non ex paupertatis voto immediate & adæquate exoriri, cum dubium ſit, utrum quis ſuimet ſola voluntate ſe dominio incapacem reddere poſſit; vel etiam dato, quod poſſit, mutata voluntate facile poſſit incapacitatem ſemel aſſumptam excutere, ſacrilege quidem & illicite contra votum paupertatis, at valide ſecundum jus humanum: unde votum ſimplex paupertatis, etſi

 ſe-

ſecundum ſuam naturam ſpectatum a ſolemni non differat, ſicut & illud emiſſum in Religione non adprobata, hujuſmodi incapacitatem non inducit. Propterea incapacitas iſta dominii ex duplici alio capite eſt repetenda, nimirum primo ex traditione ſui facta a Religioſo quocumque in poteſtatem ſocietatis illius, cui nomen dedit, ratione cujus fit ſimilis partim mancipio, partim filio-familias, quorum neuter ſibi quidquam acquirit, ſed domino, vel patri. Secundo ex Eccleſiæ Decreto profeſſioni adnexo, quo illa non ſolum præfatam traditionem confirmat, adeo ut Religioſus non poſſit manumitti, aut mancipari, ſicut ſervus, & filius, aut effici ſui juris; ſed eumdem incapacem dominii conſtituit, eo ferme pacto, quo Eccleſiæ præceptum Subdiaconum inhabilem reddit ad matrimonium valide contrahendum. Idcirco ad iſta proſpiciens, poſitionem meam quibuſdam terminis coarctavi, extra quos ſi efferatur, aut veritatem amittit, aut certitudinem. Nam 1. ſubjectum deſignavi *in Religione approbata ſolemniter profeſſum*, ut excipiantur Scholaſtici, & coadjutores Societatis Jeſu, qui poſt biennium probationis ſimplicia vota emittunt in illa: quibus votis etſi veri Religioſi efficiantur, ut declaravit Gregor. XIII. ann. 1548. in ſua Bulla, *Aſcendente Domino*; non tamen omni dominio expolientur bonorum, quæ reliquerunt in ſeculo, nec incapaces illius efficiuntur, quamvis omnem ejus uſum, & exercitium ita Superiorum ſuorum arbitrio devinctum retineant, ut abſque eorum conſenſu illicite, vel juxta aliquos Societatis Theologos (de hoc enim litigant inter ſe) etiam invalide diſponant; & præterea ſemper parati eſſe debent ad illud etiam dominii genus, adeo tenue & impeditum, pro ſuperiorum nutu abjiciendum. 2. Addidi *in Religione approbata*, quia ſi quæ forte inveniuntur ſocietates hominum, quæ nondum Sedis Apoſtolicæ obtinuerint approbationem, illicite quidem homines illi de rebus ſuis abſque ſuperiorum ſuorum nutu diſponerent ob religionem emiſſi voti; at valida reputaretur hujuſmodi diſpoſitio. 3. Denique ſubdidi, *quandiu regularis vitæ vinculis adſtrictus manet*: nam, cum litigent Theologi, utrum Pontifex hujuſmodi ſolemnia vota poſſit relaxare, poſita veritate ſententiæ hanc facultatem adſtruentis, ſolutus ab hiſce vinculis primum dominium, vel ſaltem priorem aptitudinem ad illud recuperaret. Sed de his fuſior ſermo habebitur in Tract. de ſtatu Religioſo, ſi Deus vitam, & valetudinem dederit.

VIII. Dominii capaces ſunt etiam ratione carentes: nam ad dominium ſatis eſt voluntas capax utendi re tamquam propria: qua capacitate non carent, qui rationis uſu privantur; ſed ſolum exercitium impeditum habent. Nec obeſt deficientia conſenſus, qui tamen ad dominium videtur neceſſarium: cum illum ſupplere poſſint Tutores, & Curatores a Republica illis deſignati. Hinc S. Paulus verum agnoſcit dominium in filio rationis uſu deſtituto. Et revera in civili & canonico jure veri domini ſuorum bonorum decernuntur nedum pueri, & infantes, ſed etiam perpetuo ratione carentes, qui, licet ad aliquid acquirendum per oneroſos contractus inepti habeantur, gratuitis tamen contractibus, puta hæreditate, donatione, legato, rei dominium queunt adipiſci.

IX. Servi, quamdiu ſervitutis jugo premuntur, carent quidem omni dominio; at illius incapaces non ſunt. Servi nomen æquivocum eſt. Alii enim dicuntur ſervi adſcriptitii, ſive glebæ addicti, qui tamen ſimpliciter ſervi non ſunt; ſed perſonæ abſolute liberæ, quippe qui ſolum ad aliquas operas præſtandas, vel onera ſubeunda illis, quos ut dominos reſpiciunt, tenentur. Alii ſunt ſervi pœnæ, prout appellabantur antiquitus, qui damnati ad mortem, ſimul & ſemel poſt damnationis ſententiam bonis ſuis exuebantur, quæ fiſco cedebant, ita ut de illis nec teſtari poſſent, nec aliquam donationem facere: qui rigor noſtris temporibus non ſervatur, niſi in damnatis ad mortem ob quædam atrocia delicta, puta ob crimen læſæ Majeſtatis vel ſimile, aut in iis, qui ſpecialiter ſuarum facultatum expoliatione mulctantur. 3. Servi proprie ſic nuncupati, ſunt illi, qui & mancipia dicuntur, vel quia bello capti, indulgentia capientium ſervati ſunt; vel quia quolibet alio modo empti, ſive acquiſiti, in peculium, & poſſeſſionem ſuorum dominorum habentur & reputantur. Et de his modo loquimur, quamvis ſervitus pene omnino abolita ſit apud Chriſtianos, & ſolum veſtigium ſuperſit apud Hiſpanos, & quidem extra Europam: quamobrem pauca ſolum dicemus. Et quidem hoſce ſervos, ſive mancipia omni dominio carere patet ex legibus civilibus, in quibus ſolemne eſt illud effatum, quidquid ſervi acquirunt, dominis ſuis acquirere: & revera cum ſint eorum perſonæ, velut poſſeſſio domini, illorum opera, quæ velut fructus ſunt poſſeſſionis, in dominium tranſeunt dominorum. Non ſunt tamen omnino dominii incapaces. Nam primo, ſi ſervus ſua parſimonia peculium aliquod ſibi collegerit, vel aliunde acquiſiverit, ita tamen quod dominus vel probe ſciat, vel etiam, ſi forte ignoraverit, præſumatur tamen non repugnare, quin ſervus ille ſibimetipſi habeat, vel poſſideat; illius aliquod dominium acquirit. Dixi, *aliquod dominium*, non abſolute, quia omnino eſt pendens a domini voluntate quoad fieri, eſſe, & conſervari: ita ut, quoties ei libuerit, poſſit illud a ſervo revocare, ſuiſque rationibus addere, prout clare loquuntur plurimæ leges, quæ ſub titulis de *ſtipulatione*, & *ſervorum peculio* habentur. 2. Tale etiam dominium convenire poteſt ſervis, ut domini illud ſibi vendicare non poſſint, nimirum in bonis, vel pecunia, quæ ſervus habet vel ex abſoluta donatione domini ſui, ita ut dominus irrevocabiliter conceſſerit habendum ſervo, quod huic liberaliter donavit, vel ille propria induſtria acquiſierit, totum hoc rigoroſo modo proprium ſervorum dicitur. Item hujus generis eſt, quod in compenſationem injuriæ ſervo illatæ datum ei fuerit. 3. Quod ab aliis cum hac conditione ſervo donatum fuerit, vel ultima voluntate relictum, ut in poteſtatem domini minime tranſeat. Quæ igi-

igitur his titulis poſſidet ſervus, vere ad ejus dominium pertinent, ita ut poſſit pecunia inde collecta ſe etiam redimere, & alia bona ſibi comparare, quæ extra dominium illorum, quorum eſt ſervus, poſita intelligantur. Quæ omnia & æquitati naturali conformia ſunt, & civilibus legibus confirmata, ne ſervi ſpe recuperandæ libertatis omnino privarentur.

X. Filii-familias, etiam ſub patria poteſtate conſtituti, non omni dominio privantur. Quatuor bonorum genera diſtingui poſſunt, reſpectu filiorum-familias; nimirum caſtrenſia, quaſi caſtrenſia, aventitia, & profectitia. Primum genus caſtrenſium ex illis bonis conflatur, quæ adipiſcitur filius-familias in militia, vel occaſione militiæ; hujuſmodi ſunt ſtipendia utriuſque militiæ, terreſtris ſcilicet & maritimæ, prædæ ab hoſtibus captæ, donationes Ducum, immo & data ab ipſis parentibus, vel propinquis eo nomine; ſicut & tempore pacis, quæ obtinent filii in aula Principis deſervientes, aut in arcium cuſtodia manentes, nec non omnia, quæ ex talibus bonis mediante fructu vel contractibus proveniunt: & horum bonorum filii etiam ſub patria poteſtate conſtituti plenum aſſequuntur dominium, non ſolum directum, ſed etiam utile; dummodo tamen ad pubertatem pervenerint: nam ante pubertatem dominium quidem obtinent, & uſumfructum; ſed cum eorum adminiſtratio ſit vel Tutoribus, vel parentibus concredita, ſine illorum conſenſu ea alienare prohibentur.

XI. Bonorum vero quaſi caſtrenſium genus illa conſtituunt bona, quæ licet militiæ nomine acquiſita non ſint, caſtrenſium tamen gaudent privilegio: cujuſmodi ſunt, quæ filius adipiſcitur artium liberalium profeſſione, licet ſtipendia a privatis dentur, & quæ ſibi comparat publicorum munerum & officiorum exercitatione, qualia ſunt officia Judicis, Tabellionis, Advocati, Medici, Conſiliarii, Prætoris, & ſimilia, quibus Reſpublica ſalarium conſtituere conſuevit. His adjunguntur ea, quæ Imperatores, Reges, Reginæ, & Principes muneris loco filiis-familias elargiuntur. Immo quaſi caſtrenſia etiam ea bona legibus definiuntur, quæ a Clericis per beneficia, & officia Eccleſiaſtica, & intuitu Eccleſiæ collata acquiſita ſunt, inter quæ locum habet etiam patrimonium, non a parentibus tamen, ſed ab aliis conſtitutum. Horum autem bonorum pariter dominium, uſum, & uſumfructum obtinent filii, ſicut ſupra diximus de caſtrenſibus bonis.

XII. Adventitia autem bona ea dicuntur, quæ a filiis-familias aliis titulis ſunt acquiſita, ita ſcilicet ut nec intuitu militiæ, nec intuitu Reipublicæ, vel Eccleſiæ, nec intuitu patris provenerint, ſed quæ vel ex hæreditate materna, vel ex cognatorum benevolentia, vel induſtria, negotiatione, arte mechanica, inventione filii adipiſcuntur. Horum autem bonorum adventitiorum dominium directum eſt penes ipſos filios, ſed uſusfructus, & adminiſtratio tamdiu parentibus reſervatur, quandiu filii in illorum poteſtate conſtituuntur, hoc eſt emancipati non fuerint. Excipiendi tamen ſunt nonnulli caſus, quorum 1. eſt, ſi filio-familias legata fuerint aliqua bona ea conditione, ut illorum uſusfructus, & adminiſtratio non tranſeat ad Patrem. 2. Si ipſi parentes uſumfructum, & adminiſtrationem cedant. 3. Si aliquid ab ipſo Principe donatum fuerit. 4. Si aliquid filio-familias donatum fuerit invito, & reluctante Patre.

XIII. Profectitia denique ea bona dicuntur, quæ ex rebus patris conflata ſunt, vel a patre, aut aliis propinquis, & amicis intuitu patris ſunt conceſſa. Horum autem bonorum dominium totale, ſicut & uſusfructus ad ſolum pertinet patrem, quamdiu filius eſt in ejus poteſtate; quod ſi emancipatus ſit, iam non inter profectitia bona erunt adnumeranda. Quæ vero ab ipſis parentibus filiis dantur, vel in Patrimonium ad Ordines ſacros ſuſcipiendos, vel filiæ in dotem, vel filio ad nuptias, ad ſtudia &c. non ſunt profectitia, niſi ad eum ſolum effectum, ut debeant in partem hæreditatis cum aliis fratribus afferri.

XIV. Uxores quoque dominium habent ſuæ dotis, & bonorum paraphernalium, & aliquando etiam communium, ſed diverſo plane jure, nunc explicando. Bona dotalia ea dicuntur, quæ vel ab ipſa uxore, ſive ejus Patre, vel aliis dantur marito ad onera matrimonii ſuſtinenda. Horum autem bonorum, dominium, & proprietas ad ipſam uxorem tam arcte ſpectat, ut omnia mariti bona ſint ipſi obligata, donec talia bona ſibi reſtituantur, quare ſoluto per viri obitum connubio, præfertur uxor omnibus aliis creditoribus in dote repetenda: uſusfructus tamen, quamdiu matrimonium conſiſtit, ad maritum pertinet; ita enim *æquitas ſuggerit*, ut habetur leg. 7. ff. de jure dotium, *cum ipſe onera matrimonii ſubeat*. Paraphernalia autem bona ea ſunt, quæ, ut ipſum græcum vocabulum indicat, uxori obveniunt *extra dotem*, ſive ex heræditate, ſive ex legato, vel donatione, vel ipſa uxor in celebrando matrimonio ſibi reſervat: & horum tam dominium & proprietatem, quam adminiſtrationem ac uſumfructum ipſa obtinet; ita ut maritus ſine ejus conſenſu hujuſmodi bonis ſe immiſcere nequaquam poſſit. Communia bona ea dicuntur, quæ durante matrimonio accedunt ex communibus bonis, & ſuperlucrata dicuntur. Porro iſtorum uſus & adminiſtratio ſemper penes maritum eſt. Quoad dominium autem in aliquibus Provinciis, Regnis, & etiam Civitatibus mos obtinet, ut dividantur inter maritum & uxorem, & tunc iſtorum quoad medietatem dominium eſt penes uxorem, in aliis vero totum dominium ad maritum ſpectat; adeout poſt ejus obitum, ſoluta uxori dote, ad hæredes tranſeant. Quamobrem circa hæc ſunt locorum leges, & ſtatuta ſervanda. Aliquando vero mariti aliqua bona aſſignant uxori, veluti in reciprocam dotis compenſationem, & contradotalia dicuntur: horum vero dominium, ſicut uſusfructus & adminiſtratio tota penes maritum eſt, cujus proinde proprietatem uxor nonniſi viro defuncto conſequitur.

CAPUT SEXTUM

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Diviſio rerum, jure gentium conſtituta, eſt jure naturæ cuſtodienda.*
II. *Quomodo contemni poſſit, & induci communitas rerum.*
III. *Ad quos pertineat dominium, & adminiſtratio bonorum Eccleſiæ.*
IV. *Nullum dominium competit Religioſis privatis, ſed quandoque communitati.*
V. *Dominium in ſervos ampliſſimum non eſt, ſed quibuſdam coercetur limitibus.*
VI. *Parentes de bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus Filiorum, his invitis, diſponere non poſſunt.*
VII. *Filii-familias de bonis parentum nequeunt diſponere, licet otioſe ſerventur a Parentibus.*
VIII. *Maritus bona uxoris paraphernalia, ea repugnante, conſumere non poteſt,*
IX. *Nec uxor de bonis communibus. Rejicitur ſententia Buſembai.*

Conſectarium Primum.

I. Diviſio rerum, per jus gentium invecta, licite & ſalubriter eſt inſtituta, & jure naturæ cuſtodienda. Et quidem licite eſſe inſtitutam patet; nam illa nec legi divinæ, nec naturali juri adverſa invenitur; cum ab ipſis nec rerum communitas præcepta, nec proprietas inveniatur interdicta. Immo eam ipſe Deus confirmaſſe videtur, quippe qui auctor fuit diviſionis terræ Chanaanitidis inter filios Iſrael. Salubriter autem inductam nedum Chriſtiani agnoſcunt, ſed & ipſi Gentiles: nam Ariſtoteles 2. Politicorum pluribus momentis ex inconvenientibus deductis ſyſtema Platonis de Republica, in qua omnia communia volebat, exagitat & peſſumdat. Et revera ſi in hac corruptione naturæ bona manſiſſent omnibus communia, jam mundus perpetuis contentionibus, bellis, & rixis quateretur, & arderet; quippe quia multi inhiarent ad eamdem rem vel pretioſiorem, vel nobiliorem, vel magis neceſſariam occupandam: ac propterea conarentur ſe mutuo ab ejus uſucapione arcere & impedire; & denique potentiores omnia ad ſe raperent. Nec duo illa vocabula *Meum*, & *Tuum*, quæ modo tamquam potiſſima cauſa rixarum, & diſſenſionum traducuntur, tunc minus intervenirent, quam modo: etſi enim res omnes ante ejus uſum cenſerentur communes; dum tamen eis eſſet utendum, quiſque rem communem quoad uſum ſuam facere vellet, ſicque aſſiduæ forent rixæ, & jurgia inter homines, & cruenta orirentur certamina: quibus incommodis rerum diviſione occurſum eſt, ſin integre & adæquate ob pravitatem & immodicas hominum cupiditates, ſaltem ex parte; multo enim pauciores & rariores diſſidiorum occaſiones hoc adhibito remedio relictæ ſunt, ut factum legimus Gen. 13. Nam cum jurgia & rixæ exortæ eſſent inter Paſtores Abraham & Lot, ob paſcua communia; non alia commodiori via, & opportuniori conſilio ſedari potuerunt, quam diviſa utrique regione, altero ad dexteram flectente, altero ad lævam. Factam autem diviſionem eſſe jure naturali ſervandam, jam & manifeſte conſequitur, & oſtendimus ſuperius.

Conſectarium Secundum.

II. Hæc bonorum diviſio in ſpeciali, & ſelecto proborum hominum collegio juſte poteſt contemni, & communitas induci. Patet veritas hujus Conſectarii ex his, quæ habentur in Actibus Apoſtolorum, ubi in Eccleſiæ primordio Hieroſolymis Chriſtifideles omnia habuere communia. Et confirmatur exemplo Religioſorum, qui ſecutis temporibus ipſorum inhærentes veſtigiis, omni abdicato dominio & proprietate, in communi, & ex communi vivunt, morem hunc adprobantibus & laudantibus non ſolum Eccleſiæ Pontificibus, & Præſulibus, ſed etiam temporalis dominationis Principibus, qui etiam illum promovere ſemper ſategerunt. Et revera licet rerum diviſio inducta fuerit, ſpectata hominum conditione poſt Adæ peccatum corrupta & depravata, & cupiditatibus, paſſionibus, ambitioni miſere dedita atque proclivi; & hæc vitia apud omnes nationes exuberantia evincant pleriſque hominibus, ac propterea toti humano generi rerum partitiones, & privatas proprietates admodum utiles fuiſſe, ac prope neceſſarias: cum hoc tamen conſiſtere poteſt, ut in aliquo ſpeciali, & ſelecto hominum cœtu, a quo & virtutis amore, & cęleſtis gratiæ auxilio præfata vitia vel exulent, vel ita frænentur, ut prædominari non valeant, præſertim poſt Chriſti Domini exempla atque conſilia, hæc rerum diviſio contemni poſſit, atque bonorum communitas ſine cujuſquam offenſione ſervari, & cuſtodiri.

Conſectarium Tertium.

III. Bonorum ſive mobilium, ſive immobilium, quæ Eccleſiis addicta ſunt, dominium reſidet penes Eccleſias illas, quarum utilitatibus ſunt applicita, videlicet penes cętum, ſive Communitatem Eccleſiaſticorum, qui corpus dictarum Eccleſiarum coſtituere cenſentur, ſed cum aliqua tamen limitatione: adminiſtratio vero eorumdem ad Prælatos, ſive Rectores, vel juxta varias conſuetudines ad ęconomos communi conſenſu electos pertinet. Primæ noſtræ poſitionis parti adverſantur Navarrus, Major, nonnullique antiquiores Theologi, qui cenſent dominium bonorum Eccleſiaſticorum immediate ad ſolum Chriſtum pertinere. At illis adverſantur communiter cæteri omnes Theologi, & jure merito, nam in utroque jure, civili; & canonico præfata bona paſſim appellantur bona Eccleſiæ, facultates Eccleſiaſticæ, & dicuntur ab Eccleſiis acquiri, teneri, haberi, poſſideri, qui omnes loquendi modi profecto verum dominium, & proprietatem ſignificant. Accedit intentio illorum, qui hujuſmodi bona Eccleſiis largiti ſunt,

quæ

quæ videtur fuiſſe, ut dominium, quod ipſis ante largitionem competebat, in præfatas transferrent Eccleſias. Confirmat etiam adminiſtratio, & diſpoſitio iſtorum bonorum, quæ tota ex arbitrio pendet, & voluntate Eccleſiaſticorum. Nec urget, quod præfata bona a Conciliis, & SS. Patribus, ac in jure canonico *bona dominica*, *patrimonium Dei*, *& Chriſti* appellentur. Nam ideo præfatis appellantur nominibus, non quia illorum ſolus ſit dominus Chriſtus; ſed quia, cum Eccleſiæ ſint, ad Chriſtum etiam pertinent, qui illius Caput eſt, & Sponſus; & quia Chriſti amore collata ſunt a fidelibus; & denique quia ad Dei cultum, & honorem donata fuere, & ab Eccleſia hac conditione acceptata. Addidi tamen, hocce dominium quadam limitatione coarctari, quippe quia Communitas Eccleſiaſtica cujuſcumque Ordinis, Diœceſis, vel inſtituti facultatem non habet ea bona diſtrahendi, vel alienandi pro arbitrio; ſed tenetur integra ad poſteros tranſmittere, partim ſummorum Pontificum Decretis, partim ipſorum donantium diſpoſitione, qui voluerunt ſua bona perpetuo divino cultui mancipari. Cum vero diximus, eorum adminiſtrationem ad Prælatos, vel Rectores, vel ſtatutos Œconomos pertinere, id aſſeruimus, quod Conciliorum Canones decreverunt. Nam can. 38. inter eos, qui Apoſtolici dicuntur, ſtatuit: *Omnium rerum eccleſiaſticarum Epiſcopus curam gerat, & eas adminiſtret tamquam Deo intuente: non liceat autem ex eis aliquid ſibi vindicare, vel propriis cognatis, quæ Dei ſunt, largiri: ſi autem ſint pauperes, ut pauperibus ſuppeditet, ſed non eorum prætextu vendat, quæ ſunt Eccleſiæ*. Et Can. 25. Concilii Antiocheni medio IV. ſeculo celebrati, ſic decernitur: *Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem ad diſpenſandum erga omnes, qui indigent, cum ſumma reverentia & timore: participet autem & ipſe, quibus indiget*. Et Concilium Carthaginenſe III. cui interfuit Sanct. Auguſtinus can. 13. præſcribit: *ut Epiſcopus rebus Eccleſiæ tamquam commendatis, non tamquam propriis utatur*. Et univerſaliter Alex. III. cap. *Fraternitatem* Extra. *de donat.* pronuntiat: *Cum Epiſcopus, & quilibet Prælatus rerum Eccleſiaſticarum ſit procurator, non Dominus &c.* a qua procuratione juxta communem Theologorum ſententiam non eſt excludendus Romanus Pontifex, cui tamquam ſupremo omnium Eccleſiarum Rectori ſuprema quoque Eccleſiaſticorum bonorum eſt tribuenda adminiſtratio, adeout, quotieſcumque id poſcat Eccleſiæ utilitas, vel neceſſitas, ea poſſit ad profanos etiam uſus, & ad alias diœceſes transferre, immo & ſecularibus Principibus elargiri, & concedere, ita publico bono expoſcente.

Conſectarium Quartum.

IV. Religioſi voto paupertatis adſtricti nedum dominium, ſed nec uſumfructum, nec juris uſum in particulari obtinent; in communi vero, qui bona communia poſſident, idem habent dominium, quod ſuperius Eccleſiis conceſſimus. Prima pars eſt de ſe ſatis comperta non ignorantibus quid votum paupertatis importet, nimirum omnis proprietatis abdicationem, & ut omnia ita ſint communia, ut nullus dicere poſſit, hoc meum, hoc tuum eſt, ut exponit Sanct. Auguſtinus in regula pro monialibus dicens: *Non dicatur aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia, & diſtribuatur unicuique, ſicut cuique opus fuerit: ſic enim legitis in actibus Apoſtolorum, quia erant illis omnia communia*. Et Clemens VIII. in Bulla pro Reformatione Regularium, quæ incipit *Nullus omnino* jubet „ ut „ nullus ex fratribus, etiamſi Superior ſit, bo„ na immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, „ proventus, cenſus, eleemoſynas ſive ex con„ cionibus, ſive ex lectionibus, aut pro Miſſis, „ tam in propria Eccleſia, quam ubicumque ce„ lebrandis, aliove illorum juſto labore & cauſa, „ & quocumque nomine acquiſita, etiamſi ſubſi„ dia conſanguineorum, aut piorum largitiones, „ legata, aut donationes fuerint, tamquam pro„ pria, aut etiam nomine Conventus poſſidere „ poſſit, ſed ea omnia ſtatim Superiori tradan„ tur, & Conventui incorporentur, ac cum ce„ teris illius bonis, reditibus, pecuniis, ac pro„ ventibus confundantur, quo communis inde „ victus, ac veſtitus omnibus ſuppeditari poſ„ ſit “. Ex quo vel ſolo Decreto patet manifeſte, vitam communem ad votum paupertatis omnino pertinere, qua poſita, jam quidquid Religioſo conceditur, ad merum uſum facti conceſſum reputandum ſit, atque ideo ad Superioris nutum revocabilem. Sed hæc ſuo loco fuſius erunt enucleanda. Quod ſi Religioſorum cœtus bona communia poſſideat, cum hæc ſint bona Eccleſiaſtica, omnibus Eccleſiaſticis legibus, quæ pro illorum conſervatione, diſtributione, adminiſtratione ſancitæ ſunt, ſubjiciuntur; & præterea etiam peculiaria cujuſque Ordinis ſtatuta ſervanda ſunt.

Conſectarium Quintum.

V. Dominium in ſervos ampliſſimum non eſt, ſed certis quibuſdam coarctatur limitibus, quos ſi quis prætergrediatur, injuſtum, & illegitimum eſt judicandum. Dominium in ſervos juſto acquiſitum titulo (de quo in ſequentibus) 1. non ſe extendit ad eorum vitam, cujus dominium ſoli Deo reſervatur: quamobrem licet ſervus atrox delictum perpetraverit, nequit eidem dominus vitam eripere; ſed in caſu poſito in civitatibus pœnæ poteſtatis civilis ſubjacebit. 2. Nec membris ſervum privare domino conceditur, cum hæc ad ſalutem mancipii neceſſaria ſint, & quaſi partes conſtituant vitæ ipſius, a quibus ipſa vita dependet: eapropter Exodi 21. ſanciverat Deus populo ſuo: *Qui percuſſerit ſervum, & ancillam virga, & mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit .... Si percuſſerit quiſpiam oculum ſervi, aut ancillæ, & luſcos eos fecerit, dimittet liberos pro oculo, quem eruit. Dentem quoque ſi excuſſerit ſervo, vel ancillæ, ſimiliter dimittet eos liberos*. Et quamvis antiquius jus Romanum abſolutam dominis vitæ & necis in ſervos poteſtatem conceſſerit; illud tamen tamquam naturali juri adverſum, & bono communi

 omni-

omnino pernicioſum ſalubri moderatione a ſequentibus Imperatoribus correctum fuit, & emendatum. *Hoc tempore* (ſic indicit Juſtinianus Inſtit. lib. 1. Tit. 8. §. 2.) *nullis hominibus, qui ſub imperio noſtro ſunt, liceat in ſervos ſuos ſupra modum ſævire .... qui ſervum ſuum occiderit, non minus puniri jubemus, quam ſi alienum ſervum occiderit*. Quin immo optimus Princeps etiam majorem dominorum aſperitatem coercere ſtuduit, ſic ad Ælium Marcianum reſcribens: *Dominorum quidem poteſtatem in ſervos ſuos illibatam eſſe oportet, nec unquam homini jus ſuum detrahi, ſed dominorum intereſt, ne auxilium contra ſævitiam, vel famem, vel intolerabilem injuriam denegetur iis, qui juſte deprecantur: ideoque ſic de querelis eorum, qui ex familia Tullii Sabini ad Statuam confugerunt, & ſi vel durius habitos, quam æquum eſt, vel infami injuria affectos eſſe cognoveris, vænire jube, ita ut in poteſtatem dominorum non revertantur*. 3. Dominorum poteſtas nequaquam ſe extendit ad quidpiam inhoneſtum, vel turpe ab eis exigendum: quapropter lege *ſi lenones* in Codice *de Epiſcopali audientia* ſtatuitur: *ut ſi domini ancillis peccati neceſſitatem impoſuerint, liceat Epiſcopo eos a ſervitute liberare in pœnam delicti dominorum, eas libertate donando*: 4. Si ſervus ſeipſum domino vendiderit, alteri invitus vendi non poterit, niſi fortaſſis aliter convenerint: quia ultro hunc, non alium dominum adſcivit, & ipſius intereſt, utri ſerviat. Quoad ceteros vero bello captos, vel pretio emptos, receptum eſt jure gentium, ut non ſecus, ac aliæ res noſtræ, in quemcumque placeret, transferri, & ad inſtar mercium vænire poſſint: humanitas tamen jubet, ut nunquam obliviſcantur, ſervum utique hominem eſſe, adeoque ubi talem ſervum alienare placet, non iis data opera, aut præter meritum addicatur, apud quos inhumana ipſum tractatio eſt manſura. 5. Denique jure canonico nefas eſt dominis prohibere ſervis ſuis, ne matrimonium contrahant; & ſervorum matrimonia, etiam invitis dominis contracta, protegit Eccleſia atque defendit, ut late probat Sanchez lib. 7. de Matrimonio diſp. 22.

Confectarium Sextum.

VI. Parentes, qui bona filiorum caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia ſibi invitis filiis uſurpant, vel uſumfructum diſtribuunt, & contra voluntatem filiorum conſumunt, rei ſunt injuſtitiæ, & ad reſtitutionem tenentur; cum ea bona pleno jure ad filios pertineant: quod & dicendum eſt de bonis adventitiis, ſi filiorum proprietatem lædant, ex dolo, vel culpa perire, vel deteriora fieri ſinendo. Non peccant vero contra juſtitiam, ſi libere diſponant, etiam reluctantibus filiis, de bonis profectitiis; cum in iſtis tam proprietas, quam uſusfructus pertineat ad Patrem: nec ſupra bona patrimonialia Patris aliud utilitatis afferunt filio bona profectitia, niſi ſi forte ex aliquo delicto bona Patris publicentur, ſub illa publicatione filii bona profectitia non includantur, ut probat Sylveſter V. *Peculium* q. 3. Quod ſi bona filii adventitia ſint uſu conſumptibilia, ut pecunia, vinum, frumentum, cum in his uſusfructus proprie dictus locum non habeat; Patri tunc conceditur uſusfructus minus proprie talis, ſcilicet cum onere reſtituendi filio, tamquam proprietario, in æquivalenti: quamobrem ea bona adventitia tradenda erunt Patri pro uſufructu juxta peritorum æſtimationem reſtituenda completo uſufructu, ut decernitur l. 1. ff. de uſufructu earum rerum, quæ uſu conſumuntur. Puto tamen ex æquitate naturali requiri ad hoc Patris conſenſum, ne ſit cogendus res forte ſibi non opportunas emere.

Confectarium Septimum.

VII. Pater Boranga de Juſt. & Ju. cap. 2. §. 6. alium recentiorem Theologum exſcribens, de filii-familias dominio hæc habet. „ Si filius ex „ bonis patris, quæ pater, ut ſolet dici, mortua & inoperoſa tenet, negotietur, & lucrum ex ſola ſua induſtria reportet, puta „ ex pecunia, frumento, aliiſque uſu conſumptibilibus, quæ pater otioſa retinet; lucrum „ hujuſmodi judicandum eſt filio, utpote fructus „ ſolius ejuſdem induſtriæ: peccabit vero contra „ reverentiam, & forſan contra obedientiam patri debitam, id CLAM a notitia patris agendo; non tamen contra juſtitiam, dummodo „ habeat bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, „ quibus ſecurum reddere poſſit patris capitale, ſi forte negotiando periclitetur, aut aliud „ damnum emergat; & dummodo in cæteris ſibi a patre commiſſis deſerviat. Alias ſi non „ habeat, unde ſecurum reddat Patrem in caſu „ periculi, peccabit mortaliter ob periculum gravis damni, cui patrem exponit. Si tamen res „ proſperum ſortiatur eventum, & lucretur, lucrum erit ſuum, utpote proveniens ex ſola „ ipſius induſtria; nec ullum lucrum bona illa „ patri erant allatura “. Plura ſunt, quæ in hac doctrina prorſus nova, mihi non omnino vera, vel certa videntur. Nam 1. hic filius-familias CLAM bona illa patris *otioſa*, & *mortua* ſibi appropriat. Non peccat igitur ſolum contra pietatem, & obedientiam, ſed & contra juſtitiam; nam rem alienam ſcilicet patris, eo invito, ſibi ſurripit. Nec culpam minuit poſſeſſio bonorum caſtrenſium, vel quaſi caſtrenſium, queis, ſi negotiatio male vertat, poteſt damnum patris ſarcire. Nam poteſtas, immo & voluntas damnum illatum reſarciendi furtum non excuſat: quilibet enim, qui rem alienam, invito domino, ſurripit, ad reſtitutionem tenetur. 2. Si negotiatio bene cedat, & filius lucretur, inquiunt hi Theologi, lucrum filii erit, utpote proveniens ex ſola ipſius induſtria. At quæſo, hoc lucrum certe non eſt computandum inter bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, nec inter bona profectitia (ſic enim totum lucrum eſſet patris) eſt igitur computandum inter bona advertentia. At horum bonorum dominium quidem filio concedunt leges, ſed uſum fructum patri ſoli largiuntur: hæc igitur pecunia ex negotiatione acquiſita erit Patri danda; & ſic lucrum non erit ſaltem

in

in toto filii. At quis erit filius, qui negotiari velit cum ſuo periculo ſortis amittendæ, ut lucrum poſtea ex negotiatione reddat patri? 3. Nonne hoc lucrum ex pecunia, frumento, vino, aliiſque uſu conſumptibilibus patris profluit, & progignitur? oritur igitur ex bonis paternis: & licet filius ſuam addat induſtriam, adhuc tamen ſemper verum eſt, totam utilitatem tam ex bonis paternis, quam ex induſtria filii proficiſci: eſt igitur totum lucrum inter bona profectitia numerandum, cujus dominium, & uſus fructus ſoli convenit parenti, ita certe decernunt leges. *Sancitum* (ſcribit Juſtin. lib. 2. Tit. 9. ff. 1.) *a nobis, ut ſi quid ex re patris filio obveniat, hoc, ſecundum antiquam obſervationem, totum parenti acquiratur*. Audiatur Auctor a Boranga citatus, qui n. 8. ſic docuerat, parum meo videri ſibi cohærens: „ Quando filius lucratur ex bonis pater„ nis, quamvis diligentiam adhibeat, ſemper „ lucrum erit profectitium, nec poterit a patre „ portionem illius lucri exigere, nec poſt mor„ tem patris exigere illud ſeorſim ab hæreditate, „ quia cum alatur a patre, omnis adhibita dili„ gentia in bonis paternis adminiſtrandis, con„ gruum eſt (addo ipſe juſtum) ut cedat in pa„ tris utilitatem, & quamvis plus laboret aliis „ fratribus, ſemper implet debitum ſuum erga „ patrem". Porro etiam in caſu noſtro filius ex bonis paternis lucratur, omnem adhibet diligentiam, ut negotiatio proſpere cedat: implet igitur debitum ſuum erga patrem, & nihil exigere poteſt. Minime, inquit, nam Pater huic non aſſentitur negotiationi, & rem ſuam otioſam tenebat, ex qua nihil erat lucraturus. Fateor. At per hoc non eſt in filio niſi peccatum contra pietatem, & obedientiam. Inficior: eſt enim vere peccatum etiam contra juſtitiam, quia rem paternam clam ſibi uſurpat, quia de illa temere diſponit, non ſolum inſcio, ſed & reluctante parente; proinde nihil juſtum, nihil honeſtum, ex quo debeat lucrum reportare. 4. Denique hæc doctrina apta eſt ad fovendam in filiisfamilias avaritiam, & ad viam ſternendam domeſticis furtis. Quandoquidem hic agitur de filio-familias, qui in paterna domo degens, & ſub patria poteſtate ab ipſo parente victum, veſtitum, & neceſſaria omnia accipit, qui inſuper & bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia poſſidet, nullius proinde egens. Sola igitur avaritia impelli poteſt ad expiſcanda bona *otioſa* & *mortua* patris, ut ex illis negotiationem inſtituat, & ſibi lucra comparet. Præterea filii parentis divitis, & fortaſſis avari, qui multam pecuniam otioſam ſervaret, qui frumenta in horreo, & vinum in cellario recondita haberet, ſibi licitum putabunt arcam aperire, horreum diripere, cellarium ſpoliare, ut ex bonis *mortuis*, & *otioſis* patris, eo prorſus ignaro, ſibi lucrentur: quod profecto, quam futurum eſſet familiis pernicioſum, nemo cordatus non perſpicit. Quapropter horum Scriptorum modeſtiam imitatus, cum ipſis, ſed contra ipſos concludendum puto, *Salvo meliori judicio*, in CASU MAXIME PRACTICO non eſſe filios a furto immunes, nec hujuſmodi lucrum filiis adjudicandum, ſed inter profectitia bona adnumerandum.

Conſectarium Octavum.

VIII. Peccat maritus, qui aliquid notabile de bonis paraphernalibus uxoris ſibi, ea invita, ſurripit; adeoque ad reſtitutionem tenetur. Immo licet illi uxor adminiſtrationem conceſſerit, adhuc graviter peccat, ſi in ludis, comeſſationibus, impudicitiis, ea reluctante, conſumat. Uterque vero peccat, ſi bona communia, altero reluctante, diſſipet, diſtrahat, conſumat: nam ubi in uſu eſt iſta bonorum communio, implicitus habetur ſocietatis contractus, ut nullus ex ſociis, altero invito, de bonis ſocietatis libere poſſit diſponere, multoque minus illa dilapidare, & diſperdere. Non deſunt Theologi, inter quos laudatus Boranga, alterum exſcribens Theologum, qui inter paraphernalia bona uxoris enumerant *ea*, *quæ proprio opificio*, *ſive alia induſtria ipſa lucretur*, *dummodo tamen* (addunt) *ſuo ſervitio familiam non defraudet*, *ac tempus illud*, *quod familiæ debeat impendere*, *non ſubtrahat*, *ut diutius ſuis lucris incumbat*. At quo fundamento nitantur, qua lege ſe fulciant, non proferunt. Eapropter verius & probabilius cum Juvenino, ſive Auctore Reſolutionum Caſuum conſcientiæ Tom. 1. Tr. 2. cap. 5. q. 8. cenſeo, etiam hocce lucrum eſſe inter bona communia adnumerandum: nam uxor jure matrimonii omnem ſuam induſtriam, peritiam, diligentiam marito, & familiæ debet: quod profecto multo magis verum eſt, ſi cum matrimonio ſit conjuncta bonorum ſocietas in pactum deducta. Lege 24. ff. de Oper. libert. ſic decernitur: *Qui libertæ nuptiis conſenſit*, *operarum exactionem amittit*. *Nam hæc*, *cujus matrimonio conſenſit*, *in officio mariti eſſe debet*.

Conſectarium Nonum.

IX. Vera non eſt, nec admittenda doctrina Buſembaum docentis lib. 3. Tr. 4. cap. 2. n. 6. „ Uxorem, ſi ejus mater, vel pater, vel proles ex „ alio matrimonio ſit pauper, & maritus nolit „ eis ſuccurrere, poſſe ex bonis ſuis propriis, „ vel etiam ex communibus (dummodo poſt „ mortem viri omnia computet in ſua parte) „ eis ſubvenire; quia jure naturæ tenetur eos a„ lere, & maritus in id conſentire". Uxor patri, matri, & filiis de bonis propriis ſubvenire & poteſt, & tenetur: at bona communia, quæ ſunt omnino in poteſtate viri, ipſo invito, & reluctante, ſurripere, & aliis dare non poteſt. Nec prodeſt, quod additur, dummodo poſt mortem viri omnia computet in ſua parte: non enim eſt furtum faciendum, ut poſtea per reſtitutionem reparetur; hæc enim reſtitutio iniquitatem furti non tollit. At inquit, uxor jure naturæ tenetur eos alere: fateor: ſed ex bonis propriis, ſi habeat, non ex alienis illicite comparatis. Maritus (urget) conſentire tenetur. Utique, ſi habeat ſuperflua ſuo ſtatui, tenetur conſentire, verum lege caritatis, non obligatione juſtitiæ: porro quæ ex caritate ſunt debita, a ſponte dantibus accipi poſſunt, ab invitis auferri omnino non poſ-

poſſunt. Multo juſtius igitur, probabilius, & verius docuit P. Cuniliati Tr. 9. de 7. Dec. Præc. cap. 2. §. 5. „ Si uxor, vel filius ex priori marito, vel genitores ſint graviter indigentes .... „ poteſt eas eleemoſynas, quas de prudenter præſumpta voluntate mariti ſolet aliis pauperibus „ facere, dictis conſanguineis erogare, & aliis „ pauperibus illos anteferre, cavendo tamen ne „ amor ipſam excedere faciat: quod ſi plus velit „ elargiri, licentiam petat “. Cui doctrinæ utroque pollice lubens ſubſcribo.

CAPUT SEPTIMUM.

De Dominii materia, & modis illud acquirendi.

DOCTRINA.

I. *Quænam bona hominis dominio ſubjaceant.*
II. *Homini in hominem convenire dominium poteſt jure gentium.*
III. *Propriæ vitæ, & membrorum dominium homini non convenit.*
IV. *Immo nec ſupremi Principes dominium plenum in homines habent.*
V. *Recenſentur modi acquirendi dominium hominis.*
VI. *Captio in bello juſto licitus dominii in hominem titulus.*
VII. *Sicut & emptio.*
VIII. *Nec non juſta judicis ſententia.*
IX. *Et nativitatis conditio.*
X. *Modi acquirendi uſumfructum.*

I. RES omnes ſublunares, quæ attrectari, occupari, ad propria commoda aptari poſſunt ab hominibus, cujuſmodi ſunt flumina, montes, prata, agri, plantæ, ſylvæ, beſtiæ, & ſimilia, eorum dominio obnoxiæ ſunt; quod dominium per peccatum nequaquam ſublatum eſt. Veritas hujus propoſitionis eſt de ſe manifeſta, cum hæc omnia Deus O. M. protoparenti Adamo, ejuſque in ævum poſteris ſumma magnificentia, & liberalitate donaverit. Immo SS. Joan. Chryſ. hom. 7. ad Pop. Antioch., & Auguſt. in lib. qq. V. T. q. 45. aliique Patres arbitrantur, ideo hominem dici ad imaginem, & ſimilitudinem Dei efformatum, quod tali in ſublunaria corpora dominii præeminentia donatus fuerit, qua velut quiddam divinæ proprium Majeſtatis referret. Non fuit autem per peccatum ſublatum: tum quia nullibi legitur, Deum Adam, vel ejus progeniem dominio ſemel conceſſo ſpoliaſſe; tum quia hoc dominium in Noe poſt diluvium confirmatum fuit, & Regius Pſaltes divinam clementiam admiratus, exclamavit Pſal. 8. *Quid eſt homo, quod memor es ejus? ..... omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves, & boves univerſas, inſuper & pecora campi.* Fatemur tamen libentiſſime hujuſmodi dominium poſt peccatum, quantum ad uſum & exercitium imminutum valde fuiſſe; cum terra tot tribulos, & ſpinas ſudoribus vultus noſtri rependat, & beſtiæ hominis imperio ſubjici repugnent, & reluctentur. Signanter tamen dixi, ſublunaria corpora hominum dominio obnoxia, ut indicarem ea quidem ſpectato naturali jure omnibus patere; ſed ut pleno ſingularis hominis dominio ſubjecta ſiant, jure gentium, & civili plures requiruntur conditiones, de quibus infra.

II. Dominium hominis in hominem non jure naturali, ſed jure gentium, & humanis legibus inductum fuit. Loquimur de dominio proprietatis, non vero juriſdictionis. Et quidem dominium hominis in alium hominem non ex naturæ jure proficiſci manifeſte patet; cum Deus, ut habetur Eccl. 15. *Hominem fecerit rectum, & poſuerit eum in manu conſilii ſui.* Unde ajebat S. Auguſtinus lib. 19. de Civ. Dei cap. 15. „ Rationa„ lem factum ad imaginem ſuam noluit niſi irra„ tionabilibus dominari, non hominem homini, „ ſed hominem pecori “. Et paulo poſt oſtendit, ſervitutem eſſe recenſendam inter damna ex peccato conſecuta, atque in humanum genus invecta, ſubdens: „ Conditio quippe ſervitutis ju„ re intelligitur impoſita peccatori .... nomen ita„ que iſtud culpa meruit, non natura “. Licite vero jure humano invectam ſervitutem hominis oſtendunt Sacræ Scripturæ teſtimonia, tum in Veteri, tum in Novo Teſtamento. Nam in prioris concedebatur Hebræis, ut habere poſſent ſervos ex exteris nationibus. Levit. 24. v. 44. dicitur: *Servus, & ancilla ſint vobis de nationibus, quæ in circuitu veſtro ſunt, & de advenis, qui peregrinantur apud vos, vel qui nati vobis fuerint in terra veſtra, hos habebitis famulos, & hæreditario jure tranſmittetis ad poſteros.* Immo etiam ex propria natione mancipia ſibi obligare populo Dei non vetabatur Exod. 21. v. 2. & Deut. 15. v. 12. hac tamen adjecta conditione ob reverentiam fraternitatis, ut nonniſi ſexennio in ſervitutem detinerentur, ſeu uſque ad annum Jubilæi, quo priſtinæ reſtitui libertati jubebatur: *Si emeris ſervum hebræum, ſex annis ſerviet tibi, in ſeptimo egredietur liber gratis.* In Novo vero Teſtamento licitam ſupponunt ſervitutem Apoſtolorum Principes Petrus, & Paulus. Ille quidem in 1. ſua Epiſtola Catholica ſcribens cap. 2. v. 18. *Servi ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis, ſed etiam dyſcolis.* Iſte vero pluribus in locis ſuarum Epiſtolarum, & præſertim ad Epheſ. 6. ad Coloſſ. 3. & 1. ad Corinth. 7. ubi ſic dicit: *Unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat: ſervus vocatus es? non ſit tibi curæ, ſed etſi potes fieri liber, magis utere.* Et ad Philem. ſcribens, illi Oneſimum ſervum fugitivum remittit, atque commendat. Et ita revera ſemper ſenſit Catholica Eccleſia: nam in Concilio Gangrenſi, ut habetur cap. *Si quis ſervum* diſt. 17. q. 4. ſancitum legitur: „ Si quis „ ſervum alienum occaſione Religionis docet do„ minum ſuum contemnere, & ejus miniſterium „ deſtituere, & non potius docuerit eum ſuo do„ mino bona fide, ac omni honorificentia ſervi„ re, anathema ſit “. Et ſane cur non licebit homini, qui ſuæ libertatis, ſtatus, & conditionis abſolutus eſt dominus, eam mutare, & alterius ſe poteſtati ſubjicere? Vel quid vetat jus, quod alteri vendi licite poteſt, ab iſto legiti-

gitimo titulo acquiri? præſertim ſi id fieri contingat ob majus bonum, vel naturale, vel virtutis, puta ad vitam conſervandam, vel ad eximiam caritatem erga proximum exercendam. Sic D. Paulinus Nolanus, qui ex caritate ſe in ſervitutem dedit pro cujuſdam Viduæ filio redimendo, in Martyrologio Romano die 22. Julii commendatur, cujus miſericordiam æmulari geſtiebat etiam SS. O. N. Fundator & Parens Dominicus. Id luculentius apparebit ſi animadverterimus, quod notat D. Auguſtinus lib. 19. de Civ. Dei, ſervitutem primitus introductam in utilitatem in bello captorum, ut ſcilicet, qui jure belli juſte interfici poterant, mitiori pœna victoris perpetuæ ſervituti adjicerentur, unde ſervos potius a ſervando, quam a ſerviendo dictos fuiſſe. Quibus autem limitibus coerceatur dominorum in ſervos proprietas, diximus ſuperius cap. præcedentibus; & inferius titulos juſtæ ſervitutis exponemus.

III. Homo propriæ vitæ, & membrorum ſuorum plenum non habet dominium, ſed ſolum cuſtodiam, adminiſtrationem & uſum. Hanc veritatem agnovere nobiliores Philoſophi, reclamantibus Stoicis, nam a Cicerone lib. de ſenectute memoratur, & commendatur Pythagoræ effatum, *nulli fas eſſe injuſſu Imperatoris, ideſt Dei, de præſidio, & ſtatione, vitaque decedere*. Et revera in Scripturis vitæ, corporis, & membrorum dominium ſoli Deo adſcribitur Deut. 32. *Videte, quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me: ego occidam, & ego vivere faciam*. Et Sap. 16. *Domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatem*. Et plura hujuſmodi. Dictat etiam naturalis ratio: nam dominium nonniſi in eas res invenitur, quas nobis induſtria poſſumus comparare: porro nemo ſibi ipſi vitam dedit, ſed Dei beneficio accepit. Hoc argumentum eſt a D. Thom. deſumptum 2. 2. q. 64. a. 5. ſcribente: *Vita eſt quoddam donum divinitus homini attributum, & ejus poteſtate ſubjectum, qui occidit, & vivere facit. Et ideo qui ſeipſum vita privat, in Deum peccat; ſicut qui alienum ſervum interficit, peccat in dominum, cujus eſt ſervus; & ſicut peccat ille, qui uſurpat ſibi judicium de re ſibi non commiſſa*. Totus legatur articulus. Si homini directum competeret dominium in propriam vitam, ſive membra, qui hominem conſentientem, vel etiam poſtulantem interimeret, vel mutilaret, injurioſæ actionis reus non eſſet dicendus; & tamen homicida iniquus audit; quamobrem & David Amalecitam punivit, qui Saulem, ipſo etiam efflagitante, transverberaſſe dixerat. Quando autem licita eſſe poſſit mutilatio, vel etiam propriæ mortis permiſſio, diximus in Tract. de 5. Decal. præcepto.

IV. Nec Reipublicæ, ejuſque Rectoribus in ſubditorum vitam plenum competit dominium; cum nulla ſit aſſignabilis radix hujus dominii: non enim a Deo Reipublicæ conceſſum legitur, qui illud ſibi ſoli reſervatum ſexcenties in Scripturis dixit; non a privatis Civibus, qui cum tali dominio ſinguli careant, nequeunt ulli conferre, nemo enim dat, quod non habet. Hoc adeo & ipſis Tyrannis compertum fuit, ut, dum innocentes internecione delebant, ſontes illos vel ſupponerent, vel ſaltem ſimularent. Et revera ſi penes Rempublicam hujuſmodi dominium reſideret, poſſet illa pro ſua ratione & arbitrio innocentes cives abſque injuria interimere: quod profecto falſiſſimum eſſe nemo non videt. Dum autem Magiſtratus, & Principes reos morte puniunt, non dominium proprietatis, de quo modo loquimur, ſed juriſdictionis exercent, ut docet S. Thom. l. l. a. 3. ſcribens: *Occidere malefactorem licitum eſt, inquantum ordinatur ad ſalutem totius communitatis .... Cura autem communis boni commiſſa eſt Principibus habentibus publicam auctoritatem; & ideo eis ſolum licet malefactores occidere*.

V. Quilibet homo ſui honoris, & famæ dominium habet. Ita docet S. Thom. 2. 2. q. 73. a. 4. ad 1. ſcribens: *In cujuſque arbitrio eſt pati detrimentum ſuæ famæ, niſi hoc vergat in detrimentum aliorum*. Huic tamen opinioni tamquam contrarium omnes, quos vidi, Theologi referunt Cajetanum in Comment. ad a. 2. laud. quæſt. Verum in iis Commentariis a me attente perluſtratis, non mente, & ſententia a S. Th. ceteriſque Theologis diſcrepare viſus eſt Cajetanus, ſed ſola hypotheſi: arbitratur enim Auctor Eminentiſſimus propriæ famæ jacturam ſemper vel eſſe cum infamia & mendacio producta conjunctam, vel a damno alterius, videlicet ſaltem Communitatis, cujus eſt membrum, inſeparabilem. Noſtra autem poſitio patet: nam bonum nomen, exiſtimatio, & fama inter bona exteriora vitæ advenientia computatur, eaque poſſidentis induſtria, liberis actibus, & operibus vel comparatur vel augetur. Præterea ejuſdem quoque reparationem, ſi alterius livore vel invidia ablata vel imminuta fuerit, ſicut repetere poteſt judiciaria etiam actione, ita omnino poteſt libere condonare. Ex quo patet diſcrimen famæ a vita, & membris corporalibus: hæc enim hominis induſtria non comparantur, nec alteri donari poſſunt, nec ablata ulla reparatione ſarciri; proinde in illis dominium non competit homini; in fama autem hæc omnia locum habent. Quomodo autem homo peccare, vel mereri poſſit ſuam famam vel abjiciendo, vel contemnendo, diximus in VIII. Decal. præcepto, ubi hac de re fuſe diſputavimus.

VI. Modi autem acquirendi dominii plures ſunt juxta rerum diverſitatem. De nonnullis in hoc capite, de aliis in ſequentibus. Et primo quidem tituli obtinendi dominium in hominem hi recenſentur 1. captio in bello juſto. 2. Emptio & venditio. 3. Judicis ſententia. 4. Nativitatis conditio.

Et quoad captionem in bello juſto, vix juſtior titulus, & hominum conſenſu magis firmatus afferri poteſt, quo unius in alterum hominem dominium legitimum fiat: hinc enim videtur origo ſervitutis deſumpta: nam jure gentium quando quis juſto bello capitur, mancipium fit capientis, mortem in perpetuam ſervitutem commutantis, ut ſuperius ex Auguſtino vidimus. Et revera ſi jure gentium tamquam juſtum receptum eſt, bona in prædam & poſſeſſionem hoſtium

ſtium

ſtium tranſire ; cur non & ipſos victos , quibus ſervitus ipſa utilis eſt , cum per eam vitam redimant , quæ prætioſior eſt libertate ? Hoc tamen juris gentium de captivitate ſtatutum , etſi nihil iniquitatis contineat in ſe ſpectatum , inter chriſtianos tamen vim ſuam omnino amiſit ex longo uſu , & præſcripta conſuetudine fuit abrogatum : eapropter in bellis inter Chriſticolas , qui victi ſunt & capti , etſi juſtitia belli penes victores fuerit , jus habent , ne ab ejuſdem Religionis hominibus ſervituti addicantur ; ſed perſoluto redemptionis pretio , quod rationem vocant , dimittantur .

VII. Secundus dominii in hominem legitimus titulus ex emptione , & venditione reſultat : nam qui ſuæ , vel alienæ libertatis eſt dominus , poteſt utique , quod habet , accepto pretio , in alium transferre , & hic eo perſoluto ſibi comparare . Quod confirmatur ex Scriptura : nam , ut ſuperius notavimus , licebat Judæo egeſtate impellente ſeipſum gentilibus ſuis vendere . Nec obſtat , quod recurrente ſeptimo anno libertatem priſtinam adipiſceretur . Nam & in perpetuam ſervitutem ſe tradere non prohibebatur . Quod ſi ſeptimo anno oblatam libertatem recuſare maluiſſet , ſtatuebatur Exodi 21. *Ut perforata illi a domino auricula* in perpetui dominii argumentum *eſſet ſervus in perpetuum* . Ex quibus manifeſte colligitur , nemini facultatem ſe vendendi eſſe jure naturæ interdictam ; quamvis libertatem prodigere , abſque neceſſitate , caritati , quam ſibi quiſque debet , inveniatur ut plurimum adverſari . Plures ſunt in Romano jure ſtatutæ leges pro legitima ſervi emptione , quibus tamen Europæ , & noſtrorum temporum Mercatores , qui in variis Africæ , Aſiæque ad Oceanum litoribus ſervorum negotiationem exercent , ſe minime teneri credunt , eaſque reſpuunt . Num vero eas ſaltem ſervent leges , quas naturalis æquitas , nedum Chriſtiano , ſed & honeſto viro indicit , excluſis videlicet in ejuſmodi commerciis fraudibus , dolis , coactionibus , videant Theologi illi , qui Hiſpanorum , & Luſitanorum conſcientias moderantur . Legite tamen , ſi lubet , Molinam Tom. 2. a Diſp. 34. ad 37. His ſolum addendum , jure naturæ parentibus licitum eſſe in gravi ſua neceſſitate proprios filios vendere ; ſed quando , & quibus conditionibus , diximus in IV. Decal. præcepto .

VIII. Tertium titulum , qui juſtum in hominem dominium producit , lata judicis ſententia conſtituit . Dixi , lata ſententia , quia ante Judicis ſententiam , tanta non incurritur pœna (æquiparatur enim morti) & quidem quæ juſte inflicta fuerit , ita exigente delicti atrocitate , legumque diſpoſitione . S. Ambroſius lib. de Elia , & Jejunio cap. 5. & S. Auguſtinus lib. 19. de Civ. Dei cap. 15. hanc pœnalis ſervitutis originem deſumunt ex Sacra Scriptura , in qua Gen. 9. legitur Noe puniturus impudentiam Cham , qui ejus nuditatem in ebrietate fratribus irridendam propoſuerat , ejus ſtirpem perpetuæ addixit ſervituti , dicens : *Maledictus Chanam* , *ſervus ſervorum erit fratribus ſuis* ; quamvis illa Noe verba imprecationis formam , vel etiam futuræ rei prophetiam potius , quam pœnæ præſeferant inflictionem . Hæc tamen pœna Romanis legibus pro nonnullis criminibus infligebatur . Nam qui ad metalla , vel ad beſtias damnati , atrocitate ſententiæ in maximam incidebant capitis diminutionem , & ſervi pœnæ dicebantur , & fiebant ; & Liberti , qui erga Patronos ingrati extitiſſe convincebantur , in ſervitutem iterum in pœnam revocabantur . Maxima capitis diminutio in Romano jure ea dicitur , quæ inducit amiſſionem civitatis , & libertatis : media vero ea , qua , retenta libertate , ſolo jure civitatis reus expoliabatur ; ut cum quis deportabatur ad inſulam , vel proſcribebatur aqua & igni interdictus . Et in Concilio Toletano IX. Cap. *Cum multæ* 15. q. 4. decretum legitur , ut filii , qui ex nefario concubitu cum initiatis ſacris Ordinibus habito , ſuſcepti fuerint , non ſolum excludantur ab hæreditate parentum , ſed etiam in perpetuum ſervi fiant illius Eccleſiæ , ad quam initiatus ille pertinuerit . Verum abrogata jam inter Chriſtianos ſervitute , hæc pœna locum non amplius obtinet : & qui a Principibus ad Triremes , vel ad opera , vel ad metalla damnantur , præter libertatis amiſſionem & labores , non alia ſubeunt , jure ſervitutis , onera .

IX. Quartus titulus , quo juſtum in hominem dominium inniti poteſt , eſt nativitatis conditio . Ita ſancitum legitur in Vet. Teſt. Exodi 21. de ſervo Hebræo : *Si vero dominus dederit illi uxorem* , *& pepererit filios* , *& filias* ; *mulier* , *& liberi ejus erunt domini ſui* , *ipſe vero exibit cum veſtitu ſuo* . Romanæ vero leges ſanciunt L. *Partum* Cod. de rei vindicat. §. penul. & in Inſtit. de jure perſon. §. *Sed & ſi quis* , nec non *de ingenuis* cap. un. *de natis ex libero ventre* , illum , qui ex matre ancilla naſcitur , ſive pater ſit liber , ſive non , ſive naſcatur ex legitimo matrimonio , ſive ex copula fornicaria , ſervum eſſe , quia partus ſequitur ventrem . Si tamen mater , vel quando concepit , vel tempore partus , vel intermedio tempore libertate donetur , proles quoque naſcitur libera , eo quod in favorem libertatis partus ſequatur ventrem , pro quocumque tempore liber fuerit , dum fœtus intra illum continetur . Verum cum hæc ſolum ex humano jure vim habeant , quiſque perſpicit aliter diſponi potuiſſe , videlicet , quod ſolum partus tempus attendatur , vel patris , ſive utriuſque parentis ſpectetur conditio ; immo ſi ſolum ratio naturalis inſpiciatur , pro filii libertate tempus partus ſolum eſſet ſpectandum , ſicut & patris conditio . Summa nihilominus æquitate ſolum maternam originem ſpectandam eſſe ſtatuere humanæ leges , tum quia hæc notior eſt , & certior , quam paterna ; tum etiam quia mater periclitatur in partu ; tum denique quia etſi pater tamquam præcipuum habeatur generationis principium , partus tamen quodammodo eſt magis fructus matris , quæ ulterius etiam magis concurrit ad nutritionem & educationem filiorum , & plus etiam , quam pater , a domini ſervitio , tam dum gravida eſt , quam cum proles educatur , impeditur .

X. Modus autem acquirendi rei uſumfructum duplex eſt . Alter legalis dicitur , quia ex legum diſpoſitione oritur , qualis eſt uſusfructus , quo

quo gaudet maritus circa uxoris dotem, & pater circa peculium filii adventitium, quamdiu eſt ſub patria poteſtate conſtitutus. Alter vero conventionalis, qui ex privatorum conventionibus, & diſpoſitione enaſcitur, puta ex teſtamento, donatione, pactionibus, ſtipulationibus, aliiſque contractibus, de quo iterum in Tr. de Contractibus. Amittitur autem 1. morte uſufructuarii. 2. Si fructuarius juri ſuo cedat, vel formaliter, ideſt actu aliquo poſitivo, quo a ſe uſumfructum abdicet; vel virtualiter, & interpretative, tamdiu fructuum perceptionem negligendo, ut directus dominus contra ipſum præſcribat, ad quam præſcriptionem rite inducendam decennium requirunt Romanæ Leges fructuario præſente, duplicatum autem temporis ſpatium, ſi abſens fuerit. 3. Si fructuarius rei proprietatem acquirat, quæ acquiſitio conſolidatio appellatur. 4. Re deſtructa ſive pereunte, in qua uſusfructus fundatus erat, puta domo igne conſumpta, agro ab inundante flumine abrepto. 5. Si fructuarius maximam, vel mediam capitis diminutionem incurrat. 6. Denique ſi abſque facultate & conſenſu proprietarii ipſum vendere, donare, aut alio titulo in alienam transferre perſonam tentaverit. Uſus quoque iiſdem modis inducitur, & finitur, quibus uſusfructus; ut videre eſt apud Juriſconſultos ff. poſt titulum de uſufructu.

CAPUT OCTAVUM.

De aliquibus aliis acquirendi Dominium modis, nimirum occupatione, & inventione.

DOCTRINA.

I. *Quid ſit occupatio.*
II. *Omnia, quæ ſunt in mundo, quomodo occupata dicantur.*
III. *Animalia manſueta dominum habent.*
IV. *Feræ ſylveſtres quomodo occupentur.*
V. *Quandiu cicures ſint in dominio poſſidentis.*
VI. *Num liceat Columbaria erigere, & columbas tenere?*
VII. *Venatio, & piſcatio licita.*
VIII. *Quænam venatio Clericis interdicta.*
IX. *Quænam conceſſa.*
X. *Inventione res occupari poſſunt.*
XI. *Quænam res inventæ inventoris ſint.*
XII. *Quid de theſauris ſentiendum.*
XIII. *Regulæ ſervandæ in theſaurorum inventorum detentione.*
XIV. *Quomodo res derelictæ in dominium tranſeant occupantis.*
XV. *Res deperditæ ad quos pertineant.*
XVI. *Quomodo diſponendæ, ſi dominus non reperiatur.*

I. Occupatio eſt *apprehenſio rei, quæ vel nullius eſt, aut fuit, aut ſi cujus fuit, ab illo relicta cenſetur.* Hoc pacto primam rerum diviſionem, præcipue immobilium, factam cenſeo jure gentium. Nam familiæ, tribus, cognationes eam terræ partem occupabant, quam tam ſibi, quam poſteris neceſſariam arbitrabantur ad victum & ſuſtentationem; hanc poſtea per familias vel capita diſpertiebantur. Ita certe factum ab antiquis Germanis narrat Tacitus Germ. cap. 26. ſcribens: *Agri pro numero cultorum ab univerſis per vicos occupantur, quos mox inter ſe ſecundum dignitatem partiuntur, facilitatem partiendi camporum ſpatia præſtant.* Et Grotius lib. 2. de Jure B. & P. c. 8. §. 9. confirmat dicens: *Si id quod plerumque eſt, reſpicimus, prius populos terram occupaſſe, non imperio tantum, ſed & dominio, quam in privatos agri deſcriberentur &c.*

II. Omnia, quæ in mundo ſunt, cenſentur ſin immediate, ſaltem mediate occupata (ſi mare excipias, de quo litigant Grotius & Seldenus, ille *in mari libero*, iſte *in mari clauſo*, utrum occupari poſſit, vel occupatum ſit, de quo nihil ad nos.) Dixi, ſin immediate, ſaltem mediate, quia licet adhuc plura ſint, quæ immediatum dominium non habent, a quo actu poſſideantur in particulari, ideoque adhuc ab aliquo queant occupari, ut mox dicemus: cenſentur tamen occupata ab illis populis, qui regiones cohabitant, qui prohibere poſſunt, ne alii extranei occupent, niſi forte jure belli juſti. Hinc montes, ſylvæ, paſcua, flumina, fontes, fodinæ, metalla, gemmæ in viſceribus terræ incluſa, ſunt populorum, in quorum territorio ſita ſunt, vel illis viciniorum: quod ſi inter conterminos, & vicinos populos reperiantur, erunt utrique populo communia. Non inde inferas, per hoc pertinere, & eſſe ſub dominio alicujus privati, etiam Principis & Dominantis, niſi forte peculiari aliquo titulo ſibi comparaverint. Altum quidem obtinent dominium horum, Reges, Principes ſupremi, & Reſpublicæ, per quod ob commune bonum, vel ob ipſarum rerum conſervationem indictis pœnis prohibere poſſunt, ne talis ſpeciei arbores ſcindantur, ne certa quædam ad paſcua animalia mittantur, ne quarumdam arborum trunci cædantur, ſed ſolum rami; ut quædam ad publica ædificia, vel navium conſtructiones ſerventur; ut alia, nonniſi cum adoleverint, & ad tantam pervenerint craſſitiem vel altitudinem ſcindantur, & ſimilia: quæ leges, ſicut Principes cavere debent, ne nimis graves ſint, & populis ac civibus pernicioſæ; ita ab iſtis ſancte ſunt cuſtodiendæ. His igitur ſervatis legibus licet privatis perſonis ligna ad ſuum uſum cædere, ad paſcua animalia immittere, glandes, fructus, & folia arborum ad pabulum beſtiarum carpere, juxta tamen uniuſcujuſque indigentiam, abſque aliorum, qui æquale jus habent, damno & nocumento. Verum quando quis furti reus eſſe poſſit in horum communium uſurpatione, diximus in Tr. de VII. Decal. præcepto.

III. Sunt tamen adhuc alia bona, & res, quæ privatæ ſubjacent occupationi, & tranſire queunt in alicujus ſingularis perſonæ dominium: inter hæc præcipue recenſentur animalia. Hoc autem nomine non veniunt animalia domeſtica, & indole ſua manſueta, cujuſmodi ſunt gallinæ, oves, anſeres, boves, equi, pavones, & ſimilia: hæc enim

enim ita ſunt ſuorum dominiorum, ut, licet longe abſint a domo, immo licet a feris interimi, vel alio modo perire contingat, ſemper ad ſuum pertineant dominum, cui ipſa animalia, vel illorum cadavera, & carnes ſunt tradendæ. Ita decernitur Inſtit. lib. 2. tit. 1. *de rerum diviſione* §. 6. „ Si anſeres tui (decernit Juſtinianus) aut „ gallinæ tuæ aliquo modo turbati, turbatæque „ evolaverint, licet conſpectum tuum effugerint, quocumque tamen in loco ſint, tui, tuæque eſſe intelliguntur; & qui lucrandi animo „ ea animalia detinet, furtum committere intelligitur ".

IV. Animalia igitur illa hoc in loco deſignantur, quæ dicuntur feræ ſylveſtres, & ferocia animalia: immo non ſolum quæ ſævam habent naturam, ut Leones, Urſi, Tygrides, Pantheræ; ſed etiam quæ indole & natura ſua vel libere vagari ſolent, ſi beſtiæ ſunt, vel libere volare, ſi aves, vel libere natare, ſi piſces: in prima claſſe recenſentur lepores, cervi, apri, damæ &c.; in ſecunda perdices, coturnices, phaſianæ, & ceteræ omnes pene ſive aves, ſive aviculæ; in tertia vero piſces omnes: hæc autem ita libera concipiuntur, ut nullius ſingularis perſonæ dominio ſubjaceant, ſed ſint primo occupantis. Ita in lege decernitur ex l. Inſtit. §. 2. „ Feræ „ beſtiæ, & volucres, & piſces, & omnia animalia, quæ mari, cælo, & terra naſcuntur, „ ſimul atque ab alio capta fuerint, ſtatim illius eſſe incipiunt; quod enim ante nullius „ eſt, naturali ratione occupanti conceditur ".

V. At ſi feræ, & ſylveſtria animalia cicura ſint, & arte ac induſtria manſueta effecta, ita privato ſubjacent dominio, ut ab alio nequeant occupari, quamdiu ſunt in alterius poſſeſſione, & nativam libertatem non recuperaverint. Cenſentur autem in poſſeſſoris dominio, quamdiu ſunt vel aliqua incluſa cuſtodia, vel, ſi vagari ſinantur, ſolent tamen ad ſtabulum, vel domum reverti. Quando vero deſinentes reverti, cenſeantur priſtinam libertatem recuperaſſe, decerni non poteſt; ſed prudentis arbitrio eſt relinquendum. Illud certum eſt, quod ſi vel beſtiæ, vel aves fractis vel ſuperatis repagulis, quibus concluduntur, ad ſylvas redeant, vel ad montes avolent, jam ſunt primam libertatem conſecutæ, & fiunt occupantis. Nonnulli tamen Theologi aves venaticas excipiunt, ut ſunt Falcones, Accipitres, Milvi, qui ſemper cenſentur ad dominum pertinere, præſertim ſi aliquo ſint ſigno notati: quod extendunt & ad canoras aves magni pretii in cantu a domino edoctas, quas reſtituendas docent præmio aliquo occupationis accepto.

VI. Paludanus, Major, aliique antiquiores Theologi cenſent, non licere columbaria erigere, quippe quia columbas putant damnum agris afferre ſemina comedentes. Verum communiter ceteri Theologi docent, non illicitum eſſe ea habere, & erigere, ſervatis tamen legibus, ſi quæ ſunt in loco a ſupremis Principibus latæ. Nam, inquiunt, damnum non afferunt, cum ſemina vel terra cooperta, vel in ſpicis jam matura non comedant, ſed ea dumtaxat, quæ humo minime operta non germinarent: plura etiam mala comedunt grana & ſemina, quæ tritico nocerent. Non licet tamen columbaria habentibus fraude, & dolis alias columbarii aves ad ſuum attrahere: at ſi alienæ columbæ adveniant, & ſuis commiſceantur, ſuæ fiunt. Sicut non licet illis, qui columbas in ſuis agris cibum quærentes reperiunt, occidere, vel ſibi occupare, ſed ſolum fugare poſſunt: nam ſemel conceſſa vel conſuetudine, vel Principis venia columbarii erectione, nullus impedire debet vagantes aves ad ſuum redire domicilium.

VII. Hinc venatio, piſcatio, & aucupium communi jure ſpectato omnibus conceſſa ſunt, ut habetur lege 13. §. 2. ff. de injur. ubi dicitur: „ Sæpiſſime eſt reſcriptum non poſſe quem „ piſcari prohiberi nec aucupari ". Sunt tamen nonnullæ obſervandæ exceptiones. 1. Certum eſt licere Principibus venationem in aliquo loco, vel reſpectu aliquorum animalium ſibi reſervare; immo hocce privilegium aliis de Republica, vel Regno optime meritis concedere; & hæ leges, ac hujuſmodi conceſſiones ſunt ſervandæ, nec cuiquam illas violare licet. 2. Vetitæ ſunt etiam piſcationes, & venationes certis temporibus, nimirum vel nivis tempore, vel cum proli generandæ operam navant, ne animalia nimium deficiant. 3. Vetitum etiam retibus, vel nimium ſpiſſis, vel nimium amplis in venatione, vel piſcatione uti eadem de cauſa. 4. Vetitum eſt venenatas eſcas in ſtagna, vel aquas immittere, queis piſces moriantur, vel inficiantur. 5. Qui poſſeſſiones, & prædia habent, in quibus vel ſylvæ ſunt, vel lacus, vetare poſſunt, ne quis in hiſce locis venationem, vel piſcationem exerceat. Non licet tamen interdicere venantibus, ne agrum ſuum apertum, nullaque foſſa, vel vallo, ſive ſepe clauſum ingrediantur; ſecus vero, ſi vel ſepe, vel foſſa, vel alio firmo repagulo clauſum ſit.

VIII. Aliquibus vero Perſonis ratione ſtatus vetita eſt venatio, nimirum Clericis & Religioſis, quippe *quorum*, ut inquit Concilium Senonenſe, *ſolatia*, *&* *arma*, *ſunt orationes*, *&* *lacrymæ*. Non omnis tamen illis prohibetur venatio, ſed quæ clamoroſa dicitur cum falconibus, accipitribus, vel aliis avibus prædatoriis, vel cum canibus, & armis. Unde in Jur. Can. cap. *Omnibus* 5. Decretal. ſtatuitur: „ Omnibus ſervis Dei (ideſt Clericis, ut explicat Gloſſa) „ venationes, & ſylvaticas vagationes cum canibus, & accipitres, & falcones interdicimus ". Et Cap. *Epiſcopum* dicitur: „ Epiſcopis, Presbyteris, aut Diaconibus canes aut accipitres, aut „ hujuſmodi ad venandum habere non licet. „ Quod ſi quis talium perſonarum in hac voluntate detentus fuerit, ſi Epiſcopus eſt, tribus „ menſibus ſe a communione ſuſpendat, ſi Preſbyter, duobus a communione ſe abſtineat, ſi „ Diaconus, ab omni officio, vel communione „ ceſſet ". Et in Clementinis §. *Porro* de ſtatu Monachorum idem prohibetur & Religioſis. Quæ omnia Decreta confirmavit Tridentina Synodus ſeſſ. 24. cap. 12. dum jubet Clericis, & Religioſis omnibus; *ut ab illicitis venationibus*, *&* *aucupiis* *ab-*

abſtineant. Et jure merito, nam 1. hujuſmodi venationes & Religioſum dedecent ſtatum, & eorum honeſtati, & gravitati non congruunt, dum Religioſum quemlibet monet Apoſtolus, ut *præbeat ſeipſum exemplum bonorum operum*, *in doctrina*, *in integritate*, *in gravitate*. 2. Quia mentem nimium diſſipant, & a ſpiritu orationis, divinique cultus animum avocant. 3. Quia ſenſim ſine ſenſu feritatem quamdam, & crudelitatem in animum inducunt, plane contrariam ſpiritui lenitatis, & manſuetudinis, qui in Religioſo viro dominari debet. 4, Denique, ne harum venationum cauſa, bona Eccleſiæ, quæ patrimonium ſunt pauperum, diſſipentur. Legatur Epiſtola Petri Bleſenſis ad Gualterum Epiſcopum Roffenſem.

IX. Venatio autem quieta, & leve aucupium non ſunt jure communi interdicta Clericis, niſi nimium frequentia ſint, & immoderata, ut habetur in Gloſſa ad C. *Epiſcopum*, ubi dicitur: „ Salebroſa, & clamoſa venatio licita eſt Laicis ... ſed Clericis omnibus non licet talis venatio, ſed quieta, ut dictum eſt, cauſa neceſſitatis, vel recreationis “. Optime tamen animadvertit ſapientiſſimus Pontifex Bened. XIV. de Synod. lib. 11. cap. 10. n. 10. „ Poſſe Epiſcopos omnem venationem Clericis interdicere, nec poſſe nimiæ ſeveritatis nota aſpergi Synodalem Conſtitutionem, ablegantem Clericos, præcipue Majorum Ordinum, aut Eccleſiaſticum poſſidentes Beneficium, a venationis exercitio “. Piſcatio tamen moderata nulli interdicta videtur, cum & Apoſtoli, etiam poſt Chriſti ſequelam, ab ea non abſtinuerint, ſed eam exercuerint. Nam optime obſervat S. Hieronymus comment. in Pſ. 90. „ Eſau venator erat, quia peccator erat, & penitus non invenimus in Scripturis Sanctis aliquem venatorem ſanctum, piſcatores invenimus ſanctos “.

X. Modus alter acquirendi dominii eſt inventio, quæ ſpecies eſt occupationis. Porro res, quæ per inventionem occupari poſſunt, in triplici ſunt differentia, ut animadvertit D. Thom. hic q. 66. art. 5. ad 2. Quædam enim 1. ſunt, quæ nunquam fuerunt in bonis alicujus. 2. Aliæ, quæ de propinquo fuerunt in alicujus bonis, ſed ab ipſo deperditæ, ab alio inventæ fuerunt. 3. Quæ ab ipſo domino abjectæ, derelictæque fuerunt. Quid de ſingulis ſentiendum ſit, ſtatim ſubjicimus.

XI. Inter res, quæ nunquam in bonis alicujus fuerunt, enumerat S. Thom. lapillos & gemmas, quæ inveniuntur in litore maris. His addi poſſunt fragmenta auri, quæ in fluminum arenis reperiuntur; margaritæ, uniones, & coralla, quæ in fluviorum fundo reſident, vel ſcopulis adhærent; nec non fodinæ auri, argenti, metallorum; ſicut & lapidicinæ carbonariæ, & cretariæ &c. Et quidem de gemmis, lapillis, fragmentis auri, & argenti, de margaritis, & corallis conſentiunt Theologi omnes, hæc fieri inventoris & occupantis, quippe quia omnino domino carent. Excipiunt dumtaxat, niſi latæ ſint leges, aliquid ſtatuentes circa piſcationem unionum, margaritarum, & coralli, quæ tunc ſunt ſervandæ, & tributa in illis decreta ſunt juxta ſtatutum fiſco pendenda. De fodinis vero, & venis metallicis nonnulli Theologi eas, etiam in alieno fundo repertas, inventori concedunt, quippe quia cenſent æquum non eſſe res pretioſas viliſſimo fundo accedere. At alii meo judicio probabilius domino fundi attribuunt: nam revera non ſola ſuperficies fundi fundum conſtituit, nec illam ſolum in ſuum convertere poteſt dominus uſum, & utilitatem; ſed & interiores partes fundum conſtituunt, illiſque uti poteſt dominus. Et revera quis prohibere poterit dominum, ne puteum etiam profundum in ſuo agro excavet, ne canalem piſcinam ad aquas vel adducendas, vel emittendas conſtruat, vel ſub terra caveas, & cellaria ſive ad frumenta, ſive ad vina condenda effodiat? Eſt igitur dominus totius fundi, & eo uſque humana induſtria poteſt pervenire. Præterea non poſſunt metallorum venæ detegi, & poſſideri, quin totus deſtruatur fundus, & ex agro fiat maceries. At, inquiunt, inventor damnum reparare tenetur. Verum hic non agitur de damno illato, rei ſubſtantia permanente; ſed de ipſius ſubſtantiæ deſtructione, quam proinde, ſi dominus cedere nolit, non puto ab invito vel auferri poſſe, vel nolentem cogi ad vendendum. Quod multo magis verum eſſe cenſeo de lapidicinis, & fodinis carbonariis, & cretaceis, quæ profecto & ipſum fundum conſtituunt, & ſunt fundi ipſius veluti fructus. Ita quidem jure Gentium ſpectato. Verum ſunt & Principum, & Rerumpublicarum leges inſpiciendæ: nam in aliquibus Regionibus jure civili metallorum venæ, & præcipue auri, & argenti ſunt de jure Regio; quamobrem poſſunt Principes jus concedere privatis eas ubique inquirendi, & etiam in alienis fundis effodiendi, &, ubicumque inveniantur, fiſco applicare, ſervato tamen domino indemni. In aliquibus vero ſtatuitur civili jure, ut hujuſmodi fodinæ partim inventoris ſint, partim domini fundi, partim Principis, & tunc juxta has leges jus dominii ſtatuendum eſt.

XII. Ad hoc genus rerum revocat D. Th. etiam theſauros ab antiquo tempore ſub terra occultatos: & hos jure gentium ad inventorem pertinere affirmat, cum nullius in poſſeſſione ſint; jure tamen civili dividendos aſſerit inter dominum agri, & inventorem. Hæc ſiquidem habet l. l. *Et eadem ratio eſt de theſauris antiquo tempore ſub terra occultatis*, *quorum non extat aliquis poſſeſſor*: *niſi quod ſecundum leges civiles tenetur inventor dare medietatem domino agri*, *ſi in alieno agro invenerit*. Quapropter cenſet poſſe theſauri cognitorem agrum emere, & ſic totum theſaurum ſibi acquirere, in probationem adducta parabola Chriſti Domini de illo, qui agrum emit, in quo theſaurus conditus erat, ſubdens: *Propter quod in parabola Evangelii dicitur Matth.* 13. *de inventore theſauri abſconditi in agro*, *quod emit agrum*, *quaſi ut haberet jus poſſidendi totum theſaurum*. Hanc tamen D. A. rationem non probant aliqui Theologi, quia ineptam putant ad hujus emptionis juſtitiam adſtruendam. Nam primo dicunt, non magis ex hac parabola colligi, hanc agendi rationem juſtam eſſe, quam ex parabola villici, jura domini ſui creditoribus con-

condonantis, ipſum juſte egiſſe, quia in Evangelio laudatur. At magnum diſcrimen eſt inter utramque parabolam. Quandoquidem in poſteriori laudatur villicus, non quia honeſte feciſſet, ſed quia ſolerter & aſtute; ceterum ejus actio, tamquam iniqua, improbatur: arguitur ſiquidem ille villicus iniquitatis; unde dicitur, laudavit Dominus *villicum iniquitatis*. At in priore nullum habetur in Evangelio verbum, quo hujuſmodi emptio improbetur. Addunt argumentum nimis probare: quia, inquit De Lugo, ſequeretur eum, qui theſaurum invenit, poſſe empto agro totum theſaurum ſibi retinere; cum tamen, ut ipſe S. D. docet, ſtatim ac theſaurum invenit, domino partem reddere debeat. At inepte; nam Chriſtus in ea parabola non loquitur, niſi ſecundum jus gentium, ſive naturale, ſecundum quod, & ipſo fatente de Lugo, totus theſaurus eſt inventoris: & diviſionem Sanct. Thom. dicit faciendam juxta leges civiles, & permanente fundo in poſſeſſione domini ſui.

XIII. At de theſauris hæ ſunt ſervandæ regulæ, quas communiter tradunt Theologi, & leges civiles comprobant. 1. Theſaurus dicitur vetus *quædam depoſitio pecuniæ, cujus non extat memoria*, ut jam dominum non habeat: quod ſi in proprio fundo reperiatur, inventoris erit. Ita ſtatuit Juſtin. Inſtit. lib. 2. tit. 1. de rer. diviſ. §. 17. „ Theſauros, quos quis in loco ſuo invenerit, Divus Adrianus æquitatem ſecutus ei conceſſit, qui eos invenit “. Quod verum eſt, ſive caſu, ſive induſtria invenerit. 2. Si vero caſu in alieno fundo repertus fuerit, ſtatuunt leges dividendum, & partim domino fundi, partim inventori tribuendum. „ Qui in alieno (inquit lex Un. Cod. de theſauris) cum domino fundi partitur, & dimidium retinet “. Quæ diviſio locum habet ante omnem ſententiam judicis; eſt enim in æquitate fundata: unde & Juſtinianus dicit, *naturalem æquitatem ſecutus, dimidium domino ſoli conceſſit, & dimidium inventori*. 3. Si vero in alieno fundo de induſtria quæſitus repertus fuit, ſciente & conſentiente fundi domino; vel dividendus eſt, vel pacta in tali inventione celebrata ſervanda ſunt, ſi quæ interceſſerint. Si vero ignorante, vel diſſentiente domino, quæſitus repertuſque ſit, leges ſtatuunt totum eſſe fundi domino concedendum in pœnam violati juris alieni, invadendo, fodiendo, vertendoque alieno fundo. Sunt tamen Theologi, qui hanc legem ſolum pœnalem putantes, locum non habere cenſent, niſi poſt judicis ſententiam; ac proinde ante ipſam inventorem poſſe ſibi partem theſauri vendicare. Verum hæc ſententia mihi probabilior non apparet. Nam 1. Lex vetat, quod jam de ſe, & jure naturæ illicitum eſt, nimirum in alieno agro fodere; proinde obligat in conſcientia, & juſtæ pœnæ ſubjicit violatorem. 2. Cum agatur de dominio acquirendo, quod non jure naturæ invectum eſt, ſed jure gentium, & præſertim jure civili, juxta has leges ſtatuenda eſt ejus juſta, vel injuſta acquiſitio. Si igitur huic acquiſitioni leges reſiſtunt, nunquam legitimum quis conſequetur dominium: reſiſtunt autem acquiſitioni theſauri per eum, qui inſcio vel invito domino illum in alieno fundo quærit: ergo nunquam totius, vel partis legitimum obtinebit dominium. 3. Si arte magica ſit repertus, in pœnam totus theſaurus fiſco adjudicatur; ut habetur ex lege un. C. de theſauris, & L. *Nemo* Cap. de *Malef.* 4. Qui certo ſciens in alieno fundo reperiri theſaurum, de conſenſu domini illum quærit, nihil tamen illi manifeſtando, cenſetur dolo malo egiſſe; proinde totum theſaurum domino fundi concedere debet. Si vero ſolis innixus conjecturis veniam quærendi poſtulet, & nulla intercedant pacta, ſolum damnum reſarcire tenetur, ſi nihil inveniat: ſi vero reperiat, non videtur cum domino fundi dividendus; cum leges hanc diviſionem ſolum jubeant, quando theſauri fortuito reperiuntur: hic autem ſola induſtria quærentis inventus eſt, & nulla eſt domino irrogata injuria, qui fodiendi facultatem fecit. At hi caſus rariores ſunt, & juxta circumſtantias dijudicandi. Si theſaurus repertus fuerit in fundo, cujus alter dominium directum habet, alter vero utile, dimidium eſt concedendum inventori, altera vero medietas dividenda inter dominum directum, & habentem dominium utile; ut contingit in Feudo, & Emphyteuſi. At non ita, ſi alter ſit dominus directus, alter vero ſolum uſufructuarius; nam tunc hic nihil de theſauro habere debet, niſi ſit inventor; quia theſaurus non reputatur inter fructus fundi, vel prædii. Hinc leges ſtatuunt, *Theſaurum inventum in fundo dotali, in quo vir habet uſumfructum, non deberi viro, ſed uxori, cujus eſt fundus, quia theſaurus non eſt fructus fundi*. 5. Si reperiatur in loco publico, puta in via, vel platea publica, ſtatuunt leges medietatem ad inventorem pertinere, alteram vero partem fiſco, vel Civitati. Sic in Inſtit. lib. 2. tit. 1. de rerum diviſione §. *Theſauros* decernitur: „ Conveniens eſt, ut ſi quis in fiſcali loco vel publico, vel civitatis theſaurum invenerit, dimidium ipſius eſſe debeat, & dimidium fiſci, vel civitatis “. 6. Si vero reperiatur in loco ſacro, qui nullius ſit, idem dicendum: nam ſubditur: „ idemque ſtatuit (Adrianus) ſi quis in ſacro, aut religioſo loco caſu invenerit “. At ſi locus ſacer, & religioſus alicujus ſit Communitatis, vel Eccleſiæ, caſu in eo repertus theſaurus, eſt inter inventorem, & Eccleſiam ſive Communitatem dividendus: ſi vero de induſtria quæſitus, vel contra voluntatem, vel ex conſenſu Eccleſiæ, & Communitatis, eæ recurrunt leges, quas mox recitavimus. 7. Leges Patriæ & Principatus, ſi quæ ſint latæ circa theſaurorum inventionem, & conſulendæ ſunt, & ſancte a ſubditis cuſtodiendæ.

XIV. Res ab alio derelictæ, ſunt inventoris, & occupantis; quia omni prorſus carent domino. Quando autem res ſint pro derelictis habendæ, ſolum ex quibuſdam exterioribus argumentis, & ſignis colligi poteſt: cujuſmodi ſunt, ſi eas a ſe dominus projecerit, ut ſit in quibuſdam ſolemnitatibus, quando ad populum panes, pecuniæ & alia projiciuntur; vel plebis direptioni exponuntur carnes, caſei, pulli, agni, & ſimilia; vel ſi videns rem extra ſuam poteſtatem poſitam recuperare negligat; vel denique ſive ratione temporis,

ris, ſive diſtantiæ, ſi res ſint a domino ita ſemotæ, ut ille velut ſuas agnoſcere amplius non poſſit, vel recuperare illi nihil interſit. Abſit tamen, ut inter res derelictas connumerentur naufragantium bona: nam in jure civili Lege 21. §. 1. ff. de *acquiſ. Dom.* aperte ſtatuitur: „ Non eſt in „ derelicto, quod ex naufragio expulſum eſt, „ ſed in deperdito “. Et Leg. 44. ejuſdem §. repetit: *Si in naufragio quid amiſſum ſit, non ſtatim noſtrum eſſe deſinere.* In jure autem Canonico Cap. Excommunicationi, textu de Raptoribus dicitur: *Illi etiam, qui Chriſtianos naufragium patientes, quibus ſecundum regulam fidei auxilio eſſe tenentur, damnata cupiditate ſpoliant rebus ſuis, niſi ablata reddiderint, excommunicationi ſe noverint ſubjacere.* Quæ excommunicatio eſt latæ ſententiæ, & merito Summo reſervata Pontifici ipſius abſolutio. Non vetatur tamen cuiquam ea bona recuperare animo reſtituendi dominis ſuis ea repetentibus: ſi autem iſti, cum poſſint, non repetant, vel ignoretur prorſus, ad quos pertineant, & debita ac morali adhibita diligentia ad dominum detegendum non reperiatur; tunc pro derelictis haberi poſſunt, & cedent inventoribus. Quod & dicendum de bonis ex incendio, vel fluminis, aut torrentis alluvione ſubtractis, quæ nullo pacto pro derelictis habenda ſunt, ſed conſervanda, donec ſpes ſit, ut domino reſtituantur: qua deficiente tunc ſolum pro derelictis habenda ſunt. Nec putet quiſquam ea ſibi retinere licitum, quia alioquin vel incendio abſumpta fuiſſent, vel in mare a flumine delata periiſſent. Nam res aliena, quamdiu exiſtit, ſemper clamat ad dominum ſuum: unde reſtituenda, non ratione occupationis, vel acceptionis, quæ mala fuerit; ſed ex re ipſa occupata vel accepta, quæ in alienum tranſire dominium ſola occupatione non poteſt, quando proprium habere dominum dignoſcitur. Si quæ tamen fuerint expenſæ, ad rem recuperandam factæ, hæc ſunt a domino ſarciendæ, & labori ac induſtriæ aliqua merces rependenda.

XV. Tertio loco ſuccedunt res, quæ, ut inquit S. Tho. l. l. *inventæ fuerunt de propinquo in alicujus bonis*; cujuſmodi ſunt ea omnia, quæ quotidiana vel oblivione, vel negligentia deperduntur. Hæc qui invenit, *ſi ea*, inquit Sanct. Thom. *accipiat non animo retinendi, ſed animo reſtituendi domino, qui ea pro derelictis non habet, non committit furtum ..... alias autem committitur peccatum furti: unde Auguſtinus dicit in quadam homilia* (ſerm. ſcilicet 19. de verbis Apoſtoli, & habetur 14. q. 5.) *Si quid inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti.* Qui ergo rem alienam invenit, eam accipere debet, & ſedulo cuſtodire, & diligentiam adhibere ad reperiendum dominum, ſive publica denunciatione ex ſuggeſtu, vel foliis loco publico poſitis juxta rei inventæ majorem, vel minorem valorem, & æſtimationem. Si hæc omittat, peccat retinendo. Sic præcipit Dominus Deut. c. 22. ubi hæc leguntur: *Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, & præteribis: ſed reduces fratri tuo, etiamſi non eſt propinquus frater tuus, nec noſti eum: duces in domum tuam, & erunt apud te, quamdiu quærat ea frater tuus, & recipiat. Similiter facies de aſino, & de veſtimento, & de omni re fratris tui, quæ perierit: ſi invenies eam, ne negligas quaſi alienam.* Reperto autem domino eſt illi integre reſtituenda, nihil omnino pro mercede petendo; niſi forte in re recuperanda vel expenſæ factæ fuiſſent, vel incommodum ſubiiſſes. Quod ſi dominus aliquid ſponte ſua offerat, licebit inventori tuta conſcientia recipere. Qui vero inventori rei ſuæ promiſerit aliquam pecuniæ quantitatem, tenetur ex fidelitate ſtare promiſſis, non vero ex juſtitia; cum hujuſmodi pollicitationes ſemper ex liberalitate implendæ dicantur: ſcribunt enim, vel vulgant, ſe tantum daturo *ex honeſtate* (corteſia) tamquam *munus* (mancia) proinde onus juſtitiæ ſibi minime aſſumere velle teſtantur. Immo ſapienter animadvertit P. Boranga Tr. de juſt. & ju. cap. 2. §. 16. pretium, quod aliquando dominus inventori pollicetur, cenſeri involuntarium ſecundum quid, quia ſolum timore rem amittendi, tali pollicitatione ad reſtitutionem allicit inventorem. Quapropter hoc præmium æquiparat lucro, oblato ab indigente, uſurario, ut illi mutuum dando auxilietur; ideoque (ſcribit) „ ſicut mutuans „ oblatum lucrum acceptare nequit, niſi ſibi „ conſtet ex mera gratitudine offerri; ita nec in- „ ventor acceptare poteſt in conſcientia munus „ oblatum, niſi relinquat plenam libertatem gra- „ tificandi, vel non “. At ſemper qui invenit, ſive dominus fidem datam liberet, ſive fallat, rem illi reſtituere debet.

XVI. Quid, ſi rei inventæ dominus nullo pacto reperiri poſſit? Aperte docet S. Tho. l. l. q. 62. a. 5. ad 3. rem eſſe pauperibus diſtribuendam, ſcribens: *Si ille, cui debet fieri reſtitutio, ſit omnino ignotus, debet homo reſtituere, ſecundum quod poteſt, ſcilicet dando in eleemoſynas pro ſalute ipſius (ſive ſit mortuus, ſive ſit vivus) præmiſſa tamen diligenti inquiſitione de perſona ejus, cui eſt reſtitutio facienda.* Nec dicat quis, ibi S. Thom. de re aliena injuſte accepta, vel retenta loqui. Nam, ut patet ex corpore articuli, debitum reſtitutionis evincit ex ſola indole rei, quia aliena eſt: ſic enim ſcribit: *Per reſtitutionem fit reductio ad æqualitatem commutativæ juſtitiæ, quæ conſiſtit in rerum adæquatione, ſicut dictum eſt . . . . Hujuſmodi autem rerum adæquatio fieri non poſſet, niſi ei qui minus habet, quam quod ſuum eſt, ſuppleretur quod deeſt. Et ad hanc ſuppletionem faciendam neceſſe eſt, ut ei fiat reſtitutio, a quo acceptum eſt.* Porro, ſive accepta ſit res aliena per furtum, ſive per inventionem, ſive tamquam depoſitum, æqualitas ſemper eſt inducenda, ne alter minus de ſuo habeat, alter vero amplius. Nec ſibi adverſatur D. Thom. cum dicit quæſt. 66. art. 5. ad 2. Si res inventæ *pro derelictis habeantur, & hoc credat inventor, licet ſibi eas retineat, non committit furtum.* Nam aliter dicendum de bonis derelictis, aliter de inventis: non enim ſtatim ac aliquis rem ſuam perdit, cenſendus eſt eam derelinquere, immo ſemper animum, & ſpem recupe-

 cupe-

cuperandi habere præſumendum eſt, niſi oppoſitum manifeſtis conſtet argumentis. Hæc autem certe non ſunt, 1. quia ſcilicet nullum audis rem amiſſam quærentem; fieri enim poteſt, ut ille non quærat in loco, ubi eſt inventor, quia rem ibi amiſſam non putat; fieri etiam poteſt, ut ille pluries quæſierit, te inſcio & ignorante; 2. quod rem inventam proclamaveris, & nullus tamen ad repetendam acceſſerit; nam fortaſſis de proclamatione nihil audivit, quia forſitan eo tempore a loco aberat. Uno verbo certum eſt, rem amiſſam dominum habere, ad quem clamat; incertum, ab ipſo domino derelictam; conſervanda igitur eſt, quamdiu ſpes affulgeat dominum reperiendi. Si res ſervando ſervari nequeat, vendatur, & pretium domino reſervetur. Denique omni ſpe amiſſa inveniendi dominum, ſemper præſumendum ipſum optare, ut res ſua in ſuam convertatur utilitatem, & bonum, ſin temporale, ſaltem ſpirituale; proinde diſtribuenda res, vel pretium pauperibus, ut docet Catechiſmus Conc. Trid. 3. p. in 7. Præcept. n. 14. Et ſi ipſe, qui invenit, reipſa pauper ſit, eam ſibi appropiet cum conſilio prudentis viri, & quidem quantum ſuæ neceſſitati congruerit. Re autem bona fide pauperibus erogata, etiam detecto domino ad reſtituendum non erit cogendus inventor, cum juxta Regulam 83. in 6. *bona fides non patitur, ut debitum amplius exigatur.* Si res adhuc integra in pauperum manibus reperiatur, juxta rei conditionem puto cum pauperibus pro bono, & æquo tranſigendum: ſi tamen qui vel habent, vel rem conſumpſerunt, facti ſint ditiores, id, in quo ditiores facti ſunt, reſtituere debent; cum nemo debeat alieno damno diteſcere.

CAPUT NONUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *In extrema neceſſitate omnia ſunt communia.*
II. *In dominio acquirendo, ſervando, vindicando civiles leges ſervandæ.*
III. *Infideles, hæretici, & peccatores rerum dominium non amittunt.*
IV. *Apum dominium quomodo acquiratur.*
V. *Qui venantur, & piſcantur quomodo dominium obtineant.*
VI. *Qui jus habent venationis quid cavere debeant.*
VII. *Beſtia vulnerata ab uno, & ab alio capta, ad quem ſpectet.*
VIII. *Num peccent Clerici, qui ſemel, vel bis clamoroſæ venationi vacant.*
IX. *De rebus pretioſis inventis quid faciendum.*
X. *Scrutarii quando rerum inventarum dominium adipiſcantur.*
XI. *Bona vacantia ad quem pertineant.*

Conſectarium Primum.

I. IN extrema neceſſitate omnia ſunt communia. Hanc veritatem, omnibus compertam & comprobatam, oſtendit D. Thom. 2. 2. q. 66. a. 7. probans, diviſionem rerum, jure gentium invectam, jus naturale impedire, ac tollere non poſſe. Sic itaque ſcribit: *Ea quæ ſunt juris humani, non poſſunt derogare juri naturali, vel juri divino. Secundum autem naturalem ordinem ex divina providentia inſtitutum, res inferiores ſunt ordinatæ ad hoc, quod ex his ſubveniatur hominum neceſſitati. Et ideo per rerum diviſionem, & appropriationem ex jure humano procedentem, non impeditur, quin hominis neceſſitati ſit ſubveniendum ex hujuſmodi rebus . . . . Si tamen ſit adeo evidens, & urgens neceſſitas, ut manifeſtum ſit inſtanti neceſſitati de rebus occurrentibus eſſe ſubveniendum (puta cum imminet perſonæ periculum, & aliter ſubveniri non poteſt) tunc licite poteſt aliquis ex rebus alienis ſuæ neceſſitati ſubvenire, ſive manifeſte, ſive occulte ſublatis: nec hoc proprie habet rationem furti, vel rapinæ.*

Conſectarium Secundum.

II. Cum dominium rerum invectum ſit jure gentium, & humanis legibus ſubjectum ad hoc conſtitutis, quare merito cap. 1. n. 9. illud definivimus, *jus perfecte diſponendi de re corporali, niſi lege prohibeatur*: eapropter in eo acquirendo, conſervando, vel vindicando humanæ ſunt ſervandæ leges, quæ ſi quoſdam dominii acquirendi modos prohibeant, illicitum erit iis modis acquiſitum dominium; ſi vero etiam irritent, nullum & invalidum, ut ſuo loco de contractibus diſputantes oſtendemus.

Conſectarium Tertium.

III. Infideles, Hæretici, Peccatores rerum dominium non amittunt. Nam peccatum, & infidelitas jus non auferunt ad propria bona. Ideo Chriſtus Dominus juſſit, *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari reddenda*; & Apoſtolus præcipit: *Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal.* Quamobrem in Concilio Coſtantienſi contra Wicleffum, & Hus definitum eſt, *Prælatos peccatores, nec non Reges, & Principes infideles veros eſſe rerum ſuarum dominos.* Ut enim ſapientiſſime docet S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 10. *Dominium, & prælatio introducta ſunt ex jure humano; diſtinctio autem fidelium & infidelium eſt ex jure divino. Jus autem divinum, quod eſt ex gratia, non tollit jus humanum, quod eſt ex naturali ratione. Ideo diſtinctio fidelium, & infidelium ſecundum ſe conſiderata non tollit dominium, & prælationem infidelium ſupra fideles.* Et quæſt. 66. art. 8. ad 2. docet, infideles, vel delinquentes, vel injuſte poſſidentes poſſe quidem publica auctoritate dominio ſpoliari, minime vero privata.

Con-

Conſectarium Quartum.

IV. Apes non abſolute inter domeſtica animalia cenſentur, cum immo, ut inquit Juſtin. lib. 2. tit. de rerum diviſ. §. 14. *apium fera natura ſit*; quamobrem non fiunt domini, niſi quamdiu in ejus alveari continentur; quod ſi avolaverint, tamdiu alterius erunt, quandiu erunt in ejus conſpectu, nec difficilis fuerit eorum apprehenſio. „ Examen (inquit laudatus Princeps) ſi ex alveo tuo evolaverit, eo uſque „ intelligitur eſſe tuum, donec in conſpectu tuo „ eſt, nec difficilis perſecutio ejus eſt, alioquin „ occupantis fiunt “. Quod ſi apes ſylveſtres in arbore alicujus conſederint, ibique mel produxerint, non per hoc fiunt domini fundi, ſed erunt occupantis, ſicut & aves, quæ in alienis arboribus nidificant, non tranſeunt in poteſtatem domini arboris, vel fundi, ſed ſunt occupantis. Ita ſtatuit Juſt. indicens: „ Apes, quæ in arbo„ re tuo conſederint, antequam a te alveo in„ cludantur, non magis tuæ intelliguntur eſſe, „ quam volucres, quæ in arbore tuo nidum fe„ cerint “. Itaque ſi alius eas incluſerit, hic earum dominus erit: favos quoque, ſi quos effecerint, eximere quilibet poteſt. Hinc dominus fundi poteſt quidem prohibere, ne quis fundum ſuum ingrediatur: at, ſi ingreſſus ſit, re occupata ſpoliari non poterit, cum jam ſit illius dominium conſecutus.

Conſectarium Quintum.

V. Qui venantur, vel piſcantur in alienis fundis, vel aquis muro, ſepe, vel alio repagulo circumſeptis, unde piſces, vel animalia exire non poſſunt, niſi fractis repagulis, furti rei ſunt, & ad piſces, vel animalia reſtituenda tenentur; quippe quia illa cenſentur eſſe in dominio & proprietate poſſeſſoris fundi, vel rivi, ſive aquarum. At qui venantur, vel piſcantur in locis non circumſeptis, nec concluſis, ſed in quibus vetitum eſt piſcari, vel venari, quia jus ea exercendi vel Princeps ſibi reſervavit, vel alteri conceſſit, peccant quidem legem violando, leviter, vel graviter juxta rei gravitatem, vel levitatem, vel juxta periculum majoris vel minoris pœnæ, cui ſe ſubjiciunt; at occupatarum ferarum, vel captorum piſcium fures non ſunt habendi, nec ad reſtitutionem adſtricti, cum Princeps, vel privatus ille, qui jus habent ibi venandi, vel piſcandi, domini non ſint animalium, & piſcium, qui adhuc nativam retinent libertatem; poſſunt tamen in pœnam violatæ legis captis animalibus, vel piſcibus ſpoliari a jus habente; ſed ante ſententiam judicis ea ſibi poſſunt retinere.

Conſectarium Sextum.

VI. Qui jus habent venationis in aliquo loco ſibi reſervato, cavere tenentur, ne feræ, vel animalia nimium multiplicentur cum damno & detrimento illorum, qui inibi agros, vineas, oliveta &c. poſſident, quæ a feris devaſtantur, unde vel fructus non pariunt, vel germinati a beſtiis abſumuntur: hoc enim cederet in grave damnum tum privatorum, tum etiam communitatis, quod proinde ſarcire tenerentur. Immo ad eadem damna ſarcienda tenerentur, licet permitterent, animalia, dum damnum inferunt, occidi; quia pauperes ruſtici laboribus occupati vacare non poſſunt occiſioni horum animalium, nec eorum damnum ipſorum internecione prævenire. Similiter peccant, & ad reſtitutionem tenentur, ſi jure ſuo venandi utentes damnum inferunt ſeminibus, arboribus, fructibus, nimium frequenti, & pernicioſa venatione. Quamobrem quicumque venantur, cavere debent, ne proximo damnum inferant; ſed utantur jure ſibi conceſſo abſque ullius detrimento. Peccant etiam, qui ob capturam unius, vel alterius animalis venatione in loco reſervato graviter puniri venatorem volunt vel diuturno carcere, vel etiam ad triremes damnatione, vel graviori pecuniaria pœna: quamobrem judices ſolicitant, damnum exaggerant, delictum aggravant; cum hæc omnia ſint contra juſtitiam, quæ jubet pœnam culpæ gravitati reſpondere, non privatorum affectibus, paſſionibuſque. Hinc Principes piiſſimi & clementes nonniſi moderatas pœnas ſtatuunt contra iſtorum jurium violatores, contenti illos præda privare, & aliqua tenui mulcta pecuniaria punire, vel ad ſummum brevi carcere detinere.

Conſectarium Septimum.

VII. Juſtinianus tit. cit. de beſtia vulnerata, & fugiente ſcribit: „ Quæſitum eſt, an ſi fera „ beſtia ita vulnerata ſit, ut capi poſſit, ſtatim „ tua eſſe intelligatur. Et quibuſdam placuit „ ſtatim eſſe tuam, & eo uſque tuam videri, „ donec eam perſequeris; quod ſi deſieris perſe„ qui, deſinere eſſe tuam, & rurſus fieri occu„ pantis. Alii vero putaverunt non aliter tuam „ eſſe, quam ſi eam ceperis. Hanc poſteriorem „ ſententiam nos confirmamus, quod multa ac„ cidere ſoleant, ut eam percutiens non ca„ piat “. In quibus verbis licet Juſtinianus velit, tunc ſolum feram vulneratam fieri venantis, quando ab eo capitur; tamen puto intelligendum, dummodo fera ita lethaliter ſit vulnerata, ut nullo modo effugere poſſit, tunc enim cenſetur & ſua libertate privata, & omnino in vulnerantis dominium tranſiſſe; licet nondum manu occupaverit. Quamobrem ex qualitate vulneris dijudicandum eſt, num ſit vulnerantis, vel capientis: quod ſi res dubia ſit, dividenda. Similiter fera laqueo capta, a quo ſe extricare non valeat, non occupantis eſt, ſed illius, qui laqueum poſuit. Quid, ſi quis feram perſequatur, & hæc in laqueum alterius incidat? Hujus erit, ſi fera effugere poterat perſequentem; ſecus, ſi omnino non poterat. Quod ſi dubium ſit, cenſent nonnulli eam fieri primo occupantis: ſed tutius exiſtimarem & probabilius, eſſe dividendam. Quid, ſi videas avem jamjam caveam, in qua incluſa eſt, ita infringentem, ut mox ſit evolatura, poteris ne eam occupando in tuam poſ-

poſſeſſionem traducere? Minime, etenim jam eſt in poſſeſſione & dominio illius, qui eam cavea incluſit; & tamdiu in eo perſiſtit, quamdiu ita non eſt ſuam libertatem adepta, ut nulla ſit ſpes domino eam recuperandi. At ſecus, ſi videas feram laqueo detentam, mox fracto laqueo abituram; quia licet laqueo detenta, nondum tamen occupata eſt, & evadere poterat.

Conſectarium Octavum.

VIII. Clericos venationi etiam clamoroſæ ſemel tantum, vel bis vacantes, dummodo abſit ſcandalum, lethaliter peccare non puto. Nam Canones ſuſpenſionem minantes contra Clericos venatores, loquuntur de illis, qui ſæpius huic vacant exercitio: unde dicitur in Can. Epiſcopum, ſi quis talium perſonarum (Clericorum) in hac voluptate *ſæpius* detentus fuerit. Quod ſi tali venationi non vacent quidem, ſed ſolum interſint, minus peccabunt, ſi raro fiat: nam in frequenti aſſiſtentia eadem ferme occurrunt vitia, quorum cauſa ipſa venatio eſt Clericis interdicta. Severius hæc præſentia vetatur Monachis, & Regularibus: nam Clemens V. cap. *Ne in agro* de ſtatu Monach. dum permittit Monachis, ut, ſi ſaltus proprios habeant, poſſint in eis per alios venationem exercere; addit tamen duas conditiones, nimirum 1. *ne infra Monaſterium, ſeu domos, quas inhabitant, aut eorum clauſuras venaticos canes teneant*; 2. *ne venationi præſentiam exhibeant.*

Conſectarium Nonum.

IX. Si res inventæ ſint mobiles & pretioſæ, quæ ſervando ſervari poſſunt, nec dominus diligenter inquiſitus reperiatur, ſunt alicui Eccleſiæ tradendæ, ut ſic interim divino cultui applicentur, & ſimul domino ſuo, ſi forte aliquando detegatur, ſervatæ reddi poſſint. Et hoc docere puto Auctorem Opuſculi 73. cap. 16. quod inter Opuſcula S. Thom. recenſetur, dum ſcribit: „ Si „ forte, quibus facienda ſit reſtitutio, neſcitur, „ ad ipſam Eccleſiam facienda eſt, hoc tamen „ addito, quod debet ei Eccleſia promittere re„ ſtitutionem faciendam, ſi neceſſe fuerit aliquan„ do in tempore futuro per inopinatam reverſio„ nem eorum, quibus de jure erat facienda “.

Conſectarium Decimum.

X. Scrutarii, qui detritas veſtes, vel domorum mobilia vetuſtiora, puta arcas, capſas, ſcrinia vel lignea, vel ferrea emunt, ſi forte in illis vel gemmas, vel pecuniam, vel aurum inveniunt, non illorum dominium acquirunt. Nam non ſunt hæc habenda nec inter theſauros, cum eorum depoſitio non putari poſſit admodum antiqua, & multo minus hominum memoriam excedens; nec inter bona derelicta recenſenda, cum ibi poſita reputanda ſint ad cuſtodiam. Inquirendum eſt igitur, ad quos illa pertinuerint: & ſi in illa domo, ubi empta ſunt illa mobilia, per aliquod tempus ſemper ejuſdem familiæ homines habitaverint, ſunt illis tamquam hæredibus danda; cum prudens præſumptio ſit ab aliquo illius familiæ inibi fuiſſe recondita. Si vero ſucceſſive ad plures, & quidem diverſos pertinuerint, tunc ſi dominus reperiri non poſſit, ut de bonis inventis diximus, in pios uſus, vel in pauperes diſtribuenda. Quod ſi res empta ſit domus ruinoſa, in cujus reædificatione, vel reparatione pecunia depoſita in aliquo ſecretiori loco reperiatur, idem & de illa dicendum cenſeo; niſi forte ex qualitate pecuniæ, vel rerum inventarum detegatur ibi ab antiquo tempore repoſita; tunc enim veram indueret theſauri rationem, & foret juxta regulas capitis præcedentis num. 13. diſtribuenda.

Conſectarium Undecimum.

XI. Bona vacantia, illa ſcilicet, quæ ab aliquo ab inteſtato decedente, nullumque habente hæredem, qui illi ſuccedat, relinquuntur, & jure civili, & omnium fere Regnorum lege Fiſco applicantur, ut patet in Cod. de bonis vacantibus Cap. *vacantia.* In jure vero Canonico ſtatuitur, ut peregrinorum mobilia bona per Epiſcopum in pios uſus diſtribuantur; ut conſtat ex Authentica *omnes Peregrini* Cap. *Communia, de ſucceſſ.* ubi indicitur: „ Si Peregrinus inteſtatus deceſſe„ rit, ad hoſpitem nihil perveniat, ſed bona i„ pſius per manus Epiſcopi loci, ſi fieri poteſt, „ hæredibus tradantur, vel in pios uſus erogen„ tur “. Quod ſi peregrinus in aliquo hoſpitali decedat, quod privilegium obtinuerit ea ſibi applicandi; tunc ad ipſum xenodochium bona illa ſpectabunt.

CAPUT DECIMUM.

De aliis dominium acquirendi modis, nimirum alluvione, acceſſione, confuſione, admixtione, ſpecificatione.

Doctrina.

I. *Quomodo alluvione dominium acquiratur.*
II. *Quomodo acceſſione.*
III. *Regulæ nonnullæ pro dominio acquirendo ex acceſſione.*
IV. *Quid ſit admixtio, & confuſio.*
V. *Regulæ pro acquiſitione dominii ex admixtione & confuſione.*
VI. *Quomodo ſpecificatione habeatur dominium.*

I. JUre civili, & gentium dominium acquiritur per alluvionem. Alluvio autem eſt incrementum fundi, ſive ſoli a decurrentibus ſive fluminis, ſive torrentis aquis tuo agro additum. Quod dupliciter fieri, ſeu contingere poteſt, ideſt latenter, paulatim, & ſenſim ſine ſenſu; & tunc hocce additamentum, quod latens dicitur, in dominium tranſit illius, qui agri, vel

vel fundi dominus eſt. Ita ſtatuitur in Inſtit. de rer. diviſ. §. Præterea: „ Quod per alluvionem „ agro tuo flumen adjecit, jure gentium tibi „ acquiritur... Per alluvionem id videtur adji- „ ci, quod ita paulatim adjicitur, ut intelligi „ non poſſit, pro quo momento temporis adjicia- „ tur “. Quod ſi hoc additamentum patens ſit, quo ſcilicet pars notabilis alterius fundi de loco transferatur in locum tuo agro proximum, idem jus civile ſtatuit, priori domino permanere: ſubditur enim in Iſtit. loco cit. „ Quod ſi „ vis fluminis de tuo prædio aliquam partem de- „ traxerit, palam eſt tuam permanere “. Hanc tamen addit exceptionem. „ Si longiori tem- „ pore fundo vicini tui hæſerit, arboreſque, „ quas ſecum traxit in eum fundum, radices e- „ gerint, ex eo tempore videntur vicino fundo „ acquiſita eſſe “. Porro alluvionis incrementum quoad ſubſtantiam fit proprietarii fundi, cui adjicitur. Quoad uſum fructum vero, ſi latens eſt, accedit uſufructuario; ſi vero patens, domino directo, ſive proprietario; ut habetur L. Item. ff. de uſufructu. Excipiendi tamen ſunt Emphyteutæ, & Feudatarii, quibus incrementum tam latens, quam patens accreſcit, ut plerique cenſent juriſperiti, quibus aſſentiuntur & Theologi, ut videre eſt apud Molinam diſp. 56.

II. Acceſſione quoque dominium quis adipiſcitur, cum nimirum rei tuæ aliquid adjungitur. Quod quidem dupliciter obtinetur, nimirum vel naturaliter, vel ex induſtria & arte. Quod naturaliter rei tuæ accedit, tuum eſt. Sic omnes fructus gregis tui, terræ tuæ, ancillæ tuæ, tui ſunt. Quod autem accedit arte & induſtria, cum pluribus modis hoc evenire poſſit, pariter diverſo modo judicandum eſt. Si enim quod accedit fundo, ſit ſatione, implantatione, ædificatione, ad dominum fundi res pertinebit; ſi tamen quod ſatum, quodve plantatum eſt, radices egerit. Quamobrem ſi quis in ſuo ſolo alienam plantam poſuerit, vel in alieno ſolo ſuam arborem, in utroque caſu arbor ſoli domino cedet. Quod ſi quis in alieno fundo domum conſtruxerit, ædificium erit illius, ad quem fundus pertinet; tenebitur tamen ad ſolutionem materiæ, & expenſarum, non ſolum ſi qui ædificavit, bona fide id præſtiterit, ſed etiam ſi mala fide: quia licet ille, qui in alieno ſolo ædificat ſciens & volens, propriam materiam alienare velle videatur, & etiam alteri injuriam irroget; tamen æquitas naturalis ipſa dictat, & poſtulat, ne quis alieno damno diteſcat; & concedunt ipſæ Romanæ Leges 38. ff. de pet. hæred. & Leg. 2. Cod. de rei vend. Quod ſi aliena materia in tuo fundo ædificaveris, ædificium quidem tuum eſt, at duplum pretii materiæ ſolvere teneris, ſi mala fide id præſtiteris, ſecus æqualitatem, ſi bona fide: non licet tamen materiæ domino ædificium diruere, ut ſuam recuperet materiam; hoc enim leges vetant. Quod ſi materiæ pretium non ſit perſolutum, diruto ædificio materiam dominus ſibi vendicare poterit.

III. Quando vero vel ad ornatum, vel perfectionis gratia aliquid alterius, rei adjungitur tuæ, hæ duæ ſunt ſervandæ regulæ. 1. Si quod additum eſt rei alienæ, ſeparari poteſt, re incolumi ſeparetur; & cuique, quod ſuum eſt, tribuatur. Anulo, vel vaſi meo gemmam inſeruiſti: ab anulo, & vaſe ſeparetur gemma, & alteri vas, alteri gemma tribuantur. Si vero quod adjectum eſt, ſeparari re integra non poſſit; tunc quod præcipuum eſt, inſpiciendum, & illi res adjecta judicanda. Sic tabulæ meæ, vel vaſi meo ſi picturam adjeciſti, illa mea ſit; quia cenſetur addita ad ornatum rei, quæ tamquam principale inſpicitur, etiamſi fortaſſis vilior ſit pictura: pretium tamen picturæ ſolvendum, ſi effecta fuerit bona fide, & abſque injuria. Non ita tamen ſentiendum de pictura præſertim pretioſa, in aliena tela efformata: tunc enim tela, tamquam quid minus principale, cedit picturæ, utpote excellentiori, ut ſtatuunt Leges ff. 41. tit. 1. Lege *qua ratione* tit. 1. Quod pari pacto intelligendum puto & de ſcriptione, præſertim vel pretioſa, puta characteribus aureis, vel argenteis; vel mente & ingenio elaborata: quia licet Leges in contrarium decernant, & velint ſcriptionem cedere chartæ; id tamen factum eſt quia tunc temporis charta rara erat, eapropter pretioſior: modo autem, cum vilior facta ſit, videtur debere ſcriptioni cedere, cum ratio legis de pictura & pro ſcriptione militet: nam ſi, inquit Juſtinianus, „ ridiculum eſt picturam Apellis, vel „ Parrhaſii, in acceſſionem venire tabulæ viliſſi- „ mæ “; ita pari pacto ridiculum eſt ſcriptionem pretioſam vel ratione formæ, vel rei ſcriptæ, cedere viliſſimæ chartæ. Qui ſcripſit tamen in aliena charta, pretium chartæ ſolvere debet.

IV. Res aliena tuæ quoque accedere poteſt admixtione, vel confuſione. Hoc vero eſt inter admixtionem, & confuſionem diſcrimen, quod in illa ambæ res manent ſecundum ſubſtantiam, licet propter ſummam ſimilitudinem diſcerni inter ſe non valeant; ut cum triticum tuum, vel pecunia, vel oves tuæ cum meo tritico, pecunia, ovibus commiſcentur. Confuſio vero habetur, quando res ita admiſceatur, ut nulla ſit pars, quæ aliquid de utroque non habeat, ex. c. cum vino admiſcetur aqua, vel vino meo tuum miſcuiſti, oleum tuum oleo meo. Et tunc hæ regulæ ſunt a Juriſtis conſtitutæ.

Regula Prima.

V. Tam in confuſione, quam in commixtione ſi confuſio, vel commixtio utriuſque partis conſenſione ſit effecta; totum corpus inde conflatum commune eſt utrique domino, inter ipſos dividendum pro rata: quod verum eſt, etiamſi commixtio, vel confuſio caſu abſque cujuſque opera facta ſit.

Regula Secunda.

Si vero res confuſæ, & commixtæ fuerint ab uno, altero ignorante, vel renuente; tunc ſpectandum eſt, num qui miſcuerit, animum habuerit vel expreſſum, vel præſumptum acquirendi totius rei dominium. Quod ſi habuerit, & res revera ſeparari non poſſit, totus cumulus in ejus proprietatem cedat, cum onere tamen reddendi tum

tum rei, tum damnorum alteram partem indemnem. Si vero non animo acquirendi dominium, ſed ſolius cuſtodiæ cauſa, ut cum oves unius domini cum ovibus alterius a Paſtore admiſcentur in paſcuis; & tunc corpus, ſive cumulus eſt utrique communis, & pro cujuſque portione dividendus.

VI. Specificatione etiam res unius alteri additur, cum nimirum in aliena materia nova introducitur forma, per quam nova ſpecies moraliter emergat: ut cum ex lignis, vel tabulis fit arca, vel ſcrinium, ex uvis vinum, ex lana pannum, ex lino tela, ex argento vas. In qua ſpecificatione, ut ex productis exemplis patet, non quæcumque nova forma ſufficit, ſed talis requiritur, per quam res ſpeciem moraliter mutet: ſi enim fit forma ſolum accidentalis, ut ſi lana ex alba fiat nigra, non habetur rei ſpecificatio. Ad dignoſcendum vero ad quem res pertineat, jura has leges, & Regulas ſtatuunt. Si res effecta reduci poſſit ad priorem materiam, uti vas ex argento reduci poteſt ad argenti maſſam; dominus materiæ fit dominus vaſis, qui tamen pretium operis artifici perſolvere debet, præſertim ſi bona fide proceſſerit. Secus, ſi mala fide, ſciens rem eſſe alienam, operam perdet. Si vero reduci non poteſt ad priorem materiam, ut vinum, & oleum in uvas, & olivas redire non poſſunt; tunc artifex ſpeciei dominium acquirit, ſi bona fide egerit, & ſolum materiæ pretium ſolvere tenetur. Quod ſi mala fide, ſpecie & opera privatur. At ſemper puto præ oculis habendum illud naturale æquitatis principium, ut nemo diteſcat alieno damno.

CAPUT UNDECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Inſula de novo emergens cuius ſit.*
II. *Arbor in confinio duorum dominorum poſita ad quem pertineat.*
III. *In admixtione pecuniæ quid faciendum.*

Conſectarium Primum.

I. INſula per alluvionem de novo emergens, ſi in remoto mari fiat, erit primo occupantis. Si vero in fluminis medio, in dominium cedit illorum, qui utrinque e regione prædia, vel agros poſſident. Quod ſi uni ripæ propinquior ſit, erit domini propinquioris ripæ. Ita ſtatutum legitur ff. de acquirendo dominio Lege *Adeo quidem* §. 3. ubi dicitur: „ Inſula quæ in ma- „ ri naſcitur . . . occupantis fit, nullius enim eſ- „ ſe creditur. In flumine nata... ſi quidem me- „ diam fluminis partem teneat, communis eſt eo- „ rum, qui ab utraque parte fluminis prope ri- „ pam prædia poſſident, pro modo latitudinis „ cujuſque prædii, quæ latitudo prope ripam ſit. „ Quod ſi alteri parti proximior ſit, eorum eſt „ tantum, qui ab ea parte prope ripam prædia „ poſſident". Quod ſi fluvius priori derelicto alveo novum ſibi aperiat, relictus alveus iis accreſcit, qui agros ex utraque parte habent, inter ipſos, juxta modo recenſitam legem, dividendus. Novus vero alveus ita fit vel publicus, vel domini fluminis, ut, ſi forte ad priorem revertatur alveum, non propterea relictus alveus ad priores revertatur dominos, ſed iterum accreſcat iis, qui ex utraque parte agros, vel prædia poſſident; ut habetur in Inſtit. de rerum diviſione §. 20. & ſeq.

Conſectarium Secundum.

II. Arbor, quæ in confinio ſita duorum dominorum in utriuſque fundo radices egerit, erit ambobus communis, fructus proinde æqualiter dividendi; ſi qui vero ſponte decidant, illius erunt, in cujus fundo cadunt. Quod ſi arbor ſolum radices aliquas, alioſque ramos in fundum alterius projecerit, vel extenderit, tota erit illius, in cujus fundo truncum, & majorem radicum partem habet; nec alteri licebit vel radices evellere, vel ramos ſuccidere: ſed ſi forte obſint, actio datur in alterum, qua per judicem cogatur vel illam tollere, vel damnum compenſare.

Conſectarium Tertium.

III. In commixtione alienæ pecuniæ cum tua inſpiciendum, num commiſcueris animo acquirendi dominium, vel ſolius cuſtodiæ cauſa. Si primo modo, totius pecuniæ dominium acquiris, & tibi perit, ſi perit; at ſi miſcueris cuſtodiæ cauſa, cum in tuum dominium non tranſeat, (nemo enim nolens dominium adipiſcitur) ad alterum pertinebit. Quamobrem ſi de cumulo tuæ, & alienæ pecuniæ fur aliquid ſurripiat, procul omni tua culpa, damnum erit pro rata & proportione dividendum. Quod ſi aliquid vendidiſti furi, qui aliena pecunia furto ablata pretium ſolvit, & eam pecuniam tuæ commiſcuiſti, animo, ut æquum eſt, illius acquirendi dominium, ita tua effecta eſt, ut domino pecuniæ petenti non tenearis reddere. Ita ſtatuitur Lege 78. *Si alieni nummi* de Solut. „ Si alieni „ nummi inſcio, vel invito domino ſoluti ſunt, „ manent ejus, cujus fuerunt (ſcilicet ante ad- „ mixtionem cum propriis) ſi mixti extent, ut „ diſcerni non poſſint, ejus fieri qui accepit, „ in libris Gaii ſcriptum eſt, ita ut actio cum „ eo, qui dediſſet, furti competeret ". Cur autem ita de pecuniæ commixtione ſancitum ſit, non incongruas afferunt Theologi & Juriſtæ rationes. Nimirum 1. quia majus periculum eſt fraudis, & doli in pecuniis, quæ ſunt in quotidiano commercio, ne quotidianæ oriantur lites & difficultates, ſi earum dominium, etiam quando miſcentur, maneret incertum: nullus enim eſſe poſſet ſecurus de pecuniæ poſſeſſione; ſemper enim timere deberet, ne quis actionem inſtitueret de pecunia ſibi ablata. 2. Quia cum pecunia a publica, & communi exiſtimatione ſuum ſortiatur & valorem & curſum; ideo ſtatutum eſt, ut ſtatim ac bona fide cum propria commiſcetur, in poſſidentis tranſeat dominium, & veluti conſumpta habeatur: cum revera nummorum conſumptio tota ſit in permutatione cum re, quæ pro illis ab uno datur, ab alio accipitur.

Cur

Cur autem hoc idem non valeat de pecunia ante commixtionem, illud fortaſſis in cauſa eſſe poteſt, quia tunc in ſe exiſtens, in propria non ſolum ſpecie, ſed & individuo, ſicut ceteræ res, clamat domino ſuo; mixta autem cum aliena pecunia non amplius diſcerni poteſt, ac diſtingui in individuo, propterea veluti conſumpta reputatur. Hoc autem totum ſemper intelligitur conſtitutum in favorem poſſeſſorum bonæ fidei, non vero furum & latronum, in quorum manibus ſemper pecunia furto ſublata domino ſuo clamat: & ſi quando illis aliquod in legibus conceditur dominium, hoc eſt in favorem innocentis; nimirum licet pecunia ſublata pereat, etiam ſine ulla prorſus furantis culpa, ſemper tamen ſit domino reſtituenda.

CAPUT DUODECIMUM.

De duobus poſtremis acquirendi dominii modis, præſcriptione ſcilicet, & negotiatione, ſive mercatura.

DOCTRINA.

I. *Quid ſit præſcriptio.*
II. *Præſcriptionis jus naturale non obſiſtit.*
III. *Jure gentium ſtatuitur.*
IV. *A Legibus perfectionem nanciſcitur.*
V. *Quomodo uſucapio a præſcriptione differat.*
VI. *Conditiones ad legitimam præſcriptionem requiſitæ. Prima explicatur.*
VII. *Exponitur ſecunda conditio.*
VIII. *Tertia declaratur.* IX. *Et quarta.*
X. *Negotiatio triplex.*
XI. *Tres eam exercendi modi.*
XII. *In ſe mala non eſt, ſed periculoſa.*
XIII. *Quid ſentiant Eccleſiæ Patres.*
XIV. *Quid attendere debeant mercatorum Confeſſarii.*
XV. *Mercatura mere lucrativa Clericis & Religioſis vetita.*
XVI. *Canones & Concilia eam interdicentia.*
XVII. *Quid decreverint Summi Pontifices.*
XVIII. *Quid doceant Theologi.*
XIX. *Non ſolum negotiatio mere lucrativa, ſed & mixta, eſt Clericis vetita.*
XX. *Non vero œconomica.*

§. I.

De Præſcriptione.

I. PRæſcriptio, licet in jure indifferenter quamlibet exceptionem ſignificet, tamen Doctorum utriſque juris uſu ſpecialius accipitur pro ea exceptione, qua utitur poſſeſſor ad excludendam actionem antiqui domini, deſumpta ex diuturna poſſeſſione, iiſque affecta conditionibus, quæ ad acquirendum dominium idoneæ ſunt. Definiri ergo poteſt: *Dominium ex legum auctoritate competens ei, qui poſſeſſione legitimo tempore, & cum bona fide continuavit.* Dixi legum auctoritate, ut ſcilicet omnes comprehenderem leges, naturalem, divinam, gentium, & civilem; quas omnes ſaltem quoad ſubſtantiam (quidquid in oppoſitum doceant Cujaecius, aliique ex Poteſtantibus Iuriſperitis) præſcriptionem adprobare palam eſt.

II. Nam primo jus naturale præſcriptioni certe non obſiſtit, quinimmo favet quammaxime: quemadmodum enim rerum diviſiones, & occupationes adprobat, & tuetur ad pacem & tranquillitatem inter homines ſervandam fovendamque; ita & præſcriptionem, quæ eadem de cauſa inducta eſt, ut quilibet quietus, & ſecurus vivat in poſſeſſione eorum bonorum, quæ longo jam tempore acquiſivit, & retinet. Unde optime Cicero lib. 2. de Officiis cap. 16. populares illos cives in Republica deteſtatur, qui ad captandam multitudinis benevolentiam volebant, ut poſſeſſores ſuis ſedibus pellerentur, & nova bonorum induceretur partitio, quippe qui hoc naturali æquitati repugnare certo arbitrabatur; unde ſcribebat: „ Labefactant.... æquitatem, quæ tolletur omnis, ſi habere ſuum cuique non licet.... Quam autem habet æquitatem, ut agrum multis annis, aut etiam ſæculis ante poſſeſſum, qui nullum habuit, habeat, qui autem habuit, amittat?" Quod confirmat etiam Grotius de Jure B. & P. c. 4. & laudatur a Puſendorfio l. 4. c. 11. §. 8.

III. Pari ratione a jure gentium, & pene apud omnes nationes invecta eſt præſcriptio; nam, ut optime animadvertit Puſendorfius l. l. §. 9. „ Uſucapio, prout abſtrahit a punctis temporum per leges civiles deſignatis, eſt velut appendix, & conſectarium dominii rerum. Adeoque cum dominia rerum introducerentur, id quoque pacis cauſa placuit, ut qui aliquid neque vi, neque clam, neque precario, ſuo nomine poſſideret, tantiſper dominus præſumeretur, quoad ab altero contrarium probaretur: qui autem per longiſſimum temporis ſpatium, per quod nemo mediocriter diligens rem ſuam negligere creditur, quid bona fide poſſederit, ſerum petitorem plane poſſet repellere, quia non citius rem ſuam vendicatum iverit". In ſacra quoque Scriptura præſcriptionis mentio habetur, & inter titulos juſtæ poſſeſſionis recenſeſetur. Nam Jephte adverſus Amorrhæos de poſſeſſione terræ juxta Jordanem diſputantes, non ſolum juſtum titulum belli illis appoſuit, ſed & trecentorum annorum poſſeſſionem, ſic illos redarguens, Judicium c. 11. *Quando* (Iſrael) *habitavit in Heſebon, & viculis ejus, & in Aroer, & villis illius, vel in cunctis civitatibus juxta Jordanem, per trecentos annos, quare tanto tempore nihil ſuper hac repetitione tentaſtis?*

IV. Verum tamen eſt, præſcriptionem a civilibus legibus ſuam, ut ita dicam, perfectionem ac complementum nactam eſſe, conſtitutis modis, & tempore ad præſcriptionem opportunis, ne dominia ſemper incerta remanerent & ſuſpenſa, ac domini & poſſeſſores omni prorſus ſublata incertitudine & anxietate, ſua bona in pace poſſiderent, nec opportune importune litibus, & vexationibus premerentur, & quaterentur.

 Nam

Nam præſcriptio, prout a jure naturali & gentium deſcendit, tempus definitum non habet, ſed arbitratur boni viri non citra aliquam latitudinem definiendum relinquitur: quod poſtea, ut mox dicemus, civiles leges ſanxere.

V. Uſucapionem a præſcriptione plures Doctores vix diſtinguunt quoad rem, ſed ſolum penes objecta, circa quæ illæ verſantur: ajunt enim uſucapionem dici de rebus mobilibus, quarum dominium longa poſſeſſione fiat poſſidentis; præſcriptionem vero vocari, quoties idem effectus in bonis immobilibus occurrit. Sed, ut puto, falluntur. In utroque bonorum genere uſucapio a præſcriptione eſt accurate diſcernenda. Siquidem uſucapio eſt via ad præſcriptionem, & toto tempore, quod ad præſcriptionem neceſſarium eſt, uſucapio præcedit. Uno verbo, comparatur uſucapio ad præſcriptionem, ut via ad terminum, ut medium ad finem; non tale tamen medium, quod ex intentione operantis ordinetur ad finem: nam ſi quis jam per uſucapionem intenderet ad præſcriptionem pervenire, eo ipſo præſcriptionis incapacem ſe redderet; quoniam bona fide careret, quæ eſt una, ut mox videbimus, ex conditionibus ad legitimam præſcriptionem requiſitis; ſed quamvis non ex intentione operantis, nihilominus ex legum voluntate & diſpoſitione uſucapio præfatum parit præſcriptionis effectum. Tandem uſucapionis conditio eſt poſitio, ſeu executio eorum, quæ ad inchoandam uſucapionem, vel ut tempus ad præſcriptionem requiſitum procedere incipiat, ſunt neceſſaria: hujuſmodi præcipua eſt tituli ſaltem colorati aſſiſtentia vel præſumptio, de quo mox dicemus.

VI. Porro quatuor conditiones communi Doctorum conſenſu tam ad legitimam præſcriptionem, quam ad præviam uſucapionem firmandam deſiderantur. 1. Eſt poſſeſſio. Ut enim definit Regula 3. juris in 6. *ſine poſſeſſione præſcriptio non procedat*. Nec mirum, cum præſcriptio ſit beneficium a Legibus inſtitutum in favorem poſſidentium, ne ſcilicet iſti cogantur cum magna rerum turbatione res diutius tranquille poſſeſſas amittere. Debet autem hæc poſſeſſio eſſe juridica, civilis, & nomine proprio: qua de cauſa prædones & fures præſcribendi ſunt incapaces; neque enim juridicam poſſeſſionem obtinent, ſed ſolum injuſtam, & violentam, & potius occupationem, ſeu invaſionem. Item ſervi, & Religioſi privato nomine nequaquam præſcribere poſſunt; ſunt enim poſſeſſionis proprie dictæ incapaces. Item Inquilini, Coloni, Commodatarii, Depoſitarii, Pignoratarii non gaudent præſcriptione rerum, quas poſſident, quoniam civiliter minime poſſident, ſed ſolum naturaliter; quippe qui non proprio, ſed alieno dumtaxat nomine poſſident. Emphyteutæ vero, Feudatarii, uſufructuarii, uſuarii, quoad proprietatem præſcriptionem aſſequi nequeunt, quoniam proprietatem ſuo nomine nequaquam poſſident, ſed ſolum nomine Proprietarii, ſeu potius per illos poſſidet Proprietarius; bene vero quoad uſumfructum, & dominium utile, hoc enim ſuo proprio nomine tenent. Hinc etiam colligunt plures Theologi jura Eccleſiaſtica a Laicis nunquam præſcribi poſſe, puta juriſdictionem eccleſiaſticam, vel jus decimarum, uno excepto jure patronatus, quod acceſſorium ſolet eſſe bonis temporalibus, quibus adhæret, & a quibus inſeparabile Eccleſiæ voluntate conſtituitur.

VII. Altera conditio ad legitimam præſcriptionem, & uſucapionem ponitur *titulus*. Eſt autem titulus cauſa, vel radix, quæ ſi vere ſubſiſteret, ad dominii translationem jure ſufficeret; c. ex. Teſtamentum reſpectu hæreditatis, & legati, occupatio rei vacuæ, & ſub nullius dominio vel jure exiſtentis, venditio reſpectu rerum venalium, donatio reſpectu eorum, quæ donari poſſunt, & perſonæ, quæ donandi ſit capax &c. Porro non exigitur, ut hic titulus reipſa ſit validus; alias etiam ſine præſcriptione ad inducendum dominium eſſet ſufficiens. Quando ergo communiter Theologi & Juriſtæ titulum ad præſcriptionem neceſſarium pronuntiant, de titulo loquuntur prudenter exiſtimato, ſeu ut ajunt colorato. Sed hic cavenda æquivocatio; aliud enim eſt in poſſidente eſſe opinionem dumtaxat de exiſtentia tituli; aliud opinionem circa ſolam validitatem verſari. Primum, quidquid aliqui dicant, non ſufficit ad quamcumque præſcriptionem ſtabiliendam, vel uſucapionem. Si enim credis dumtaxat rem tibi fuiſſe donatam, vel venditam, & reipſa nulla donatio, vel venditio præceſſerit, nihil juvat poſſeſſio ejuſdem rei ad præſcriptionem inchoandam. Quod ſi donatio quidem, vel venditio, vel alius contractus, in quo fundatur titulus, locum habuit, invalidus tamen fuit, quem bona fide validum fuiſſe tu exiſtimas; tunc aderit titulus exiſtimatus, ſeu coloratus, qualis pro ſecunda conditione ab Auctoribus deſideratur. Ita aperte Legibus decernitur, nam in Inſtit. lib. 2. tit. 4. §. 4. dicitur: *Si hæres rem defuncto commodatam, aut locatam, vel apud eum depoſitam, exiſtimans hæreditariam eſſe, bona fide uſucapienti vendiderit, aut donaverit, aut dotis nomine dederit, quin, is qui acceperit uſucapere poſſit dubium non eſt, quippe cum ea res in furti vitium non ceciderit, cum utique hæres, qui bona fide tamquam ſuam alienaverit, furtum non committat*. In quo ſtatuto, ut conſideranti patet, requiritur in uſucapiente titulus, vel venditionis, vel donationis, vel dotis, qui quidem in ſe invalidus eſt, cum ſit venditio, vel donatio rei alienæ; & tamen præſcriptione firmatur. E contra vero, qui commodato rem accipit, tametſi per errorem ſe arbitretur emiſſe, eam non præſcribit, quia nullus eſt titulus nec coloratus, unde ſubditur: „ *Error falſæ cauſæ uſucapionem non capit, velut ſi quis cum non emerit, emiſſe ſe exiſtimans, poſſederit* “. Illud tamen notandum, aliud eſſe nullum adeſſe titulum, aliud ignorari: primum præſcriptionem impedit; alterum omnino non impedit, ut dicemus in Conſectariis de vetuſtiſſimis præſcriptionibus.

VIII. Tertia legitimæ uſucapionis conditio eſt bona fides; ut enim ait Regula 3. juris in 6. *Poſſeſſor malæ fidei nullo unquam tempore præſcribit*. Et quoad hoc ſapienter legibus canonicis jus civile

vile correctum fuit, & emendatum. Invenitur ſiquidem in jure civili quibuſdam longiſſimis poſſeſſionibus, puta immemorabilibus, centenariis, & etiam quadragenariis conceſſa præſcriptio, etiamſi bona fides defuerit; quod iniquiſſimum eſt in foro conſcientiæ, & juri naturali contrarium, ac proinde ad normam chriſtianæ doctrinæ indiguit reformari, ne aditus patefactus maneret injuſtis rei alienæ detentionibus tractu temporis conſolidandis. Eſt autem bona fides fundata opinio de ſufficientia tituli ad acquirendum dominium, ſeu credulitas, qua quis prudenter exiſtimat rem, quam poſſidet, ad ſe pertinere, vel ſaltem invincibiliter ignorat alieni eſſe juris. Sed quoad ignorantiam, hæc minime ſuffragatur, eſto putetur invincibilis, ad inchoandam uſucapionem, neque ad continuandam, ſi fuerit ignorantia craſſa, multo minus adhuc ſi fuerit affectata: eo enim ipſo quo quis dubitatione tenetur, utrum res ſua ſit, nec ne, quando nondum poſſeſſione gaudet, & veritatem negligit inquirere, in mala fide jam conſtituitur. Quod ſi dubitatio poſt inchoatam bona fide poſſeſſionem orta fuerit, tunc ſi poſt diligens examen deprehendi non poteſt, ad quem res poſſeſſa pertineat, non nocet uſucapionis continuationi, nec bonam fidem interrumpit hujuſmodi dubitatio, ut oſtendemus in Confectario 2. Et licet verum ſit per conteſtationem litis interrumpi uſucapionem; non tamen hoc ideo accidit, quod ſuperveniens dubitatio malam fidem inducat: contingere enim poteſt, ut quis habens plenam evidentiam & certitudinem de firmitate ſui juris, nihilominus litigare cogatur, eo quod parti adverſæ ſecus videtur. Sed ſapientiſſimis legibus decretum fuit, litis tempore non procedere uſucapionem, tum ne actori mora litigandi noceret, tum ne judices in cognoſcenda cauſa, aut ad præveniendam præſcriptionem tempus nimis accelerare cogerentur, aut malitioſa moroſitate protrahere ſtuderet litigator vel patronus, quoaduſque poſſeſſor completa uſucapione rei dominium adipiſceretur. Eſt autem bona fides adeo neceſſaria ad præſcriptionem, ut eam impediat mala fides, licet ex errore procedat: ut cum quis credit ſibi non licere præſcribere, quod poſſidet, cum revera poſſit; ita enim aperte leges ſtatuunt, ut habetur ff. de uſucap. leg. 31. *Si fur*, ubi ſtatuitur: „ Si quis id quod poſſidet, non putat ſibi licere „ per legem uſucapere, dicendum eſt, etiamſi „ erret, non procedere uſucapionem, vel quia „ non bona fide videtur poſſidere, vel quia in „ jure erranti non procedit uſucapio “.

IX. Quarta & ultima uſucapionis conditio eſt lapſus legitimi temporis ad præſcriptionem pariendam determinati. Quod tempus Romanæ leges varie pro rerum diverſitate definiunt. Quoad res mobiles inter præſentes triennium ad præſcribendum eſt conſtitutum. Inter abſentes vero quadriennium, quod etiam ſufficere ad bona mobilia Eccleſiarum præſcribenda Auctores communiter judicant: neque enim quoad hæc ſpecialius privilegium iis conceſſum invenitur. Sola excipitur Romana Eccleſia, ut habetur in Authentica *Quas actiones* Cod. de Sacroſanctis Eccleſiis Cap. *Cum a nobis* cauſa 14. de præſcript. & cap. ult. can. 16. q. 3. ubi ſtatuitur: „ Uſucapione triennii, vel quadriennii præſcriptione in ſuo robore durantibus, ſola Romana Eccleſia gaudente „ centum annorum ſpatio, vel privilegio “. Quod vero dicitur de rebus mobilibus, etiam de juribus vel obligationibus circa eaſdem intelligendum eſt. Idcirco autem tam breve tempus pro mobilium præſcriptione deſignatum fuit, quoniam cum hujuſmodi res non ſoleant eſſe magni momenti, & facile contingere poſſit, ut pereant; conveniens non fuit, ut lites de earum proprietate in longum abire poſſent, & dominia manerent incerta. Sed quoad bona immobilia iiſdem Romanis legibus decennium inter præſentes, inter abſentes vero duplum prædicti temporis ad præſcribendum determinatum invenitur, exceptis tamen bonis Eccleſiarum, in quarum favorem ad quadraginta annos protelatus fuit uſucapionis terminus, excepta Romana Eccleſia, ſpecialiſſimo donata privilegio centenarii, ut mox diximus.

§. II.

De negotiatione, ſive mercatura.

X. Triplicem diſtinguunt Juriſtæ, eoſque ſecuti Theologi negotiationem, ſive mercaturam. Alia enim *œconomica* dicitur, qua neceſſaria emuntur, & venduntur ſuperflua ad ſui, familiæque ſuſtentationem. Altera *politica*, cujus finis eſt publicis civitatis, & populi neceſſitatibus conſulere, quæ Civitatum Rectoribus proprie convenit. Tertia denique, quæ *lucrativa* dicitur, per quam quis empta carius vendit ad lucrum captandum. De priori quidem, & altera ita ſcribit S. Thom. 2. 2. q. 77. a. 4. „ Duplex eſt re„ rum commutatio. Una quidem quaſi naturalis, „ & neceſſaria, per quam ſcilicet fit commutatio „ rei ad rem, vel rerum, & denariorum propter „ neceſſitatem vitæ: & talis commutatio non „ proprie pertinet ad negotiatores, ſed magis ad „ œconomicos, vel politicos, qui habent providere vel domui vel civitati de rebus neceſſariis „ ad vitam .... hæc autem commutatio laudabilis eſt, quia deſervit naturali neceſſitati “. Et paulo poſt ſubdit: „ Cum aliquis negotiationi „ intendit propter publicam utilitatem, ne ſcilicet res neceſſariæ ad vitam patriæ deſint; & „ lucrum expetit, non quaſi finem, ſed quaſi ſtipendium laboris “. At de tertia ſic ſcribit: „ Juſte vituperatur; quia, quantum eſt de ſe, „ deſervit cupiditati lucri, quæ terminum neſcit, ſed in infinitum tendit. Et ideo negotiatio ſecundum ſe conſiderata quamdam turpitudinem habet, inquantum non importat de „ ſui ratione finem honeſtum, vel neceſſarium. „ Lucrum tamen, quod eſt negotiationis finis, „ etſi in ſui ratione non importet aliquid honeſtum, vel neceſſarium; nihil tamen importat „ in ſui ratione vitioſum, vel virtuti contrarium: unde nihil prohibet, lucrum ordinari „ ad aliquem finem neceſſarium, vel etiam honeſtum. Et ſic negotiatio licita reddetur: ſicut „ cum aliquis lucrum moderatum, quod nego-

„ tian-

„ tiando quærit, ordinat ad domus ſuæ ſuſtentationem, vel etiam ad ſubveniendum indigentibus.

XI. In ipſa lucrativa negotiatione tres modi diſtingui poſſunt, nimirum artificioſus, cum videlicet res propria, vel empta arte, & induſtria ita mutatur, ut in venditione non tam res ipſa, quam artificium vendatur; ut cum fabri lignarii, vel ferrarii ex ligno, vel ferro arcas, ſcrinia, vel ſeras, claves, horologia, & ſimilia conficiunt: & hic agendi modus non tam negotiatio, quam artificium, ſeu opificium melius appellatur, ejuſque finis eſt lucrum quidem, ſed ut plurimum ad vitæ ſuſtentationem, vel etiam otii fugam ordinatum. Quamobrem ſapienter ſcribit Auctor Oper. imperf. inter Opera S. Joan. Chryſoſt. hom. 38. in Matth. „ Qui materiam ſibi „ comparat, unde faciat opus, ille non rem ipſam vendit, ſed magis artificium ſuum; ideſt „ qui rem vendit, cujus æſtimatio non eſt in ipſa re, ſed & in artificio operis, ille non eſt „ mercator “. Secundus modus eſt, cum res propria, vel empta in melius quidem commutatur, ita tamen ut ipſa res carius vendatur; ut cum quis ex lana, vel lino emptis pannum conficit, vel telam, ex bombicum folliculis rem ſericam elaborat: & hujus quoque finis eſſe poteſt victus, & lucrum, & etiam publica utilitas. Tertius denique modus eſt, quando res empta, puta vinum, frumentum, tela, panni, ſerica, equi, & ſimilia emuntur, ut eadem omnino, nec mutata, carius vendantur, & quidem lucri cauſa; & hic eſt proprie mercator, & negotiator, ut declaratur cap. *Ejiciens* diſt. 88. ubi dicitur: „ Qui autem comparat rem, ut illam ipſam integram, & immutatam dando lucretur, „ ille eſt mercator “.

XII. Mercaturam vero etiam mere lucrativam non in ſe malam eſſe, ſed vix ſine malo eſſe poſſe, & vidimus ex D. Thom., & confirmant Scripturarum oracula, Ezech. 28. *In multitudine negotiationis tuæ repleta ſunt interiora tua iniquitate, & peccaſti*. Eccli. 27. *Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, ſic & inter medium venditionis, & emptionis anguſtiabitur peccatum*. Et cap. 26. *Difficile exuitur negotians a negligentia*; vel, ut alii legunt, *difficile exuitur negotians a delicto*. Cupiditas enim lucri & facile negotiatores a cura ſuæ æternæ ſalutis abſtrahit, & in plura peccata pertrahit.

XIII. Sancti vero Patres adeo periculoſam negotiationem agnovere, ut vix chriſtianis licitam arbitrarentur. S. Leo Papa epiſt. 92. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum cap. 9. ſcribit: „ Qualitas lucri negotiantem aut excuſat, aut arguit; quia eſt & honeſtus quæſtus, & turpis. „ Verum tamen pœnitenti utilius eſt etiam diſpendia pati, quam periculis negotiationis obſtringi; quia difficile eſt inter ementis, vendentiſque commercium non intervenire peccatum “. Et S. Gregorius M. lib. 7. epiſt. 10. „ Si quis in homicidium, adulterium, perjurium, vel hujuſmodi aliquid lapſus, in aliquo „ talium criminum permanſerit, vel *negotiationi*, „ *quæ vix agi ſine peccato poteſt*, operam dederit .... veræ pœnitentiæ fructum facere nullatenus poteſt “. S. Joan. Chryſoſt. in Pſalm. 90. „ Audi (ſcribit) negotia, quæ rationabilia videntur eſſe chriſtianis, & ſunt tenebroſa. Nam „ omne negotium inter ementes, & vendentes „ conficit mendacium. Nam quid dicebat ille? „ Quid? *Quia non cognovi negotiationem, introibo in potentiam domini*. Semper ille ingerit compendioſa negotia, ut anima peccato decipiatur. Malum negotium pecuniarum, quod animam inviſcat & captivat.

XIV. Hæc itaque ſerio attendere, & perpendere debent mercatorum Confeſſarii. 1. Quo fine illi negotientur, num ſolius lucri gratia; quod quidem præter turpitudinem, quam præſefert, ut ex D. Thom. vidimus, longe periculoſiorem reddit mercaturam, dicente Apoſtolo: *Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas*. 2. Num in negotiationibus fraudibus utantur, mendaciis, dolis, perjuriis, vel etiam juramentis: num merces occultent, monopolia forment ad pretia rerum augenda. 3. Num eorum negotiationum materia vel illicita ſit, vel vetita, & præſertim ſi ea ſit, quæ ad luxum nutriendum, & feminarum vanitatem promovendam unice deſerviat, uti faciunt qui novas ſemper meditantur, & invehere ſtudent veſtium, & ornamentorum formas ad mundum muliebrem augendum: hæc enim negotiatio bono publico non prodeſt, familiis eſt infenſa, & animabus perniciem affert. 4. Num negotiorum cauſa dies feſtos vel ipſi non ſanctificent, vel ſuos Miniſtros a ſanctificatione impediant, quos vel in rationibus ſupputandis, vel in pecuniis a debitoribus repetendis ita occupant, ut vix Miſſæ audiendæ tempus illis ſuperſit. 5. Denique, num titulo negotiationis carius res vendant obtentu expenſarum, quas ſubeunt, vel vectigalium quibus ſubjiciuntur: nam propter hoc limites juſti pretii excedere licite nequeunt: cum enim negotiatio res ſit & jacturæ, & lucro expoſita; ſicut illis conceſſum eſt, mercium augere pretium, quotieſcumque rerum paucitas, & ementium copia id poſtulet; ita quando ex oppoſito vel illarum copia, vel emptorum paucitas viliores reddit merces, & ipſi de pretio debent diminuere. Uno verbo, non omittant Pœnitentes negotiationi deditos ſerio commonere de periculis, in quibus verſantur, hortari, ut ſibi caveant, ideoque Sacramenta frequentent, ut chriſtiane vigilent, ne cupiditas eos fallat, ne avaritia ſubrepat, ne injuſtitia dominetur, ut lucri partem pauperibus elargiantur, & ſibi faciant amicos de mammona iniquitatis, & denique ne ita terrenas quærant divitias, ut æternas amittant.

XV. Mercatura mere lucrativa Clericis, & Eccleſiaſticis viris eſt omnino interdicta. Hanc veritatem & Sacræ Scripturæ inculcant, & SS. Patres confirmant, & Eccleſia ſemper agnovit, & præcepit. Apoſtolus in 2. ad Timoth. 2. ſcribit: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit*. Et in 1. ad Timoth. 3.

moth. 3. inquit: *Oportet eſſe Diaconos ſimiliter non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes*. Quæ poſtrema verba exponens S. Ambroſius ſcribit: „ Qui tanta cura Diaconos „ eligendos præcipit, quos conſtat Miniſtros eſ- „ ſe Sacerdotum, quales vult eſſe Epiſcopos, „ niſi, ſicut ipſe ait, irreprehenſibiles, negotia „ publica, turpia vilia lucra non habentes? Scit „ enim ideo negotiari, ut capiant lucra, nec a- „ liud profitentur, quam gerunt “. Et S. Hieronymus epiſt. 2. ad Nepot. ſcribit: „ Negotiatorem Clericum, & ex inope divitem, ex igno- „ bili glorioſum, quaſi quamdam peſtem fuge “. S. Petrus Cæleſtinus Opuſc. 8. par. 7. cap. 19. „ Negotia ſecularia, ut ſunt emptio, venditio, „ locatio, conductio, tutela, cura, negotiatio, ju- „ dicium, exercitium omnium artium mechanica- „ rum, ut eſt ars ſutorum, textorum, & ſimiles, „ omnibus Clericis & Religioſis prohibita ſunt “.

XVI. Confirmant Canones, & Concilia, quæ omnia ſi recenſere vellem, in immenſum abirem. Nonnulla dumtaxat delibabo. In jure can. cap. 1. diſt. 88. „ Decrevit S. Synodus, nullum deinceps „ Clericorum aut poſſeſſiones conducere, aut nego- „ tiis ſecularibus ſe immiſcere “. Cap. 10. Forni- „ cari omnibus ſemper non licet; negotiari vero „ aliquando licet, aliquando non licet. Antequam „ enim Eccleſiaſticus quis ſit, licet ei negotiari; „ facto jam non licet “. Et cap. 14. quæſt. 4. „ Canonum ſtatutis firmatum eſt, ut quicumque „ in Clero eſſe voluerit, emendi vilius, vel ven- „ dendi carius ſtudio non utatur “, Cap. ſecundo *Ne Clerici vel Monachi* ſtatuitur: „ Sub in- „ terminatione anathematis prohibemus, ne Mo- „ nachi, vel Clerici cauſa lucri negotientur “. Et Cap. conſequens 88. diſt. Clementina *de vita & honeſtate Clericorum*, pœna imponitur Clericis negotiatoribus excommunicationis, & ſuſpenſionis. Concilium Remenſe anni 813. „ Nemo Sa- „ cerdotum, vel Monachorum negotiis illicitis „ ſe implicet, quomodo ſcriptum eſt, nemo mi- „ litans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus “. Concil. Moguntinum ejuſdem anni can. 14. „ Mi- „ niſtri Altaris Clerici, vel Monachi a negotiis „ ſecularibus omnino abſtineant “. Concil. Are- „ lat. ann. 452. can. 14. Si quis Clericus pecu- „ niam dederit ad uſuram, aut conductor alienæ „ rei voluerit eſſe, aut turpis lucri gratia ali- „ quid negotiationis exercuerit, depoſitus a com- „ munione alienus fiat “. Concil. Venetum anni 1438. tit. 10. „ Univerſaliter autem etiam Cleri- „ cis omnibus inhibemus, ne publice, & per ſe „ negotiationes exercere præſumant; transgreſſo- „ res autem pœna Canonum puniantur “. Mediolanenſe I. cap. 26. „ Edicimus, ne Clericus ... „ in negotiationibus, & mercaturis ſe interpre- „ tem, & medium interponat . . . negotiationem „ etiam omnis generis omnino prohibemus . . . . „ ne aliena prædia lucri gratia conducat “. Quas omnes antecedentium Canonum & Conciliorum Leges, quibus mercatura Eccleſiaſticis vetatur, innovavit, & adjecta vi confirmavit Conc. Trid. ſeſſ. 22. de Ref. cap. 1. indicens: „ Statuit Sanct. „ Synodus, ut quæ alias a Summis Pontificibus, „ & a Sacris Conciliis de Clericorum vita, ho- „ neſtate, cultu, doctrinaque retinenda, ac ſi- „ mul de luxu, comeſſationibus, choreis, aleis, „ luſibus, ... nec non *ſecularibus negotiis fugiendis* „ copioſe, ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem „ in poſterum iiſdem pœnis, vel majoribus, ar- „ bitrio Ordinarii imponendis, obſerventur “.

XVII. Nec minori ſtudio Summi Pontifices negotiationem lucrativam a viris Eccleſiaſticis exulare juſſerunt. Plurimæ ſunt hac de re editæ ab ipſis Conſtitutiones, quas legere quiſque poterit in Romano Bullario: proinde ſatis erit eas hic indigitare. Pius IV. Conſtit. quæ incipit *Decens eſſe cenſentes*, adeo ab Eccleſiaſtica diſciplina alienum mercaturam exercere, ſeu lucra quærere ex negotiatione declaravit, ut præter alias pœnas, etiam acquiſito lucro privandos ſtatuerit hoſce Clericos negotiatores, illudque applicandum juſſerit Cameræ Apoſtolicæ. Urbanus VIII. in ſua Conſtit. 22. Febr. ann. 1633. Clericis omnibus, ſed præcipue Regularibus cujuſcumque Ordinis, & Inſtituti, etiam Societatis Jeſu in Inſulis, Provinciis, Regionibus, & Regnis Indiæ Orientalis, Chinæ, & Japonum inibi exiſtentibus, vel in poſterum illuc mittendis, omnem & quamcumque mercaturam & negotiationem, quocumque modo ab eis fieri contingeret, interdixit, & prohibuit ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ipſo facto incurrenda, aliiſque pœnis. Quam Conſtitutionem confirmavit Clemens IX. ſua Conſtit. in ord. 35. eaſdem pœnas extendens etiam ad Superiores, qui hujuſmodi Religioſos negotiatores non punirent. Innoc. XIII. Conſtitutionem vulgavit, quæ incipit *Apoſtolici Miniſterii*, in qua contra Clericos negotiatores, quos concubinariis, fœneratoribus, ebrioſis, ludo alearum deditis comparat, pœnas a Sacris Canonibus, Romanis Pontificibus, & Conciliis inflictas, renovat, confirmat, ac roborat. Eam vero Conſtitutionem Bened. XIII. per aliam, quæ incipit *In ſupremo*, quoad ſingulas partes innovavit, confirmavitque. Denique Benedictus XIV. Conſtit. *Apoſtolicæ ſervitutis* an. 1741. 25. Feb. omnes, ſingulaſque leges, tum ſacris Canonibus contentas, tum Conſtitutionibus Pontificiis expreſſas, quibus Clerici lucri gratia negotiari vetantur, confirmavit, novum robur adjecit, pœnas iiſdem legibus ſtatutas innovavit, & inſuper nonnulla addidit, ut in ſequentibus videbimus, quibus Decreta vetantia negotiationem ampliavit.

XVIII. Ita ſentiunt & docent communiter Theologi omnes, etiam benigniores, & Raymundus Summa lib. 2. tit. de Negot. ſec. §. 1. „ Ne- „ gotia alia plura ſunt, quæ non ſunt inhoneſta „ ſui natura, ſed ex cauſa, vel tempore, vel ex „ perſona, vel ex loco, ut emptio, venditio, „ locatio, conductio, & ſimiles contractus .... Ex „ perſona ſunt hæc inhoneſta, quia Clerici ſunt, „ vel perſonæ Religioſæ, qui exercent; talibus „ enim regulariter ſunt prohibita talia negotia “. S. Thom. 2. 2. q. 77. a. 4. ad 3. „ Clerici non „ ſolum debent abſtinere ab his, quæ ſunt ſe- „ cundum ſe mala, ſed etiam ab his, quæ ha- „ bent ſpeciem mali. Quod quidem in negotia- „ tione contingit: tum propter hoc, quod eſt „ ordinata ad lucrum terrenum, cujus Clerici de- „ bent

„ bent eſſe contemptores: tum etiam propter fre- „ quentia negotiatorum vitia, quia *difficulter e- „ xuitur negotiator a peccatis labiorum* , ut di- „ citur Eccli. 26. Eſt & alia cauſa , quia nego- „ tiatio nimis implicat animum ſecularibus cu- „ ris, & per conſequens a ſpiritualibus retrahit: „ unde & Apoſtolus dicit 2. ad Timoth. 11. 4. „ *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſeculari- „ bus* “. S. Antoninus P. 2. tit. 1. cap. 16. „ Ne- „ gotiatio eſt mala ratione perſonæ, cum ſcilicet „ aliquibus perſonis ſpecialiter aliquo jure pro- „ hibetur, quod fit cunctis Clericis, & multo „ magis Religioſis “. Hos ſequuntur pene ceteri omnes Theologi, Tolet. Inſt. lib. 7. de ſeptem peccat. cap. cap. 53. Laym. lib. 2. tract. 4. cap. 17. aliique. Adverſantur ſolum Cajetanus Sum. V. *Clericus*, Rodriguez, & Diana, qui cenſent, harum Eccleſiaſticarum legum tranſgreſſores non niſi venialiter peccare. At eorum doctrinam, ceu falſam & laxam, ceteri omnes deteſtantur: & iidem ipſi, qui eam tenent Theologi, fatentur oppoſitam eſſe probabiliorem, & in praxi tenendam.

XIX. Non ſolum negotiatio lucrativa interdicta eſt Clericis, ſed & mixta, qua ſcilicet res empta, & deinde mutata, ac melior effecta carius venditur ad lucrum. Nam 1. quidem Eccleſiaſticæ Leges mixtam mercaturam a mere lucrativa non diſtinxere, ſed cum iſta confundentes, utramque pari modo interdixere. Nam in duo tantum genera, hac de re, Clericorum actiones diſtinguunt, ſcilicet negotiationem, & opificium. 2. Omnem negotiationem abſolute vetitam voluere Patres, & Concilia. In Jure can. cap. 2. diſt. 8. mandatur Clericis „ ab omni cujuslibet negotiationis „ ingenio, vel cupiditate ceſſandum, aut in quo- „ cumque gradu ſint poſiti, mox a clericalibus „ officiis abſtinere cogantur “. Et Concil. Mediol. I. cap. 26. „ Clericis negotiationem etiam „ *omnis generis* omnino prohibemus “. 3. Etiam ſigillatim eæ vetantur actiones, quæ ſine mixta negotiatione fieri nequeunt; cujuſmodi ſunt conductiones, procurationes, alienorum bonorum adminiſtrationes. In Jure Can. cap. 26. diſt. 86. ſtatuitur: „ Neminem eorum, qui in Clero connu- „ merantur, hoc eſt Epiſcopum, ſive Clericum „ ſive Monachum conducere poſſeſſiones, aut mi- „ ſceri ſecularibus procurationibus “. Et cap. 1. diſt. 88. decrevit, „ nullum deinceps Clericum „ poſſeſſiones conducere “. Concil. Trull. „ Nul- „ li liceat Clerico cauponariam habere taber- „ nam “. Carthagin. III. „ Placuit, ut Epiſco- „ pi, & Presbyteri, & Diaconi, vel Clerici non „ ſint conductores, neque procuratores, neque ul- „ lo turpi, vel inhoneſto negotio victum quæ- „ rant “. Accedunt plures Sacræ Congregationis Concilii deciſiones, in quibus declaratur. „ Non „ poſſe Clericos pauperes ad ſuam, ſuæque fami- „ liæ ſuſtentationem bona laicorum conducere abſ- „ que reatu illicitæ negotiationis, ſicut nec oves, „ boves, aliaque hujuſmodi animalia emere, ea- „ que locationis, aut ſocietatis titulo conducto- „ ri, aut ſocio tradere, ac lucrum ex hujuſmodi „ locatione, ſive ſocietate percipere “. Habentur hæ deciſiones apud Paſſerinum de ſtat. Hom. T. 2. q. 187. art. 2. n. 189. & aliæ ſimiles habentur apud Barb. Jur. Eccl. univer. lib. 1. cap. 4. n. 137. Ita docent & ſentiunt plures Theologi. Quaranta V. Vectigal in Add. ſcribit: „ Difficultas verſa- „ tur in his, quæ de ſecundo genere emptionis, „ & venditionis ſunt, videlicet quando Clericus „ emeret lanam, ut per miniſtros, ſeu operarios „ ſua impenſa conductos, illique rei aptos, ex il- „ la pannos conficiat, quos vendat quæſtus fa- „ ciendi cauſa, aliaque ſimilia exempla ad hoc „ genus ſpectantia, quæ recenſet Molina. Et „ quidem præfatus Doctor affirmat, quod cum „ hujuſmodi negotiationes multum accedant ad „ primum genus ex identitate rationis, in his „ Clericus immunitatis privilegio non gaudeat. „ Idem fatetur Rodriq. q. 74. art. 8. concl. 2. quod „ ante ipſos pronunciavit Bonifacius de Vitali- „ bus, ut non ſit facienda differentia inter pri- „ mum & ſecundum genus, quando id Clericus „ faceret cauſa lucri, & cupiditatis “. Et jure meritoque, nam ſi attentius res conſideretur, utriuſque mercaturæ par conditio, idem finis, atque eædem cauſæ, quare utraque ab Eccleſiaſtica diſciplina ſit prorſus extirpanda. In utraque enim quæ vilius comparantur, carius diſtrahuntur, finis utriuſque lucrum, cauſæ eædem. „ Clerici „ enim, ut ſcribit S. Cyprianus epiſt. 66. divino „ Sacerdotio honorati, & in Clericali miniſterio „ conſtituti, non niſi Altari, & ſacrificiis deſer- „ vire, & precibus atque orationibus vacare de- „ bent “.

XX. Negotiatio œconomica non eſt Clericis interdicta. Ita ſentiunt communiter Theologi. Nam hæc proprie mercatura, & negotiatio non eſt, quæ in emptione conſiſtit rerum minori pretio, ut majori vendantur: ipſa autem in ſola venditione conſiſtit propriorum bonorum, quæ ſuperflua ſunt, ut quæ deſunt, comparentur; & ſi aliqua commutatio in ipſis rebus fiat, ita poſtulat conditio bonorum, quæ alio modo diſtrahi non poſſunt. Confirmat & Benedictus XIV. de Synodo lib. 7. cap. 49. §. 2. ſcribens. „ Altera „ impropriæ negotiationis ſpecies Clericis per- „ miſſæ, eſt vendere res ex propriis prædiis col- „ lectas, ſuæque ſuſtentationi ſuperfluas .... Li- „ citum quoque Eccleſiaſticis e rebus ad pro- „ priam, & familiæ ſuſtentationem coemptis, quæ „ ſuperſunt, etiam carius quam emerint, vende- „ re, modo juſti pretii non prætergrediantur li- „ mites “. Antea vero docuerat, licere etiam Clericis „ manuum ſuarum labore, & honeſto ar- „ tificio victum ſibi comparare “.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

Conſectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Præſcriptio valet etiam in foro conſcientiæ.*

II. *Prudens dubium ſuperveniens poſſeſſioni bonam fidem non excludit.*

III. *Ignorantia facti non excludit præſcriptionem, ſed ſola ignorantia juris.*

IV. *Quando majorum bona, vel mala fides aut proſit, aut obſit præſcriptioni.*

V. *Quænam res, & perſonæ non ſint præſcriptioni*

ni obnoxiæ, & quando abrumpatur præſcriptio.
VI. *Quando mercatores peccent lethaliter impediendo, ne merces adveniant.*
VII. *Clerici omnes ſubjiciuntur pœnis contra negotiatores latis.*
VIII. *Quæ tamen omnes non ſunt latæ, ſed ferendæ ſententiæ.*
IX. *Clericis, & Religioſis nec per alios negotiari licet.*
X. *Peccant, etiamſi ſolum ſemel, vel bis negotientur.*
XI. *Quænam negotiatio permiſſa Clericis.*
XII. *Quomodo illis conceſſum opificium.*
XIII. *Nonnullæ artes, & opificia Clericis vetita.*
XIV. *Neceſſitate urgente num liceat Clericis negotiatio.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

De Præſcriptione.

I. PRæſcriptio legitimis munita conditionibus dominium legitimum inducit, nedum in externo foro, ſed & in foro conſcientiæ. Non deſunt Theologi, & Canoniſtæ, Panormitanus, Adrianus, Medina, Scotus, aliique, qui ſentiunt, præſcriptionem ſolum præſumptive, & in exteriori foro favere. At confidentiſſime contra ipſos ceteri pene omnes & Theologi, & Canoniſtæ propugnant, etiam in foro conſcientiæ valere, D. Thom. ſequentes, qui Quodl. 12. art. 24. ſic ait: *Si quis præſcribat bona fide poſſidendo, non tenetur ad reſtitutionem, etiam ſi ſciat alienum fuiſſe poſt præſcriptionem: quia lex poteſt aliquem pro peccato, & negligentia punire in re ſua, & illam alteri dare, & concedere.* Et ratio ipſa oſtendit: nam ſicut bonorum diviſio, jure gentium invecta, unumquemque rerum, quas poſſidet, legitimum conſtituit poſſeſſorem & dominum, non in ſolo foro exteriori, ſed & in conſcientia, & coram Deo; ita præſcriptio, quæ eodem fine, motivo, & cauſa cum ipſa diviſione bonorum invecta eſt, ideſt ad pacem, & tranquillitatem, ac commune bonum ſervandum, nedum ſecurum reddit poſſeſſorem, & dominum in exteriori foro, ſed & in foro conſcientiæ. Nec opponant, præſcriptionem adverſari naturali illi principio, *iniquum eſt aliquem cum alterius injuria, & detrimento fieri locupletiorem.* Nam ſicuti per bonorum diviſionem effectum eſt, ut alter evaſerit altero locupletior, quin tamen alicui ulla ſit injuria illata; ita expoſcente communi bono idem pariter per præſcriptionem conſurgit, ut alter altero evadat locupletior; licet per accidens ſequatur, ut alter detrimentum ſentiat: quia ita expoſcit & bonum commune, & publica tranquillitas; & punitur etiam illorum negligentia, & deſidia in rebus ſuis cuſtodiendis, ſervandiſque.

Conſectarium Secundum.

II. Prudens, & fundatum dubium ſuperveniens poſſeſſori, qui bona fide poſſeſſionem incepit, bonam fidem probabilius excludere non puto. Duo ſunt apud Theologos omnes certa. 1. Dubium, ipſum poſſeſſionis initium concomitans, cum bona fide ſociari non poſſe: nam bona fides poſtulat, ut nullo modo dubites te rem juſte acquirere; ſi enim dubitas c. ex. num ager in legato tibi relicto comprehendatur, illum occupare, & poſſidere non potes, niſi dubium juſte, & prudenter deponas; alioquin mala fide occupares, & poſſideres. Alterum. Dubium leve, & levioribus innixum fundamentis & conjecturis, cum ſcrupuli potius naturam induat, eſſe abjiciendum, & contemnendum; nec bonam fidem vel in ipſa poſſeſſione impedire, vel poſt ipſam corrumpere valere. Ideoque in mea propoſitione ſum de prudenti, fundatoque dubio locutus. Hocce bonam fidem non abrumpere docent plures, & quidem magni nominis, Theologi, cujuſmodi ſunt Bannez, Tapia, Laymanus, Gotti, Salmanticenſes, aliique ab ipſis citati, hac unica, ſed meo judicio efficaciſſima, freti ratione. Qui dubitat de legitima poſſeſſione, ſi ad expellendum dubium debitam adhibuerit diligentiam, nec veritatem clare compererit, non ſcit certo rem eſſe alienam. Porro ad bonam fidem ſat eſt, non certo ſcire rem alienam poſſideri, ut docet ipſemet S. Auguſtinus lib. *de Fide & operibus* ſcribens: *In jure prædicitur, tamdiu quiſque bonæ fidei poſſeſſor rectiſſime dicitur, quamdiu ſe poſſidere ignorat alienum; cum vero ſciverit, nec ab aliena poſſeſſione receſſerit, tunc malæ fidei poſſeſſor perhibetur, tunc injuſtus poſſeſſor vocabitur.* Et revera, inquiunt, ad quid ſtatuta eſt regula, ut *in pari delicto, vel cauſa melior ſit conditio poſſidentis?* Nonne ad animorum fluctuationem, & dubia, & quidem non ſcrupuloſa, nec imbecillia, ſed prudenti innixa ratione & fundamento, tollenda? Cum enim nullum adeſt dubium, ſed certo ſcio, rem me juſto titulo poſſidere, jam non ab ipſa poſſeſſione ſubſidium quærere indigeo, cum in ipſo titulo quietem, & ſecuritatem obtineam. Num, quia dubito de legitima poſſeſſione, ideo certo rem meam abjicere, & alteri dare cogor? Nemo hoc dixerit. Jure igitur poſſeſſionem meam proſequi potero, & in ea conquieſcere. Non acquieſcit tamen Concina, qui putat, tali dubio ita bonam fidem abrumpi, ut poſſeſſor rem totam ſibi jam retinere non poſſit, ſed pro rata dubii ſit dividenda; ita tamen ut ratio ipſa poſſeſſionis in diviſione habeatur, & major ſemper pars ſit poſſeſſori adjudicanda, ratione poſſeſſionis. Nititur ille argumento a pari deſumpto ex jure canonico in contractu matrimonii, ubi Pontifex Cap. Inquiſ. de ſent. excom. ſtatuit 1. Si mulier certo ſcit, jam celebratum matrimonium nullum eſſe ex aliquo impedimento dirimente, quod probare non poſſit, nec petere, nec reddere valet debitum; ſed debet potius patienter ſententiam excommunicationis ſuſtinere. 2. Si mulier dubitet de validitate matrimonii ex levi credulitate & temeraria, debet conſilio ſui Paſtoris dubium deponere. 3. Si vero dubium ex conſcientia procedat *probabili & diſcreta*, quamvis non evidente, & manifeſta, tunc inquit Pontifex, *debitum quidem reddere*

dere, ſed poſtulare non debet, ne in alterutro contra legem conjugii, vel contra judicium conſcientiæ committat offenſam. Hac itaque relata Pontificis deciſione ſubdit Concina: *Ut vides, quando dubium diſcretum & probabile eſt, ſeu grave & prudens, nequit conjux dubitans petere, ſed tantum reddere. Idem ergo de poſſeſſore dubitante.* At, niſi mea me fallit opinio, patens mihi apparet diſcrimen in contractu matrimonii a ceteris contractibus de rebus humanis. Nam matrimonium juris eſt naturalis & divini, quod ſemel invalidum, nulla lege humana, nullo tractu temporis, nulla bona fide convalidari poteſt. At e contra ceteri contractus, cum ſint juris tantum gentium, & legibus civilibus regantur, tractu temporis aliquibus titulis convalidantur; licet fortaſſis in principio infirmi fuerint. Hi autem tituli ſunt Præſcriptio, ut ipſe fatetur Concina, & poſſeſſio, quæ & ab eodem inter modos dominii acquirendi connumeratur: quæ poſſeſſio id efficit, ut qui poſſident, certa ſua poſſeſſione ſpoliari nequeant ſolo ſuperveniente etiam prudenti dubio. Sicut igitur nullus juſtus judex poſſet poſſidentem re ſua certo ſpoliare ob emergens dubium; ita nec qui poſſidet, tenetur ſe certo ſua re ſpoliare ob conſurgens dubium; niſi enim in prudenti dubio ſuffragetur poſſidenti juris regula, *melior eſt conditio poſſidentis*, inepta omnino erit, & nunquam locum obtinebit: nam quando titulus acquiſitionis eſt certus, non eſt neceſſaria poſſeſſio ad inducendum dominium legitimum; & quando dubium eſt leve, & effectus temerariæ credulitatis, eſt, ut docet Pontifex, explodendum. Supereſt igitur, ut poſſeſſori ſolum auxilietur Regula juris, quando dubium prudens emergit de juſtitia tituli, cum bona tamen fide conjunctum. Quod & ipſe Concina fateri cogitur, ſcribit enim n. 27. „ Si rationum momenta „ æqualia forent, & inſuper poſſeſſor pro ſe poſ„ ſeſſionem habet, ita ut ex gravioribus funda„ mentis elicere poſſit judicium, quo probabi„ lius definiret, rem ad ſe pertinere; tunc depo„ nendum dubium eſt, & tranquilla conſcientia „ res poſſidenda foret “. At unde poſſeſſor valeret illa *graviora fundamenta* extundere, ex quibus probabilius definiret rem ad ſe pertinere, quando *rationum momenta ſunt æqualia?* Profecto non video, niſi ex ipſa poſſeſſione. Hoc igitur vel fatetur Concina, vel ſecum pugnat, & una, eademque periodo plane contradictoria pronuntiat, & vult graviora reperiri fundamenta, ubi rationum momenta ſunt æqualia. Quamobrem ipſi dicenti, *Si non obſtante poſſeſſionis titulo adhuc mens anceps, & dubia ex gravibus fundamentis eſt, non video, qua ratione deponere dubitationem valeat*, reſpondeo ratione poſſeſſionis, cui favent in prudenti dubio leges, & jura. Et a me hæc dicta ſunt, non ut tanto viro de Chriſtiana Theologia optime merito, quem ſummopere amavi, ſuſpexi, veneratus ſum, & cujus etiam laudes celebravi, contradicam; ſed ut rem ſapientioribus expendendam exhibeam, ut quod magis ipſis coram Deo rectum videbitur, judicent, & amplectantur, & me fortaſſis errantem corrigant &. emendent. Illud tamen pro certo habendum eſt, hujuſmodi poſſeſſorem de juſtitia tituli dubitantem, teneri, quantum poteſt, veritatem inquirere, & manente dubio ſemper habere animum paratum ad rem reddendam illi, ad quem certo detexerit pertinere, niſi Præſcriptionis beneficio plenum ſit conſecutus dominium. Nullum citat P. Concina pro ſua ſententia doctorem. At non deſunt, qui cum ipſo ſentiant, inter quos Turnelius, Sotus, Habert, Cuniliati hiſce argumentis, 1. Ad bonam fidem requiritur, ut quis quiete, & tranquille rem ſuam poſſideat: quod certe non habetur in illo, qui prudenter dubitat de legitima poſſeſſione. 2. Se exponit periculo peccandi, nimirum retinendi rem non ſuam. 3. Non ſatis explicatur, cur non liceat inchoare poſſeſſionem cum prudenti dubio, & tamen liceat in ea perſeverare. Verum & his reſponderi poteſt, 1. Tranquillitatem & quietem reperire poſſeſſorem dubitantem, non in directo titulo poſſeſſionis, de cujus legitimitate dubitat, ſed in ipſo principio reflexo poſſeſſionis, de qua & certus eſt, ac certo novit, ſibi leges omnes favere. Similiter ad 2. reſpondetur, periculum hocce amoveri a lege ipſa, quæ ſtatuit, poſſidentem in ſua poſſeſſione manutenendum; donec certo conſtet, rem eſſe alienam. Ad 3. ſatis explicavi, quia cum in initio poſſeſſionis nihil adſit, quod bonam fidem conſtituere poſſit, niſi titulus acquiſitionis rei; ſi de legitimitate, & honeſtate hujus tituli prudens ſuboriatur dubium, jam non ſolum locum non habet bona fides, ſed loco ejus mala fides ſubrepit: ut patet in illo, qui rem emit, quam prudenter ſuſpicatur furtivam eſſe: nam cum tali dubio emens non ſolum bona fide non poſſidet, ſed peſſima fide rem emere convincitur. At in poſſidente & jam præceſſit bona fides, nimirum prudens & fundata credulitas rem emptam eſſe legitimi venditoris; & ſubſequitur certa rei poſſeſſio, cui leges favent. Dubium itaque ſuperveniens priorem bonam fidem non auffert; & leges dubitantem in ſua poſſeſſione confirmant. Poterit igitur in poſſeſſione perſeverare, licet non potuiſſet eam inchoare.

Conſectarium Tertium.

III. Ignorantia facti, dummodo craſſa non ſit, & ſupina, præſcriptionem non impedit, ſecus vero ignorantia juris. Et quidem facti ignorantiam præſcriptioni non obeſſe manifeſtum eſt; cum ipſa præſcriptio in errore fundetur, illumque præſupponat: ſi enim nullus ſit error, nulla ignorantia ad rei poſſeſſionem legitimam, nulla eſt neceſſaria præſcriptio. Ignorantia autem facti habetur, quando quis putat verum eſſe dominum, qui rem vendit, vel donat; cum tamen ſit fur. Quod ſi hæc ignorantia ſit craſſa & ſupina, cum bona fide ad præſcriptionem neceſſaria ſociari non poteſt: immo comitem habeat malam fidem, oportet, cum facile potuerit, ſi voluiſſet, veritatem detegere; ut in eo contingit, qui vilitate pretii illectus rem pretioſam emit ab eo, quem facile furem eſſe agnoſcere poterat; & ignorare voluit, ne lucrum perderet. Ignorantia autem juris habetur, cum quis legem vetantem con-

contractum ignorat; ut cum quis neſcit pupillum non poſſe vendere ſine Tutoris conſenſu, vel filium-familias ſine licentia Patris: & hanc ignorantiam præſertim juris clari & manifeſti, etiam invincibilem, præſcriptionem impedire certum eſt; cum ita ipſæ leges, quæ præſcriptionis beneficium concedunt, hanc exceptionem apponant. Leges autem hæ ſunt. In ff. 22. tit. 6. lib. 4. *Juris ignorantia in uſucapione negatur prodeſſe, facti vero ignorantiam prodeſſe conſtat.* Et Lege *nunquam* ff. de uſucapione, *numquam in uſucapionibus, juris error poſſeſſoribus prodeſt.* Quamobrem improbabilis eſt habenda nonnullorum Theologorum opinio, eas leges valere in exteriori foro, non vero in foro conſcientiæ; & ſaltem excipiendos ruſticos, feminas, milites, cum in iſtis mala fides ex ignorantia juris præſumi non poſſit, præſertim ſi diligentiam adhibuerint in veritate inquirenda. Addunt, ſi leges fundi ex. g. præſcriptionem impediunt, fructuum tamen omnino non impediunt. Nam leges præſcriptionem ſtatuentes, utpote juſtæ, vel valent etiam in foro conſcientiæ, vel omnino non valent. Si non valent, quare eis vim tribuunt, dum præſcriptionem concedunt? Si vero valent, cur eas rejiciunt, dum eamdem impediunt? Si juſtæ, utique jam in conſcientia obligant, & dum favent, & dum obſunt, & dum limitant: & quando non diſtinguunt, nec nos diſtinctionem obtrudere debemus. Dum autem fundi præſcriptionem vetant, profecto & fructuum impediunt: qui enim dominus fundi eſſe non poteſt, nec licite fructus valet percipere, quando tota ratio fructus percipiendi in ſolo fundi nititur dominio, juſto titulo acquiſito.

Conſectarium Quartum.

IV. Sicut ad præſcriptionem prodeſt bona fides non ſolum poſſidentis, ſed & auctorum ejus; ita aliquando iſtorum mala fides legitimam impedit præſcriptionem. Prima pars eſt de ſe manifeſta: nam ſicut tempus requiſitum ad complendam præſcriptionem non ſolum ex poſſidentis uſucapione reſultat, ſed ex illa ſuorum majorum, adeo ut ſi ex utrorumque poſſeſſione tempus a legibus determinatum integretur, æque ſufficiat, ac ſi in ſolius hæredis poſſeſſione decurriſſet: ita etiam de bona fide dicendum, quæ incipit a primo poſſeſſore, & in poſteros tranſit. Quod ſi auctor mala fide poſſederit, hæres præſcribere non poteſt. 1. Quia ita leges ſtatuunt. Cod. de acquir. & retinen. poſſeſſion. indicitur: *Vitia poſſeſſionum a majoribus contracta perdurant, & ſucceſſorem auctoris ſui culpa comitatur.* Et jure meritoque, quia ut inquit Juſtin. lib. 2. Inſtit. de Uſucap. 8. de diverſis temp. præſcript. *Cum hæres in jus omne defuncti ſuccedit, ignoratione ſua defuncti vitia non excludit.* Quod tamen intelligendum eſt de hærede immediato & proximo; nam in hæredibus mediatis poteſt incipere poſſeſſio bonæ fidei, quæ locum præbeat præſcriptioni. Quod ſi res a poſſeſſore malæ fidei tranſeat ad alium, non titulo hæreditatis, ſed vel legati, vel donationis, & ſit cum bona acquirentis fide conjuncta, præſcriptioni locum relinquit inducendæ, etiam ordinario ſtatuto tempore; niſi forte res ſit furtiva, vel immobilis, vel per vim poſſeſſa; tunc enim tempus requiritur ad poſſidendum extraordinarium triginta annorum, vel immemorabile. Quod ſi quis legatum, vel donationem accipiat ab eo, quem deprehendit omnia ſua bona mala fide poſſediſſe, puta quia ex uſuris, illicitiſque contractibus parta; legatarius, vel donatarius rem legatam, vel donatam nec retinere, nec præſcribere poterit; ſed obſtringitur dominis reſtituere, vel, ſi bona perdurante fide conſumpſerit, illud reddere, in quo factus eſt ditior.

Conſectarium Quintum.

V. Non res omnes præſcriptioni ſubſunt, & aliquibus perſonis conceſſum eſt, ne adverſus ipſas locum habeat præſcriptio; quæ etiam certo tempore intercipitur. Primum quidem ſtatuunt leges, quæ 1. bona communia, quæ jure gentium nullius ſunt quoad proprietatem, ſiunt autem occupantis quoad ſolum uſum, ceſſante occupatione & uſu, ad priſtinam redire formam jubent; ut contingit in uſu Platearum, Fori, Pontium, viæ publicæ, & ſimilium, quæ quidem ad uſum aliquibus conceduntur: at præſcribi quoad proprietatem nunquam poſſunt. 2. Supremæ juriſdictiones nullo unquam tempore præſcribuntur: ordinariæ autem juriſdictiones, & merum mixtumque imperium quadraginta annorum uſucapionem ad præſcriptionem requirunt; ſicut & Vectigalia, Tributa, functiones publicæ Principi debitæ præſcriptioni non ſubjacent. 3. Res immobiles quoque ad divinum cultum deſtinatæ, ut Templa, Cœmeteria, Oratoria, & ſimilia non præſcribuntur; bona tamen immobilia, ut ſuperius diximus, ſicut alienari, ita & præſcribi poſſunt. 4. Libertas hominum obnoxia non eſt præſcriptioni; ſemper enim homo liber ſupponitur, niſi de ſervitutis titulo certo conſtet: ipſe tamen ſervus a domino fugiens non præſcribit adverſus dominum; cum ſemper ſit in mala fide furti ſui ipſius. Sunt & alia excepta, penes Juriſtas legenda. Poſt legitimam præſcriptionem aliquibus perſonis conceditur a legibus beneficium reſtitutionis in integrum. Sicut enim jure gentium, & civilibus legibus conſtitutum eſt præſcriptionem valere ob bonum publicum, ne dominia incerta manerent; ita iiſdem legibus conſtitutum eſt, illam locum non habere adverſus perſonas, quas privilegio munire congruum exiſtimarunt. Hoc autem privilegio donantur minores integro quadriennio poſt 25. annum completum, quo elapſo nulla eis conceditur actio contra præſcribentes. Quod privilegium per quadriennium extendunt plurimi Auctores ad Eccleſias, & pia loca, quibus non minus, quam minoribus, voluiſſe legiſlatores favere, conſentaneum cenſuere. Immo etiam majoribus in aliquo caſu conceditur, quando juſtæ adſunt cauſæ, dummodo probent præſcriptionem omnino ſine ſua negligentia, vel cum ſua probabili ignorantia inductam; & præſcriptio ſit ordinaria decem, vel viginti annorum, non vero extraordinaria annorum triginta,

ta, & ſupra. Cauſæ autem ſunt ſi tempore præſcriptionis in captivitatem abducti fuerint, & in illa detenti; ſi ob Principis, vel Reipublicæ ſervitium abſuerint; ſi invincibiliter ignoraverint rem ſuam ab alio poſſideri; hoc tamen privilegium quoque ultra quadriennium poſt ſublata impedimenta non protenditur. Quieſcit vero, ſive (ut juriſtæ loquuntur) dormit aliquando uſucapio, aliquando interrumpitur. Quieſcit, quando inchoata currere deſinit; ita tamen ut ceſſante cauſa, ob quam quieſcit, denuo ſuum proſequatur curſum, & poſteriores anni cum prioribus numerentur, iis exceptis, quibus quievit. Interrumpitur vero, quando aliqua deficit ex neceſſariis conditionibus, nimirum vel titulus, vel bona fides, vel poſſeſſio. Hinc ſi poſſeſſor, a rei poſſeſſione etiam per vim deturbatus, intra annum non poſtulet reſtitui, interrumpitur præſcriptio; ſicut & interrumpitur litis conteſtatione, quam tamen ſi actor non proſequatur, non interrumpitur uſucapio: nam qui litem ſponte deſerit, ejus injuſtitiam agnoviſſe cenſendus eſt. Quieſcit vero 1. tempore belli, vel peſtis, quando jus non dicitur. 2. Quando is, contra quem præſcribitur, jus ſuum tueri non poteſt, ut pupillus, vel minor tempore minoritatis, abſens ob publica negotia; captus ab hoſtibus, & in ſervitute detentus: quare pia legata præſcribi non poſſunt, cum defuncti, velut in captivitate detenti, ſe contra præſcribentes tueri non poſſint.

Conſectarium Sextum.

De Negotiatione.

VI. Peccant, & quidem lethaliter, mercatores contra juſtitiam, ſi fraudibus, dolis, mendaciis impediant, ne ad civitatem, & loca merces adferantur, ut ipſi ſuas carius vendant. Hoc enim cedit in detrimentum non ſolum civium, ſed & aliorum mercatorum, quos ſuo honeſto lucro privant. Quamobrem & civibus ob damnum illatum, & mercatoribus ob lucrum impeditum injuſte reſtituere tenentur juxta exiſtimationem prudentem utriuſque domini. Similiter peccant, & quidem graviſſime, qui frumenta cujuſcumque generis, vina, & alia ad victum communem neceſſaria emunt, quando vilius venduntur, puta tempore meſſis, vel vindemiæ, & quidem in majori qua poſſunt quantitate, ut poſtea carius vendant. Injuriam ſiquidem irrogant publicæ Civium communitati; hoc enim pacto ceteros impediunt, ne opportune ſibi provideant, pretium rerum creſcere faciunt, & in ipſa abundantia caritatem inducunt; ut notat etiam D. Thom. in IV. diſt. 16. q. 4. art. 2. q. 3. in corp. Quapropter pretium, quo poſtea ipſi res vendunt, non juſtum eſt, ſed iniquum; cum juſtum pretium, quo res væniiſſent, impediverint. Hinc optime notant Salmanticenſes, teneri hujuſmodi mercatores ceteris emptoribus, & Reipublicæ damnum reſtituere. Leges etiam in omni bene inſtituta Republica hujuſmodi pravas negotiationes ſeveriſſime prohibent. Ita ſentiunt Bannezius, Soto, laudati Salmanticenſes, repugnantibus tamen Molina, Leſſio, Diana, aliiſque benignioribus Caſuiſtis, & Theologis.

Conſectarium Septimum.

VII. Legibus contra Clericos negotiatores latis, ſicut & pœnis in illos interminatis ſubjiciuntur non ſolum Clerici beneficiati, vel in ſacris Ordinibus conſtituti, ſed etiam Clerici non beneficiati, & ſolis minoribus ordinibus inſigniti. Non deſunt Theologi, qui huic adverſantur veritati, inter quos præſertim Belletus Diſp. Cler. P. 1. §. 21. n. 18. qui abſolute pronunciat: „ Canones „ prohibentes Clericis negotiationem eſſe intelli- „ gendos de Clericis in ſacris conſtitutis, & be- „ neficiatis, non autem initiatis prima tonſura, „ ſive conſtitutis in minoribus Ordinibus ". Verum perperam, & ſine fundamento. Nam 1. Canones, Concilia, Pontifices nullam diſtinctionem, & differentiam ponunt, ſed ita loquuntur, ut omnes cujuſcumque Ordinis Clericos deſignent; quemadmodum videre eſt in verbis, & phraſibus, quibus utuntur: Clericos enim appellant, *qui in Clero numerantur*, *quicumque in Clero eſſe voluerint*, *qui annexi ſunt Clero*: *Eccleſiaſtici omnes*. *Neminem* (inquiunt), *ſive Epiſcopum*, *ſive Clericum*: *nullum deinceps Clericum*; addunt, *aut in quocumque gradu ſint poſiti*, *cujuſcumque gradus Clerici*, *Clerici omnes*, & ſimilia, quæ non ſolum nullam exceptionem indicant, ſed plene omnes Clericos amplectuntur. Quod ſi nonnullæ peculiares legantur leges, præſertim in beneficiatos, vel in ſacris conſtitutos; hæ tamen robur, & vim non tollunt aliis legibus, & Canonibus in omnes indiſcriminatim Clericos latis. 2. Nonne Clerici, etiam prima Tonſura, aut in minoribus Ordinibus conſtituti profitentur ſe Deo militare? Non debent igitur ſe implicare negotiis ſecularibus. Præterea laudati Clerici beneficiis, & prærogativis gaudent Clericali ſtatui adnexis: debent igitur & legibus ſui ſtatus ſubjacere, & onera ſentire. Ita docet S. Antonin. P. 2. tit. 1. cap. 16. quem ſequitur Concina.

Conſectarium Octavum.

VIII. Pœnæ Eccleſiaſticæ, in Clericos negotiatores inflictæ, non ſunt latæ, ſed ferendæ ſententiæ, exceptis illis, quæ continentur in Bullis Urbani VIII. & Clem. IX. Prima pars Conſectarii manifeſta eſt; Nam Canones, Concilia, & Pontifices iis verbis utuntur, quæ non latam ſententiam, ſed ferendam oſtendunt. Canones enim dicunt: *Correctioni Eccleſiaſticæ ſubjaceant*: *a Clericalibus officiis abſtinere cogatur*: *privetur officio Clericorum*: *cohibeatur a Clero*, & ſimilia. Concilium Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. ſtatuit: *Iiſdem pœnis vel majoribus*, *arbitrio Ordinarii imponendis puniatur*. At in Bullis Urbani VIII. & Clem. IX. in quibus negotiatio ſpeciatim interdicitur Clericis, miſſionis gratia ad Provincias Indiarum Orientalium, & Occidentalium miſſis, vel ibi degentibus, pœnæ graviſſimæ excommunicationis, privationis vocis activæ, & paſſivæ, officiorum, dignitatum, & graduum quorumcumque, & inha-

habilitatis ad illa, ſunt non ferendæ, ſed latæ ſententiæ, ut expreſſe indicant præfatæ Bullæ, quæ ſic loquuntur; *ſub excommunicatione latæ ſententiæ, ac privatione vocis activæ ac paſſivæ, & officiorum, dignitatum, ac graduum... & inhabilitatis ad illa... diſtricte prohibemus, ne mercaturis, & negotiationibus.... quovis prætextu, titulo, colore, ingenio... etiam ſemel, per ſe, mediantibus miniſtris, ſeu aliis, directe, vel indirecte... ſe ingerant, vel immiſceant.* Nemo tamen ex his Pontificiis Conſtitutionibus inferat, licere aliis Eccleſiaſticis, & Clericis in illis regionibus, non cauſa miſſionis degentibus, vel ad eas miſſis, negotiationem, & mercaturam exercere. Nam decretum vetans negotiationem omnes Eccleſiaſticos complectitur, & quoad culpam afficit: ſed ſolum pœnæ latæ ſententiæ in Miſſionarios ſunt inflictæ.

Conſectarium Nonum.

IX. Clericis, & Religioſis nec per alios negotiari licet. Diana, Salmanticenſes, aliique Theologi Clericos, & Religioſos negotiantes per alios ſaltem a lethali culpa immunes eſſe docent. Alii vero diſtinguunt: ſi per alium negotiatio ita fiat, ut is, per quem negotiatio exercetur, ſit ſolum miniſter, qui, præter juſtam ſuorum laborum mercedem, nihil ex ipſa negotiatione lucri percipiat; & hoc pacto negotiari per alium abſolute vetitum Clericis cenſent, ac ſi per ſe ipſos negotiarentur. Si vero ita, ut ambæ partes ſocietatem inſtituant, in qua altera pars pecuniam, altera labores, vel ambo partem pecuniæ ponant ad dividendum lucrum; & hoc pacto negotiantes Clericos a culpa lethali excuſant, quia putant cauſas abeſſe, propter quas eſt mercatura Clericis interdicta. Verum utramque negotiationem vetitam pari pacto oſtendunt & Canones, & Concilia. Nam ut habetur in Regula juris in 6. ord. 67. *Quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit*. Quæ Regula, licet non in omni rerum genere locum habeat, ſemper tamen obtinet in maleficiis, ut ibidem ait Gloſſa dicens, nota quod *hæc regula vera eſt in maleficiis*. Concil. Colon. anni 1260. indicit: „ Cum negotiatio in Clerico, „ & uſura in Laico quaſi unius generis eſſe „ cenſeantur; ita præcipimus, quod ceſſent de „ cetero a talis peccati malitia ". Ut ergo Laicis nec ſuo, nec alieno nomine exercere fœnus licet; ita nec Clericis per ſe, aut per alios negotiari. Sed hoc clarius indicunt Concilia: Aurelian. III. can. 2. decernitur. „ Ne Clericus in „ exercendis negotiis... turpi lucri cupiditate ver„ ſetur, aut *ſub alieno nomine*, interdicta negotia „ audeat exercere ". Et Synodus Farfenſis cap. 21. „ Quia Deo militantes nec lucrum ſectari, „ nec negotiis ſecularibus implicari decet, id„ eo nullum mercaturæ, aut negotiationis genus „ per ſe, *vel per alium* exerceant ". Hoc idem repetunt & Summi pontifices, præſertim laudati Urb. VIII. & Clem. IX. in ſuis Bullis; & poſtremo omnem ademit contrariæ ſententiæ probabilitatem Benedict. XIV. laud. Bulla *Apoſtolicæ ſervitutis*, in qua declaravit, non ſolum inter negotiatores Clericos illos computandos, & pœnis ſubjectos, *qui per alios, aut alieno nomine, etiam per ſuos cohæredes, ac ſocios negotium exercent*; ſed & ad illos extendit, qui *negotia exercent a Laicis inchoata, deinde ad Clericos devoluta, ſive hæreditario jure, ſive quocumque alio titulo, ſive ſingulariter, ſive communiter, ſive ſeparatim, ſive conjunctim cum aliis bonis, cohæredibus, vel ſociis laicis exiſtentibus*. Integra legatur Bulla ſapientiſſimi Pontificis. Falſum autem eſt in negotiationibus per ſocios habitis ceſſare cauſas, ob quas mercatura eſt Clericis interdicta. Nam prima & præcipua cauſa eſt lucrum, quod inde quæritur, ut aperte docet S. Thom. l. l. Porro Clericus in ea ſocietate profecto nonniſi lucrum quærit; ſi enim nihil lucri ſperaret, nec ſocietatem, nec negotiationem iniret. Altera cauſa eſt, quia negotiatio nimis animum curis terrenis implicat: at dum Clerici per alios negotiantur, licet non omnes ſubeant curas & ſollicitudines, quas experiuntur qui per ſe negotiantur, adhuc tamen anxii ſint, oportet, ut ſocietas bene adminiſtretur, ut lucrum juſte dividatur, ut in iis rebus inſumatur pecunia, in quibus majus lucrum ſperari poteſt; proinde a divinis revocantur.

Conſectarium Decimum.

X. Peccant lethaliter Clerici, vel Religioſi, qui etiam ſemel, vel bis negotiationem exercent, ſi negotiatio ſit magni momenti, non vero levioris lucri. Huic conſectario adverſantur quamplures Canoniſtæ, & Theologi, hac tamen unica freti ratione, quia jura loquuntur de Clerico exercente negotiationem, ſive inſiſtente negotiationi, qua victus comparatur; quod non verificatur, ſi uno, vel altero actu negotietur; ſicut ſcribunt Salmanticenſes tract. 16. cap. 2. punct. 4. n. 38. At alii etiam benigniores Theologi, inter quos Palaus profecto mitiſſimus Caſuiſta tra. 16. diſp. 4. punct. 13. §. 3. aliique ab ipſo citati, quibus adhæreo, oppoſitum plane docent. Et quidem loquor de negotiatione, non ob neceſſitatem, ſed lucri gratia, quam & ſemel exercere ſub gravi interdictam Clericis oſtendo. Primo auctoritate Sum. Pont. Urbani VIII. & Clem. IX. qui & ſemel negotiari interdixere Clericis Miſſionariis in Indiis Orientalibus, & Occidentalibus ſub pœna latæ excommunicationis. Porro ſi ſemel negotiari lethale peccatum non foret, quo pacto illud tam atroci pœna puniviſſent? Nec dicant eſſe novum jus, novumque præceptum pro iis Religioſis, in illis locis degentibus. Nam non quid novi ſtatuunt laudati Pontifices, ſed mere declarant, quouſque ſe extendat interdictum, & prohibitio Clericis a Canonibus facta, qua a negotiatione illos arcent. Non enim ideo illis Religioſis malum eſt vel ſemel negotiari, quia id vetuere Pontifices; ſed hi ideo vetuere, quia jam perpetua Eccleſiæ diſciplina interdicta eſt Clericis negotiatio, & eodem modo vetita in hac, ac illa Regione.

Nam ſi in aliquo loco negotiari non licet, nec ullibi licet: eadem enim eſſe debet negotiationis ubicumque vetitæ conditio. 2. Non ſatis firma eſt adverſariorum ratio, qua dicunt negotiationem denotare exercitium, & frequentiam actuum. Nam licet hoc pacto ſumatur negotiatio in jure civili; non ita tamen ſumitur in jure canonico, & Conciliis, qui negotiationis nomine non aliud intelligunt, niſi lucrum mercium venditione acquiſitum, quod Clericis vetitum volunt. Quamobrem non ſemper vocabulo negotiationis uſi ſunt, ſed aliquando meræ negotiationis actus deſignarunt, puta modo prohibendo in particulari, *ne lites eruant*, modo *ne poſſeſſiones conducant*, modo *ne emant vilius & vendant carius*. Fruſtra igitur præſidium quærunt in verbo & nomine; cum ipſa res, ſive actio prohibeatur. Dixi tamen, ſi negotiatio ſit magni momenti; ſi enim ſit levis materia negotiationis, & tenue lucrum inde quæſitum; ſicut juxta communem hominum exiſtimationem negotiatio non haberetur, ita nec grave peccatum conſtitueret. Sed ſi quæras, quantam eſſe oporteat negotiationem, quantum lucrum ad peccatum lethale; fateor me nec poſſe, nec audere ſtatuere; ſed definiendum ex circumſtantiis, cauſis, rebus emptis, & aliis in particulari, a perito ſacramenti miniſtro expendendis.

Conſectarium Undecimum.

XI. Vetitum non eſt, nec illicitum Clericis, & Religioſis fructus ſuorum ſive prædiorum, ſive beneficiorum, etiam in melius mutatos, vel vendere, vel locare ad uberiorem utilitatem, & majus lucrum capiendum. Patet hujus conſectarii veritas, nam in hoc agendi modo nulla intervenit negotiatio proprie dicta, quæ in eo ſita eſt, ut aliquid vilius ematur, & carius vendatur: nulla autem hic habetur emptio. Præterea vetitum non eſt, nec illicitum honeſtas utilitates ex rebus ſuis percipere. 1. Itaque licet Clericis terras patrimoniales, & beneficiales per laicos colere, & meliorare. 2. Pro neceſſario culturæ uſu emere boves, & alia animalia, & fœtus, ac fructus illorum vendere. 3. Clerici, ſi pauperes ſunt, poſſunt etiam, non laicorum, ſed Eccleſiæ terras conducere. 4. Animalia etiam, quæ habent vel ex ſucceſſione, vel ex decimis, locare, ſaginare, ac vendere. 5. Ex uvis vinum, ex olivis oleum conficere, & illa vel minutim, vel in majori quantitate vendere. 6. Emere etiam animalia in propriis pratis, agris, ſylvis nutrienda, ut deinde aucta, & ſaginata vendant; hoc eſt enim fructus ſuos vendere. 7. Si fodinas habeant, eas manibus ſervorum excavare poſſunt, ut metalla, vel lapides vendant: hos tamen fundos emere non eis licet; ſicut & molas vel triticeas, vel olearias habere, & locare, at emere & conducere non licet. 8. Foliis propriorum arborum bombyces alere ad folliculos vendendos, vel etiam ex illis ſericum conficiendum. 9. Tabernas etiam habere, in quibus fructus ex propriis collecti fundis venundentur, & his ſimilia. Quod tamen ſemper ita eſt intelligendum, ut non fiat lucri gratia, ſed ob ſolam ſui, ſuæque familiæ ſuſtentationem.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Dum Clericis, & Laicis conceſſum, & licitum eſt opificia, ſeu artefacta elaborare, id ſemper intelligitur, ut non lucri, ſed alterius honeſti finis gratia illa adhibeant. Noſtri Conſectarii veritatem & docet, & evincit Angel. Præc. 2. 2. q. 187. art. 3. ubi laborem manualem ad quatuor ordinari ſcribit, in quibus lucrum minime recenſet, inquit enim: „ Labor manualis ad „ quatuor ordinatur. Primo quidem & princi„ paliter ad victum quærendum: unde primo ho„ mini dictum eſt Geneſ. 3. 19. *In ſudore vultus* „ *tui veſceris pane tuo*: Et in Pſalm. 127. 2. *La-* „ *bores manuum tuarum quia manducabis &c.* Se„ cundo ordinatur ad tollendum otium, ex quo „ multa mala oriuntur: unde dicitur Eccli. 33. „ 28. *Mitte* (ſervum tuum) *in operationem, ne* „ *vacet: multam enim malitiam docuit otioſitas*. „ Tertio ordinatur ad concupiſcentiæ refrænatio„ nem, inquantum per hoc maceratur corpus: „ unde 2. ad Corinth. 6. 5. dicitur: *In labori-* „ *bus, in jejuniis, in vigiliis, in caſtitate.* Quar„ to autem ordinatur ad eleemoſynas faciendas: „ unde dicitur ad Epheſ. 4. 28. *Qui furatur,* „ *jam non furetur*; *magis autem laboret operando* „ *manibus ſuis, quod bonum eſt, ut habeat, unde* „ *tribuat neceſſitatem patienti* “. Hinc paulo poſt, quid ſit opificium deſcribens, ab eo lucri intentionem ſemper excludit, ſcribens: „ Sciendum tamen, quod ſub opere manuali intelli„ guntur omnia humana officia, ex quibus ho„ mines licite victum lucrantur, ſive manibus, „ ſive pedibus, ſive lingua fiant. Vigiles enim, „ & curſores, & alii hujuſmodi de ſuo labore vi„ ventes, intelliguntur de operibus manuum vi„ vere. Quia enim manus eſt organum organo„ rum, per opus manuum omnis operatio intel„ ligitur, de qua aliquis *victum licite poteſt lu-* „ *crari* “. Eamdem doctrinam luculentius confirmat l. l. q. 77. a. 4. ad 3. dicens: „ Clerici „ non ſolum debent abſtinere ab his, quæ ſunt „ ſecundum ſe mala; ſed etiam ab his, quæ ha„ bent ſpeciem mali. Quod quidem in negotia„ tione contingit: tum propter hoc quod eſt or„ dinata ad lucrum terrenum, cujus Clerici de„ bent eſſe contemptores .... Licet tamen Cle„ ricis uti prima commutationis ſpecie, quæ or„ dinatur ad neceſſitatem vitæ, emendo, vel ven„ dendo “. Quænam autem ſint hujuſmodi opificia Clericis, & Regularibus licita, & conceſſa, diſertiſſime deſcribit S. Hieronymus epiſt. 4. ad Ruſticum Monachum dicens: „ Vel fiſcellam te„ xe junco, vel caniſtrum lentis plecte vimini„ bus: ſarriatur humus: areolæ æquo limite di„ vidantur, in quibus cum olerum jacta fuerint „ ſemina, vel plantæ per ordinem diſpoſitæ, a„ quæ ducantur irriguæ, ut pulcherrimorum ver„ ſuum ſpectator aſſiſtas. Ecce ſupercilio clivoſi „ tramitis undam elicit, illa cadens raucum per „ levia murmur ſaxa ciet, ſcatebriſque arentia „ temperat arva. Inſerantur infructuoſæ arbores,

„ vel

„ vel gemmis, vel ſurculis, ut parvo poſt tem- „ pore laboris tui dulcia poma decerpas. Apum „ fabricare alvearia . . . . Texantur & lina capien- „ dis piſcibus : ſcribantur libri “ : His addit S. Raymund. lib. 2. ſum. tit. de negot. ſec. §. 1. „ Tabulis facere ſuinium . . . pullum educere, & „ opera melioratum vendere “. Addit S. Antonin. P. 2. tit. 1. cap. 16. „ Emere ferrum rude, „ & inde facere ligonem “. His accedunt artificium texendi telas, veſtimenta conſuendi, ædificandi, pingendi, ſculpendi, æs cudendi, & quæcumque ars fabrilis ſive in materia lignea, ſive ferrea, ſive argentea, ſive terrea ; ſicut & ex vino ſpiritum exprimere, & quoſcumque ſpiritus ex quocumque corpore per diſtillationem ad honeſtos tamen uſus extrahere, pharmaca conficere (non tamen aromatariam officinam tenere, de qua in ſequenti corollario) typographiæ præeſſe, ut libri emendati, & optimis impreſſi typis prodeant, & alias denique artes, & opificia honeſta, & utilia exercere.

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Sunt tamen nonnullæ artes, & opificia merito Clericis, & Religioſis ab Eccleſia vetita. Et primo in Jure Can. cap. *Per latum* diſt. 88. quæcumque ars eſt vetita, quæ Clericum, vel Monachum *vilem reddit, & reverentiam Sacerdotalem* anihilat. 2. Ars medica, præſertim vero chirurgia cap. ne Clerici vel Monachi 3. & 9. & cap. 19. de homic. Alchimiam interdixit Joan. XXII. omnibus, ſed præſertim Clericis. 3. Arma conſtruere, teſſeras, & alia inſtrumenta ludorum conficere, nec non culinariam artem exercere vetatur Cap. de Vita & honeſt. Cleric. cap. 25. Sicut & inſtrumenta pulſare, & canere in locis prophanis, vel alio modo miniſtrare, & inſervire, ubi publica exhibentur ſpectacula eod. Cap. de honeſt. Cler. in 6. Macellarii, & Tabernarii officium per ſe exercere ; per alias autem tunc ſolum conceditur, quando ea tantum venduntur, quæ vel ex patrimonialibus bonis, vel ex reditibus beneficii, vel ex decimis, & oblationibus colliguntur, non autem ad hoc empta. 4. Cap. Clerici 1. *de poſtulando* ſtatuitur : „ Clerici in „ Subdiaconatu, & ſupra, & in Ordinibus quo- „ que Minoribus, ſi ſtipendiis Eccleſiaſticis ſu- „ ſtententur, coram ſeculari judice Advocati in „ negotiis ſecularibus fieri non præſumant, niſi „ propriam cauſam, vel Eccleſiæ fuerint proſe- „ cuti, aut pro miſerabilibus forte perſonis “. Et confirmat Cap. *Cum Sacerdotis ſit officium* 3. eod. tit. & ſolum addit, „ poſſe neceſſitate im- „ minente, & pro perſonis conjunctis “. 5. Prohibentur Clerici, præſertim Sacerdotes, ne inſerviant Laicis in officiis vilibus domus, & ne Matronis nobilibus ancillentur, ac obſequia præſtent, quæ a famulis ſolent exhiberi : quod & de mandato Summi Pontificis a Sacra Epiſcop. & Regul. Congregatione in memoriam eſt revocatum. 6. Aromatariam officinam pro ſuo, ſuorumque, & etiam pauperum uſu retinere, & habere, & etiam pharmaca conficere Clericis, & Religioſis libenter concedunt Canonici juris & Theologiæ Doctores : at etiam in uſum laicorum eis ad inſtar ceterorum ſecularium Aromatariorum vendere vetitum eſſe late probat, & evincit Jacobus Pignatellus Tom. 5. Conſult. 84. ubi ita cenſuiſſe, & declaraſſe teſtatur Sacram Congregationem Epiſcoporum & Regularium die 9. Jan. 1602. & iterum in Barchinonenſi 21. Novembris 1635. & 3. 29. Aug. an. 1637. Sacram Congregationem Apoſtolicæ Viſitationis Religioſis, & Clericis omnibus indixiſſe, „ ne imposterum ſi- „ ve Religionis nomine, ſive particulari præſu- „ mant per ſe, vel per alios exercere in ſuis „ Conventibus, vel alibi, in quocumque loco „ venalem artem, ſive Aromatariam, Piſtoriam, „ Lanificium, Textrinam, aut aliam quamlibet, „ præter quam pro ſuis Religioſorum, vel alu- „ mnorum uſibus, nec ullo modo ſecularibus, „ aut aliis Religioſis & Eccleſiaſticis pharmaca ... „ vendere etiam prætextu amicitiæ vel familiari- „ tatis “. Cum vero non deeſſent, qui putarent hocce decretum locum non habere extra urbem, late oſtendit laudatus Auctor id falſum eſſe, & ubique locorum obtinere, quia ſcribit : „ De- „ cretum non conſtituit novum jus, ſed declarat „ antiquum, interdicens Clericis, & Regularibus „ omnibus lucri cauſa negotiari. Declaratio au- „ tem juris . . . . quid ſit ſtatutum, oſtendit, „ quia ita ineſt diſpoſitioni declaratæ, ut ipſam „ relinquar in ſua natura “. Quod tamen puto non extendendum ad eos ſive Clericos, ſive Religioſos, qui haberent ſpeciale aliquod pharmacum communi ſaluti valde utile ; poſſunt enim illud vendere ob commune bonum, eo tamen ſolo percepto lucro, quod materiæ, & opificio juſte reſpondeat.

Conſectarium Decimumquartum.

XIV. Quando neceſſitas urget, nec Clerici, aut Religioſi habent, unde vivant, licet illis negotiari. Nam negotiatio non eſt inter illa connumeranda, quæ de ſe mala ſunt, ſed quæ ob finem honeſtum exercita permittuntur, ut egregie docet S. Thom. hic qu. 77. a. 4. l. l. dicens : „ Lucrum, quod eſt negotiationis finis, etſi in „ ſui ratione non importet aliquid honeſtum, „ vel neceſſarium ; nihil tamen importat in ſui „ ratione vitioſum, vel virtuti contrarium ; un- „ de nihil prohibet, lucrum ordinari ad aliquem „ finem neceſſarium, vel etiam honeſtum “. Quamobrem nihil vetat, quominus Clericis quoque permiſſa dicatur, quotieſcumque neceſſitate impelluntur, quæ legem non habet : nec canonica, & eccleſiaſtica præcepta cum tanto onere gravant. Ita docent & Canoniſtæ & Theologi. S. Raymundus lib. 1. tit. de Apoſt. §. 5. canones etiam allegans, ſic ſcribit : „ Caſus tamen in „ quibus Clerici poſſunt hujuſmodi negotia tra- „ ctare . . . . Quartus caſus eſt, Si Clericus indi- „ geat, tunc enim poteſt recipere poſſeſſiones ex- „ colendas ad firmam, ſive conducere diſt. 86. „ *pervenit* ver. *avaritiæ cauſa* diſt. 91. cap. 2. „ ver. *agricultura* “. Cum illo ſentit & S. Antoninus P. 3. tit. 13. cap. 2. „ Si propter neceſ- „ ſitatem victus, jam non eſt negotiatio proprie

„ dicta,

„ dicta, nec per conſequens prohibita ... Item „ ſecundum Guillelmum poteſt recipere poſſeſſiones excolendas ad quartam, vel quintam partem, ſeu conducere eas, & hoc ad ſuſtentationem ſuam, & ſuorum Inſtit. 86. cap. *Pervenit* „ in ver. *avaritiæ cauſa* ". Concordat Hoſtienſis. Ita quidem res ſpeculative inſpecta. At in praxi raro admodum, immo rariſſime tanta neceſſitas Religioſos premit, ut eos ob victum negotiari cogat, niſi avaritiæ ſtimulus accedat. Quod optime perpendens Clemens XI. Conſtit. 35. in qua Miſſionariis omnem vetat negotiationem, dicit: „ Et quia in præmiſſis, & circa ea delinquentes, ut plurimum *prætextu neceſſitatis* pro „ eorum Miſſionibus ſe excuſare præſumunt, excuſationes hujuſmodi eis, eorumque cuilibet „ nullo modo ſuffragari poſſe, vel debere decernimus, & declaramus ". Quamobrem oporteret, ut negotiari licite poſſent Clerici & Religioſi, eos non ſolum neceſſariis carere ad victum, ſed præterea nullam poſſe artem exercere, vel opificium, quo ſibi victum compararent: quandoquidem Sacri Canones non ſolum concedunt, ſed & imperant Clericis indigentibus, ut labore manuum, & opificio ſibi victui neceſſaria comparent; ita enim ſe geſſit Apoſtolus, qui labore manuum, non negotiatione ſibi miniſtravit neceſſaria, ut ſcribit 1. ad Theſſal. 2. *Memores enim eſtis, fratres, laboris noſtri, & fatigationis, nocte ac die laborantes, ne quem veſtrum gravaremus*. Et in 2. cap. 3. *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, ſed in labore, & fatigatione nocte, & die operantes, ne quem veſtrum gravaremus*. Sapienter itaque ſcribit S. Thom. 2. 2. q. 187. a. 3. „ Secundum quod labor manualis ordinatur ad „ victum quærendum, cadit ſub neceſſitate præcepti, prout eſt neceſſarius ad talem finem: „ quod enim ordinatur ad finem, a fine neceſſitatem habet, ut ſcilicet intantum ſit neceſſarium, inquantum finis ſine eo eſſe non poteſt. Et ideo qui non habet aliunde, unde vivere poſſit, tenetur manibus operari, cujuſcumque ſit conditionis. Et hoc ſignificant „ verba Apoſtoli dicentis: *Qui non vult operari*, „ *nec manducet*; quaſi diceret: Ea neceſſitate aliquis tenetur ad operandum manibus, qua tenetur ad manducandum. Unde ſi quis abſque „ manducatione poſſet vitam tranſigere, non teneretur manibus operari. Et eadem ratio eſt de „ illis, qui non habent alias, unde licite vivere „ poſſint. Non enim intelligitur aliquis poſſe „ facere, quod non licite facere poteſt ".

REFLEXIO.

Tria bonorum genera enumerat Auguſtinus lib. 2. de lib. arb. a D. O. M. conceſſa hominibus, magna ſcilicet, media, minima. Illa magna vocat bona, quibus recte vivitur, nimirum virtutes, quibus nemo male utitur. Media vero bona ſunt potentiæ animæ, ſine quibus recte vivere nemo poteſt. Minima denique, ſine quibus bene vivere poſſumus, cujuſmodi ſunt divitiæ, pulchritudo, fama, & honor mundanus. Sed proh hominum veſania, & ſtoliditas! Maxima bona, quæ facile adipiſci poſſumus, & quibus beati eſſe valemus, non quærimus, negligimus, aſpernamur. Media quoque eatenus quærimus, quatenus noſtris cupiditatibus, praviſque deſideriis arbitramur inſervire, & quibus proinde non bene utimur, ſed abutimur. Tota ſollicitudo in infimis, vilioribuſque bonis, nedum acquirendis, ſed cumulandis, augendiſque, divitiis, opibus, terrenis bonis ſollicite inhiamus, non attendentes Chriſti monitum, *nemo poteſt Deo ſervire, & mammonæ*. Nec Chriſtus vocabulo mammonæ iniquitatis eas ſolum deſignavit opes, & divitias quando inique, ſed etiam quando juſte videntur comparatæ. Quamobrem optime ſcribit S. Auguſt. ſer. 35. de Ver. Dom. cap. 4. „ Mammona „ iniquitatis divitiæ ſunt ſæculi omnes undecumque ſint. Undecumque enim congregentur, „ mammona iniquitatis eſt, ideſt divitiæ ſunt iniquitatis. Quid eſt divitiæ, ſunt iniquitatis? „ Pecunia eſt, quam nomine divitiarum appellat „ iniquitas. Si enim veras divitias quæris, aliæ „ ſunt. Talibus Job nudus abundabat, quando „ in Deum cor plenum habebat, & laudes Deo „ perditis omnibus rebus tamquam gemmas pretioſiſſimas proferebat. Ipſæ ſunt veræ divitiæ, „ iſtæ autem ab iniquitate appellantur divitiæ.

Nec ipſa bonorum diviſio ab iniquitate mammonæ divites liberat, niſi in proximum ſua bona derivent: non enim terrenum hominum dominium ſuo ſupremo in res omnes Deum ſpoliat dominio. Ipſe enim dixit, *meum eſt aurum, meum eſt argentum*: & ſi diviſionem hanc ſua ſapientia & permiſit, & probavit; profecto non niſi hac juſtiſſima æquitatis lege, ut qui plus habent, cum non habente dividant, & cum indigente diſpertiant. Audiatur D. Ambroſius ſerm. 8. in Pſalm. 118 „ Miſericordia juſtitiæ portio „ eſt, ut, ſi velis donare pauperibus, hæc miſericordia juſtitiæ ſit, ſecundum illud: *diſperſit*, „ *dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in æternum*; deinde quia conformis tuus injuſtum eſt „ ut non adjuvetur a ſocio, cum præſertim Dominus noſter terram hanc poſſeſſionem omnium „ hominum voluerit eſſe communem, & fructus „ omnibus miniſtrare; ſed avaritia poſſeſſionum „ jura diſtribuit. Juſtum eſt igitur, ut ſi aliquid „ tibi privatim vendicas, quod generi humano, „ immo omnibus animantibus in commune collocatum eſt, ſaltem aliquid inde pauperibus aſpergas, ut quibus juris tui conſortium debes, „ his alimenta non neges ". Quod magis urget D. Auguſt. argumento ex Dei dominio deſumpto, ſcribens Serm. 15. de diver. cap. 1. „ Propterea „ dixit apud Aggæum: *Meum eſt aurum, meum* „ *eſt argentum*, ut ille, qui non vult cum indigentibus communicare, quod habet, cum audit „ præcepta faciendæ miſericordiæ, intelligat Deum „ non de re illius, cui jubet, ſed de re ſua jubere donari; & ille, qui aliquid porrigit pauperi, non ſe arbitretur de ſuo facere, ne forte „ non tam confirmetur miſericordiæ nomine, quam „ inſletur ſuperbiæ vanitate, *meum eſt*, inquit, *aurum, meum eſt argentum*, non veſtrum, o divites „ terræ. Quid ergo dubitatis dare pauperi de meo? „ aut quid extollimini, cum datis de meo?

Nec mitius de illis loquuntur Patres, qui aviditate nimia mercimoniis, negotiationibus, commerciis divitias congregare non ceſſant. Licet enim abſolute omne commercium, omnemque negotiationem tamquam in ſe malam non rejiciant; ita tamen prædicant periculoſam, & vel ab avaritia proficiſcentem, vel cum illa conjunctam, ut vix, ac ne vix quidem ſine æternæ ſalutis diſcrimine a chriſtianis exerceri poſſe pleno ore vociferentur. Sic itaque clamat Auctor Oper. Imperf. apud S. Jo. Chryſoſt. hom. 38. in Matthæum. „ Ejiciebat (Chriſtus) vendentes, „ & ementes de Templo, ſignificans, quia homo mercator vix, aut unquam poteſt Deo placere. Et ideo nullus Chriſtianus debet eſſe „ mercator; aut ſi voluerit eſſe, projiciatur de „ Eccleſia Dei, dicente Propheta, *Quia non cognovi negotiationes, introibo in potentias Domini*. Quemadmodum enim qui ambulat inter duos „ inimicos, ambobus placere volens, & ſe commendare, ſine maliloquio non poteſt eſſe; neceſſe eſt enim ut & iſte male loquatur de illo, „ & ille male loquatur de iſto: ſic qui emit, „ & vendit, ſine mendacio, & perjurio eſſe non „ poteſt; neceſſe eſt enim, ut negotiatoribus hic „ juret, quia non tantum valet res, quantum „ comparat eam; & ille juret, quia plus valet, „ quam vendit ... Qui autem comparat rem, „ ut illam ipſam integram immutatamque dando „ lucretur, ille eſt mercator, qui de templo Dei „ ejicitur: Unde ſuper omnes mercatores plus „ maledictus eſt uſurarius. Si enim qui rem „ comparatam vendit, mercator eſt, & maledictus: quanto magis maledictus erit, qui non „ comparatam pecuniam, ſed a Deo donatam ſibi dat ad uſuram "? Eadem pericula exhibet S. Auguſtinus, modumque ſuggerit ea vitandi, ſcribens in Pſalm. 70. „ Aviditate neſcio qua acquirendi, o negotiator, quando damnum paſſus „ fueris, blaſphemas ...... Quando autem pro „ pretio rerum, quas vendis, non ſolum mentiris, verum etiam falſum juras, quomodo in „ ore tuo tota die laus Dei? Vel quando, ſi „ Chriſtianus es, etiam ex ore tuo blaſphematur „ nomen Dei, ut dicatur, ecce quales ſunt Chriſtiani! Ergo ſi propterea iſte tota die laudem „ Dei dicit, quia non *cognovit negotiationes*, „ corrigant ſe Chriſtiani, non negotientur. Sed „ ait mihi negotiator: ecce ego affero quidem „ ex longinquo merces ad ea loca, in quibus „ non ſunt ea, quæ attulero; unde vivam, tamquam mercedem laboris mei peto, ut carius „ vendam, quam emerim. Unde enim vivam, „ cum ſcriptum ſit, dignus eſt operarius mercede ſua? Sed agitur de mendacio, de perjurio. „ Hoc vitium meum eſt, non negotiationis. Neque enim non, ſi vellem, poſſem agere ſine iſto vitio. Non ergo meam culpam auctor ad „ negotium transfero, ſed ſi mentior, ego mentior, non negotium. Poſſem enim dicere tanto emi, tanto vendam, ſi placet, eme. Non „ enim iſtam veritatem audiens emptor repelleretur, & non potius omnes accurrerent, quia „ plus fidem, quam mercem diligerent. Hoc ergo me mone, ne mentiar, ne perjurem, non „ ut abjiciam negotium, unde me tranſigo .... „ Mone ergo, quemadmodum vivam. Si bene, „ bene mihi erit. Unum tamen ſcio, quod ſi „ malus fuero, non negotiatio mihi facit, ſed „ iniquitas mea. Quando verum dicitur, non „ eſt quod contradicatur ".

Verum quanto melius, ſalubrius, ſecuriuſque ſentiunt, qui Apoſtoli monitum, & doctrinam amplectentes, dicere poſſunt: *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid poſſumus: habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus*. Quod ſi vel conditio noſtra, vel dura neceſſitate, vel bonum publicum ad negotiationes tractandas vel invitos rapit, ſic temporalia quæramus emolumenta, ut æterna non amittamus præmia; & dum manus temporalia tractat, cor ad ſuperna aſpiret, & divitiæ ſi affluant, nolimus cor apponere: illud præſertim ſemper recogitemus Chriſti ſalutare documentum, *quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?*

FINIS TOMI QUARTI.

239.02
P 278
31735
PATUZZI, JOANNES VINCENTIUS
AUTHOR
Ethica Christiana Vol. 4
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	STORAGE - CBPL

31735